Conradi Victoris Schneideri

LIBER

De

CATARRHIS

SPECIALISSIMUS,

QVO

Juxta Hippocratem Libro de *Gland.* & de *Locis in homine*,

SEPTEM CATARRHI,

Ut:

Κατάῤῥους ἐς τοὺς ὀφθαλμοὺς, ſeu Catarrhus *Oculorum*,
Κατάῤῥους ἐς τὰ ὦτα, ſeu Catarrhus *Aurium*,
Κατάῤῥους ἐς τὰς ῥῖνας, ſeu Catarrhus *Narium*; quo volumine & de *Sternutatione* agitur, ac quoq; palàm fit, nec *Cerebrum* eſſe *EPILEPSIÆ* ſedem, nec illud eo morbo principaliter affici, concutiq;, nec ejuſdem membri *meninges* moveri ac vellicari.
Κατάῤῥους ἐς τὸν πνεύμονα, ſeu Catarrhus *Pulmonis*,
Κατάῤῥους ἐς τὸν ςόμαχον, ſeu Catarrhus *Stomachi*,
Κατάῤῥους ἐς τὸν μυελὸν, ſeu Catarrhus *Medullæ Spinalis*,
Κατάῤῥους ἐς τὸ αἷμα, ſeu Catarrhus *Sanguinis*,

pertractantur,

Cui alius,

Ad Sextum CATARRHUM *ſpectans*,

LIBER

De

ARTHRITIDE, PODAGRA & ISCHIAGRA, ac de Horum Morborum CURATIONE

jungitur,

Item

ANACEPHALÆOSIS,

Quâ

Aſſertio Catarrhorum Cephalicorum repetita magis perſpicuæ falſitatis convincetur.

VVITTEBERGÆ,
Impenſis Hæred. D. TOBIÆ MEVII, & ELERDI SCHUMACHERI.
MATTHÆI HENCKELII,
ANNO M. DC. LXIV.

*SERENISSIMO AC CELSISSI-
MO PRINCIPI AC
DOMINO*

DN. JOHANNI,
PRINCIPI ANHALTINO,
COMITI ASCANIÆ,
DOMINO DE ZERBST,

BERENBURGK, JHEVERN,
KNIEPHAUSEN

&c. &c. &c.

Domino Clementissimo

Hunc Librum

*maximè devoto animo
dat, dicat, dedicat.*

SERENISSIME PRINCEPS ac DOMINE CLEMENTISSIME, non tàm mos, ut Vegetio placet, ſed pietas eſt, *Principibus* Terrarum ac *Dominis* in ſublimi potentatu collocatis, libros ingenio ac induſtriâ recens confectos, devoto animo dicare. Quemadmodum & *Eorum* ad notitiam nihil ſine cunctatione non perfertur, quod vel rarum viſu eſt, vel inventu arduum. Cur ea non ſimili honore digna habeantur, quæ in *RE Literariâ* deprehenduntur, diu, multumque antè quæſita? In ultimis haud ponenda erunt, quæ pertinent ad Medicinam, ad præſidem ſalutis humanæ. Jam verò nulla morborum genera mortales frequentiùs graviusque exercere creduntur, quàm *Catarrhi*. Horumque viæ huc uſque fefellerunt, quæ nunc meâ unius operâ monſtrantur. Iis prioribus igitur tàm perſpicuè falſis, via curandi quoque antehac parùm recta ſemper fuit. Quapropter meus hic labor nec ſupervacuus judicabitur nec inuti-

inutilis: Ad eam equidem, quam ob id multi quâ privatim, quà publicè fecerunt, mentionem mei tàm honorificam, ſemper erubui. Hoc tamen, quicquid eſt operis, TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, conſecrare animum induxi. Eâ tàm Clementisſimâ ſemper in me extitiſti voluntate, ut *T. Serenitati* ſim in perpetuum publicè, privatimque quàm obſtrictisſimus. Hoc teſtari velle ac etiam publicare, mei eſt ingenii. Itaq; hoc munuſculi chartacei ſub *Serenisſimo Tuo Patrocinio* ſic profero, ut illud ad *T. Serenit:* pulvinar ſtatim deponam. Aſpice, SERENISSIME PRINCEPS, pignus infimæ devotionis meæ, religionis ac pietatis ejus, quâ *T. Serenit.* colo, referendæ pro ſummis beneficiis gratiæ ex toto imparem me palàm profeſſus. Sume illud in *Auguſtas Tuas manus*, SERENISSIME PRINCEPS, qui faves & iis, qui literas tractant. Omni ſæculo meliora præteritis eruuntur. Publicantium igitur ingenia foves. Scripta ipſa recognoſcis ſæpiùs ac reperta. Non ſunt, fateor, tanti. At DEO ac Principi etiam minima ſunt curata. Inde divina Majeſtas & humana elu-

cescit maximè. Deus TE, PRINCEPS CELSISSIME, servet, cui cordi est Salus Patriæ & singulorum. Tu, Patrocinium Singulorum, Deus TE servet. Hisce ardentibus votis TE, SERENISSIME PRINCEPS, Dei protectioni æternæ commendo. Hic faxit, ut TUÆ SERENISSIMÆ Summæque Felicitatis meta sit nulla. Witteb. d. 1. 7br. A. 1664.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

Servus humillimus, maximeq; devotus

Conradus Victor Schneiderus, D.

Lectori Benevolo Salutem!

POtissimùm in cujusque Libri fronte existimatur & primum, gustum quasi habere ac nosse, quidnam fuerit susceptum. Argumentum igitur pauculis habeto. *Oris*, *Nariumq́*; *pituitam* ex interiore *Cerebro*, ex illa *Arce Pallados*, indesinenter emicare, consensus gentium fuit. Hic ipse meo unius magisterio jamdudum ad nihilum recidit. Verùm cùm novissimo illo superiore volumine *Coryzam* & *Branchum*, hæc *Catarrhi* genera exponerem, memor fiebam illius recensionis, quâ vetustissimus Medicorum, *Hippocrates lib. de Glandulis in homine* septem facit *Catarrhos*. Ego primùm animi pendebam, mox traducebar aliò. Instituta mea magis absolvi, perficiq́; intelligebam, si istas omnes *septem species Catarrhorum* ex eodem ordine persequi instituerem. Hoc igitur est, quod ab hoc principio rursus fuerim exorsus, eandem rem ex integro retractare. Cumq́; nova dogmata contentionibus eruditorum vigere soleant, eorum inserui sparsim objectata, ac adversus eadem rursus feci verba.

Hæret profectò semen introrsum veri, *Boëth. l. 3. cons. phil.*
Quod excitatur, ventilante doctrinâ.

Prætereà *Anacephalæosin* conficio, quâ & alios alia super alia argutè excogitantes, veriq́ue sciendi curâ afferentes, rursus ad meam sententiam perducere laborabo. Sunt verò, quibus *Nares & Cerebrum pituita* obruit sic, ut illis inveteratis opinionibus obsessi, judicium adhibere non valeant. Nonnulli sunt hebeti ingenio ac obtuso, nihil eo dispicere queunt, permanent in prioribus sententiis, ac constantes non sine laude se visum iri arbitrantur. Hos omnes ego missos facio, quemadmodum & eos, qui istâ ingenii naturâ verum fastidiunt, ejusq́; in despectum haud parùm multa affingunt. Novæ quidem res nescio quo fato aliquid semper habent offensionis. Rarò sub primulo ortu arripiuntur, æstimantur, ac in laudibus ponuntur. Cæterùm isti rerum diu creditarum probatores minimè sunt ad verum eruendum propensi, sed magis ad calumniandum parati

veni-

veniunt. Equidem maledictis non certaverim. Attamen,quid dicatur,intendam,explicaboque lubens quæsita. Est sæpè quis acerbiore naturâ, ut nihil sine contumeliis proferre queat. Tùm vindictæ genus optimum est, ignoscere: sæpè & malevoli laudem pariunt, injuriis infamatis. Ex obstantibus plerunque erumpit veritas, & quasi effloreſcit. Vitilitigatores sunt hujus sæculi vitia. Resipiscunt ipsi etiam aliquando, ac verum agnoscunt, necnon pro eo mox tantò acrius pugnant. Quare nunquam committam, ut aliquis illud hominum genus eâdem rabie aggrediatur. Quidam juvenis vir, scientiâ rei medicæ & inventorum conditione compertâ,præclarè eruditus,nunc peregrè profectus, semper quidem in optatis habuit, in ejusmodi litem se ultrò impingere. Non semel stylum suum pugnacem & bellatorium exacuit,à me semper attentus. Altius imprimet dentes,quàm canis ille,qui sibi feram mordicùs tenenti, membra præscindi patiebatur. Sagacissimè etiam subsentiet ac odorabitur,quisnam sit princeps autor, qui tamen fallere voluit. Vereor, ne tacenda dicat & prorsus pudenda. Adeò fervet cupiditate & fertur,imò ruit. Nec parcet illi,qui primus omnium Heuretes esse velit. Eum *nec caput* hisce pituitæ itineribus reperiendis, nec, uti loquitur *Plautus*, *pedem fuisse*,bellè ostendet. Interdum horum hominum pectora sale admodùm facetè defricabit. Illudque quàm astutè faciet, ut

Ovid. *Autorem feriant tela retorta suum?*

Quàm scitè impetentem repetet, reprimet quàm callidè obloquentem, quàm vafrè retundet velitantem, latrantem quàm acriter castigabit? Sed hac ratione mirationem facere ac risum captare, est vilissimus ingenii fructus. Nec eo responsionum genere unquam delectabor, nec quoque in iisdem,quibus me nonnulli publicè privatimq; affecére laudibus,habeo,quod mihi plaudam. Agnosco bonum animi,judicium cujusq; magis expeto. Acquiesco unicè in veritate,effectrice illius utilitatis,quâ languentibus in posterum multò certiùs mederi poterimus,sublatis funditùs *septem cerebri Catarrhis*, illisq; *cephalicis* medicamentis tàm multis,nunc prorsus omninò abdicatis. Expeditior, ne multa, nunc erit via curandi, minus sumtuosa ac magis salutaris.

INDEX

INDEX
CAPITUM ET MATERIARUM
Utriusq; Tractatùs.
I.
DE CATARRHIS.
CAPUT I.
De
CATARRHO OCULORUM.

Omnia paulò altiùs & quasi à primo fonte repetuntur. *Hippocrates Catarrhorum* Cerebri *genera* fecit *septem.* Vis *numeri Septenarii.* Eô & *mala* interdum constant. Ex illis *septem Catarrhis Cerebri Capitisq;* primus est *Catarrhus Oculorum.* Vocatur & ab *Hippocrate Ophthalmia.* Quid *Glamia?* Quemadmodum *Ophthalmia* & *Lippitudo*, ita *Rheuma oculorum* & *Ophthalmia* differunt. Vetus opinio est, *Ophthalmiam* à *capite* & *cerebro*, à *Venis* quoque, & à *toto corpore* oriri. Hanc quoque exponunt *interpretes Arabum.* Eorum quidam *ex cerebro* humorem contendunt per *cranii foramina in oculos* ire. His *Leonhardus Jacchinus* & *Carolus Piso* assensum haud commodant. Atque hæc persuasio magis magisq; falsi convincitur. Refutatur quoque *Sennertus.* Per *Nervos Opticos* humor haud potest de *cerebro* meare ad *oculos.* Nec *vapor de stomacho* surgens, concitat *Ophthalmiam.* Simile judicium de *hepatis*, de *lienis*, de *uteri*, de *pulmonis Vaporibus* fertur. Sunt ineptæ opiniones. Nec è *medio Cerebro vapores* prorumpunt in *oculos.* *Causæ Ophthalmiæ* ex ordine dicuntur. In iis

exponendis multi sunt *Jacobus de Partibus* , *& Nicol. Florent.* Hi nihil explicant explicando. Tandem *Ophthalmia* definitur. An possit esse *Symptoma?* An *Morbus?* *Palpebræ* aliquando simul *inflammantur. Differentiæ Ophthalmiæ* etiam pertractantur. *Ophthalmia Sicca* est quasi privata *Ophthalmia*. Inter differentias mentionem ejus omisit *Sennertus*, ut & *Flatuosæ*. ψωροφθαλμία exactiùs consideratur. Reverà extat *flatuosa Ophthalmia*. Illa differentia non probatur, qua *D.D. Sennertus* aliam *Ophthalmiam* facit per ῥευματισμὸν, aliam per συναθροισμόν. *Signa Diagnostica* exequuntur *Avicenna, Rhases, Alex. Trallianus*. Supplentur, quæ omisit *Sennertus*. An & quo modo *Ophthalmia* possit esse *contagiosa?* Est & *epidemia*. Laudatur *Vopiscus Fortunatus Plempius*. An *Ophthalmia* possit acuere aciem *oculorum?* *Ophthalmiam Hippocrates* valentioribus *purgantibus* curat, lenioribus *Sennertus*. Sed præstat sequi *Hippocratem*. Ab hoc stat rei ratio, stat quoque experientia. *Ocularia appropriata medicamenta* sunt nulla, variè miscentur purgantibus. Iis appropriatis & principio morbi noxam fieri proponit *Hercules Saxonia*. Horumque numerus non certus est, crescit indies. *Purgantium* utilitas experimentis fuit cognita. Si *Ophthalmiæ* est *febris* associata, *valentioribus purgantibus* non erit locus. Jure nititur *autoritate Hippocratis laudatus suprà Plempius. Sanguinis missio* est optimum remedium. *Sennertus* est hoc loco adversus *Hippocrati*, cujus vestigiis meritò insistunt plures. De *sectione venæ jugularis* tàm necessariâ nihil dixit *Sennertus*, nihil quoque de *Arteriotomiâ. Cucurbitulæ, Ventosæ, Sanguisugæ, friationes*, præcipuè verò *cauteria* & *Setacea* multum afferunt utilitatis. *Ptarmica* an aliquid conferant? *Lac mulieris puellam nutrientis* magis utile non erit. *Poma semiputrida* sunt lenientia. *Veterum medicamenta simplicia* longâ serie enumerantur, nec non *exotica*, mox *priscorum, recentiumq; composita externa* & *interna. Fuligine* & *Stibio* supercilia collinebantur. Quâ ratione *stibium* antiquitùs vocetur *Platyophthalmum?* Quâ Virtute sit *fuligo?* Fuligo *thuris, myrrhæ, picis*, in numerum *Calliblepharorum* referebantur. Fuligo & ex oleo *cedri* & *medullæ cervinæ* fiebat. *Calliblephara* erant quoque medicinalia. *Pulvis stibii* adhi-

adhibebatur, non *fuligo ejus*. Fallitur *Salmasius*. Istæ *fuligines* valdè nigrant, inde conficitur *atramentum*. Quid sit *specillum*? Eo *Calliblephara* & *Collyria* admovebantur. Superioris *palpebræ* inferiorisq; *cilia* tingebantur & *supercilia* maximè. *Ustum & lotum stibium* in *collyria* addebatur. *Johannes Baptista Porta* sumpsit *Calliblephara* de *Marcello*, ac confusè. Vetustiores quidam Medici ac juniores ad externa remedia quasi inviti tandem aliquando descendunt. Ad *repellentia lenissima* quasi referuntur *albumen ovi*, cum *albumine vitellus*, *farina triticea*, *similago*, *panis*. Similia *fronti* & *temporibus* imponuntur. Laudantur *lachryma de ovo* & *Gallatura* maximè. Quæstio agitatur; *lac an albumen ovi* aut *vitellus* magis conveniat? *Repellentibus* adjicitur *Opium* tùm ab *antiquis*, tùm etiam à *recentioribus*. Alia *medicamenta* auxiliantur incipiente, alia adolescente, alia senescente *Ophthalmiâ*. *Collyria* & ex *mineralibus* conficiuntur, ex *Vitriolo*, *Marchasitâ*, *Plumbo*, *Lythargyro*, *Ære*, *Antimonio*. Ea diversimodè *chymici* præparant hodiè. Non sunt nova remedia. *Opium* damnatur, oculis illitum. Correctum probè interdum assumi potest. *Febris* an aliquando possit *ophthalmiam* curare? Est dogma non *Cassii*, sed *Aristotelis*, & ipsius *Hippocratis*. *Diæta* hominis *ophthalmiâ* laborantis proponitur brevissimè. *Vina* & *Balnea* certâ ratione prosunt. An *diuretica* conveniant, urgente *Ophthalmiâ* biliosâ? *Adstringentia* nihil prosunt, quæ & *D.D. Sennertus* memorat. Quædam *oculis* privatim inimica esse creduntur. Quidam *Medicorum sorbere* jubent, non *manducare*. Quædam & prodesse dicuntur & nocere. *Persica Mala* magis insalubria sunt, quàm *melones*. *Abstinentia* & hic est adjutrix. *Exercitatio corporis* sit modica. *Somnus* est salubris, quæritur an etiam *ophthalmiæ pituitosâ* urgente? *Amuleta* hîc sunt tàm varia, quàm inania. Vanum quoque est illud, quod excogitat *Hartmannus*. *Ophthalmiæ stomachalis* curatio est inepta æquè ac nulla. *Flatuosâ* infestante maximè salubris est *sudor*. Percensentur quædam medicamenta *simplicia* & *composita*, quæ *Xerophthalmiæ* propria esse videntur. pag. 4.

 CAP.

CAPUT II.

De

CATARRHO AURIUM.

Secundum *Catarrhi* genus eſt, duce *Hippocrate, inflammatio aurium.* Hæc ob certam rationem hîc ſequitur *Ophthalmiam.* Veteres Medici, *Græci* & *Arabes, inflammatis auribus*, & *Cerebrum* laborare credidêre, eique admoverunt remedia. Hos conſectatur turba recentiorum, & ex iis *Sennertus.* Qui communis error hîc coarguitur. Via *Catarrhi* haud eſt illud *Cranii foramen*, per quod *humor cerebri* vel in *aures*, vel in *oculos*, vel in *nares* manarè fingitur. Vetuſtiores ſimul aſſeverant, *Catarrhum* & per *venas* in *Aures* ferri. Humor ex *cerebro* per *foramen Nervi Auditorii* in intima *Aurium* non poteſt mitti, conſideratâ loci conditione. Atque graviores inde morbi naſcerentur. *Inflammationis* cauſæ ſunt ῥεύματα vel πνεύματα. A *flatibus* oriri poteſt *inflammatio aurium*, ſed longè aliâ ratione. Homine *ebrio*, *vapores* non tàm ex *ſtomacho* per *gulam*, quàm per *arterias* ex *maſſa ſanguinea* in intima *aurium* feruntur. Nec *Hepar*, nec *Lien*, nec *Matrix* poſſunt *flatum* in aures compellere, obſtantibus *inteſtinis*, *Diaphragmate* & *collo.* Si ſpectantur partes *aurium*, harumq; cavitates, erunt *differentiæ inflammationis aurium.* Eſt & *critica* inflammatio *Aurium.* Illa differentia *eſt fallax*, quâ hæc *inflammatio* per *viam catarrhi*, hæc per *viam paulatinæ digeſtionis* oriri dicitur. Nec *ſtomachica*, nec *Hepatica*, nec *Uterina* eſt inflammatio *aurium.* *Flatus ſanguinis* poſſunt facere *ventoſam*, ſeu ut vocant, *flatuoſam inflammationem aurium.* *Signa inflammationis Aurium* expenduntur. *Gravitas capitis* pituitoſum, craſſumque humorem haud demonſtrat, nec quoque *aer frigidior*, in quo æger ante fuerit verſatus. Atque notæ *humoris melancholici* ſunt incertæ. Nec *gravitas frontis* poteſt eſſe præſagium *inflammati nervi auditorii.* Nec nauſea illam, ut vocant, *ſtomachalem inflammationem aurium* teſtatur. *Prognoſtica* dicuntur. *Aurium inflammatio* gravior *Ophthalmiâ* eſt & periculoſior. Levior eſt inflammatio *aurium*, *exteriore* tantùm *auriculâ inflammatâ.* Inflam-

matio-

matione *aurium* graviùs laborant *juvenes*, quàm *senes*. At & *juvenes* sæpè convalescunt Recidiva intendit periculum. *Critica* inflammatio est salutaris. *Inflammationes*, *sordesq; aurium* non possunt in *urina* agnosci. *Inflammationis aurium* curatio, omissis *Cephalicis* & *Cerebralibus* medicamentis, nunc facilior est, & minus sumptuosa. Nec *Errhina*, *Ptarmica*, *Apophlegmatismi* & *Gargarismi* utiliter exhibentur. Deseruntur *Hippocrates* ac *Galenus*, nec non juniores, ut *Grossius*, *Weickardus*, *Sennertus*. *Medicina purgans* utilitatem affert, veluti *Sanguinis missio*, *cucurbitulæ*, *Frictiones*, *Cauteria*, *Hirudines*. Quantum ad has, suggerit exemplum *Zacutus Lusitanus*. *Vomitus* nihil confert. *Diuretica* non sunt aliena, nec quoque *sudorifera*, sed certâ tamen ratione. Quidam abdicant *Repellentia*, quidam probant. At hi ipsi explicatuum discriminibus dissident, ut inprimis *Massarias* & *Sennertus*. Tandem *Repellentia* expelluntur. *Opium* nec torrefactum prodest, sive illitum sive instillatum. Est quoque *sensui Auditus* peculiariter pernitiosum. *Lac* & *Butyrum* auxiliantur. *Caninum lac* vehementiùs collaudatur. *Albumen ovi* prodest, prævalet, teste *Avenzoar*, *vitellus*. *Otica* vetustiorum Autorum percensentur. Sequuntur *Otica simplicia exotica*, mox *Otica* antiquorum *composita*. *Aures*, infusis liquoribus vel *conchyliatâ* ac *purpureâ* vel *albâ lanâ*, obturabantur. *Conchyliata* & *Purpurea* differunt. *Alba* potuit etiam esse *Xylina*, quæ & spissior est. *Cepa* omni ætate fuit nominata medicina *Aurium*. Modus *Otica externa* admovendi est varius, vel per *lanam*, vel per *arundinem*, vel per *auriculare specillum*, ac illud quidem aliquando *lanâ* mollissimâ involutum, vel per ὠτεγχύτην, *oricularium clysterem* vocat C. *Celsus*, vel per *strigilem*. Fit *Vaporatio* per *fumum* & *ollam*. Omnia *Otica*, quæ *auribus* infundenda sunt, ob membranæ interjectum multis suspecta, prorsus aliena, ac periculosa esse videntur. Ructando, vomendo, nitendo, clamando, inflando non *Halitus stomachi* penetrant in *aures*, sed harum vasa distenduntur. Idq; docet *Galenus*. *Vapore calentis panis* non tabescunt crassiores *auris* humores. *Cataplasmata* sunt admodùm idonea. Reliqua sunt prudenter eligenda. *Otica exo-*

ſunt

ſunt coloris. Ad ea reſpondetur, quæ *objiciunt* nonnulli. Nullum veſtigium muci unquam nec in hominis, *Coryza* oppreſſi, Cerebro deprehendi poteſt. Reliquias alimenti in Sanguinem venæ cujuslibet partis reducunt. Recrementa emittunt pori cutis. *Renum caro* ob *urinæ* tranſitum *urinam* redolet, reſipitq́; Paucula *urina* in ipſis *renibus* notatur, iisque obſtructis, admodùm multa. *Cerebrum* patefactum nunquam ita prodit *pituitam*. Hæc facilius in *Cerebro* remanere poſſit, quàm in *Renibus Urina*. Rurſus quæ *opponuntur*, hîc diluuntur breviter. *Membranæ pituitariæ* & reliquæ multis rebus diſcrepant. Non omnes ob id queunt ſudoris inſtar reddere *pituitam*. *Pituitaria membrana* non propriè ſudant. Ad alia, quæ objiciuntur, reſpondetur. *Sternutatio* ad *Catarrhum Narium* ſpectans, *Epilepſia* non eſt ſimilis. *Vincentii Alſarii à Cruce* opinio caſtigatur, in parte probatur. *Martinus Schoockius* laudibus afficitur. Natura *Epilepſiæ* pluribus exponitur. *Epilepſiâ* ingruente, non *facultas animalis motrix* ſimul concurrit, ut credit *Sennertus*, ſed ſola *expultrix Naturalis* incitatur: Nec in læſis tantùm, ſed etiam in ſalvis partibus. *Proſperi Martiani* & *Nicephori* exempla ſunt valdè rara: *Epilepſia* non oritur ab humore, ut loquitur *Sennertus*, διάθεσιν epilepticam habente. *Incubus* eſt ſpecies *convulſionis*. Nervi *morbo comitiali* non moventur, nec *cerebri membranæ*, nec *cerebrum* ipſum. Refutatur *Sennertus*. Ac nunc efficacius curari poteſt *Epilepſia*. Magnus eſt conſenſus *Facultatum animæ* & ipſarum quoque *Facultatum Expultricum*. Et *Comes Montanus Epilepſiam* certâ ratione negat *ſternutationi* eſſe ſimilem. *Sennertus* aliis modis *Epilepſiæ* confert *ſternutationem*. Aſſenſus non præbetur. Nec *ſternutatione cerebrum* aut ejus *membranæ* agitantur. Quidam ſternutant ſine *capitis* & *thoracis* motu. Ultima *objectio* diluitur. Nec albida pituita de *cerebro*, nec cruor pituitæ de *narium arteriis* venit. Adjicitur illud, quod ſpectat ad curationem *Catarrhi Narium*, & ſimul *Thoracis*. Talis *Catarrhus* non eſt ſemper mortiferus. Reique ratio affertur, poſt habetur autoritas *Hippocratis*. pag. 208.

CAP.

CAPUT IV.

De CATARRHO PULMONUM.

Pulmonis Catarrhus iterum dicitur, non verò *Branchus*. Eſt *tertius*, duce Hippocrate, *Catarrhus cerebri*. Ex alio genere eſt. Non eſt *conſpicuus*. Decurrit *gutturis* fiſtulâ. Nunc *Peripnevmonia* eſt, nunc *pleuritis*, hoc eſt, vel dextri vel ſiniſtri pulmonis inflammatio. Utrumque morbum *tuſſis, raucitas, Empyema*, & tandem *Phthiſis* ſequuntur, intercurrente *febre*. *Hippocratis* doctrinam exponunt *Theodorus Zvingerus* & *Johannes Baptiſta Montanus*. Dicitur & *Capitis catarrhus in ventrem ſuperiorem*, qui, teſtibus, *Galeno* & Philotheo, eſt *thorax*, ſedes pulmonum. Hic *catarrhus*, ſi humor obſidet totum pulmonem, *Peripnevmonia*, ſi ejus alterutram partem, *Pleuritis* vocitatur. πλευρὰ dicitur cujuslibet rei latus. πλευρία & πλευραὶ differunt. Quid *Pneumonia* ſit, quid *Peripneumonia*, quid *Pleuripnevmonia*, quid *Pleuritis vera*, quid *notha*, exponitur. Ad hunc *Catarrhum* & *Angina* refertur. Prædicti *tres catarrhi* & *hic* ſunt partium inflammationes. Quidam ab *Hippocrate* deficientes, negant *Anginam* muci deſcenſu naſci poſſe. Stridula *difficultas Spiritus* & *pulſuum inæqualitas* non ſunt notæ humoris fiſtulâ gutturis in *pulmones* fluentis. Nec *Aſthma* hoc pacto oritur. Idque docuerunt quidam *Galenicorum*, quos imitatur *Helmontius Montanus* tale quid videns, noluit tamen *Hippocratem* deſerere. Vera falſis confundens, tradit, hunc capitis *Catarrhum* partim per *aſperæ arteriæ canalem* & ejus per ramos, partim per *venas* in pulmones ferri. Signa humoris per *aſperam arteriam* influentis haud ſunt *tuſſicula ſicca, difficultas anhelitus, pectoris dolor in profundo, pallor faciei, ſpumoſæ Urinæ*. Qui humores vitiant *pulmones*, illi non ſunt *cerebri*, ſed *Maſſæ Sanguineæ*. Commodè *Montanus* memorat *Cachexiam*. Nec *pulſus parvus, mollis, imbecillis* & *inæqualis* eſt ſignum humoris *de capite* ſtillantis, ac per *vaſa arterioſa* coeuntis in pulmones. *Catarrhorum* curatio vetus eſt & nova. Differunt omninò. *Opium* non eſt frigidum.

dum. *Philonium* constat ex pluribus calidis, quàm *Diaspermaton*. *Philonium* ob eam rem haud reprobandum. *Saccharum rosaceum*, *succus myrtillorum*, *Syrupus de jujubis*, *de violis*, *de siliquis non hæc faciunt, ne catarrhus facilè distillet ad venas illas*. *Bolus armenus* in majus laudatur. *Incidentia* medicamenta possunt *cerebrum* & *pulmones* violare. Natura jure princeps in agendo existimatur. *Gargarismata* magis conveniunt, quàm *Masticatoria* & *caputpurgia*. *Masticatoriis* allectus humor non potest in pulmones tàm facilè confluere. *Capitis corroborantia* sunt superflua, *balnea* etiam ac *lotiones Capitis*. *Calida corroborantia Capitis* possunt nocere *naturali calidæ temperaturæ Capitis*. *Theriaca recens* non est *corroborans pectorale*. *Cauterium verticis* propter *commissuram suturæ Coronalis* & *Sagittalis* non convenit. Per omnia adhibetur *correctio*, repertis illis novis itineribus *Catarrhorum*. p.301.

CAPUT V.

De CATARRHO STOMACHI.

Catarrhus stomachicus est numerô quintus. Ab *Hippocrate* & à *Galeno* vocatur καταῤῥοος ἐς στόμαχον, καταῤῥοος ἐς τὴν κοιλίην, ἐς τὴν κάτω κοιλίην, & ἐς γαστέρα. Eundem memorant *Galenus*, *Polybus*. *Ætius*, *Philotheus*, *Avicenna*, *Rhases*, *Alsaharavius*, *Haly*, *Serapio*, *Janus Damascenus*, *Marcellus*. Recentiores, ut *Nicolaus Nicoli*, *Bellocatus* & *Francanzanus catarrhum stomachicum*, *Fluxum Cerebralem*, ut *Savonarola*: *Diarrhœam cerebralem* vocitant plerique, *Cerebellarem* verò *Valescus de Taranta*, nonnulli *capitalem* aut *cephalicam*, quidam *pituitosam*, ac quoque *catarrhalem*. *Catarrhalis* quoque interdum dicitur ratione illius *Catarrhi*, qui de toto corpore venire proditur. Nulla *Diarrhœa* jure hæc sortitur cognomina. Quibus viis humor Cerebri defluit, illæ sunt *Gula* seu *Oesophagus* & *Fauces*. *Faucium* verbum *Græcâ*, *Arabicâ*, *Latinâ* & denique *patriâ* linguâ

eſt ambiguum. Illa etiam *Catarrhi* itinera nominantur *colatoria palati*, ad quod ſpectat *Gargareo*. Nonnulli viam hujus *Catarrhi* prolabentis cenſent eſſe *continuitatem membranarum cerebri*, ac *ſtomachi*. Hinc ille *ſtomachicus catarrhus Aphthoſus* exiſtere putatur. Tandem *venæ* & *arteriæ* habentur viæ, quibus humor *Catarrhi ſtomachici* labitur. Eas memorat *Galenus*, hinc recentiores. Quæ in ſtomachum fluxit materia, illa rurſus *venas* intrare poſſe perhibetur. Inſuper *Adrianus Spigelius* capitis pituitam ex ventriculo tranſudare poſſe arbitratur. Quæ *cerebralis* hujus *Diarrhœæ* viæ omnes ſunt falſæ, ineptè fictæ ac prorſus nullæ. Nihil in ſtomachum labitur, niſi glutiendo. Illaque devorandi facultas non eſt naturalis. *Gulæ* non attribuit muſculos *Leonhardus Fuchſius*, contra verò alii, ut *Archangelus Piccolhominus*. Res experimentis ſatis pernoſcitur. *Vincentius Baronius* verum attingit. Homo dormiens glutit ſæpius. *Spigelius* refellitur. *Cerebri humor venis* aut *arteriis* non fertur in ſtomachum. Quæ pituita in ſtomachum per arterias infunditur, non *cerebri*, ſed *maſſæ ſanguineæ* humor eſt. *Catarrhus ſtomachicus* eſt nullus, nulla eſt *Diarrhœa cerebralis* aut *Catarrhalis*. Medicamenta, quæ ad illam prædicantur, exercent ægros, nihil juvant. Viæ humoris *Diarrhœam* facientis ſunt *Ductus Cholodochus*, *Pancreaticus Ductus*, & *arteriæ inteſtinorum*. *Diarrhœæ* cauſa nunquam eſt *cerebrum*. Oris humidum, quod reddunt *Ductus Salivales*, non poteſt, niſi glutiendo venire in ſtomachum. C. *Plinius* memorat pituitam *Gulæ*. *Gulæ* verbum an ſignificet guttur? *Gula* madet humore. Ad *Diarrhœæ* cauſas & cibaria omninò ſpectant, nec non *Aer*. *Auſter*, *pluvia*, *nebula*, *pori cutis Diarrhœam* creare queunt. Hiſce non *cerebrum* afficitur, ſed *maſſa Sanguinea*, unde tandem oritur *Diarrhœa*. *Aer* & gula & poris Cutis hauritur. In Cerebrum haud trahitur. *D. D. Sennertus* ab *hectica* cerebri intemperie (ita vocat ille) tradit oriri hanc, quam fingunt, *cerebralem Diarrhœam*. Id explicari non poteſt. Refutatur *Sennertus*. *Differentiæ* enarrantur, Cerebri humor nonnunquam in *Guttur* flue-

fluere creditur. *Catarrhus* vel ἐς τὴν κάτω κοιλίην vel ἐς τὴν ἄνω κοιλίην fieri fingitur. Verbi *Faucium* ambiguitas est multorum errorum mater. Nec *pectoralis Catarrhus* hoc modo existit, nec ullus est *Branchus cerebralis*. Nec humores *cerebri* vel acres vel mitiores diversa faciunt *cerebralis Diarrhœæ* genera. Nec hâc ratione nascitur *Dysenteria*. Falsus ob id est *Hippocrates*, item *Galenus* ac cuncta cohors recentiorum Autorum. Nec *Diarrhœa* facilè à multitudine *Salivæ* orietur. *Signa Diarrhœæ cerebralis Diagnostica* non dico fallacia, sed nulla sunt & prorsus falsa, ut *spumosa alvi excrementa, capitis imbecillitas, dolor capitis*, ejusdem *gravitas, Catarrhus*. Prætereà eam ajunt à *somno invalescere*, tales ægros esse *somniculosos*, ac *dormientes* sæpiùs *glutire*. Tandem eandem *cerebralem Diarrhœam* esse *periodicam*, ita vocant, *nocturnam* quoque, ac *diurnam*, itemque sine *siti*. Nec ille *Hippocratis Aphorismus* (6. lib. Aph. 32.) est verus. Idque animadvertit *Sanctorius*. Multi *balbi* laborant duritiâ alvi. *Tussis* & *Raucitas* nulla sunt documenta hujus *Diarrhœæ catarrhalis*, ut nec *dejectiones alvinæ*, vel *nausea*, vel *vomitiones*, contrà *Vinc. Alsarius à Cruce* disputat. Quantum ad *Prognostica*, hîc *catarrhus stomachicus* nunc levis, imò salutaris, nunc gravissimus morbus putatur & propè mortiferus. Erit quoque interdum *vomitus cerebralis, cerebralis Nausea*, ac *alvi contractio* quoque *cerebralis*. Sunt figmenta, quemadmodum & *cerebralis Lienteria, cerebralis Dysenteria, cerebralis Hectica* seu *Atrophia*, cujus meminit *Serapio* vel *Janus Damascenus*, quem sequitur *Bertrucius*. *Indicationes* prodit *Hippocrates*, item *Galenus* & *Ætius*. *Easdem* pluribus persequuntur juniores. Est inveteratus error. Inventa *caput* & *cerebrum* curari non sinunt. Remedia alvum contrahentia, principiò reprobantur. *Venter superior* est *thorax* & quoque, sed alia ratione, *stomachus*. Utrumque ajunt purgari. De eo dubitat *A. M. Brassavolus*. *Agaricus* & *pectus* purgare dicitur. *Cathartica* sunt aliquando ῥυπτικά. *Ptarmica* etiam sunt ῥυπτικά. Quæ pectus purgant, ea ait *Joh. Guinth. Andernacus* valentissima esse debere. Ob id *Agarico* lo-

 cus

cus non erit. *Hippocrates* & *Galenus catharticis lenioribus* utuntur. Quidam *Agaricum* reprobant, aliis reclamantibus. *Rhabarbarum* est commoda medicina. *Elect. Diaphœn. Pil. Lucis* & aliis *catharticis* ipsum cerebrum credunt quasi privatim purgari. In *cathartica* inutiliter illa *Cephalica*, ac ut vocant, *Cerebralia* adduntur. Quacunque oriente *Diarrhœa*, ad stomachum & intestina dirigatur curatio, nunquam ad *cerebrum*. *Leniter purgantia* non sunt aliena, nec *clysteres* nec *vomitus*, non autem à somno. *Sennertus* vapores à vomitionibus motos censet, strictâ per fasciam *Suturâ Coronali* arceri. Ei assensus haud commodatur. *Sanguinis missio* non ratione humoris vel in *cerebro* collecti vel de eo stillantis, sed ratione *plethoræ* est utilis, urgente *Diarrhœâ*. Nec *cucurbitulæ* penitus reprobantur. Cauterium *Avicenna* utile judicat, attestante *Zacuto*. Quidam recentiorum *cauterium vertici* ratione Capitis & ratione stomachi aliud *Pedibus* infigendum curant. Est error decumanus. Eadem de *Setaceo*, *Vesicatoriis*, *Rasurâ capitis*, *Frictionibus*, *Saccellatione*, *Suffumigiis*; *Lotionibus capitis*, *Lixiviis*, *Unguentis*, *Emplastris*, *Odoramentis*, & tandem reliquis *Cephalicis*, & ut vocant, *cerebralibus* medicamentis est censio. Illæ compositiones sunt idoneæ, ut *Theriaca*, *Mithrid: Aur. Alex. Conf. de Calamintha: Diacymin. Diatr. pip.* Hujus meminit *Galenus*, hinc *Barth. Montag. Zoroaster Tinellus*. Diuretica damnat *Diocles*, non item *Octavius Horatianus*, hinc recentiores. *Opiata* auxiliantur. Quid sit *Diaspermaton Galeni*, detegit *Mercurialis*. Ex *opio* confecta *Collyria* prosunt. *Opiata* ore continentur utiliter. Quacunque quis arripitur *Diarrhœâ*, nec *ptarmicis*, nec *masticatoriis*, nec *gargarismis* levatur. *Sennerto* frustrà suspecta sunt *Masticatoria*. Illa remediorum genera omnia sunt æquè supervacua. Genus *Diætæ* exponitur. *Olera* nocent. Eorum esu *M. T. Cicero* arripitur *Diarrhœa*. *Erasistratus* non auditur, digestibiles cibos culpans. *Vinum subausterum* convenit & *aqua chalybeata*. *Supinus cubitus* nihil nocet. Nulla *Diarrhœa* curatur *vigiliis*. *Ira* nihil prodest. *Exercitatio corporis* est utilis, ast certa ratione. Reme-

dia

dia ad regionem *stomachi* & ad *duodecimam vertebram dorsi* admoventur. pag. 339.

CAPUT VI.

De

CATARRHO SPINALIS MEDULLÆ.

Sextus Catarrhus est ille; quem *Hippocrates* tradit in *Spinalem Medullam per Venas* ferri. Hunc pluribus verbis exequitur. *Septem Hippocratis catarrhos* percenset variè *Theodorus Zwingerus*, itemque *Johannes Baptista Montanus*. Diversimodè ab ipso *Hippocrate* cognominatur hic *Sextus* Catarrhus. Hujus Catarrhi vias tradit *Hippocrates* esse *venas*. Has & juniores autores memorant, *Langius & Ronseus*. *Venas* corporis credit *Hippocrates* originem suam à *capite* & à *cerebro* trahere. Eam ipsam opinionem coarguit *Galenus*. *Cor* est principium *venarum arteriarumq;* etiam consensu Medicorum hujus ætatis. *Cervicale sanguinis vas* vicina Cerebri tantùm contingit. *Arteriæ* in *Spinalem Medullam* convehunt *communem, non privatum cerebri sanguinem*. Juniores autores monstrant alias *vias*, quibus *cerebri humor* rectà in *spinalem medullam* fluere posse putatur. Sunt *tres* viæ. *Prima* est *Ferneliana*. *Secunda* est *Occipitii foramen*. Hinc *Gulielmus Fabricius* & *Dan. Sennertus* refutantur. *Tertiam viam* duce *Hippocrate* faciunt *venæ*. *Dorsi spina* interdum redditur *gibbera* non à *Cerebri pituita*, sed ab humoribus *Massæ Sanguineæ*. *Diagnostica Signa* hujus Catarrhi *in spinalem medullam lati* sunt nulla. Quæ persequitur *Montanus*, sunt *frigiditas in descensu*, *corporis stupiditas*, *Paralysis*, *Luxationes Membrorum*. *Venæ Lumbricales* in Cerebrum usque adscendere perhibentur. *Autores* nominatim appellantur. Contra nonnulli eas ajunt descendere. De cuncta re dubitat *D. Caspar Bartholinus*. *Vasa intercostalia* etiam

CAPUT VII.

De

CATARRHO SANGUINIS.

Fit

Fit recensio *Catarrhorum.* *Septimus* Catarrhus, doctore *Hippocrate*, est hic *Sanguinis Catarrhus*, seu *Catarrhus Venarum* & *Arteriarum.* Priores tres sunt ἕως ἀποκρίσιος & conspicui, leviores ac minus periculosi. Nomen φλεβῶν enodatur. Complectitur & *arterias.* Cunctus ille *Hippocratis* locus inseritur, quo natura *catarrhi in sanguinem* euntis exponitur. Hic *Catarrhus* est admodùm ferax morborum, ut & *Apoplexia.* Hâc humor in *cerebri* ventriculos fluere putatur. *Apoplexia* & ab *inflammatoria* oritur *Cerebri dispositione*, ad quam spectat φλεβῶν κατάληψις aut ἀπόληψις. Laudatur *Caspar Hofmannus.* *Aer*, edocente *Hippocrate*, in *arteriis* inest. Illius *aeris* meatus *cerebri* humore in *venas* eunte impeditur. Hac ratione ille *sanguinis catarrhus apoplexiam* concitare dicitur. *Cerebrum* liquescere & suum phlegma in *venas* mittere perhibetur. *Sanguinis Catarrhum* & *Paralysis, Epilepsia, Torpor, Convulsio, Tabes, Hydrops, Cordis palpitatio, Dyspnœa, Hæmoptosis, Angina* & reliqui morbi sequi possunt. Hujus *Catarrhi Signa Diagnostica* in medium profert *Johannes Baptista Montanus.* Credit eum nunc *venis* nunc *arteriis* ferri. Cujusque rei signa dare laborat. Inde *pulsum* retur immutari ac *urinam. Febres* quoque adventare finguntur. Ob multos, quos facit morbos hic *sanguinis catarrhus*, habetur plenus periculi, ac *Senioribus* præcipuè admodùm exitiosus. *Hippocrates* suadet *missionem sanguinis.* Omnia sunt vana. Nullus est *Catarrhus Sanguinis.* *Fernelius Hippocrati* autoritate penè par, *Cerebri* humorem negat in *venas cerebri* rursus vadere posse. Nec ulla nisi *pituita stomachi* iterum venis recipitur. Utrumque effatum probant multi autorum. Nullus itaque *catarrhus sanguinis* potest fieri. Aliæ rationes coguntur. Cerebri humorem anteà emiserunt *Venæ*, & eundem rursus debent haurire. Id est absurdum. Dein illæ *venæ* admodùm exiles sunt. Adhæc Cerebrum præter *ventriculos* non habet spatium, quo humor possit contineri. Faciliùs flueret humor in emissaria, in *nares* & in *Pelvim.* *Vasa sanguinis ad cerebrum pertinentia*

nec

II. DE

II.
DE ARTHRITIDE ET PODAGRA.

PRIMUS LIBER, expendens ARTHRITIDIS NATURAM, quoad

SECUNDUS LIBER, agens DE ARTHRITIDIS CURATIONE, *quæ institui solet*

Conra.

Conradi Victoris Schneideri

LIBER SPECIALISSIMUS

De

CATARRHIS.

CATARRHUS OCULORUM.

ARGUMENTUM.

Omnia paulò altiùs & quasi à primo fonte repetuntur. *Hippocrates Catarrhorum* Cerebri *genera* fecit *septem*. Vis *numeri Septenarii*. Eô & *mala* interdum constant. Ex illis *septem Catarrhis Cerebri Capitisq́;* primus est *catarrhus oculorum*. Vocatur & ab *Hippocrate Ophthalmia*. Quid *Glamia?* Quemadmodum *Ophthalmia* & *Lippitudo*, ita *Rheûma oculorum* & *Ophthalmia* differunt. Vetus opinio est, *Ophthalmiam* à *Capite* & *Cerebro*, à *Venis* quoque & à *toto corpore* oriri. Hanc quoque exponunt *interpretes Arabum*. Eorum quidam *ex Cerebro* humorem contendunt per *cranii foramina in oculos* ire. His *Leonhardus Jacchinus* & *Carolus Piso* assensum haud commodant. Atque hæc persuasio magis magisq́ue falsi convincitur. Refutatur quoque *Sennertus*. Per *Nervos Opticos* humor haud potest de *Cerebro* meare ad *oculos*. Nec *vapor de stomacho* surgens, concitat *Ophthalmiam*. Simile judicium de *hepatis*, de *Lienis*, de *uteri*, de *pulmonis Vaporibus* fertur. Sunt ineptæ opiniones. Nec è *medio Cerebro vapores* prorumpunt in *oculos*. *Causæ Ophthalmiæ* ex ordine dicuntur. In iis exponendis multi sunt *Jacobus de Partibus*, & *Nicol. Florent.* Hi nihil explicant explicando. Tandem *Ophthalmia* definitur. An possit esse *Symptoma?* An *Morbus*? *Palpebræ* aliquando simul *inflammantur*. *Differentiæ Ophthalmiæ* etiam pertractantur.

Ophthalmia Sicca eſt quaſi privata *Ophthalmia.* Inter differentias mentionem ejus omiſit *Sennertus*, ut & *Platucſæ.* Ψωροφθαλμία exactiûs conſideratur. Reverà extat *flatuoſa Ophthalmia.* Illa differentia non probatur, qua *D. D. Sennertus* aliam *Ophthalmiam* facit per ῥευματισμὸν, aliam per συναθροισμὸν. *Signa Diagnoſtica* exequuntur *Avicenna, Rhaſes, Alex: Trallianus.* Supplentur, quæ omiſit *Sennertus.* An & quo modo *Ophthalmia* poſſit eſſe *contagioſa?* Eſt & *epidemia.* Laudatur *Vopiſcus Fortunatus Plempius.* An *Ophthalmia* poſſit acuere aciem *oculorum? Ophthalmiam Hippocrates* valentioribus *purgantibus* curat, lenioribus *Sennertus.* Sed præſtat ſequi *Hippocratem.* Ab hoc ſtat rei ratio, ſtat quoque experientia. *Ocularia appropriata medicamenta* ſunt nulla, variè miſcentur purgantibus. Iis appropriatis & principio morbi noxam fieri proponit *Hercules Saxonia.* Horumque numerus non certus eſt, creſcit indies. *Purgantium* utilitas experimentis fuit cognita. Si *Ophthalmiæ* eſt *febris* aſſociata, *valentioribus purgantibus* non erit locus. Jure nititur *Autoritate Hippocratis laudatus ſuprà Plempius. Sanguinis miſſio* eſt optimum remedium. *Sennertus* eſt hoc loco adverſus *Hippocrati*, cujus veſtigiis meritò inſiſtunt plures. De *ſectione venæ jugularis* tàm neceſſariâ nihil dixit *Sennertus*, nihil quoque de *Arteriotomiâ. Cucurbitulæ, Ventoſæ, Sanguiſugæ, friationes,* præcipuè verò *cauteria* & *Setacea* multum afferunt utilitatis. *Ptarmica* an aliquid conferant? *Lac mulieris puellam nutrientis* magis utile non erit. *Poma ſemiputrida* ſunt lenientia. *Veterum medicamenta ſimplicia* longâ ſerie enumerantur, nec non *exotica,* mox *priſcorum, recentiumq́; compoſita externa* & *interna. Fuligine* & *Stibio* ſupercilia collinebantur. Quâ ratione *ſtibium* antiquitùs vocetur *Platyophthalmum?* Quâ Virtute ſit *fuligo?* Fuligo *thuris, myrrhæ, picis,* in numerum *Calliblepharorum* referebantur. Fuligo & ex oleo *cedri* & *medullæ cervinæ* fiebat. *Calliblephara* erant quoque medicinalia. *Pulvis ſtibii* adhibebatur, non *fuligo ejus.* Fallitur *Salmaſius.* Iſtæ *fuligines* valdè nigrant, inde conficitur *atramentum.* Quid ſit *ſpecillum?* Eo *Calliblephara* & *Collyria* admovebantur. Superioris *palpebræ* inferiorisque *cilia*, tingebantur & *ſupercilia* maximè. *Uſtum* & *lotum*

ſtibium

stibium in *collyria* addebatur. *Johannes Baptista Porta* sumpsit *Calliblephora* de *Marcello*, ac confusè. Vetustiores quidam Medici ac juniores ad externa remedia quasi inviti tandem aliquando descendunt. Ad *repellentia lenissima* quasi referuntur *albumen ovi* cum *albumine*, *vitellus*, *farina triticea*, *similago*, *panis*. Similia *fronti* & *temporibus* imponuntur. Laudantur *lachryma de ovo* & *Gallatura* maximè. Quæstio agitatur, *lac an albumen ovi* aut *vitellus* magis conveniat? *Repellentibus* adjicitur *Opium* tum ab *antiquis*, tùm etiam à *recentioribus*. Alia *medicamenta* auxiliantur incipiente, alia adolescente, alia senescente *Ophthalmiâ*. *Collyria* & ex *mineralibus* conficiuntur, ex *Vitriolo*, *Marchasitâ*, *Plumbo*, *Lythargyro*, *Ære*, *Antimonio*. Ea diversimodè *chymici* præparant hodiè. Non sunt nova remedia. *Opium* damnatur, oculis illitum. Correctum probè interdum assumi potest. *Febris* an aliquando possit *ophthalmiam* curare? Est dogma non *Cassii*, sed *Aristotelis*, & ipsius *Hippocratis*. *Diæta* hominis *ophthalmiâ* laborantis proponitur brevissimè. *Vina* & *Balnea* certâ ratione prosunt. An *diuretica* conveniant, urgente *Ophthalmiâ* biliosâ? *Adstringentia* nihil prosunt, quæ & *D.D. Sennertus* memorat. Quædam *oculis* privatim inimica esse creduntur. Quidam *Medicorum sorbere* jubent, non *manducare*. Quædam & prodesse dicuntur & nocere. *Persica Mala* magis insalubria sunt, quàm *melones*. *Abstinentia* & hic est adjutrix. *Exercitatio corporis* sit modica. *Somnus* est salubris, quæritur an etiam *opthalmiâ pituitosâ* urgente? *Amuleta* hîc sunt tàm varia, quàm inania. Vanum quoque est illud, quod excogitat *Hartmannus*. *Ophthalmiæ stomachalis* curatio est inepta æquè ac nulla. *Flatuosâ* infestante maximè salubris est *sudor*. Percensentur quædam medicamenta *simplicia* & *composita*, quæ *Xerophthalmiæ* propria esse videntur.

✠

ABs me pleraque, quæ debui, *quinque* illis *libris de Catarrhis*, certè habet *Lector*, nunc verò & eum *Capitis*, *Cerebriq́*; *Catarrhum*, cui à se vocamen dedit *stomachus*, postulabit. Nec immeritò. Siquidem ejus mentionem habui sæpiusculè. Constantia promissi ubique valet plurimum. Illud itaque faciam, ut rem à capite arcessam, utque ordiar ab *Hippocrate*, vetustissimo Medicorum. Hic *Catarrhorum Cerebri genera* fecit *septem*. Id quod nonnullis perquàm peculiare videbitur, cùm bona eo numero maximè constent, gaudeantque. Septemfluus erat *Nilus*, Flumen quàm salutare! At *Catarrhi* quàm perniciosi sunt morbi? Ob beneficentiam quasi *Septenarius* ille *numerus* ab omnibus omnium ætatum Sapientibus tanti fuit existimatus. Qui locus quàm amplus est ad dicendum? Quantam enim & quàm variam virtutem ei numero olim vendicavére *Orpheus*, *Pythagoras*, *Plato*, *Aristoteles*? Ea tantùm hoc loco exponam, quæ ad valetudinem & naturam corporis humani spectant maximè. *Theophrastus* eum *septenarium* numerum contendit Naturæ maximè amicum & per se benignum esse. ὁ δὲ αἰὼν, inquit *Hippocrates* libro de Carnibus, τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶ ἑπταήμερος. Fœdæ illius Lepræ notas accepimus Amnis *Jordani* aquâ *septies* affusâ detergi. *Filius Schunammitidis* jam vitâ orbatus, *Elisæi* ope tandem sternuit, aut ut placet aliis, oscitavit in salutem *septies*. *Septimâ* horâ febris filium illius Reguli reliquit. *Strumas* ajunt ex levi tactu depelli ab eo, qui *septimo* partu editus est, nec ulla puella illorum septem filiorum ætatibus media fuit interjecta. Cunctam rem non multis verbis complectitur *Chalcidius*. Omnibus numeris partim nascentibus, partim parientibus, partim & nascentibus & parientibus, solus septenarius, neque ex duplicatione nascitur alterius alicujus, nec infra decumanum limitem parit quenquam. Proptereaque Minerva est à veteribus cognominatus. Item ut illa, sine matre perpetuaque virgo. Naturalis verò atque optimus habetur, idcircò, quia multa eorum, quæ naturæ lege proveni-

veniunt, juxta hunc numerum fieri notantur. Principio ſeptimani partus ante cœteros legitimi ſunt in generis humani fœtibus. Deinde quod poſt partum ſeptimo menſe dentes aguntur, ſeptimo deinceps anno mutantur. Idem quoque ſecunda hebdomada pubertatem affert utriq́ue ſexui gignendi & pariendi maturitatem. Tertia verò hebdomada oſtendit ſe flos & lanugo circa genas. Quarta verò hebdomada definiuntur incrementa ſtaturæ. Quinta plenam juvenilis ætatis adfert perfectionem. In ægritudinibus quoque juxta eundem numerum motus fieri uſus, experientiaque docuit, & Hippocrates cùm ſæpè aliàs in pleriſque libris ſuis, tùm etiam in his evidenter quos de hebdomadibus inſtituit, dinumerat quoq; ſenſuum omnium, qui ſunt in capite, ſeptem meatus, oculorum, narium atq; oris. Vitalia quoque paris numeri, lingua, pulmo, cor, lien, hepar, duo renes.

Conſimili numero ea ipſa *D. Ambroſius lib. 4. Epiſt. 30.* exequitur. Septem in nobis interiora viſcera ſunt, ſtomachus, Cor, pulmo, hepar, Lien, renes duo. Septem externa, caput, poſteriora, venter, binæ manus, & bini pedes. Ac quoque *Philo Judæus libro de Mundi opificio:* μέρη ἐν φανερῷ ταῦτ' ἐστὶ κεφαλὴ, στέρνα, γαστὴρ, διτλαὶ χεῖρεν, διτλαὶ βάσεις. τὰ δ' ἐντὸς λεγόμενα σπλαγχνα, στόμαχος, καρδία, πνεύμον, σπλὴν, ἧπαρ, νεφραὶ δύο. Nec non *Macrobius l. 1. Som. Scip. c. 6.* Hæc de interioribus. In aperto quoque ſeptem ſunt corporis partes, caput, pectus, manus pedesque & pudendum. *Ut hic Philonem,* ſic *Chalcidium* imitatur *Martianus Capella*, in principio, *inquiens*, ſeptimani partus hominem abſolutum, perfectumque dimittunt. De hinc ideò homo ſeptem meatus habet in capite ſenſibus præparatos, duos oculos, auresque & nares totidem & unum os. De hinc menſe ſeptimo dentes emergunt. Tertia florem genarum. Septima etiam natura abſtruſit membra vitalia, linguam, cor, pulmonem, lienem, jecur, & duos renes. Item ſeptem corporis partes hominem perficiunt. Caput tenus imum collum, pectus, ventrem, duas manus, totidemque pedes.

Verùm confiteri vicisſim convenit, mala quoque iſto notari *numero*, ut ejusdem malignitas quoque ſatis prodatur. Mitto dicere, quòd *Cyrus*, *Cambyſes*, *Archelaus* infortunium ſeptimo Regni

anno tulerunt. *C. Octavius Cæsar*, *Claudius Caligula*, *Claudius Tiberius Drusus*, *Trajanus*, *Valens*, *Theodosius*, *Conradus Primus*, *Secundus & Tertius* diem obierunt eo ipso ætatis anno, quo numerus *septenarius* sæpiùs fuerat geminatus. Anno ille *climacterico*, qui ex *septies* novẽ annis colligitur, quàm fatalis ad mortẽ habetur? Ac ille *Davidis* filius *septimo* morbi die extinguebatur. *Septimo* die moriendum est illi, qui famem sitimque perfert. *Platonicus* ille *Ficinus* hominum valetudinem *septimo* quoque anno præcipit majori studio curari, cùm ea tùm temporis sit ægritudinibus quàm maximè objecta. *Septem* illæ *vaccæ* macritudine tàm deformes, illæ septem spicæ tàm tenues quantum mali denuntiabant? Maximè memorandi sunt illi *septem Angeli*, qui quicquid excogitari poterat calamitatis, non pluribus nec paucioribus, quàm septem phialis in cunctum terrarum orbem effundebant. Ergò si res est ita, nec *Hippocrates* tàm insolens videbitur, qui & *septem* enumeravit *Cerebri Catarrhos*, quibus Genus Humanum affligitur. Has *septem Catarrhorum*, ceu fluminum derivationes ex ordine persequi, animus est. Nec de iis institutio ab utilitate est remota. Etenim iis, quas monstrat *Hippocrates*, viis *Catarrhorum* tàm commentitiis, ipsa quoque *via curandi* erit inanis ac parùm recta.

Gen. 41.

Apocal. 15.

Ex illis *septem Cerebri*, *Capitisq; Catarrhis* principe loco commemoranda erit illa *fluxio*, quâ *oculi* conturbantur. Nobis facilè assensum commodabit *Alexander Massarias* l. 1. c. 25. Rhases, post caput de catarrho, agit de affectibus oculorum, quæ tractatio respondet 4. lib. Gal. de compos. Med. secundum locos: ex quo nonnulli censuerunt, hunc quartum librum Galeni esse tertio præponendum, siquidem oculi sunt nobiliores, proximiores & fortè magis apti ad suscipienda mala ex Cerebro, quàm sint aures & nares. De quibus Galenus in lib. 3. sermonem habet. Sic Aristoteles 2. de Anima, primò de sensu visus, tùm de cæteris pertractat. *Idem autor & Platonem* eo nomine laudare potuisset. De hinc, *inquit Chalcidius*, subtexit *Plato* de sensibus & organis sentiendi: & incipit ab optimo, præclarissimoque sensuum omnium, *visu*.

Jam verò *Hippocrates & libro de locis in homine & libro de Glandulis*, multis verbis exponit, quid sit ille *Oculorum Catarrhus*

&

& quâ viâ percurandus. Non alienum erit, in fronte hujus libelli ea omnia haberi, ut ad hæcce identidem respicere liceat.

At verò cùm ad oculos fluxio decubuerit, oculi inflammatione & tumore vexantur. Sic affectus medicamento aut liquido aut sicco asperso curandus est. Quod si subitò inflammationem concipiant, nihil omninò illinito, sed fortissimo aliquo medicamento quam maximè infernas partes unito vel alio quopiam alvum subducito & attenuato cautione adhibita, ne vomitum provoces. Quod si velut lapilli decurrant, medicamentum, quod plurimam lachrymam cieat, illinito & reliquum corpus humectum & tumidum reddito, quò oculi humidiores evadant ac colluantur, ut concretam lachrymam decurrere facias. Cùm autem paulatim in oculos fluxerit, pruritumque exhibuerit, sic affectum molli medicamento, quæ siccare, simulque modicam lachrymam ciere possit, illinito, naribusque medicamentum admoveto aut singulis diebus aut tertio quoque die eodem utens. Sit autem medicamentum ejus generis, quod non ampliùs, quàm acetabulum per nares educat, idque paulatim. Quod verò oculis admovetur, siccandi facultate valeat, uti quod oculorum, medicamentum resiccârit & obturârit, etiam per nares deducatur. At medicamenta caput purgantia, quæ quidem sunt valentia, à toto capite deducunt, quæ verò imbecillia, ab oculis & inde à vicinis naso partibus. Quod si muco inter os & carnem subsistente, ex carne & osse in oculos fluxio decumbat, ex eo cognosces, quod ex his ex locis defluat. Quod in capite comprimitur, cedit & ulcera in capite erumpunt, oculique illachrymantur, palpebræ non exulcerantur neque mordet fluxio, neque oculorum aciem hebetat, sed æger acutiùs cernit. Siquidem fluxio minimè salsa est, cùm de Cerebro non procedat, verùm mucosa magis. Sic affectus hac ratione curandus est. Caput medicamento non valenti purgandum & corpus tùm cibis, tùm medicamentis infrà subducentibus attenuandum, quô attenuato corpore fluxus resiccetur aut per medicamentum naribus admotum divertatur. Quod si ne sic quidem convalescat, caput ad os usque secundum, non sublimibus, neque transversis secturis, sed ad os ipsum pertingentibus & crebris quidem, quo collectus humor citius per ulcera effluat, si-

mulq;

mulque crebræ ſuturæ efficiant. Uti caro ad os inſiſtat. Eaque curatio hujuſmodi ſucceſſum eſt habitura. Sin minùs hæc commodè præparata fuerint, non eſt elotus oculus, ut iſta elotione acutiùs cernere poſſit, ſemperque potiùs ab incumbente humore ſplendeſcens redditur, hominisque acies extinguatur. Quod ſi in ipſius viſus humorem purum cruentus aliquis humor inciderit, huic pupilla intus in oculo minimè eſſe rotunda ob eam causã apparet, quod in quo cruentum illud ineſt, viſionem non recepit, huicque, quod cernitur, deſinit rotundum eſſe & ante oculos ei quædam obverſari videntur, nihilque quicquam, reverâ ut eſt, cernit. Huic venas adurito, quæ videndi aciem premunt, quæque ſemper pulſant, & inter aurem & tempora à naturâ ſitæ ſunt, easque ubi occluſeris, medicamenta, quæ humectant, oculis adhibeto, lachrymamque quàm plurimam educito, uti quod in oculis conſiſtit, & morbum facit, colluatur. Quod ſi rumpatur oculus, mollibus & acerbis medicamentis utendum, ut conſtrictum ulcus in anguſtum redigatur, cicatrixque tenuis fiat. Cum verò albugo fuerit, lachrymæ oculo conferunt.

Atque idem *Hippocrates l. de Glandulis* hæc aſpergit: *De capite fluxiones* (hæ tres) *velut ſecretione contingunt, per aures ſecundum naturam, per oculos, per nares.* Et paulò poſt: ἄλλος ῥόος ἐπ' ὀφθαλμοὺς, ὀφθαλμία καὶ οἰδέουσιν αἱ ὄψεις. *Hoc eſt*, fluxio alia in oculos fertur, *Opththalmia* appellatur. *Ophthalmia*, inquit, *Duretus, ab oculo nomen habet per antonomaſiam, propter ſummam doloris acerbitatem. Johannes Philippus Ingrasſias.* l. de *tumorib.* ita: Membranæ oculi adnatæ phlegmonem propriè Galenus l. 4. de comp. Med. ſec. loc. c. 2. ait ὀφθαλμίαν dici nomine, ut l. 2. Meth. Med. c. 2. inquit, ſumpto à ſede affecta. Etenim ὀφθαλμὸς, oculus, unde ophthalmia derivatur, quaſi dicatur *Ocularis.* Haud abſimiliter *Leonhardus Jacchinus:* Ophthalmia nomen ab affectâ ſede ſumpſit, ſcilicet ab oculis, quaſi oculi morbum dicas. *Valeſcus de Taranta* autem minus dilucidè: *dicitur ab opos Græcè, quod ſuccus vel liquor & talmon, quod eſt oculus, quaſi liquor apoſtemoſus in oculo.* Pollux: ὀφθαλμία, ὁ ὀφθαλμίαν. ὀφθαλμιάω eſt *lippio*, ut 31. Probl. *Ariſtotelis 9. Nonio* teſte *Cruquio*, gramioſus à gramia, quæ eſt oculorum

rum pituita, ut ait. Sed arbitror apud eum legendum esse Glamia & Glamiosi, ἀπὸ τοῦ γλαμάω ἢ γλαμέω, lippio. Gramiosi oculi à lippitudine, unde qui tristes sunt, in hodiernum quoque diem gramiosi, *inquit*, vulgò nominantur. *Hæc ille.* Jeremias, inquit *Nobiliss. autor Plempius l.1. opht. c.3.* in Festi Pompei monumentis: gramiæ oculorum sunt vitia, quas alii glamas vocant. Hinc glamen, qui lema vitiatos oculos habet & glamyras apud Sophoclem, graniosi item apud Nonium oculi. Est igitur gramia latinis idem, quod lema Græcis, quâ voce usus est Plinius. *Hactenus autor.* Et ipsa *Ophthalmia* vocatur *Lippitudo. Lippitur* quoq; dicit *C. Plinius.* Atq; oculis æger est *lippus*, ac *lippulus.* Non dubitarent, *inquit l.7. Arnobius*, eos lienosos, *lippulos* atque enterocelicos dicere. *Martialis* ficum nominitat *lippam*, quod inde liquor lachrymabili destillatione profluat. *Fauces Plautus* esurienti ait *lippire*, bilis liquore in stomachum, faucesque lato, quo ceu lachrymis istæ madescant. Apud *C. Plinium Valerianum* os salivosum quoque *perlippidum* nuncupatur. Cæterùm hæc passio à nonnullis Latinis Medicis, ut à *Marcello* & *Scribon: Largo* dicitur *conturbatio*, sicuti *Cicero* l.3. Tusc. *conturbatum oculum* ait *non esse probè affectum ad suum munus fungendum. Adriano Turnebo* Advers. l.11. c.6. placet *conturbationem* esse propriè minorem *ophthalmiam*, Græcè ταράξιν. Quam infrà finiemus. Vocatur & τάραχος. *Vetus glossarium:* lippitudo, ὀφθαλμία, lippus, πίλλος, μίλφος. Nominant & *Rheuma oculorum*, ut *Aristoteles:* ῥευματικὰ εἰς τοὺς ὀφθαλμούς. Verùm *Actuarius l.2. Meth. Med. c.7.* & illud addit: Inflammatio verò, tùm ob externum aliquem ictum, tùm acrem fluxum occupat. Differtq; ab ea, quàm privatim fluxionem & Græci ῥεῦμα nuncupant: quod fluxio ex variis tumoribus, inflammatio verò ex solis calidioribus nascatur. *Excellentissimus Vir, D. Vop. Fortun. Plempius l.5. opht. c.2.* etiam ostendit, *Ophthalmiam & Lippitudinem differre.* Nam lippire non est ophthalmiᾷν, sed λημᾷν, atque inde ductum, vel ut alii, à Græca voce, λίπος, id est, humor pinguis. Horatius se lippum vocat, quod hebetius videret & oculis esset mollibus, non autem, quòd continenter ophthalmiâ laboraret, ut credo. Meliùs nobis distinxerunt utrumque nomen ii, quos ut barbaros isti insectantur politiores: ophthalmiam esse oculi inflammationem ac ruborem,

B lippi-

lippitudinem verò conglutinationem interpretantes. Ipſe illatinus Paræus omnium ſcitisſimè diſtinxit lib.16.c.11.& 12.ubi & rectè dicit, lippitudinem ab infantia ſæpe contrahi, & totam hominis vitam infeſtare: quod ophthalmiæ ſeu inflammationi non competit. *Hactenus maximi nominis Autor.*

Hippocrates multis locis *Oculorum Catarrhos* affirmat ex *Capite* & ex *Cerebro* decidere. *Ophthalmiamq́; libro de glandulis* vocitat ῥόον ἀπὸ κεφαλῆς διʼ ὀφθαλμῶν. *Paulò ante:* caput ipſum glandulas habet, Cerebrum nempe glandulæ ſimile. Cerebrum enim non ſecus ac glandulæ, album eſt & friabile, iiſdemq́ue commodis, quibus glandulæ ſunt præditæ, caput afficit, cùm id humiditate, quæ ob prædictas à me cauſas, ineſt, τιμωρέων ὁ ἐγκέφαλος ἀποστερέει τὴν ὑγρασίην, καὶ ἐπὶ τὰς ἐσχατιὰς ἔξω ἀποστέλλει τὸ πλέον ἀπὸ τῶν ῥόων, hoc eſt, Cerebrum, velut auxilium afferens defraudat & ad extremitates magnâ ex parte per fluxiones, foràs amittit. *Et rurſus:* ταῦτά μοι περὶ ῥόων ἀπὸ κεφαλῆς εἴρηται. *Itemq́; libro de Locis in homine:* ῥέαι δὲ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἑπτά, ὁ δὲ κατὰ τοὺς ὀφθαλμούς. Et mox: ἢν δʼ ἀπὸ τῆς σαρκὸς, καὶ τοῦ ὀστέου μύξης ὑπόστασις μεταξὺ τοῦ ὀστέου καὶ τῆς σαρκὸς ῥεῦμα ἐς τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐγγενύηται, τῷ δε δηλόν ἐστιν. *Ac deinceps:* τὸ ῥεῦμα οὐχ ἀμμορόν ἐστιν, ὡς οὐκ ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου, ἀλλὰ μυξῶδες μᾶλλον. *Adhuc:* φαρμάκῳ καθαίρειν χρὴ τὴν κεφαλὴν μὴ ἰσχυρῷ τὴν κεφαλὴν καταταμνειν ἔστʼ ἂν πρὸς ὀστέον ἴης.

Sic à ſummo traditum tenetur autore, *Hippocrate*, Cerebrum ſe proluvie quâdam madidare, quæ inde & ad proximas, ut ad *oculos*, & ad ſubjectas partes excidat. Quas *Galenus l.7.Meth.Med. c.11.* percenſet atque *libro 6. de Sanit.tuenda c.12.* maximè. Caput, *inquit*, ſubjectis partibus Symptomatum occaſio eſt, quarum ſunt dentes, gingivæ, columella, uno verbo omnes, quæ in ore & faucibus ſunt partes, adhæc aures & *oculi*, & ſtomachus, & venter, & ſpirandi partes, nempe ſumma arteria, quæ Larynx dicitur, & aſpera arteria & pulmo & thorax. Iccirco decidentibus in has à capite excrementis, derivatio per vicinas partes molienda eſt. Quippe *oculorum* & aurium permagnus eſt uſus.

Nunc & hîc venitur rei noſtræ ad cardinem, ad ipſum articulum cauſæ & illius adjunctisſimæ quæſtionis, an *oculorum* inflamma-

matorum liquor intimo *Cerebro* desiliat? Quos quidem *catarrhorum* meatus *Galenus* autumat, tàm notos esse, quàm notissimos. Qui effluxus, *inquit hic l. 2. de differ. febr. c.11.* ad oculos commeat, omnes concedunt â capite destillare. Ac *l.13. Meth. Med c.22.* ita ait: Καθάπερ ἀμέλει κἀπὶ τῶν ὀφθαλμῶν, οὐ σπανιάκις, ἀλλὰ καὶ πάνυ πολλάκις ἰδεῖν ἐστι γιγνόμενον, ἐπιπεμπούσης αὐτοῖς τῆς κεφαλῆς τὸ ῥεῦμα. Πρόδηλον οὖν οἶμαι κἀπὶ τούτων ἐστὶν, ὡς χρὴ τὴν κεφαλὴν ἰάσασθαι πρότερον, εὑρόντα τὴν διάθεσιν αὐτῆς, ᾗ τῶν περιττωμάτων ἡ γένεσις ἕπεται. Καὶ τά γε χρονίζοντα τῶν ὀφθαλμῶν ῥεύματα θεραπεύομεν, ἀφιστάμενοι μὲν αὐτῶν τῶν ὀφθαλμῶν· ἐπὶ δὲ τὴν τῆς κεφαλῆς ἀφικνούμενοι πρόνοιαν. ἐνίοτε μὲν οὖν ὁ ἐγκέφαλος ἐπιπέμπει τὸ ῥεῦμα. Καὶ χρὴ τούτου μὲν τὴν κρᾶσιν ἐπανορθοῦσθαι τοῖς ὅλης τῆς κεφαλῆς ἐπιθέμασιν. ἐνίοτε δὲ τῶν ἀγγείων ἐστὶ τὸ πάθος, ἤτοι τῶν φλεβῶν, ἢ τῶν ἀρτηριῶν ἀτονωτέρων ὑπαρχουσῶν, ὡς δέχεσθαι τὴν τῶν ἄλλων περιουσίαν. *Hoc est:* veluti non raró, sed planè sæpenumero accidere in oculis videre licet, capite his fluxionem mittente. Manifestum igitur arbitror in iis quoque esse, ipsum prius caput sanandum esse, explorato ejus affectu, quem superfluorum generatio comitatur. Et diutinas quidem oculorum fluxiones curamus oculis ipsis dimissis & ad capitis procurationem conversi. Atque aliquando Cerebrum ipsum fluxionem transmittit, debetque hujus intemperies totius capitis epithematis corrigi. Aliquando vasorum ipsorum vitium est, cùm venæ vel arteriæ imbecillioris sunt sic, ut aliorum vasorum supervacua recipiant.

Quæ cùm pressiùs intuemur, duplex erit via *Catarrhorum.* Nam idem *Galenus* & *venarum* libro de oculis habet mentionem. *Humores*, inquit c.14. *ad oculos fluunt vel per venas supra cranium existentes, vel per venas sub cranio existentes. Si per venam supra cranium manaverint, frontis & temporum venæ crassæ sunt & extensæ, unde valet si incidantur, vel desiccativa emplastra vel cataplasmata apponantur. Si autem hæc non apparuerint, scias humores per venas, quæ sub cranio sunt, manare.* Quod idem & reliquis placitum reperimus, *Ætio, Æginetæ, Oribasio*, nec non ex *Latinis C. Celso. Videndum,* inquit l.2. c.1. Alexander Trallianus, *est, num ex toto corpore an ex solo capite* (ἐκ μόνης τῆς κεφαλῆς) *item, utrum per arterias an à venis vel utrisque*

profluat. Huicque multitudini *Græcorum* communia ſentit *Arabum* facilè princeps, *Avicenna.* Et quandoque humor generatur in ipſo oculo. Et quandoque eſt adveniens ei à Cerebro ſecundum ſemitam catarrhi per viam velaminis extrinſeci cooperientis caput aut per viam velaminis intrinſeci & omnino à Cerebro & partibus ipſius. Nam quum in Cerebro aggregantur materiæ plurimæ & repletio, tunc vix evadit oculus, quin ophthalmiam incurrat, niſi fortis fuerit valdè. Et quandoque ſunt arteriæ vel internæ vel externæ. Et quandoque materia non eſt eveniens ei à parte Cerebri & capitis, ſed advenit ei à parte aliorum membrorum. Materiæ ſunt vel ex capite vel ex corpore.

Hunc Jacobus de Partibus interpretatur: Dicendum, quod ophthalmia ſicut reliqua apoſtemata poſſunt fieri duobus modis: uno modo per viam fluxus, alio modo per viam congeſtionis, quando humor apoſtemans in ipſomet oculo generatur: & hoc rarò accidit. Alio modo fit per defluxum materierum è Cerebro ſecundum ſemitam Catarrhi. Conſiderandũ ulterius, quòd Catarrhus hic ſumitur pro omni curſu vel fluore. Materiam autẽ currere per viã velaminis, i.e. panniculi extrinſeci, ſc. extra os, vel intrinſeci, i.e. duræ matris vel piæ matris, poteſt dupliciter intelligi, uno modo, quòd fluat per venas, quæ ſunt in illis velaminibus, ſuſtentantur enim venæ cũ velaminibus illis & hoc ut plurimùm contigit, quod per eas ſunt magis aptæ currere materiæ. Alio modo quod fluant per ipſammet ſubſtantiam velaminum, & hoc poteſt contingere, non tamen ſicut plurimum: & imò Avicenna valens notare, quòd materiæ ophthalmiæ maximè fluunt per venas panniculis aſſociatas: dixit per vias velaminis, & non dixit per velamen. Conſiderandum ulteriùs, quod Avicenna tria tangit, ſcilicet membrum, quod recipit, quod eſt oculus: cùm dixit. Dein tangit membrum, per quod recipit, per viam velaminis, tertiò tangit membrum à quo, cerebrum & partes ejus, partes cerebri ſunt venæ & velamina ipſius, imò non obſtante quod ſunt viæ, poſſunt etiam eſſe partes, à quibus materia mittitur & multiplicatur. Conſiderandum ulteriùs, quòd cùm in cerebro abundant materiæ, peccantes in quali, & repletio, id eſt, materiæ peccantes in quanto, tunc vix evadit oculus. Cauſa eſt, quòd oculus

eſt

eſt membrum multùm cerebro propinquum,tale autem citò recipit nocumentum Cerebri. Similiter â capite ad oculum ſunt viæ ſatis aptæ. Dein dicit Avicenna, quod humor apoſtemans & ophthalmiam generans â *triplici loco* eſt & ad conjunctivam pervenit tunicam.

Nam *quandoque* in ipſomet generatur oculo ſeu coacervatur in eo paulatim ex ſuperfluitate proprii alimenti. Et tunc ophthalmia fieri dicitur à cauſa privatâ.

Secundus locus eſt Cerebrum vel caput, â quo materiæ per viam rheumatiſmi deſcendunt ad oculos quadruplici via.

Prima eſt velaminis extrinſeci cranei, cujus pars protenditur ad orbitam oculi exterius per frontem & ex parte ipſius conjunctiva naſcitur & panniculus palpebræ.

Secunda eſt velamen intrinſeci cerebri ſeu duræ & piæ matrum, quarum fimbriæ ſeu particulæ aliquando cum nervis opticis ad oculos deſcendunt.

Tertia eſt viæ aliæ de medulla cerebri & partibus ipſius tendentes ad oculos, ut ſunt viæ ſuorum nervorum opticorum. Et tunc vix oculus ophthalmiam evadit, niſi ſit robuſtus & multùm fortis, quando materiæ multæ congregantur in ipſo Cerebro vel repletio multa ſua gravitate prona deſcendere per vias apertas.

Quarta via eſt arteriæ vel extrinſicæ vel intrinſicæ, quæ cùm ſuperfluo repletæ fuerint, quandoque ad oculos effundunt materias in ipſis contentas.

Tertius locus, unde materiæ veniunt ad oculos, quandoque nec eſt Cerebrum, nec caput, ſed alia membra capiti ſuppoſita & præcipuè ſtomachus. Et tunc ab his membris & aliis prædictis maximè recipiunt oculi materias.

Et paulo poſt: reſumit quatuor loca, unde materiæ facturæ ophthalmiam conjunctivæ affluunt.

Primus locus eſt truncus corporis & membra ſita in hoc & præcipuè ſtomachus.

Secundus eſt caput & ipſius partes, puta pericranium dura & pia mater & ſubſtantia medullaris Cerebri.

Tertius eſt venæ tàm pulſatiles, quàm non pulſatiles deferentes oculis malas materias aut frigidas. Et harum venarum pars magna deſcendit de capite ad oculos & pars aliquando de corpore adſcendit.

Quartus eſt oculus, ex quo vel in quo ſunt quandoque materiæ paulatim congeſtæ facturæ opthalmiam.

Ex eademque notâ *Nicolaus Nicoli Florentinus* : Dixit Avicenna : quandoque eſt humor apoſtemans generatus in ipſo oculo & quandoque eſt ei adveniens ex Cerebro ſecundum *ſemitam Catarrhi* aut per velamen extrinſecum aut per intrinſecum aut ex ipſo Cerebro & partibus ejus. Nam cùm in Cerebro aggregantur materiæ plurimæ ſcil. peccantes in quanto & repletio ſeu peccans in quali, oculus eſt magis aptus accipere illas propter propinquitatem majorem & majorem amplitudinem viarum. Quæ viæ etiam ſunt plures venientes ad oculos, quàm ad alia orta ex Cerebro. Quandoque fluunt ad oculos per venas, quandoque per arterias & quandoque per alia loca.

Utque quid ſit via *Catarrhi*, expeditum habeatur, nonnulli juniorum autorum ajunt *Cerebro* compreſſo & hinc ſtillato humore *oculos* inflammari, ut *Johannes Matth. de Gradi*, *Hercules Saxonia*, *Martinus Acakia*. Quo ê genere & *Benedictus Victorius Faventinus:* Galenus cauſas Ophthalmiæ affert tertio aphoriſmo juxta Hippocratis verba aphoriſ. 12. & 14. atque 16. Quarum una eſt : *ſi quidem auſtralis & aquilonia fuerit hyems : ver autem ſiccum & aquilonium, lippitudines hominibus contingunt.* Nam repleto capiti ver ſuperveniens frigidum adventitiâ frigiditate veluti manus quædam extrinſecus capiens ac premens Cerebrum, uti ſpongiam quandam exprimit illam, qua in ipſo decumbit, humiditatem, qua fluente ad oculos illius, qui imbecillos illos habet, illis lippitudines enaſcuntur.

Tramites humorum *Cerebri* in oculos confluentium tùm illi duo *priores canales*, quorum repertor aut potiùs excogitator eſt *Veſalius*, tùm *foramina* in orbiculo oſſeo, oculi interiore extantia in vulgus habentur. *Fuchſius* quoque, *Cuneus* & *Ingraſſias* memorant *Nervi Optici* & illius *ſciſſuræ foramina*, quibus humor in oculos mittatur.

tatur. Quam *Catarrhorum* ſemitam perſpicuè monſtrat *Arculanus* originem *Ophthalmiæ* inquirens. *Ophthalmia*, inquit hic, *fit vel per congeſtionem vel per influxionem ex capite, vel per partem extrinſecam mediantis venis vel per partem intrinſecam, ſcilicet per foramina Orbitæ ad Cerebrum terminata, per quæ muſculi & nervi Optici ad oculum veniunt. Et tunc humores è Cerebro & panniculis veniunt intrinſecis.* Unde quoque *Johannes Bapt. Montanus*, viæ, *inquit*, catarrhi ad oculum & aurem ſiniſtram ruentis ſunt venæ, nervi & foramina circa cerebri baſim. *Ac Balthaſar Brunnerus:* talis materia ruit à Capite ad oculorum partim ſuperficiem & angulos, unde mador oculorum, partim ad venulas oculorum, unde rubedo. Fluit autem partim per venas, partim per meatus ſub cranio & cute.

Verùm *quatuor* illos *canales*, quorum priores ad oculos feruntur tendere, non *Natura*, opifex Corporis, ſed mente tantùm finxit *Veſalius*. Atque *Gaſpar Taliacotius* ſcientisſimè oſtendit, quo pacto *muſculi* & alia interjecta corpuſcula, illam *foraminum* viam claudant, pituitæque, ſi quâ ſe huc effundat, penitus obſepiant tranſitum. Adhæc *Cerebrum* humore neſcio quo guttatim reddito, ſeipſum ac vicinas partes, *oculos, aures & nares* perpetim perlinere, jam dudum renuimus. Quid? cunctum illud dogma ſubrupimus, ſubruimus ei fidem ac falſitates redarguimus in illa veteri vulgarique opinione poſitas omnes. Atque hîc non temeritatis tantùm, erroriſque maximi, verùm paris cæcitatis erit, *Ophthalmiâ* infeſtante, *Cerebrum Caputq;* præcipuè medicaminibus curare. Et mortalium quiſquam è vulgo eſt, rationis alicujus accipiens ſenſum, qui exiſtimet, *humore Cerebri* per illum tramitem eunte, *oculum* ita inflammari poſſe, ut ea, quæ habet conceptacula ſanguinis, tantoperè diſtendantur. Ac *ille* ex *Cerebro* perturbatus humor, *nervos* prius, prius & *muſculos* ac reliqua ibi objecta corpuſcula hoc ſimili modo affligeret. Idemque de oculis ita poſſet cadere, ut nullum inferret damnum. Itaque procul hæc opinio abeat, procul iſta perſuaſio. Ab illâ quoque *nonnulli* jam dudum abhorruiſſe videntur, ut *Leonhardus Jacchinus:* Lachrymæ *inquit hic*, nùm ideò cadunt, quia Cerebum compatitur, ut Gradi ait? Et ſunt ſicut fluentis? Sed hæc ridicula ſunt.

Eſt

Eſt igitur lachryma non aliâ ratione, quàm quæ eſt in aliis phlegmonis, quæ tenui & rarâ cute ſunt obductæ, ut pleuritis, pulmonia, angina. Semper enim aliquid etiam ab initio excidit, niſi ſint vehementer pravæ, id eſt, adeò rebellis materia & ita impacta, ut nullo modo excernatur. Hinc ſæpè gangrenæ periculum. Hæc verò tenuis humiditas ſemper craſſeſcit, quò magis concoquitur. Hinc notæ temporis. *Veluti & Carolus Piſo : cujus verba hæc ſunt :* Probabile eſt, ſerum non tàm ê Cerebro ſecundum nervos ipſos depluiſſe, quàm ſanguine in capitis vaſis occaſione aliqua turgente ſerum primò exudaſſe, & inſiliit in dentes, moxque ſanguinem ipſum ſub ſecutum genam in tumorem extuliſſe: nam experientia docet, imminente inflammatione à ſanguinis ê plethorico capite decubitu in vicinas partes, ſerum, fluxum quippe ac tenue atque à ſanguine facilè ſeparabile prævertere ſæpè ſanguinis defluxum. Hinc lachrymæ involuntariæ ophthalmias præcedunt & veſiculæ aqua plena ſcabioſi exanthemata. *Hæc ille.* Et ſæpè veritas ſpontè erumpit. Lippus, *inquit, Jacobus Cruquius, Horatii interpres,* dicitur, cujus oculi pituitam quandam mordicantem exudant.

Interdum gravior *Ophthalmia*, dentium dolore ſedato, exiſtit, veluti ejus rei teſtis eſt *Fabricius Hildanus.* Humor enim de vaſis ad dentes pertinentibus, refluit, cogitur ac mox ad *oculos* convertitur. Candidæ illi membranæ oculi ſubtus ſunt exigua ſanguinis conceptacula & ea perquàm multa, quemadmodum aliàs oſtendi. *Adnatam, Saporta* inquit, *oculi tunicam Alexander Benedictus in ſuâ Anatome fundam appellavit, quia ad fundæ ſimilitudinem, quæ eſt retis inſtar, exiguarum venarum multiplicem diſtributionem admittit.* Hæc verò Sanguinis vaſcula ſi tàm vehementer repleantur, primùm reddunt humorem aquatiorem, quem *Carolus Piſo* judicat à ſanguine perquàm facilè ſecerni ac per illius tunicæ exilitatem emitti poſſe. Si enim vaſa ad membranam *Pleuritidem* ſpectantia, oriente inflammatione, tenuem humorem exudant, quantò plus ejusdem liquoris reddent hæc vaſa *oculorum*, quorum illa extima tunica multò rarior eſt, multoque ſubtilior. Talemque humorem peritè pronuntiat *Leonhardus Jacchinus* perquàm exigui temporis interjectu coaleſcere. Quapropter & *Carolus Piſo* ſeroſum illum humorem de ſanguine,

ne, hujusque de vasis veriùs affirmat, quàm de medullâ Cerebri manare. Ac multò antè serum profluum notari, quàm ruborem inflammationis. Profectò etiam tenuis liquor, *Coryzâ* infestante, ante per nares editur, quàm pituita sanguinolenta. Quæ cùm ita sint, *Leonhardus Jacchinus* jure ad hunc modum orditur: *Lachrymæ num ideò cadunt, quia Cerebrum compatitur, ut Gradi ait? Et sunt, sicut flentis? Sed hæc ridicula sunt.*

Superiores *Avicennæ* interpretes humorem etiam de *membranis Cranii & Cerebri* tradunt in *palpebras*, inque *oculos* aliquando stillare, cùm & tunica *Cranii* & membranæ *Cerebri* sint conjugatæ, uti multis locis scriptum reliquit *Galenus*, eum nunc sequente turbâ autorum permagnâ. Verùm quis est tàm obtusi pectoris, ut humores hoc modo commeare arbitretur? Quem humorem egerit tunica illa, *Pericranium* dicta, is cur non per tempora in Os labitur? Via æquè patet; ac tunica *pericranii* etiam usque in *gulam*, attestante *Paræo*, protenditur. Si madent *membranæ Cerebri*, madebunt & versus occiput; quâ vi autem viam humor ad hæc foramina affectabit? Ac qui humor teuui illâ membranâ mittitur, clausus hâc & crassâ *meninge* manabit. *Nervus Opticus* duabus membranis involvitur, quarum altera ex durâ, altera ex tenui membranâ enascitur. Ex his & *musculis* adjacentibus quo modo humor se penetrabit? Si humor à *pericranio* manat, impetumque facit in *palpebram superiorem*, & simul in *inferiorem*, is in orbem eat, oportet. Cur non *musculi temporum* & *frontis* tunc tument? Cur non *genæ* simul distenduntur, humore illo tàm prono ad decursionem?

Nonnulli & *venarum* faciunt mentionem. *Omnis*, inquit Johannes de Tornamira, *passio oculorum potissimè materialis est per colligantiam: venit à venis pellicularum Cerebri, vel à venis pelliculæ cooperientis Cranium sanguis cholericus vel per vim catarrhi phlegmaticus, quod venire non debet secundùm naturam: verùm aliquando autores dicunt, quod fit de causa privata, quando venit à pelliculis Cerebri propter vicinitatem & pelliculæ oculi deciduntur à pelliculis Cerebri.* Et paulò post: *Istis clarificatis cura ophthalmiæ tibi patescit: conclusum est intelligenti, quod omnis ophthalmia venit per viam catarrhi, cum humor cadat & ruat à venis pellicularum cooperientium Cerebrum, vel à*

venis pelliculæ cooperientis cranium, quod est ut plurimùm. Idque opinionis etiam *D.D.Sennerto* est. *Si*, inquit ille, *ad ophthalmiam ab affluxu per venas frontis & temporum accedit fluxio nova ex venis internis & meningibus Cerebri gravior fit effectus, quo oculi sæpè cum sede extruduntur.* Non illud hoc loco premam, quod *venæ* sanguinem revocent, impingant autem *oculis* cum concitatæ *arteriæ*. Hoc quod pluris est, non sileatur. *Arteriæ* & *venæ*, illa fistulata conceptacula sanguinis, in utraque *membranâ Cerebri* errant oppidò quàm multæ. Hisce humorem emittentibus, quo pacto is rursus cogi poterit, ut rectâ viâ tendat ad orbiculos *oculorum*. Cunctusque illius loci tractus inæqualis est & valdè præruptus. *Sennertus* ait venis internis & meningibus stillantibus aliam fluxionem supervenire. Quo pacto *venæ Cerebri* ac *Cerebri* meninges conjunguntur? Si *venæ* ejusmodi liquore sudant, is non ad *oculos* tantùm, sed & ad alias partes derivari poterit. Ac si membranæ *cerebri* sub *frontis osse* evomunt liquorem in *oculos*, evoment & sub *osse occipitis in magnum capitis foramen*, quod explet *Spinalis Medulla.* Cur *antica meningum cerebri* portio duntaxat madescet? Cur non simul *postica?* Aut cur hæc tam rarò aut potiùs nunquam?

Porrò quibusdam collibitum est, humori viam per ipsos *Nervos Opticos* dare. Quo nomine & *Jacobus de Partibus* eos suprà memoravit, itemque *Nicolaus Nicolus.* Nec non *Joh. Matth. de Gradi*, Ruentis, inquit *Johannes Baptista Montanus*, ad oculum catarrhi viæ sunt & *nervi. Nicolaus Piso* alia, *inquit*, est exterior ophthalmia à pericranio, alia ab intimis Cerebri sedibus per interiores Venas & *Nervum opticum. Victor Trincavellus* l..3.Sect.4. c.2. ex eadem notâ: Quando in *nervo visorio* consistunt humores ad oculos confluentes, si calidi sunt, vel vitiatâ temperaturâ offendunt, vel inflammationem gignunt, à quo obstruitur via *nervi*, qua visivi spiritus ad oculum feruntur, atque sic visus perit, si frigidi vel frigidum tumorem excitant ac juxtà obstruunt. *Thomas Grassius hoc adjicit:* Inflammatio contingit in *nervis opticis* ex fluxione sanguinea, quæ plurimùm ab inflammato Cerebro per decubitum pendet.

Verùm hæc via difficultatis plena est, plena & periculi. Si humor per medium *nervi* corpus viam facit, minimè *ophthalmia* suboritur,

ritur,

ritur, ſed alia mala, quæ prodit modò laudatus *Grasſius*, *qui hoc affe-ctu*, inquiens, *tenentur, juxta oculorum radicem ardorem ingentem habent, pervigiles ſunt, & circa oculos flammulas quaſdam & igniculos ſentiunt.* Atque nobis aſſenſum *Johannes Zecchius* perquàm facilè commodabit: Aliquis, *inquiens*, jure hic dubitare poſſet, num per *nervorum opticorum* patentes ſatis meatus fluxio hæc in oculum nunc laborantem fieri posſit, præſertim cum aliqui hujus noſtræ ætatis Medici, hique primæ clasſis arbitrentur, cerebri in oculos fluxiones per jam dictos *nervorum* ductus ferè ſemper tendere. Hanc profectò aſſertionem in propoſito ſaltem caſu nunquam admittere poſſum: nam præter quam quod & Græcorum & Latinorum & Arabum plurimi hujus tranſitus non meminerint, ſed per venas potius, arterias & membranas tam interiores, quàm exteriores capitis fluxiones in oculos irruere non inviti admittant, & rectè quidem: ſi fluxio in hoc laborante ex alto per *opticos* in oculum erumperet utique affectus alteri quoque oculo jam communicaretur, cum horum duorum nervorum unicus ſit conſenſus. Hic enim, ut omnibus compertum eſt, etſi à diverſis cerebri partibus ortum habeant, alter â dextra, alter â ſiniſtra, dum tamen deſcendunt in medio fere itinere, ita inter ſe coeunt, ut mutuo coaleſcant, poſtea diducuntur & diſpertiti ad ſuum uterq; oculum diſtribuitur: ita ut horum nervorum connexione tantus ſit oculorum mutuus conſenſus, ut malè affecto uno oculo, alter quoque, (ſi malum longius protrahatur) facillimè coafficiatur. Quare rationi conſentaneum magis videtur, fluxionem hanc per venas & arterias in oculum ferri, ſicut enim oculi membranæ partim à membranis cerebri, partim ab ipſo cerebro ortum ducunt, ita venæ omnes oculi â cerebri venis, & arteriæ ab arteriis & nervi â nervis proximè defluunt.

Intelligit ſatis *autor*, hæc infirmiter, invalideque dici ac credi quoque indignè. *Nervi optici* ex imo, intimoque *cerebro* enaſcuntur. Numquid inde excurrentes, *cerebri* humorem imbibunt? An non hic potius eorum in coitu tam arcto, ſubſtiterit? Ac ſi ipſum *nervi optici* tunicæ trahent, quo hæ pacto eum in *oculos* conferent ſic, ut ille guttatim extillet, utque & ipſa vaſcula ſanguinis, quæ in *albo oculi* errant, ab iſto humore intacta, tam citò turgeant, tantumque publi-

cent ſanguinis ? Cur non ille *cerebri* liquor cadet, his *nervis* aut inter ipſum *cerebrum* aut intra *oculi orbitam* adhuc conſiſtentibus. Madeſcunt potius meninges *cerebri* infimæ, potiusque *oculorum muſculi* iſtâ pinguedine efferti. Quos quidem & *Johannes Bacchanellus* memorat, *eſt vel*, inquiens, *ophthalmia à congeſtione vel affluxu à capite per venas & arterias muſculos & nervos opticos*. Expoſcit *hic* credi, & per *muſculos* ceu per certos tramites *humorem cerebri* in oculos ire, ut inde lachrymæ delabantur.

Sin humor ex intima *nervi optici* medullâ provolvitur, is in cavum *oculi* conferetur ſic, ut per tunicam *Corneam* & *Scliroticam* haud penetrare queat. Indeque multò graviores *oculorum morbi* fient, quàm *Ophthalmia*. Atque ille lachrymarum liquor ſemper eſt limpidus. Aſt *cerebrum* exiſtimant corporis inferioris exhalationibus repleri. Cur lacrymæ non ſæpiùs erunt coloris fuliginei? Verùm ſi ſerum maſſæ ſanguineæ eſt haud naturaliter tinctum, nec lachrymarum latex & ros ab iſta contagione dimoveri poteſt. Accedit & hoc: ſi lachrymis per conjunctionem *Nervorum opticorum* iter datur, certè quàm magno dabitur periculo, quàm inteſtino. Eum locum ſi perpaululum pituitæ tenet, oculorum lumen amittitur, ut fert opinio multorum. Itaque *Ophthalmia* nunquam erit ſine *gutta ſerena*, hoc ei nomen eſt. Ita quoque ratiocinatur *Nicolaus Nicoli*, cujusverba infra ponuntur. Cerebrum quidem aliquando inutilibus humoribus, ut *Apoplexiâ pituitosâ* oriente, inundatur, at non item *Ophthalmiâ*, morbo multò leviori.

Porrò haud parùm multi *Ophthalmiam* de *Stomacho* perſuaſum habent quandoque naſci, ut ſupra *Jacobus de Partibus*, item *Nicolaus Nicoli*, *Bernhardus Gordonius*, *Johannes Michaël Savonarola*, *Valeſcus de Taranta*, *Joh. de Tornamira*, *Johannes de Concoregio*, *Victor Trincavellus*, *Leonellus Faventinus*, *Hieronymus Capivaccius*, *Gul. Rondeletius*, *Nic. Piſo*, *Joh. Hier. Pulverinus*, *Thomas Grasſius*, *Joh. Heurnius*. Nonnulli quoque, ut *Guido de Cauliaco*, & *Peter de Largelata Ophthalmiam* faciunt duplicem, *ſtomachalem*, ut vocant, & *capitalem*.

Verùm ita ſentiendi princeps videtur eſſe *Galenus*, tùm libro *Iſagog.* tùm maximè *libris de locis affectis*, quemadmodum & *libro ter-*

tio

tio c.1. hæc edisserit: Afficitur quodammodo ea pars, quæ alteri consentit, neque enim pars, quæ nihil patitur, sed ea, quæ cùm alia patitur, consentientis vocabulo significatur. Itaque quum affecto *stomacho oculi* similibus infestantur casibus, quales in suffusionibus apparere solens, dicendum est illos pati, elato ad Cerebrum ab *humoribus in ventriculo contentis* fumoso quopiam vapore. Ac *libro quinto c.6.* ea accidentia, quæ vel cerebrum vel oculos afficiunt, vitiosorum humorum vaporationem sequuntur. At Syncopa, quæ *stomachi* vitio solet evenire, ob dolorum ipsius proprietatem exolutionem inducit.

Similia depromit *Gariopontus*. Fumus Cholerum, *inquit Plinius Valerianus*, ἀναθυμίασιν *facit, cujus acritudo caliginem oculis præstat.* Unde *Constantinus Africanus* l.9. cap.15. ita: Passio inter uveam nascens & cryſtalloidem, aqua est & fumus adscendens à *stomacho.* Cimices, muscas, fustes, pilos, splendorem videt ante oculos. Sed hæc accidentia ex passione nascuntur Cerebri aut ex ore *stomachi*, cùm fumus inde adscenderit. Ex stomacho intelligimus, si perforatio oculorum clara & nullam maculam habens videbitur & imaginatio apparuerit ad tempus, ad tempus augetur, & ad tempus minuitur, & in oculis utrisq; fuerit infimus, in *stomacho* puncturã & ardorem senserit. Si verò vomitum aut hiera picra acceperit, imaginatio aufertur & quiescit. Augmentatur, cùm nimiùm comederit, minuitur, cum minimum. *Eamq; rem Benedictus Victorius Faventinus* consil.4. *declarat hisce:* In ophthalmia minuatur cibus, cùm etenim sanguis peccet, & ex multitudine nutrimenti multus aggeneretur sanguis, tunc adderetur causæ facienti morbum, tùm etiam quoniam à multitudine cibi major *vaporum quantitas* elevatur ad Cerebrum, quæ frigiditate Cerebri conversa in aqueum ad oculos veniens addit causæ ægritudinis. Ac his quoque *Hieronymus Mercurialis Consil.XLV:* quo modo humores in oculo congregentur, nisi fallor, optimè explicatum fuit à mirabili illo Avenzoar, quando dixit, ut in balneis vapores circa parietes in aquam concrescunt, pariter etiam in oculis concrescere. In hoc ægro prima causa fuit larga à natura oculorum humiditas, altera fuit cerebri intemperies, tertia fuit *ventriculi imbecillitas*, simulque *jecoris* caliditas, à quibus

continuò elevati vapores, partim *rectà in oculos feruntur*, partim cerebro appulsi, *excrementa illius colliquant*, ſecumq; ad oculos ducunt, ubi demũ pituitam & phantaſmata gignunt. *Paulò aliter Lucillus Philalthæus in 11. tom. curationum:* Putabatur mulier laborare ophthalmia vera, & imminere etiam ſuffuſionem, cùm tamen verè & per ſe hi morbi non eſſent, ſed è *vermium aſcenſu* ad os ventriculi atque *jecur*, tollerenturque vapores ad caput & facerent videri oculum alterum inflammatione rubere, atque ſuffuſionem imminere.

Joh. Matth. de Gradi nervos *ſtomachi* memorat: Aliquando fit apoſtema ophthalmicum per viam defluxus vel à cerebro, vel ab aliis membris, aliquando per duram matrem, aliquando per piam matrem, aliquando per nervos *opticos*, & aliquando etiam à membris inferioribus fluit materia & maximè à *ſtomacho* per *nervos* vel venas minutas ad cerebrum, ita de *hepate*, de *ſplene*, de *matrice* dicatur. *Ferè ſimili ratione Curtius Marinellus.*

Quantum ad *hepar* & reliqua *viſcera*, & *Mercatus* affirmat, *Ophthalmiam* inde oriri, item *Joh. Hier. Pulverinus*, *Mercurial. Julius Cæſar Benedictus à Gvelfalione*, *Rodericus à Caſtro*. *Nec obſtat*, inquit Johannes Zecchius, *quod caput ex accidenti refrigeratum, calidum, acremq; humorem à fervido jecore ſuſceptum in ſubjectos oculos effundat, tùm per venas, tùm etiam per arterias, easq; vel internas, vel externas.* Ac *Johannes Baptiſta Montanus conſ. 54. ſic:* Locus, unde defluit materia faciens morbum, eſt *hepar*, ubi generatur, ſecundariò caput, quod recipit excrementa aliorum membrorum, & deinde ad membra imbecilliora tranſmittit. Et *Hieronymus Capivaccius:* Terminus à quo quandoque eſt pars, & ſi pars, quandoque *ventriculus*, quandoque *jecur*, quandoque *lien*, nonnnunquam *uterus*. Docet, *inquit Lazarus Riverius*, experientia contumaces ophthalmias ab hepate non raro exoriri.

D. Daniel Sennertus & *pulmones* retur aliquando emittere vaporem, qui ad *oculos* perveniens, *ophthalmiam* concitet. Prius oſtendit, quî *cerebrum* humores ad *oculos* tranſmittat, & quidem *hiſce verbis:* Via autem, per quam materia ad oculos defertur, triplex eſſe poteſt. 1. Venæ omnium tunicarum. 2. Uvea tunica, à qua aliquid tranſudare poteſt. 3. Nervi Optici. Poteſt enim *materia è venis frontis*

&

& temporum per pericranium derivari, & ad adnatam, inde ad albugineam, hinc ad corneam & uveam confluere. Eadem derivari poteſt à dura matre ad duram tunicam, hinc ad corneam & humorem aqueum, atque ita inter corneam & uveam ſuffuſionem excitare. Poteſt eadem derivari à pia matre, vel ſecundum & uvea & hinc ad humorem aqueum tranſudare, & hinc ſuffuſio inter cryſtallinum & uveam conſiſtit. Poteſt & à circumferẽtia uveæ ad pupillam effundi. Si verò â Cerebro per nervos opticos effundatur, per retiformem & araneam tunicam ad cryſtallinum derivatur & materia ſuffuſionis cryſtallini ſuperficiei adhæret. *Hiſce* declarat *veram oculorum ſuffuſionem.* Nunc tranſit ad *non veram.* Notha ſuffuſio eſt, quæ fit à vapore & per conſenſum vel totius, ut in febrium ardentium vigore, fumis aduſtis per venas & arterias ſimul cum ſanguine & ſpiritibus ſurſum elatis, & inſtante quoque criſi per hæmorrhagiam narium vel cerebri, quando ſuccis aut craſſis pituitoſis, ut plerumque accidit, unde vapores ejuſmodi ad oculos mittuntur aut bilioſis aduſtis, ut in phreneticis teſte Galeno in 4. de locis aff. cap. 2. vel *ventriculi*, è quo vapor ſurſum ad oculos effertur ſive ex cruditate, præſertim nidoroſa, ſive ex bilioſi humoris in *ventrem* confluxu: vel *uteri*, aliarumque partium inferiorum ab effumante ibidem effluvie, vel *pulmonis*, ut in Peripneumonia in 1. Prognoſt. Aph. 23.

Non poſſum facere, quin verba *Galeni* ſubjungam: Ea *l. 4. de locis affectis c. 2.* ſunt hæc: Ab ore ventriculi oritur ſuffuſio oculi, ſi illud dolet, nec diu durat. Eadem affectio oritur in phrenitide. Quum enim in cerebro cujuſpiam bilioſus ſuccus collectus fuerit unà cum febre perurente, is afficitur perinde ac ea, quæ ad ignem torrentur, oriturque tum fumus quidam, veluti in lucernis ab oleo, qui per *vaſa*, quę *ad oculum tendunt*, delapſus, viſorum ipſis cauſa cenſetur. Siquidem in Anatomicis vidiſtis, quod *arteriæ & venæ* ab iis *vaſis*, ex quibus Choroides membrana contexta eſt, ſimul cum nervis ad oculum deſcendunt. *Atque com. 1. in progn. Hipp. ſunt illa:* Ita accidit per febres acutas pulmonias, valdè exhalantibus ad caput in corpore humoribus, ut *humor ille in pupilla mundus concipiat exhalationem*, unde prædicta viſa apparent. *Hactenus autoris verba.* Hæc

Sen-

Sennerti opinionibus haud concinunt, ut id infrà magis manifeſtum erit.

Nolo nunc hæc, quæ à variis *autoribus* in medium paulò ſuperiùs prolata ſunt, ſcrupuloſius infirmare. Ipſa per ſe levia ſunt & caſſa. Hiſce audiendis multi hodiè aures non commodant, nec *Galeni* autoritate moventur.

Nonnulli, ut *Conſtantius Africanus*, notas exequuntur, quibus ſcitur, *vapores* è *ſtomacho* exiſtentes in *oculos* efferri. Non fallaces modò pronuntio eas, ſed nullas omninò. Dolor ſtomachi certè hoc genus *Ophthalmiæ* minimè teſtatur. Nec illa ipſa vel *vomitionibus* tollitur vel *ductionibus alvi. Hieronymus Mercurialis vapores ſtomachi* ait *rectà* (ſunt ejus verba) *in oculos ferri*. Quâ, quæſo, viâ? Ille habitus de *ſtomacho* ſurgens, contendit in *palatum*, & tùm per *os* & per *nares* ſemper patulas, in auram diſpergitur. Quâ vi hic ſe in *Cerebrum* coget? Compertâ iſtius loci regione, cunctum hoc dogma etiam in primâ, ut ajunt, fronte poſitum, non dictu tantùm, ſed auditu quoque & cogitatu incredibile videtur. Mox idem *Mercurialis* tradit illos *ſtomachi vapores* allevatos, *Cerebri* purgamenta liquare, ut unà in oculos eant. Quemadmodum *vaporem ſtomachi* in Cerebrum attolli, jamdudum abnegavimus, ita & infitias imus, quicquam humoris vaporiſvé de *Cerebro* per *foramina Cranii* in oculos aut eorum in orbiculos ferri. Ac quo pacto halitus *ſtomachi* poterunt conſtantiores, ſpisſioresque *cerebri* humores fundere? Nec hi frigore ſemper concreti erunt, nec *ſtomachi* vapores ſemper fervidiores. Quare in hoc nec *Benedictus Victor: Faventinus* erit audiendus, nec quoque *Lucillus Philalthæus*, qui & de *ſtomachi* lumbricis ejuſmodi vapores exhalari arbitratur.

Nonnullis, ut *Johanni Matthæo de Gradi*, quoq; viſum eſt, iſtos vapores per *nervos ſtomachi*, ceu per tramites in *Cerebrum* allevari. Quod iter erit nimis flexuoſum. Illi nervi per collum tendunt, & ex ſeſe eò loci procreant *nervos*, quos vulgus vocitat *Recurrentes*. Itaque ſi humor per eos de *ſtomacho* ſurſum manaret, rurſus per modò dictos *Recurrentes* ad cor poſſet refluere. Prætereà *Nervi Sexti Paris* de poſticâ & imâ cerebri parte naſcuntur, per hos eò ſublatus humor quâ ratione ad oculos pervenire putatur? Quis non intel-

intelligit, has vias *Catarrhorum* perspicuè falsis opinationibus cõnstitutas esse?

Necmagis liquebit, humorem, vaporemvé de *hepate*, de *Liene*, & de *utero* in oculos rectà trahi. Halitus de illis membris in altum levati, in *Cerebrum* ipsum, obstante *Diaphragmate*, & ipso etiam collo interiore, quo clauditur *thorax*, nullâ vi, nullaque tenuitate penetrare poterunt. *Vasa sanguinis* quidem præstò sunt. Quæ *Hippocrates* ait quasi circulo ducto non habere principium. Attamen & illa *alio loco* à *Cerebro* originem trahere dicuntur. *C.Plinius* l.11. c.37. ita loquitur: *venas ab iis* (oculis) *pertinere ad Cerebrum*, *peritissimi autores tradunt*, *ego ad stomachum crediderim.* Verùm humores nec per ea sanguinis vascula, quæ *stomachi* sunt aut Hepatis, aut *Splenis*, aut *Matricis*, ad *cerebrum* poterunt ejusmodi iter parare. Arteriæ enim de corde omnem vim sanguinis in illa ducunt viscera. Venæ quidem eum ad supera revehunt. Verùm is *dextrum cordis sinum* & mox *pulmones* transeat, oportet. Tandem portio ejusdem sanguinis de *sinistro cordis sinu*, *Aortâ* superiore micante, in *Cerebrum* venire poterit. Ast hic communis est sanguis & variè mixtus, non privatus sanguis, qui vel ad *jecur*, vel ad *Lienem* vel ad *Matricem* pertineat. Atque Sanguis illorum viscerum *Hepatis*, *Lienis* ac *Uteri* valetudine noxius, aut in pulmonibus substare poterit aut â *trunco Aortæ adscendente* potius repelli ad inferiora, quàm ad editiora corporis. Sæpè vitium est in *hepate*, in *Liene*, in *Matrice*, ex eadem massâ Sanguineâ humore noxio fluente in *oculorum* vasa, ut *Ophthalmia* subnascatur. Minimè autem judicandum est, eam ex illorum membrorum ægritudine pendere. Hæc oculorum inflammatio aliquando finitur, oriente *podagrâ*, ac repetit quoque, hâc cessante, ut libello de *Arthritide* monstrabitur. Consimiliter morbus *oculi*, teste *Herc. Saxoniâ*, inflammationem *hepatis* excepit & hæc vicissim illum, quemadmodum *libro tertio de Catarrhis*, nonnihil hisce de rebus deprompsimus. Si quis in vitâ sæpiùs *Ophthalmiâ* oppressus fuerit, *hepar*que, istius hominis defuncti corpore insecto, vitiatum reperiatur, haud rectè philosopharis, si illam *Ophthalmiam* existimaveris non aliundè, quàm ab illo laborante viscere ortam fuisse. Tàm impura interdum est *massa sanguinea*, ut complurium partium inflammationes simul concitari queant.

D Haud

Haud parùm multis placet, in *Cerebro* ipſo exiſtere aliquando vapores, qui inde in oculos faciant impetum, concitentque *Ophthalmiam.* At quî illud ipſum fiat, nec dictu facile eſt nec cogitationibus expeditum. Fingamus *vapores ſtomachi* aut *hepatis*, aut *Lienis* aut *Matricis* intimum *Cerebrum* obnubilare. Profectò longè alii morbi hinc creabuntur, quàm *Ophthalmia* & ea vel ſicca. Quo tramite hi quoque vapores ad *oculos* itàbunt? Cur ii non *foraminibus Oſſis Cuneiformis* & *Cribriformis* pellentur? Ac ſi eò pervaſerint, cur non diſperguntur, funduntur, *oculis* tàm lubricis, tàm mobilibus? Quî inflammationem illam movere poterunt, quâ ſanguinis notæ in extremo oculo extant, qui aeri eſt objectus? Omnia ne tantillum rationis habere videntur. Iis igitur diluendis diutiùs immorari, conſilium non eſt.

Nunc verò cum *Sennerto* iis locis *Galenus* minimè facit, imò diverſus eſt. Nam hic uti dolente *ſtomacho*, ita per phrenitidem affecto *Cerebro*, *fumum* ait *l. 4. de loc. aff. c. 2. per arterias & venas* (ita loquitur interpres) *ad oculum deſcendere.* Ac *com. 1. in Progn. Hippocr.* ait totum corpus hoc eſt, *totum genus venoſum* iſtis febribus exæſtuare, ut *humor in pupilla mundus* facilè *poſſit* concipere exhalationem. Atque ſimili ratione *Galenum* libro 5. c. 6. & libro 3. *de locis affect. c. 1.* interpretari licebit. Nec Cerebrum iis, quas dicit *Sennertus*, viis humores tranſmittit ad *oculos.* Minimè *materia è venis frontis & temporum ad Corneam tunicam & ad Uveam per pericranium confluit.* Cornea quàm craſſa eſt? quàm multas habet laminas? Iſtam materiam nec imbibet facilè nec quoque trajiciet. Nec humor à *durâ* & *tenui* membrana *Cerebri* in humorem *aqueum* fluere poterit. Nec is quoque per tunicam *Retiformem* hoc modo permeabit. Illæ oculi partes adeò connexæ ſunt, adeò conſtrictæ, ut humor ibi conſtet potius quàm profluat. Quæ quæſo, tunicæ oculi non habent *venas* & *arterias*? Illæ & in tunicâ *retiformi* ſunt ſat ſpectatæ. His non *vapor* modo ſed & ejuſmodi *humor* invehitur, unde ille & alii morbi *oculorum* procreari poterunt. Tunica illa oculi *Choroides* unde hoc cognomen adepta eſt? Unde? Niſi à multitudine vaſorum ſanguinis. His quantum vitioſi *humoris*, quantum quoque vaporis inferri poteſt?

Tan-

Tandem autores confitentur, *Ophthalmiam à toto corpore*, ut loquuntur, oriri, ut *Jacobus de Partibus*, *Nicol. Nicoli*, *Benedictus Victorius Faventinus in consf.4*. Antecedens causa, *inquit hic*, est *totius corporis* repletio ex malis humoribus multiplicatis, ex vitio vel pravitate complexionis hepatis declinantis ad calidum & siccum præternaturaliter generantis sanguinem valdè biliosum, qui via nutrimenti transmissi ad membra superiora sui malignitate non regulatus, à natura eorum tanquam superfluum in membro derelictum, & in complexione vitiatum læsionem in membro efficit, ad quod pervenit. *Partes*, inquit *Hieronymus Mercurialis*, sunt, (unde humores fluunt) vel caput, vel jecur, vel *totum corpus*. *Totumq; corpus* & *Joh. Baptista Cortesius* simili ratione commemorat. *Benedictus Silvaticus Consil. & Respons. Medic. cent.2. eandem rem, sed hac ratione ac hisce verbis exponit*: ab inflammatione tunicæ conjunctivæ, Ophthalmia dicta. Hæc erit intemperies calida cum materia, quæ quidem est *massa sanguinea*, constans ex multo sanguine, non sine copia bilis, quam in nobili matrona prædominari, prodit amplitudo ad iram & ad omnes actiones. *Massa* itaque *hæc sanguinis*, multa copia genita à fervido *jecore* & totius temperamento calido & humido, neque expurgata per uterum, caput facilè petit, à quo deinde confluxit ad oculum.

Eo modo si *hic autor* non meminisset *jecoris*, rem multò felicius tetigisset. Menstruis non profusis, *Massa sanguinea* vitiosè augetur. Inde ejusmodi sanguis & in *cerebri* & *oculorum* arterias pervenire poterit. Rem si habeto: Ex vasis & sanguine *Cerebri* syncerus pituitosus aut serosus humor nunquam exit, qui rectà meet ad oculos. Sed is *arteriis* capitis ac cerebri clausus, fertur in oculos, ad quos *Carotidis internæ rami* tendunt. Hi si sanguinis plus, quàm oportet, majorique vi inferunt, supervenit illa, quâ de loquimur, *Ophthalmia*. *Totum corpus* si illius *autoris* & aliorum interpretatione est *massa sanguinea*, mecum faciunt. At iidem simul abnegent, *humores* & *vapores* vel per *foramina cranii*, vel per *nervos*, vel per *vasa sanguinis* rectâ in *cerebrum* & hinc in *oculos* ipsos ferri, ut ne vero falsum misceant, meq; ac seipsos circumveniant.

CAUSÆ OPHTHALMIÆ.

CUm Cerebrum proluvie illâ inteſtinâ ſeipſum ſemper perfundere credatur, erit autoribus videndum, utrum *calidus* an *frigidus humor* inde in *oculos* pervadat, moveatque *Ophthalmiam.* Illi hîc in varias partes ſe verſant, ſeque torquent vehementer. Rebus, quibus ineſt falſum, alia difficulter adſtruuntur ac licet protinus fulciantur explicātibus aliis ſuper alios, tamen inclinant ſemper, labant ac tandem corruunt.

Jacobus de Partibus imprimis eâ in re nimis multus eſt: Dubitatur, ex qua materia frequentius fiat Ophthalmia? an de materia frigida, an de materia calida: videtur de materia frigida: unumquodque membrum magis eſt paratum incurrere ægritudines de materia ſimili & conformi, quàm de materia difformi, ſicut poteſt colligi â Galeno 2. de interioribus, c. VII. ubi dicit: quod pelliculæ ſunt frigidæ, frigidæ paſſiones feſtinantius veniunt. Idem poteſt ſumi ab Haly in teg. tract. m. CXXXV. com. oculus eſt frigidum membrum, ut ſupra patuit. Item ex illa materia magis fit ophthalmia, quæ magis ſecundum cerebrum abundat. Illa verò eſt frigida. Major eſt nota, quod materiæ ut plurimùm veniunt ad oculos â Cerebro, ut eſt notum. Minor declaratur, quod cerebrum ponitur â pluribus auctoribus frigidæ complexionis & humidæ. Ergo in eo phlegmatici humores abundant. Hoc autem etiam ſumitur â Galeno in *l. 8. de uſ. part. cap. 9.* Ubi vult, quod Natura fecit purgatoria cerebri ad evacuandas ſuperfluitates phlegmaticas, quod ſi non fieret hîc frequenter, apoplexia occuparetur. Hoc etiam apparet ad ſenſum, quod cerebrum totum phlegmaticum videtur, etiam ſuprefluitates ab eo purgatæ apparent phlegmaticæ. Item hoc videtur de intentione Gal. XIII. Temp. c. ult. ubi dicit, quod multum quidem aut frigida diſcraſia fit ſecundum caput, aut humida. Item, quod ophthalmia ut plurimùm fiat de melancholia: quare de illo humore ut plurimùm fit ophthalmia, qui maximè ad oculos â Cerebro dirigitur. Secundum commune dictum dicentium, quod ſuperfluitas melancholica cerebri evacuatur per oculos.

In contrarium dictorum sunt autores medicinæ plures, qui Ophthalmiam definientes dicunt, quod est apostema calidum conjunctivæ. Dicendum, quod ophthalmia potest fieri duobus modis, uno modo per viam congestionis. Dicemus, quod ophthalmia, quæ fit per defluxum materierum â cerebro: dico, quod ista ophthalmia, ut plurimùm est de materia calida: hoc apparet primò experientia: declaratur & experientia: ex illa materia, ut plurimùm fit ophthalmia, quæ magis est apta fluere â cerebro ad conjunctivam, ut apostemet eam, sed materia calida seu sanguis vel colera in sanguine sunt magis apta fluere â Cerebro ad conjunctivam, ut apostemet eam. Hoc probatur:

Primò ex parte naturæ materierum.
Secundò ex parte membri recipientis.
Tertiò ex parte membri mittentis.
Quartò ex parte partium, per quas fit transmissio.

Primò quidem ex parte materierum: quod materiæ calidæ aptiores sunt ad cursum de se, quàm sint frigidæ.

Secundò declaratur ex parte ipsius conjunctivæ, quæ recipit, ipsa enim est membrum panniculare solidum, tale autem magis est aptum penetrari & apostemari à materiebus calidis quàm frigidis, ut sumitur in *com.33. Aph.6.* Unde Avicenna Fen.X. *tract.4. c. 1.* in membris nervosis non penetrat nisi subtile.

Tertiò, declaratur ex parte mittentis scil. Cerebri, hoc enim mittit ad conjunctivam materias, quas habes in venis, istæ autem materiæ sunt magis sanguineæ. Similiter Cerebrum mittit materias: quas ab alio corpore recipit: istæ autem maximè sunt materiæ calidæ aptæ ascendere ad caput, ut colera & sanguis subtilis, maximè in iis, qui vino sunt dediti.

Sed tu dices: quare cerebrum pellens materiam ad conjunctivam pellit plus materierum, quæ sunt in venis, quàm alias vel arteriis.

Et dicendum, quod materiæ aliæ quàm extra venas in cerebro exuberant, ut modi quidam phlegmatum habent loca plurima, per quæ aptæ evacuantur. Similiter quamvis ista phle-

gmata non expellantur quandoq; per ſuas vias naturales, magis ſunt apta pelli in ventriculos vel in nervos quàm per venas penetrare ad tunicam conjunctivam.

Quartò declaratur ex parte partium: per quas tranſmittitur. Cerebrum enim tranſmittit ad conjunctivam materias mediantibus partibus, quibus ſecum alligatur vel ſociatur, iſtæ autem partes, quibus magis colligantur, ſunt venæ & arteriæ, & panniculus, ex quo fit conjunctiva. Sed certum eſt, quod per panniculum ipſum, qui eſt depreſſus & per venas & arterias, quæ ſunt ſatis ſubtiles ſaltem propè oculum, meliùs poteſt portari materia calida, quàm materia frigida.

Ex quibus quatuor cauſis ſimul & non diviſim ſumptis apparet, quod ophthalmia per viam defluxus plus fiat à materiebus calidis, raró autem frigidis. Etiam apparet, quod materiæ frigidæ phlegmaticæ & melancholicæ, ſi debent currere ad faciendam ophthalmiam, opus, quod cum ſanguine miſceantur dante eis curſum. Sed tu dices, poſſetné ſola colera facere phlegma vel melancholiam currere & fluxibiles. Dicendum, quod poſſibilitas eſt res ampla: ut Avic. 4. can. fen. 1. c. de febre Sextana. Et ideò dico eſſe poſſibile, raró tamen credo, quod accidat. Sed tu dicis contra: quod podagra ut plurimùm fit de phlegmate cum aliqua cholerâ, quæ eliquavit, ut ſumitur ex lib. de juncturis Rhaſis. Dicendum, quod non eſt ſimile, nam in partibus hepatis & ſtomachi ſæpe reperitur cholera cum phlegmate crudo & venæ ad pedes euntes ſunt latæ, in cerebro autem rariùs reperitur. Apparet etiam ulterius, quod ſi cerebrum mittit materias ad oculos per nervos, & mittit materias extra venas ſtantes, quod illæ materiæ ſunt magis phlegmaticæ, imò quaſi ſemper: ſicut apparet in oppilatione nervi optici & in cataracta, quæ dicitur à quibuſdam *Gutta Serena.*

Tamen ad prædicta notandum, quod non reputo impoſſibile, licet ſit longinquum, quod phlegma ſolum vel melancholia poſſit ophthalmiam facere currentes â cerebro ad conjunctivas. Poteſt enim Cerebrum has adunare materias, & eas ad oculos pellere. Et notandum etiam, quod materiæ calidæ, quæ â cerebro ad oculos fluunt,

fluunt, non ſunt ut plurimùm multùm acutæ, imò earum acuitas & mordacitas remittitur frigiditate & humiditate cerebri. Et ideo raro eſt, quod materiæ acutæ fluant â cerebro ad oculum, & licet ſint calidæ, & ſic intelligit Galenus. Ex quibus ſolvuntur contraria.

Ad *primam rationem* dicendum, quod membrum magis per ſe eſt aptum ægrotare ægritudine ſimili, quam contrariâ, tn. per accidens poteſt magis vel frequẽtius ęgrotare ægritudine contrariâ, ſicut pulmo ex intrinſeca cõplexione eſt aptus frequentiꝰ apoſtemari â cholera, quã â phlegmate: tn. per accidẽs vel ex alia cauſa, ut ex ſui compoſitione, quod eſt raræ ſubſtantiæ, plus apoſtematur â phlegmate, quam â cholera, ut in com. Aph. 6. Aph. 33. *Vel aliter*, quod verò arguit de ægritudine facta ex ſuperfluitate proprii nutrimenti, non autem de ægritudine ex materia aliunde veniente. Ad *tertiam* rationem, cum dicitur: ex illa materia ut plurimùm fit ophthalmia, quæ magis ſecundum Cerebrum abundat, verum eſt, ſi abundat in locis, â quibus cerebrum mittit ad conjunctivam, vel verum eſt, ſi illa materia ſit apta fluere ad conjunctivam: ad minorem quidam ultramontani dicunt, quod in parte anteriore cerebri abundat ſanguis cholericus. Aliter tamen dicendum eſt, quod iſtud phlegma non eſt aptum currere. Vel dicendum, quod phlegma in cerebro non abundat in venis, ſed extra, ut quaſi ſit quædam materia cruda ſuperfluens in nutricatione Cerebri. Vel ſit facta ex vaporibus humidis ſuperius adſcendentibus, ut docet Ariſtoteles.

Sed tu dicis: Sanguis, de quo nutritur Cerebrum, eſt phlegmaticus: ergo ibi in venis exuberat phlegma. Dicendum, quod phlegma exuberat reſpectu ſanguinis nutrientis alia membra calidiora, quàm ſit cerebrum, tamen ſanguis ſuper alios humores plus eſt in venis, ut Haly. Dicendum uno modo, quòd ſermo iſte forſan non eſt verus, ut ſupra dictum fuit. Vel aliter, quod licet melancholica ſuperfluitas cerebri purgetur per oculos, ipſa tamen venis ad loca lachrymalium nec eſt apoſtema ibi in conjunctiva, cùm ſit panniculus depreſſus.

Quartò dubitatur, conceſſo, quod de ſanguine cholera phlegmate vel melancholiâ poſſit fieri ophthalmia & conceſſo, quod frequentius fiat de ſanguine. Quæritur de qua materia frequentius eve-

eveniet post sanguinem. An de colera, an de phlegmate, an de melancholia. Dicendum breviter sine argumentis, quod vel loquimur de colera, phlegmate, & melancholia mixtis sanguini vel puris, si puris, potest teneri, quod frequentius *de colera*, posteà *de phlegmate*, ultimò *de melancholia.* Ratio, quod hunc ordinem habent ad aptitudinem fluxus. Si autem loquimur de his humoribus sanguini mixtis, forsan posset defendi, quod post sanguinem frequentius facit ophthalmiam sanguis *phlegmaticus*, postea *colericus*, rarò autem *melancholicus*: unde frequenter sentimus in saliva & reumatismis, & est ille sanguis satis aptus ad cursum: unde licet sanguis colericus sit aptior, rarò tamen invenitur in cerebro abundare respectu phlegmatici sanguinis. Dicis de puro phlegmate & pura colera, quod frequentius fiat à puro phlegemate. Dicendum, quod non est simile, quod purum phlegma est valdè ineptum ad apostemandum conjunctivam. Sed pura colera est valdè apta. Et imò quamvis rarò depuretur colera in cerebro, & sæpè depuretur phlegma, tamen ex raris depurationibus coleræ plus possunt fieri ophthalmiæ, quam ex frequentibus depurationibus phlegmatum & hoc propter multam phlegmatis ineptitudinem respectu choleræ. Sanguis autem phlegmaticus, non est in extremo ineptitudinis respectu sanguinis cholerici & imo cum sua frequenti multiplicatione in capite, & satis esse aptum ad apostemationem. Possumus defendere, quod frequentius apostemat. Si quis autem vellet tenere contrarium, non curo, quod etiam posset defendi & posset dici, quod plus fit ophthalmia de sanguine *cholerico*, deinde â sanguine *phlegmatico*, ultimò verò â *melancholico. Hactenus ille.*

Nunc *Nicolaus Nicoli ita:* Et omne apostema aut est â sanguine, aut â cholera, aut â phlegmate, aut à melancholia, aut à ventositate, tunc similis est ophthalmiæ, cùm ipsa sit apostema non evacuabitur ab aliqua dictarum materierum. Aquosam autem Avicenna aut comprehendit sub phlegmatica aut renuit dicturus de ea in capite de vesicis, & dixit, ophthalmia excedens terminum, non fit tantùm à materia calida. Imò fit à phlegmatica & melancholica. Et hoc posset esse aut quando multum exuberaret in capite, & mitteretur ad oculum, quod rarissimè contingit, aut quando simul cum sanguine mittuntur, & hoc est raro. Sed ista ophthalmia ut plurimùm

fit

fit à ſanguine propter quam cauſam plures auctorum non tractaverunt niſi de eâ, quæ fit à ſanguine. Unde Haly nono theorice dixit, quod apoſtema fit à multitudine materiæ ſanguineæ, nihil tangens de aliis materiis. Quod ideo eſt, quod ſanguis eſt materia apta multiplicari in venis oculi & extendere eas multum. Johannitius autem uti ſupra dixi, ophthalmiæ quatuor ſunt ſpecies. Una ex multiplicato ſanguine, ſecunda ex ſanguine Cholerico, tertia ex ſanguine phlegmatico & quarta ex ſanguine melancholico. Materia autem, quæ per viam defluxus cauſat ophthalmiam, ut plurimùm eſt ſanguinea propter *quatuor cauſas,* quæ ſimul junctæ faciunt unam ſufficientem cauſam.

Prima eſt ſumta ex parte naturæ materierum, quæ eſt, quod materiæ calidæ de ſe ſunt magis aptæ fluere, quàm frigidæ.

Secunda eſt ſumpta ex parte membri recipientis ſcilicet ipſius conjunctivæ, quæ eſt membrum panniculare ſolidum, in quod non ſic poteſt penetrare materia frigida, ſicut calida.

Tertia eſt ſumpta ex parte membri mittentis, h.e. Cerebri. Plurimum enim illud quod Cerebrum transmittit ad oculos eſt illud quod in venis panniculorum ejus continetur. In ipſis autem materiæ calidæ continentur vel eſt ſumpta ex parte mittentis corporis totius vel alicujus membri inferioris & tales etiam ut plurimùm erunt materiæ calidæ. Quod tales ſunt, quæ ſunt aptæ fluere & adſcendere ad ſuperiora. Quod autem Cerebrum ſit aptum plus transmittere materias calidas quàm frigidas, patet. Quod materiis frigidis peraptæ ſunt viæ ſunt viæ aliæ plures & latiores, per quas expellunt, quæ ſunt notæ.

Quarta cauſa eſt ſumpta ex parte viarum, per quas fit transmiſſio materiæ ad oculum, ſed tales viæ ſunt venæ & arteriæ panniculorum ejus, quibus tunicæ oculi contexuntur. Et præcipuæ viæ, quæ portant ad conjunctivam, cujus ophthalmia eſt paſſio. Quod ipſa oritur à gingia matre, in cujus venis & arteriis non eſt apta ingredi materia frigida propter denſitatem panniculi & ſtricturam venarum ejus. Et ſi aliquando contingit, Cerebrum materiam materias frigidas per vias Nervorum Opticorum ad oculum, raro eſt valdè, quòd poſteà perveniat per venas ad conjunctivam, & faciat

in ea apostema, sed ut plurimùm alias causas ægritudines, ut guttam Serenam, cataractam & similes. Longinquum est ergò, licet sit possibile, rarò valdè eveniens, quod materia frigida per viam defluxus, sola sine permixtione materiæ calidæ descendat ad oculum ad causandum ophthalmiam. Mixta autem cum materia calida benè defluere potest ad oculum. Licet etiam hoc sit rarò. Ut plurimùm ergò per viam defluxus ophthalmia accidit de materiâ calidâ. Et ut plurimùm de sanguine. Quod plus de eo continetur in venis illis. De colerâ autem sola rarò fit. Et si aliquando fit, ut plurimùm fiet mixta sanguini. Et cum hoc etiam ipsa non pervenit ad oculum cum multâ acuitate, quod remittitur ejus acuitas à frigiditate & humiditate Cerebri. Et hinc est, quod ægritudines oculorum calidæ non sunt multæ punctionis & mordicationis & corrosionis. Ut plurimùm ergò est, quòd ophthalmia causatur à sanguine, deinde à sanguine phlegmatico, quod tali sanguine nutritur Cerebrum & etiam oculus. Rarò autem fit à sanguine colerico & rariùs à melancholico. Et hoc est quod experientia confirmat. Dicunt quidam, quòd à sanguine melancholico deberet frequentiùs causari, quod est, quod Cerebrum expellit superfluitates melancholicas ad oculos, quæ in lippitudine demonstrantur grossa dura, terrea. Quod dictum quidam negant. Tamen supposito, quod verum sit. Non tamen sequitur, quod dicunt. Quoniam ipsi expellitur ad lachrymales. Et post ea suâ grossitie non est apta penetrare in conjunctivam & facere conjunctivam. *Hæc hic.*

Plúres autores comparili ratione & eâ æquè dubiâ, in utramque partem disputant. Verùm duorum autorum tantùm verba hîc posuisse, satis erit. Quisnam non intelligit, rem illam istis variis explicationibus magis inexplicabilem reddi, quòd autores & eam opinionem simul sequantur, quâ *Cerebrum* ex se superfluum humorem subinde jaciat, ex quo & *Ophthalmia* concitari queat? Mentem hujus dictæ sententiæ *Thomas Grassius interpretatur ad hunc modum:* Dubitatur, an omnes humores & vapores possint inflammationem supra dictam excitare. Ex una parte videtur ratio persuadere, quod solum fiat ophthalmia à causâ calida, quia est morbus calidus, adest rubedo, & cætera adsunt, quæ caliditatam attestantur, qua ratione im-

impulsi Arabes quidam dixerunt, Ophthalmiam esse apostema calidum oculorum. Ex altera parte est Avicennas & Galenus, qui videntur in ea fuisse opinione, quod omnes humores valeant excitare ophthalmiam. Pro solutione dicendum est, omnes humores posse efficere morbum hunc; sed diversimodè, quia inflammationem magnam faciunt humores calidi frequentius, remissam autem ophthalmiam possunt facere humores frigidi; sed non soli, quia semper in hoc morbo unguntur calidi frigidis humoribus; & hinc est, quod semper adest rubor & calor: etiam quod fiat à frigidis humoribus: Cur verò humores frîgidi non posint soli generare Ophthalmiam: Ratiò est, quia difficulter humores frigidi in angustum locum possunt congregari, & si congregentur, non posint incalescere, & sic non possunt ophthalmiam generare. *Hæc ille.*

Profectò res multis obscuritatum ambagibus involuta est, ut nihil concinens etiā istis prolixis expositionibus reperiatur. Documenta frigidi humoris, unde fiat *ophthalmia*, sunt ea. *Cerebrum* & *oculus* ipse sunt membra frigida, quare ejusdem naturæ erit humor, qui creat *Ophthalmiam*. Ipsumque *Cerebrum* pituitæ scaturigo unica putatur. Præterea *Melancholicum* humorem, qui etiam est frigidus, ajunt oculorum quasi proprium esse. Ex adverso autem *ophthalmia* est è genere *inflammationum*, quæ ad unam omnes sunt calidæ. Nec humor frigidus & lentus ex *cerebro* tàm promptè ad oculos decurret. Nec horum *tunica* talem tàm celeriter conceptabit. Quid? nec *vasa sanguinis* ad *cerebrum* ejusque ad membranas spectantia, frigidum, sed calidum vehunt humorem. Atque syncerus cholericus humor *ophthalmiam* facere dicitur. Talemq; ajunt *cerebri* vasis inesse, iisque ire in oculos. Qui verò in *cerebro* fluitat, eum esse frigidum, ac ut vocant, phlegmaticum, attamen & eum aliquando *ophthalmiam* ciere. Dein humorem quidem *naturâ calidum* esse confitentur, ac iidem contendunt algore *cerebri* refrigerari. Mox verò asserunt in parte anteriore *cerebri* sanguinem calidum & cholericum naturaliter contineri, *per accidens* verò in *cerebro*, *ita loquuntur*, & frigidum inesse. Illumque vaporibus inibi resolutis adaugeri. Verùm hæc antica & ea calidior portio *cerebri* pituitam suam len-

tam magis spissabit, magisque liquefaciet sublatos vapores, Solis caloribus

Limus ut hic decrescit & hæc ut cera liquescit.

Ad extremum *Jacobus de Partibus Ophthalmiam* dicit de merâ *pituitâ* & de tali *melancholiâ* aliquando, sed sæpissimè de *syncera cholera* nasci; confusis verò inter se humoribus, frequentissimè de *sanguine*, deque *sanguine phlegmatico*, de *cholerico* interdum, rarius de *melancholico*. Mox ad dubitationem adducitur ipse. *Nicolaus Nicoli* aliquanto fortiùs affirmat, calidum humorem concitare *Ophthalmiam*, frigido *cerebri* humore perpetim defluente. Quanquam & de hoc humoris genere aliquando *Ophthalmiam* vult oriri. Ac statim subjicit: *Licet etiam hoc sit raro. Ut plurimùm ergò per viam defluxus ophthalmia accidit de materia calida.*

Hærent ipsi autores, & æstuant dubitationibus. Qui falsa vel imprudens involvit veris, de iis dicendis quoque semper laborabit. *Ophthalmia* est ægritudo oculi calida, at Cerebrum est membrum frigidum, quod eum humorem suggerit, qui eandem facit *Ophthalmiam*. Hoc semper difficile erit ad explicandum. Ab hac caligine & ab omnibus tenebris reliquis nostrum dogma est dimotum penitùs, quô *cerebrum* pronuntiamus nunquam naturaliter immundum esse, nihil humoris superflui ex se fundere, ali quidem de liquore sanguinis, quem subministrant *arteriæ*, ejus verò, quod superest, per *venas* refluere. Quâ in parte corporis vivi non ille itus, reditusq; sanguinis celebratur? Jam verò *Ophthalmia* de cuncta massa sanguinea, de illo sanguine nascitur, quem invehunt arteriæ *oculorum*, quæ sunt rami *Carotidis*. Demus eas per medium *cerebri* viam suam ad *oculos* facere. Non ob id de *cerebro* oritur *Ophthalmia*. Per *pulmones*, ac per *cervicis, colliq;* partes ille sanguis permeat, quem *arteriæ* in *cerebrum* important ac in oculos. Quis ex eo illum sanguinem judicaverit de *pulmonibus*, ac de *colli* partibus venire. *Ophthalmia* existere potest ac fieri, incolumi *cerebro*. Quanquam & illud aliquando vitiosè affici poterit, si arteriæ plus sanguinis, quàm naturaliter necesse est, in *cerebrum* quoque tùm temporis conducunt. Poteftq; *cerebrum* inflammari, impleriq; sanguine prius, quàm *oculus*. Quem nuper

nuper arripuerat *Apoplexia*, ejus oculus dexter quoque ſanguine rubebat. Magna vis ſanguinis in intima *cerebri*, pars quædam per arterias in *oculos* fuerat rapta.

DEFINITIO.

HIſce dictis, facilè erit, quid ſit *Ophthalmia*, finire. Si *Hippocratem* hoc *libro de locis in homine* interpretari volumus, illa nihil aliud erit, quàm *Catarrhus*, quo humor de interiore *Cerebro* fluit in tunicam ac eam conturbat. Genus certè erit *catarrhus cerebri*. Per ſe quidem & *inflammatio* erit ac eodem *Hippocrate* autore in cenſum *Inflammationum* refertur. Huncque *Galenus* imitari videtur. Nam *Ophthalmiam* libro 2. de differt. febrium cap. 13. *Rheumatum* in numero habet. At *libro 4. de compoſ. pharmac. ſecundum locos cap. 2.* eam ait *inflammationis* ſpeciem eſſe. *Verba* ipſius hæc ſunt: *Eſt velut didiciſtis, inflammationem tunicæ os capitis & calvariam ambientis. Neque refert, ſi pelliculam quis aut quocunque tandem nomine appellare velit. Vocant aut & membranam agnatam, propterea, quod aliis, quæ oculum ipſum conſtituunt, tunicis forinſecus agnata ſit, ligamentum exiſtens toti oculo ad circumſita oſſa, & ob id omnia, quæ circumcirca oculos ſita ſunt uſque ad malas quandoque in vehementi lippitudine ſimul attolluntur.* Eamque conſimili modo exponit *Paulus Ægineta*.

Nunc recentiores autores rem aliquantò exactiùs expendunt, ut *Alexander Alexius*, Ophthalmia, *inquit*, eſt vera inflammatio tunicæ conjunctivæ ſeu adnatæ orientis à pericranio per mediam frontem & per vaſa temporum ab eo in oculos delatæ. Inflammatio dicitur phlegmon, phlogoſis, apoſtaſis, apoſtema, quæ vel eſt in tunica tantùm, vel in tunica & ultra eam in palpebra; illa dicitur ophthalmia & Lippitudo, hæc chemoſis: illa eſt cum calore, dolore & tremore, hæc eſt cum rubore palpebræ & ferè cum ulcere. Eſt morbus in intemperie, ideò calor, in mala compoſitione, quocirca tumor, in ſolutione continui propterea dolor. Sic & *Donatus Antonius ab Alto mari*, & *Camillus Thomaius*. Adhæc autem *Peter Paulus Pareda*: Altomarius ophthalmiam morbum compoſitum ex in-

temperie, tumore & ſolutâ continuitate appellare ſolet. Decipitur tamen, quia tumor, ſi non lædit actionem, non erit morbus, ſed ſymptoma, ſicut & ſoluta unitas. Eſt ergò ophthalmia intemperies membranæ adnatæ cum fluxione humoris, quæ ſi actionem vitiat, affectum generando in humore cryſtallino, erit cauſa morbi, aliter verò morbus. Tumor & ſoluta unitas ſymptomata ſunt, quæ ad intemperiem cum affluxu ſequuntur, ſicut & dolor, qui hac in parte membranosâ ac proinde multùm ſenſili, ita maximus aliquando eſſe ſolet, ut ad ſe curationem attrahat, cùm fiat cauſa augens affectum, nempe tumorem.

Aliud *Leonh. Jacchinus* notat: Eſt autem, ut à definitione ordiamur, hic morbus phlegmone membranæ, quàm quòd omnium aliarum operimentum ſit, Arabes conjunctivam, Græci epipephycata, id eſt, adnatam ſeu aggenitam, ſeu ſupergenitam dixére, quòd omnes alias partes oculi ambiat, ab anteriore parte, uſque ad iridem dictum circulum. Hanc Galenus ab ipſo pericranio oriri vult. Unde & inquit, phlegmonem eſſe membranæ, quæ pericranium dicitur. Nam ſi ſimpliciter audiantur hæc verba, falſa videntur. Nimis igitur ambitioſus loqui Galenus videtur, quanquam qui ambitiosè hinc & inde verba Galeni colligant, & Pauli & Ætii, cunctaque in unum confuſisſimum chaos redigunt, hæc non animadverterint. Quis non rideat, hoc de phlegmone oculi loqui proponere, poſteà varios affectus, dolores ab eroſione à diſtentione, à flatu imprudenter miſcere? Notarii profectò & tranſcriptores potius dicendi, qui ſive de plantis loquantur, adeò loquuntur ineptè, quaſi nullas inſpexerint, ſive de curandis morbis quaſi ne ægrum unquam viderint. *Hæc ille.*

Id quod *Thomas Grasſius* explanat hiſce: Quod vertitur dubio, colligitur ex verbis Galeni, qui ſcriptum reliquit, Ophthalmiam eſſe inflammationem tunicæ os capitis & calvariam ambientis, Ergò non ſolum tunicæ adnatæ, cui difficultati ſatisfacere volentes dicimus cum Celſo, adnatam tunicam ex pericranio originem habere, & ab eo per mediam frontem & tempora vaſa in oculos deferri, & uno verbo, membranam ambientis calvariam, & tunicam adnatam, quæ oculos amplectitur, unam & eandem eſſe.

Idem

Idem & hoc addit: Dicet aliquis visui efficiendo nullum præstare adjumentum tunicam adnatam, si ergo ita est, ut est verissimum, quî fiat, ut visio lædatur in Ophthalmia, cujus locus affectus (ut diximus) nullus alius est, quàm ipsa tunica adnata. Ad difficultatem respondemus, quod visus læditur in ophthalmia per accidens, hoc modo videlicet, ubi hæc tunica inflammata est, fit dolor & calor magnus in oculo, à calore & dolore fit attractio humorum, humores deinde illi attracti dispersi per oculum conturbant humores & spiritus, qui spiritus & humores conturbati, necessariò visum oblædunt: ita quod quamquam sit locus affectus ipsa adnata tunica, per accidens tamen (læsis aliis partibus) oculi offenditur visus. *Quod rursus Zacutus:* adnata reliquis tunicis forinsecus adnascitur: dicitutq; conjunctiva, quia oculum reliquis partibus conjungit. Non universum oculum complectitur, sed lateribus corneæ adhærens, cùm ad iridem accedit, tenuitate suâ evanescit. Hæc non accedit ad pupillam, sicque ejus phlegmone non nocet visioni, quippe crystalloidi non opponitur, per accidens nocet, quatenus dolor & calor humores attrahunt, quibus spiritus & humores tum crystallinus, tum aqueus conturbantur.

Leonhardus Jacchinus naturam *Ophthalmiæ* maximè exquirendam suscipit: Mirabitur aliquis, quî fieri possit phlegmone in adeò exili corpore. Sed mirari non debet, qui norit, talem quoque esse phrenitidem, talem & pleuritim, ut in dissectis vidimus. Vena enim cum lentum & ductile corpus sit, facilè distendi humore potest, & quæ prius obscura erat prorsus, nunc in conspectu venire.

Galenus l. de multit. quoque fatetur, *oculorum venas quandoq; videri, quandoq; non.* Et hoc est, quod in *lib. de tumor. Prætern.* tradat, in *oculis venis insensibiles apparere.* Ita est. Quæ sanguinis conceptacula habet tunica *Oculi adnata*, ea sunt perquàm exilia & mirè occuluntur. Illa ipsa autem si, confluente sanguine, intumescunt, veniunt in conspectum. *Vena*, uti & *arteria* constat ex membrana, hæc inflari potest & distendi. Quô fit, ut illa *tunica oculi* etiam tàm vehementer rubescat. Ac magna *ophthalmia* sæpè sensum cernendi obtundit. Quî id fiat, disquirit *Thomas Grassius*, itemque *Zacutus.* Lachrymæ certè, quæ & supernè defluunt largè, ipsi *pupillæ* caligi-

liginem inferre queunt. Quin homines ob continuatos fletus lumine oculorum tandem orbatos fuisse, *libro de Catarrhis tertio* diximus, re antiquitùs notâ. *Homerus* enim;

— — — *mœrorem lumina linquunt.*

teste *Chalcidio* de eo loquitur, qui jugi fletu amiserat oculos. Nonnunquam, graviore *ophthalmiâ*, plus *humoris*, plusque *vaporis* per *arterias* in intimas *oculi* partes simul confertur, ut homo tandem oculis hebetior reddatur. Eoque fit, ut nubeculæ ceu muscæ exiguæ etiam, finitâ *ophthalmiâ*, ob oculos versentur.

Pleniùs rem expediret idem *Thomas Grasfius*, si *Ophthalmiam* diceret, quandoque simul *inflammatâ tunicâ palpebrarum* fieri. Nunquam, dispiciente *Leonhardo Jacchino*, potest existere *Ophthalmia*, quâ *palpebrarum* membrana sola rubet, salvâ illâ *adnatâ* tunicâ. Nec illa palpebrarum pellicula potest verè cognominari *Pericranium*, hoc est, *membrana Cranii*. *Galenus* quidem ab ea tradit illam, quam dixi sæpiùs, *adnatam* tunicam, oriri. Hæc illam contingit, ut fit in viciniâ partium: at non de ipsa ita creatur, ut utrique communis sit natura. Ac quid de tunica *palpebræ inferioris* sentiendum? Ipsæ quoq; membranæ, *Adnata oculi* & *Pericranium* facie differunt. Cæterùm *Ophthalmia* in numero *Rheumatum* duci potest, quibus humor in membra per *arterias* influit. Cumque de humore, ac de ejus itineribus nunc constet, hujus mali notitia *definiendo* aperiri potest hunc ad modum: *Est inflammatio tunicæ oculi adnatæ, arteriis ex massâ sanguineâ, non ex cerebro multum humoris, interdum vaporis invehentibus, hinc illa delachrymatio, iste rubor, tantus æstus, tantus aliquando dolor.*

DIFFERENTIÆ.

DE causis *Ophthalmiæ* suprà satis multa dixisse possumus videri. Itaque ad *differentias* protinus transire, tempestivum erit. *Galenus* libro de oculis, ac *Paulus Ægineta*, ex Arabibus *Avicenna*; *Haly*, *Serapio*, *Jesus*, *Janus Damascenus* tres *Ophthalmiæ species* faciunt, ac hinc juniores, *Constant. Africanus*, *Sillanus*, *Valescus de Taranta*, *Joh. Matth. de Gradi*, *Dominic. Leonus*, *Mercatus*, *Trincavellus*, *Montanus*, *Forestus*, *Joh. Bacchanellus*.

Tan-

Tantam turbam ſequitur *D. D. Sennertus* : Differt verò ophthalmia ſecundum gradus præcipuè quos etiam nominibus autores diſtinguunt. Si enim phlegmones ſolum quaſi initium adſit , cùm ſcilicet oculus humidior reddi,rubere,calere & nonnihil dolere incipit, idque ferè à *cauſa evidente* ſole,igne,fumo, pulvere , vini potu *τάραξις* ſeu perturbatio eſt *ophthalmia notha* vel potius levis nominatur. Si verò inflammatio calor & dolor major ſit & lachrymæ copioſæ,ac *ab internis præcipuè cauſis* oriatur,*Ophthalmia vera* dicitur. Si autem tanta ſit inflammatio ut & *palpebræ ſimul afficiantur* & quaſi intervertantur,nec claudi poſſint, albumque ſupra oculi nigrum intumeſcat, vel etiam illi obducatur ita , ut nigro ſubſidente alboque rubeſcente eminente veluti hiatus in oculo appareat *χήμωσις* dicitur ἀπὸ τῆς χήμης , hiatu.

At Hercules Saxonia rem multò diſtinctius declarat & quidem hoc modo : Ophthalmia duas inprimis habet præcipuas differentias; quarum prima dicitur *Humida*,altera verò *Sicca*. Agemus primo de differentiis *humidæ* , mox etiam de *ſicca*. Humida Ophthalmia adhuc in tres præcipuas differentias habitâ ratione temporis & conſequenter magnitudinis & parvitatis diſtinguitur. Nã quæ eſt in principio,idcirco ita parva ut ſit intẽperies cũ materia,quam tumor hic Græcis dicitur *τάραξις*, Latinis vacillatio. Eſt materia quædam conjuncturæ oculi ſine materia quæ magna ex parte excitatur ex cauſa extrinſeca, fumo , pulvere , oleo aut aceto vel alia re acri infuſa reſoluta aut perfuſione , feſtuca vel animalculo ingrediente in oculum, vel ex largiori potu & eſu aromatum & acrium, ubi verò jam fluxerit humor in membranam ac humorem elevaverit,dicitur propriè ὀφθαλμία,quam Avic. ſuo nomine vocat alguar dengi. Sed ſi jam in maximum dolorem elevetur inflammatio in utramque corneæ partem ita ut palpebræ poſſint non amplius oculum tegere talis inflammatio Græcis dicitur *χήμωσις* ſicque ut intellexiſtis ratione temporis & magnitudinis oriuntur iſtæ tres differentiæ.

Sicca eſt ea , quæ potius ad palpebras pertinet , quam ad conjunctivam , præcipuè circa angulum majorem oculi, ita ut inverſæ appareant palpebræ & admodùm rubentes. *Hæc ille.*

Sicca non eſt hoc loco prætermittenda, quippe quæ ab *Hippocrate* & *Galeno*, teſtificante *Lælio à Fonte*, proficiſcitur. Ac *Hieronymus Mercurialis*, ſed notate, *inquit*, quod idem Galenus docuit 2. ad Glaucon. omnem inflammationem eſſe duplicem, aliam humidam, in qua ſcilicet copia humoris apparet, in quâ humor omninò nullus aut paucus apparet. Humidam videtur vocaſſe ſimplicem ophthalmiam, ſiccam verò ξηροφθαλμίαν, tamen frequenter ſub nomine ophthalmiæ utraque continetur. *Hæc ille. Marcellus Siccam* perturbationem appellat; *ſiccam* & *ſcabram* lippitudinem *Actuarius*. Quid? *Ariſtoteles* Sect. Probl. 1. Probl. 12. ὀφθαλμίας ξηρὰς & *Hippocrates* commemorant.

Anutius Foëſius illud *Ophthalmiarum* genus exponit *hiſce*: ὀφθαλμίαι ῥοώδεες dicuntur apud Hippocratem l. 1. Epid. Lippitudines fluidæ, quæ multum habent humorum affluxum eſt ὑγρὰς hoc humidas exponit Galenus: ὡς ἀπ' καταστάσεως ὑγρὰς γεννηθείσας, ex conſtitutione aeris humida ortum habentes. Quibus certè opponuntur ὀφθαλμίαι ξυραὶ aph. 12. & 14. l. 3. Lippitudines aridas vocat C. Celſus l. 2. c. 1. in quibus lemæ ſunt ſiccæ & aridæ, nullaque decurrit humiditas ad oculos. Τὰς ἄνευ ῥεύματος exponit Galenus. *Hactenus autor.* Quanto ſtudio *humidam & ſiccam Ophthalmiam* exponunt *Ludovicus Mercatus* nec non alii? *C. Celſi verba hîc inferendo duco.* Eſt etiam genus aridæ lippitudinis, ξηροφθαλμίαν Græci appellant: neq; tument neq; fluunt oculi, ſed rubent tantùm & cum dolore quodam graveſcũt & noctu prægravi pituitâ incaleſcũt, quantaq; minor generis hujus impetus, tantò finis minus expeditus eſt. *D. D. Sennertus* Ophthalmiarũ *differentias* exequens, Siccâ hîc præterit: at poſt modum de eâ privatim agit. Peculiaris, *inquit*, adhuc lippitudinis ſpecies eſt, quam Ophthalmiam ſiccam appellant, in qua non tantus eſt lachrymarum fluxus & prætereà etiam palpebræ afficiuntur. Ejus tres recenſentur differentiæ eſt enim vel cum pruritu vel ſine eo. Quæ cum pruritu eſt exiguam fluxionem ſalſam & nitroſam conjunctam habet, à Paulo l. 3. c. 22. ψωροφθαλμία nominatur. Si verò ſine ullâ fit fluxione & oculi tantùm ſunt rubri, neque tamen, ſed cum dolore quodam levi in iis quidam ſentitur pruritus,

ritus, ab eodem ξηροφθαλμία dicitur. Quæ autem ſine pruritu eſt & cum duritie palpebræ, σκληροφθαλμία, dura lippitudo dicitur. *Hæc ille.*

Verùm ψωροφθαλμία ad morbos *palpebrarum* ſpectat. *Pauli Æginetæ* verba accipe. ἡ δὲ ψωροφθαλμία, κνησμώδης τοῦ βλεφάρου ψωρίασις, διὰ ἁλμυρὸν καὶ νιτρῶδες ὑγρὸν γινομένη: *Interpres*: Scabra verò lippitudo, pruriginoſa palpebræ ſcabies eſt ex ſalſo ac nitroſo humore oborta, Ad oculos ipſos autem pertinent & σκληροφθαλμία & ξηροφθαλμία, ἡ μὲν σκληροφθαλμία, σκληρότης καὶ δυσκινησία ἐστὶ τοῦ ὀφθαλμοῦ, μετὰ πόνου καὶ ἐρεύθους χωρίς ὑγρασίας. Lippitudo dura, duricies eſt & difficilis oculi motus cum dolore ac rubore citra humiditatem. ἡ δὲ ξηροφθαλμία κνησμώδης ἐστὶ τῶν ὀφθαλμῶν διάθεσις χωρὶς ῥεύματος. Lippitudo ſicca eſt pruriginoſa oculorum affectio citra fluxionem.

Ad palpebras etiã duce *Actuario* refertur ἐμφύσημα. *Paulo* τὸ μὲν ἐμφύσημα, ὄγκος ἐστὶν οἰδηματώδης τοῦ βλεφάρου. Inflatio tumor eſt palpebræ laxus. Ipſe *Sennertus*, τὸ ἐμφυσημα, in morbis palpebrarũ habet, curatq; inunctione olei, ut *Paulus*, inungant, *inquiens*, oleo palpebras. ψωροφθαλμίαν verò *Sennertus* à morbis palpebrarum ſecernit, ψωροφθαλμία, *inquiens*, diverſus eſt affectus ab illo, qui ſuprà cap. 3. deſcriptus eſt. Multò ſecus judicandum eſt. Eſt unus idemque morbus ac in numero morbi *palpebrarum* dicendus. *Johannes Rhodius Emend. ad Scribon. Largum* in hoc etiam *Sennerto* reclamat: ξηροφθαλμία, *inquiens*, differt à pſoropthalmia, quæ eſt ſcabioſa lippitudo & pruriginoſus palpebræ ſenſus à ſalsâ pituitâ, monitu Actuarii Meth. Med. l. 11. c. 7. Lippitudo autem dura & lippitudo ſicca, communes palpebrarum & ipſius oculi ſunt affectiones apud Æt. Tetr. II. Sem. III. c. 11. *Hæc ille.* Nunc *Actuarii* verba ſubjungo: diſtat ψωροφθαλμία à ξηροφθαλμία, nam illa eſt pruriginoſus palpebræ ſenſus. In ξηροφθαλμία oculus citra humoris effluxum ægrè & cum dolore movetur. Ac *Hercules Saxonia* quoque ψωροφθαλμίαν ait ad palpebræ morbos ſpectare. Idem quidem & ξηροφθαλμίαν credit ad palpebras potius ſpectare. Verùm ſic habeto: ψωροφθαλμία eſt morbus palpebræ. σκληροφθαλμία eſt oculi ægritudo, quâ is dolet, rubet, non multùm lachrymatur, non ex facili movetur, pal-

pebrâ aliquantò duriore. *ξηροφθαλμία* eſt itidem oculi paſſio, quâ is dolet, prurit,& rubet & quidem ſine multis lachrymis ac reumate, palpebrâ ſimiliter & ſic affecta,ut oculus ſit ſat mobilis. In *σκληροφθαλμία* non palpebræ, ſed eſt *δυσκινησία τοῦ ὀφθαλμοῦ*, docente *Paulo Æginetâ*. *χήμωσις* eſt etiam talis oculi morbus, quo & palpebræ afficiuntur.

Michael Johannes Paſchalius & alii aliam vocant *veram Ophthalmiam*, aliam *non veram* : Ophthalmiam medici aliqui duplicem faciunt *veram* & *non veram* : non veram conturbationem oculi ſeu vacillationem appellant, & ab externa aliqua occaſione fit, verbi gratia , ſole, igne,fumo,pulvere, ictu aliisque id genus , & à Græcis taraxis dicitur , hoc eſt lucis perturbatio, ut apud Paulum videre eſt , qui ſic eam nominat, & velut genus quoddam facit ejus, quæ vera dicitur ophthalmia. Porrò tam facilis curatu hæc eſt,ut vel cognita tantum cauſa ac ſeparata diſcutiatur, modò id in principio fiat alioqui neglecta in veram ſæpe ophthalmiam tranſit. Eſt autem vera appellata ophthalmia, quàm Latini lippitudinem nominant , adnatæ membranæ ſeu ut barbari dicunt , conjunctivæ inflammatio. *Ad hæc autem Peter Paulus Pareda :* Sententia Autoris, qua dividit Ophthalmiam in veram , ſequenda non eſt , quia à quacunque cauſa fiat *Ophthalmia* , eſt dictæ membranæ inflammatio.

Hujus *differentiæ* autor eſt *Avicenna*, hinc *Jacobus de Partibus*, & *Nicolaus Nicoli.Verba Avicennæ hæc ſunt:* Ophthalmia alia eſt vera & alia eſt ei ſimilis, quæ nominatur conturbatio,quum accidit oculo ex cauſis extrinſecis & rubificantibus eam , ſicut Sole & ſoda aduſtiva & ephemera aduſta & pulvere & fumo & frigore in quibuſdam horis propter conſtriationem ipſius & percusſionem propter commotionem ab ipſa & vento procelloſo. Inde *Johannes de Concoregio* ita : Ophthalmia non vera ſolùm cauſatur ab extrinſecis,ut ex fumo vel pulvere. Aliquantò clariùs *Syllanus :* Notandum, quod cauſa ophthalmiæ vel eſt extrinſeca vel intrinſeca,illa,ut à ſole,fumo , pulvere , hæc poteſt eſſe ex fluxu alicujus humoris ſimplicis. Notandum & quòd ophthalmia eſt duplex vera vel non vera, illa cauſatur à fluxu humorum ad oculum hæc cauſatur ex causâ extrinſeca ſine fluxu humorum ad oculum , ut à fumo vel pulvere.

Aſt

Ast D. D. Sennertus notham ait à causa evidente oriri, veram à caussis internis. Multò evidentiùs loquuntur reliqui, qui & *externæ causæ* verbo utuntur. Quàm dilucidè ipse *Paulus Ægineta :* ἡ μὲν τάραξις ὑγρότης ἐστὶ τοῦ ὀφθαλμοῦ καὶ θερμότης σὺν ἐρεύθει παρὰ τὸ κατὰ φύσιν, οὐκ ἐκ τοῦ σώματος, ἀλλ᾽ ὑπό τινος ἔξωθεν αἰτίου γενομένη, οἷον ἡλίου, καπνοῦ, κονιορτοῦ, ἐλαίου. Καὶ ἡ ὀφθαλμία διατάραξις τίς ἐστιν· οὐ μόνον ἔξωθεν, ἀλλὰ καὶ χωρὶς φανερᾶς αἰτίας γινομένη καὶ ἐπιμένουσα ἕως τρίτης ἢ τετάρτης ἢ καὶ πέμπτης ἡμέρας. *Janus Cornarius* hæc ita in Latinum sermonem convertit: Turbatio quidem humiditas est oculi & caliditas cum rubore præter naturam, quæ non ex corpore, sed ab aliquâ forinsecus causa contingit, velut â sole, fumo, pulvere, vento. Est & Lippitudo quædam perturbatio, non solùm forinsecus, sed etiam citra manifestam causam oboriens & permanens usque ad tertium aut quartum aut quintum diem.

Ita & autor Isago. : Ætius ac *Actuarius.* Est autem, *inquit ille,* perturbatio (quam τάραξιν vocant Græci) quùm oculus ex compressione aut attritu aut mora in fumo vel id genus alio offendente conturbatus conspicitur. Lippitudo (quæ ophthalmia vocatur) majus malum est.

Idem *Sennertus* nunc subnectit: Est & differentia quædam ratione humoris, quod alia â sanguine præcipuè, alia à bile, alia â melancholia esse dicitur. *Actuarius l. 2. c. 7.* multò pleniùs, multoque planius : *Porrò fluxionis tot sunt genera, quot sunt fluentes humores, eorumque inter se complexus. Nam aut solus sanguis, aut bilis vel pituita, atque ex his vel acris aut salsa, aut quævis alia fluit, aut fluxio ex variis complicatisque humoribus oboritur. Quo fit, ut his cruenti, illis pallidi, & aliis alii sint oculi, & nonnullis plures, aliquibus pauciores eunt lachrymæ & alii eas mordaces, alii frigidas experiuntur, & demum ea, quæ profluunt, aliis crassiora, aliis tenuia sunt magis.* E recentioribus, *Hercules Saxonia hunc in modum*: ratione materiæ fluentis, quia si fuerit sanguinea, facit veram & legitimam ophthalmiam: si pituitosa, facit œdema oculi: si melancholia, inflammationem, quæ σκίῤῥωσις dicitur: si serosa, facit postulas multas, quæ Græcis φλύκταιναι vocantur: si flatulenta, inflationem vocatam, Græcis ἐμφύσημα vocatam instar vesicæ. *Hæc ille.* Cur *D. D. Sennertus* mentionem *pituitæ* non infert?

 Græ-

Græci, ut *Galenus*, *Al. Trallianus*, *Paulus*, *Arabes* quoque ac eorum aſſeclæ *ophthalmiam* vel ab *humore* fieri tradunt, vel à *flatu.* Quod diſcrimen vulgant *Valeſcus de Taranta*, *Joh. Mich. Savonarola*, *Joh. de Concoregio*, *Chriſtophorus à Vega*, *Domin. Leonus*, *Joh. Bapt. Montanus*, *Capivaccius*, *Euſtachius Rudius*, *Andreas Cæſalpinus*, *Nic. Piſo*, *Leonh. Jacchinus*, *Joh. Jacobus VVeckerus.* Quod ſi, inquit *Vidus Vidius*, ejuſmodi prava materia in oculis redundans, non humida, ſed flatuoſa fuerit, conjicitur ex debili calore ſeu ritu oculorum, qui anteceſſerit, ex quo interdum flatu implentur ipſi oculi, vel ex *aere clauſis naribus per vim ſurſum impulſo.*

At *Peter Paulus Pareda* rem facit dubiam: *Multi ophthalmiam à flatu fieri ſentiunt, hic enim benè poterit ob tenſionem dolorem generare, non autem ophthalmiam, quæ eſt inflammatio.* Ac inprimis quoque *Felix Platerus c. 4.* A flatibus dolores oculorum, Ophthalmiasque fieri poſſe aliqui ſcripſerunt, verùm cum flatus nullibi oculum ſubire posſint, nec locum, ubi in oculo colligantur, vacuum habeant, & ſi illic naſcerentur, oculi globum ſpiſſum adeò dilatare nequirent, aut cùm inſenſilis ſit, tantopererè afficere, non video, quo modo hac ratione fieri queat. Extra oculi globum verò ſi vapores habituoſi dicti muſculorum interſtitiis ſe inſerant, accedente laſſitudine, nictationem illam oculorum potius, quàm dolores fieri in motu depravato oſtendimus: niſi forte copioſiùs collecti, adeò eos diſtendant, ut (ſicuti dictum) convellens dolor, oculos aliquandiu, antequam poſt ſomnum aperiuntur, nonnunquam affligens, oriatur, accedentibus inſuper aliis cauſis, ſicuti in ſpaſmo flatulento nominato hoc explicatum fuit.

Si hanc opinionem ita interpretamur, meritò abjudicatur. *Eſculapius* etiam iſtas ventoſitates ait *in Cerebro ſonos facere.* Ac Flatus, alvo adſtrictâ aut ructante ſtomacho, in *Cerebrum*, & inde in *oculos* ire, ac mox *Ophthalmiam* facere putantur. Quo quid obtuſius dici poteſt? Præter illas rationes, quas afferunt *Platerus* & *Pareda* & aliæ excogitari queunt, quibus illud ita diluatur, ut nemo riſum tenere poſſit. *Vidus Vidius* & aliam viam monſtrat, qua *flatus* in *oculum* perveniat. *Aerem* tradit *clauſis naribus per vim ſurſum impelli.* Aer ille de *ſtomacho*, de *Larynge*, de *palati cavo* ſurſum majori vi

trahi

trahi poteſt. Sed ille quo pacto *ophthalmiam* concitabit? Humores multò vehementius *oculos* infeſtare poterunt,quàm ejuſmodi flatus. Auctoresque *Ophthalmiam* ajunt de *phlegmatico*,ut vocant,humore frequentius, quam de *cholerico* ac *melancholico* naſci,uti ex ſuperioribus verbis *Jacobi de Partibus* intelligitur. Quarè tantò magis mirum eſt, à *Sennerto pituitam* ſeu *phlegma* hîc ſileri. Si cognitio morbi, cauſæque morbi eſt minus perfecta, & trunca erit curatio minusque efficax. Dein hæc ipſa *differentia* neſcio quo pacto ab eodem *Sennerto* prætermittitur, quâ alia *Ophthalmia humoralis*,hoc verbo utuntur Medici, alia *flatulenta* ſeu *ſpirituoſa* dicitur. Nam exploratum, certum & fixum eſt, ſanguinem nunc minus,nunc magis flatibus repletum eſſe.Quare qualis ſanguis *Ophthalmiam* facit, tale nomen illa quoque ſortitur. Quam certè interpretationem nonnulli produnt, ut *Bernhardus Gordonius:* Cauſæ intrinſecæ ſunt, ſicut eſt ſanguis,aut cholera,aut phlegma,aut melancholia,aut ventoſitas.Unde *vapores* aliquando aſcendunt ab inferioribus,aliquando autem deſcendunt à capite,& aliquando â *venis extrinſecis*,& aliquando à *venis intrinſecis*,& tunc eſt valdè malum. *Victor Trincavellus quoque :* Laborant quandoque ex conſenſu oculi & primò cum toto, ſicuti uſu venit in febribus, ubi futura eſt criſis per vomitum, vel hæmorrhagiam narium : deinde cum Cerebro,qui conſenſus frequentisſimus eſt & vel abſolutus,quoties nimirùm ex defectu vel intemperatura ſpirituum, vel agitatione in Cerebro facta, nunc omninò tollitur viſus,nunc hebetatur,nunc depravatur, ut in vertiginoſis, quibus omnia circumagi videntur & tenebris ac umbra quaſi offundi : vel non abſolutus, cùm *vaporibus in Cerebro genitis* & per *venas ac arterias* ad oculorum humores delabentibus, imagines muſcarum & id genus aliarum rerum, oculis videntur obverſari, quæ & ſuffuſionis futuræ nuncia ſunt, quia ſæpè poſt vapores ſequuntur humores craſſi. Tandem cum ſubjectis partibus, maximè ventriculo elatis ab ipſo à vitioſo humore illic congeſto, præcipuè bilioſo,vaporibus, non aliter viſum officientibus,quàm qui à capite deſcendunt.*Johannes Bapt. Silvat.Hiſtor. XXI. itidem:* Atque à copia ſanguinis in univerſo corpore nimiâ exiſtente, vel etiam in ali-

qua

qua ipsorum oculorum parte, *vapores* elevari crasſiuſculos multos, qui caliginem efficiant, ut in œconomo evenit, imposſibile non esſe, qui neget futurum credo neminem. *A ſanguinis abundantia*, quâ præditus erat œconomus Galeni, crasſiores multi *vapores* ad oculi partes viſui deſervientes, transmisſi, caliginem faciebant, illique idem in parte inflammata ſeſe impetuosè inſinuantes & dolorem & inflammationem augebant. *Item Hieronymus Mercurialis l. 1. c. 28. Sanguis* prius ebullit, unde *vapores* multi, fervidi & acres feruntur ad *caput* & *oculos*. Et ante humores motos ut plurimùm eſſe *ſanguinem & vapores*, ut *humor* movetur, ita & *flatus*. *Itemque Ludovicus Mercatus l. 1. c. 22.* Altera *Ophthalmia* eſt ſicca, *habituoſa & vaporoſa* quædam ſubſtantia eſt, quæ venulas illas ſemel ingreſſa, nequit faciliter reſolvi & ibi tenſionem & dolorem infert. *Unde & Johannes Heurnius*, plerunque ophthalmiæ tumor provenit ex ſanguine vel bilioſo ſanguine, nam pituita ægrè ad tunicam pervadere poteſt ob crasſitiem & tenacitatem. *Flatus etiam tenuis interdum irrepit in tenuisſimas venas ac tenſione dolores offert.*

Hi autores ſatis intelligunt, ſanguini *flatus* ineſſe, quemadmodum eò *liber Hippocratis de flatibus* ſpectat. Si ſanguis flatibus illis quaſi inebriatus movet *Ophthalmiam*, hanc illi vocitant *flatuentam, vaporoſam* aut *halituoſam*. Sanguine magis *bilioſo*, unde hæc oculorum ægritudo naſcitur, nominatur *ophthalmia bilioſa*, aliaq; conſimili modo *pituitoſa* aut *melancholica*. Sunt tamen, qui aliquid falſi aſpergunt, tales enim flatus etiam contendunt ex *Cerebro* ipſo interdum erumpere, ac hinc impetum facere in *oculos*, ut *Ophthalmia* ſubſequatur. Prætereà ajunt de domeſtico illo humore, quem ceu purgamentum ſuum quotidiè evomit *Cerebrum*, etiam vapores quandoque ſurgere, qui in oculos eant, faciantque *ophthalmiam*. Hiſce duabus rebus *magnopere à vera lapſi ratione videntur*. Si flatus intra *Cerebrũ* & *Caput* exiſterent ac impetuosè hinc inde ruerẽt, multò graviores morbos crearent, quàm hanc, de qua agimus, *Ophthalmiam*. Ac quô tramite illi viam munitabunt ad *oculos*? cur non per foramina *Oſſis Cuneiformis* & *Cribriformis* exitum habent? Nimirùm Sanguis *flatuoſus* ex *maſſâ ſanguineâ* ad *oculos* fertur. Ab eo & *flatuoſa ophthalmia* oritur, quam ſilentio præterit *D.D. Sennertus*.

Eam

Eam ante curationem noſſe expedit. Sudor tùm auxiliatur maximè. Quidã ubi ſe poculis vini ingurgitaverat, ſemper *Ophthalmiâ* laborabat; rubebant ſtatim oculi & æſtuabant, ac quoque inſequentibus diebus, niſi manè, finito ſomno, in lecto cubans, ſudorem per totum corpus largè effundi pateretur.

Nunc & hæc *differentia* eſt admodùm vulgata. Aliam enim ajunt *ophthalmiam* per *viam Catarrhi*, ut loquuntur, aliam per *congeſtionem* fieri. Hujus autores ſunt judice *Lælio à Fonte Arabes*. Horumq́ue interpretes eam ipſam aliquantò diligentius perſequuntur, ut *Jacobus de Partibus*, *Nicolaus Nicoli*, *Joh. Matth. de Gradi*, *Arculanus*, *Joh. Mich. Savonarola*, *Montanus*, *Jacotius*. Unde & *D.D. Sennertus ſic*: Humores vel per ῥευματισμὸν, quod plerunque fit, ê vaſis capitis vicinis in tunicam annatam derivantur, vel per συναθροισμὸν ex crudo aut corrupto oculi aut tunicæ ipſius nutrimento ibidem colliguntur. Monent tamen nonnulli, vix fieri poſſe, ut per συναθροισμὸν excrementorum oculi ophthalmia generetur, cùm ob exercitationem & motum ferè continuum eorum reſolutio & diſcuſſio fiat. *Hic tale quid* apud *Dominicum Leonum* reperit; fit, *inquit hic*, vel per modum defluxus materiæ à Cerebro ad oculos vel fit per modum aggregationis. Hæc ophthalmia ſecundum quoſdam fieri non poteſt per aggregationem ſuperfluitatum nutrimenti oculorum, quoniam multa earum, concurrit reſolutio ob exercitationem & ob motum ferè continuum. Idem autor ait, *ſi fit per modum aggregationis fieri tunc à materiâ frigidâ pituitosâ aut melancholica, nam tale eſt nutrimentum oculi & membranarum ejus & ſuperfluitates arguunt id, à quo decidunt.* Hoc idem, *Nicolaus Nicoli multò antè ſcriptum edidit*: Ophthalmiam, quæ fieret per viam congeſtionis, poſſibile eſt, quod ut plurimùm ſit de materiâ frigidâ & phlegmaticâ quod tale eſt nutrimentum oculi, ut & de melancholicâ. Quod tale eſt nutrimentum tunicarum oculi. *Atque* Johannes Zecchius *conſult.* 27. ad hunc modum: Interdum etiam humor in oculi ſubſtantiâ concreſcit, ob alimenti proprii vitium, parte vel â natura vel poſteà imbecillâ exiſtente, indeque ægrè concoquente, ſed talis tunc materia ferè pituitoſa ſemper apparet. Quod quidem in oculo magis, quàm in aliis corporis partibus lo-

cum habere videtur, quod ſcriptum reliquerit Ariſt. 31. Par. Probl. Oculum omnium corporis partium infirmisſimum eſſe. *Hæc ille.* Cunctam opinionem magis magisque labefactat *Peter Paulus Pareda*, cujus verba poni, non alienum erit: *Qua in parte nobis non placet ſententia Montani & Jacatii, exiſtimantium Ophthalmiam fieri etiam per eſſentiam ſenſim collecto excremento in membranâ adnata: nam ex Galeno, ex his excrementis ſenſim collectis fit apoſtema & non tumor, qui ex ejus ſententia ſemper fluxionem ſequitur.*

Barbari Medici, ut *Johannes de Tornamira, Gordonius* & alii inflammationem vocabant ſæpius *Apoſtema*, quemadmodum & *Podagram* hoc nomine appellabant. At *Peter Paulus Pareda* eo vocabulo ad hunc modum non utitur. Per συναθροισμὸν, ut loquitur *Sennertus*, nec *vera ophthalmia* nec *notha* oriri poteſt. Crudum oculi nutrimentum eſt frigidum. Quî illud inflammationem faciet? Quî illud ſe conferet in hanc ſummam oculi tunicam? Tunicæ *Adnatæ* nutrimentum quàm exiguum eſt? Quo pacto illud tantum morbum tàm citò creare poterit? Jure de eadem re, quanquam & aliis rationibus moti dubitarunt, *Dominicus Leonus* & *Peter Paulus Pareda*. Nec quenquam moveat, quod *Galenus* & *febres* ſcribat per congeſtionem fieri. Id longè ſecus accipiendum eſt.

D. D. Sennertus hanc pervulgatam differentiam noviſſimo loco ponit: Tandem etiam differt Ophthalmia ſecundum tempora. Principium enim eſt quando humor tenuis & plurimus defluit; augmentum quando dolor augetur & humor fit craſſior; ſtatus cum ſigna coctionis magis apparent & excrementa ita ſunt craſſa, ut etiam dormientium palpebræ ab iis conglutinentur. Declinatio denique eſt, cum Symptomata fiunt remisſiora. *Aſt Leonhardus Jacchinus ita:* Quod in nulla alia phlegmone animadvertere poſſit, hîc manifeſtè viſitur: initium ſcilicet influxionis & augmentum ipſius: & cum eſt maxima. Etenim non per notas ut in aliis, ſed ipſis oculis uſurpamus, ideò & principium ipſius notare poſſumus. Cum venæ diſtenduntur mox augmentum, cum in carnoſam tunicæ ſubſtantiam funditur & jam intumeſcere incipit. Status verò cum ad ſuam magnitudinem pervenit influxus, quæ modò major modò minor eſt prout aut humor affluat in corpore aut re-

mediis

mediis à medico eſt obviam itum:quibus ceſſit morbus Maxima verò tunc eſt cum non modò ipſa intumuit ſed & palpebræ craſſæ & inverſæ viſuntur : & unà oculi orbita phlegmonem omnis pati videtur. Sic igitur morbi tempora diſtinguemus & morbum ipſum & morbi magnitudinem, ut & Rhaſes.

Nunc aliam *differentiam Avicenna* in medium proferre videtur; quasdam *ophthalmias* tradit habere *periodum*. Unde J*acobus de Partibus, Nicolaus Nicoli, Peter de Largelata, Guido de Cauliaco* eas dicunt *periodicas*. Scias, *inquit hic*, quod ſpecies Ophthalmiarum habent periodos & paroxyſmos ſequentes analogiam & materias, ex quibus fiunt,in ſecundo de different.feb. & longior periodorum prolongatur usque ad dies ſeptem, ut dicit Jeſus. *Atque Hieronymus Mercurialis in eam rem diſſerit ad hunc modum :* Sed dices,quod cùm dixerim, alias eſſe periodicas, quæ ſit Ophthalmiæ periodus. Reſp. id, quod etiam dicit Galenus 2. de different,febr.11. Ophthalmias fieri periodicas, ut & multos alios morbos ratione qualitatis humoris, ex quo generantur, eo,quòd ſi ex bile,periodus erit tertiana, ſi ex pituita,cottidiana,ex melancholia,quartana. Sed advertendum, quod etiam Gal. ait, ſæpè interturbari has periodos, propter gradum congeſtionis humoris,quia humor congeſtus multus eſt, exempli gratia. Si ſanguis bilioſus in magnâ copia congregetur,poteſt fieri periodus continua ſeu cotidiana, licet materia ſit bilioſa. *Hæc hic.*

Sole occidente dolor plerunque ingraveſcit, Naturâ tùm temporis quaſi imbecilliore & humoribus illis magis quaſi inſultantibus. Ac de illâ re aliàs.Hanc periodicam *Ophthalmiam* etiam ad extremum *Valeſcus de Taranta* exequitur,ſunt, *inquiens*, Septem:

Prima, eſt vel vera vel non vera.

Secunda, quædam eſt morbus per ſe incipiens & alia eſt ſequens alios morbos, ut ſunt ſcabies, pruritus cum ſcalptura.

Tertia, quædam eſt parva vel magna, unde albugo ſuper pupillam.

Quarta, vel eſt à materia frigida vel calida.

Quinta, quædam eſt ab humore in ipſo oculo exiſtente,alia ab humore vel alia cauſa aliunde veniente.

Sexta divisio, quædam venit ab origine conjunctivæ seu à velamine craneum cooperiente: alia venit per venas velaminum interiorum & ab ipso Cerebro & partibus ejus.

Septima, quædam est cum periodis & alia continua. Quæ est cum periodis aliunde communicatur materia & quæ est continua, magis conjuncta est ipsi oculo.

Nonnulli quoque aliam *Ophthalmiam* nominant *Criticam*. Sed res tanti momenti non est. Maximè insignis *differentia* est illa, quâ *Ophthalmia* vel *sicca* est, vel *humida* & hæc *humida* vel *levior* est & *τάραξις* dicitur, vel *gravior* ac *διατάραξις* seu *vera ophthalmia*, ac hæc si est gravissima, *χήμωσις* græcè nominatur. Τάραξις non oritur à *causis internis* sed tantùm ab *externis*, *διατάραξις* non solùm ab *externis*, verùm etiam ab aliis, non ab *externis* tantùm, ut τάραξις. Χήμωσις est illa *Ophthalmia*, quâ oculi & palpebræ inflammantur. *Levis ophthalmia* non diurna est: inveterata est periculosa, ad quam spectant ὀφθαλμίαι φθινώδεες, hoc est, *Ophthalmiæ tabificæ* Aph. 16. l. 3. uti nonnullis placet. *C. Celsus levem ophthalmiam* ait & copiâ humoris & ejus acredine esse moderationem.

SIGNA DIAGNOSTICA.

Ophthalmia statim mittit sui *signa*, quibus perspicuè deprehenditur. Ea exequitur: *Rhases l. 9. c. 15. in hunc modum*: Quando adhærescens oculi membrana, quæ naturâ alba est, ob sanguinis affluxum, cruenta apparet, & ex oculis lachrymæ desudant, atque in majoribus oculi angulis sordes quædam colliguntur, ægram lippitudine infestari, certum est, quæ pro Symptomatum numeró vehementiaque, modo gravis, modo levis existit. *Atque Signa temporum Ophthalmiæ Avicenna hisce*: Cumque palpebræ conglutinari incipiunt, tunc jam maturationis adest propinquitas: dum verò perseverat fluxus aquosus, est initium adhuc. *Quemadmodum Signa humoris.*

Alexander Trallianus l. 2. c. 1. & 2. aliquantò *prolixius*: Sanguineum humorem influxisse ac inflammationem concitasse, ex specie ac formâ ipsius tibi constabit. Omnia namque rubra & san-

ſanguinea ſunt, facies rubens, & tumidior, venæ latiores, gravitatis ſenſus, pigritia ad conſuetas actiones. Quod ſi propter hæc neque lachryma rodens & acris appareat, adhæc etiam magis ſanguinem influxus cauſam eſſe & inflammationem peperiſſe putato. An vero dolor aliquis ex bilioſo & acri humore provenerit, clarum tibi ex multis evadet. Primùm ſanè inde, quòd totum corpus plethoricum non apparet, ſed potius vitioſo etiam humore præditum. Adhæc, quod non ſolùm anguli, ſed etiam malæ vehementer ex influxu rodantur, ægriq; videantur uri, exiliantq; roſionem non tolerantes. *Avicenna non diſsimili ratione*: Sanguineā Ophthalmiam ſignificant color oculi, & exuberatio venarū & pulſatio tēporū & reliqua ſigna ſanguinis in partibꝰ cerebri & quod non lachrymatur plurimū, ſed lippitudinē & conglutinatur apud ſomnū. Cholericā autem ſignificat punctura vehemens & dolor aduſtivus & inflammativus vehementer & rubedo parva & lachrymæ ſubtiles acutæ & quandoque exulcerat & quandoque evacuatur à lachrymis (ſicut eſt evacuatis ſanguineæ) & non conglutinantur apud ſomnum. Et ei Ophthalmicæ cholericæ genus pruritivum & exiccativum. Sed phlegmaticam ſignificant gravitas vehemens & caliditas parva & rubedo debilis, imò in ea vincens eſt albedo; & ſunt lippitudo & conglutinatio apud ſomnum & eſt cum inflatione & communicant ei facies & color. Melancholicam verò ſignificant gravitas cum affuſcatione & exiccatio & perſeverantia & parvitas conglutinationis.

Arabes & *Græcos* multi interpretantur, de his ſimilia petiit *D.D.Sennertus*. Quare *hiſce utitur verbis*: Ophthalmia ipſa cognitu facilis eſt. Venæ enim exiles tunicæ annatæ tenduntur & tument, atq; inde oculus rubet, ardor & dolor in eâ percipitur, lachrymæ & ſordes adſunt. Sed & differētiæ ſignis diſcernūtur. Si enim oculi calidiores ſaltē appareant, cum rubore idq; à cauſa externa, τάραξις erit. Si præterea dolor gravis adſit & tumor ac ardor & lachrymæ copioſæ, Ophthalmia cenſebitur. Quod ſi denique hæc omnia ingraveſcant, ut palpebræ etiam ſimul afficiantur & quaſi invertantur, χήμωσις nominabitur.

Verùm *χήμωσιν Paulus Ægineta ita finit :* quum præ inflammatione vehementi, ambæ palpebræ eversæ fuerint, ut oculi vix ab ipsis contegantur & candidum oculi sublimius fuerit , quàm nigrum & rubicundum & multam nigri partem occuparit.

Nec ea signa omnia persequitur *Sennertus* , quæ *ταραξιν* testantur. Nam omisit *ὑγρότην*, unde lachrymæ existunt. Si oculi pulvere crassiusculo resperguntur, rubent, calent & lachrymas emittunt. Quatuor faciunt *τάραξιν , ὑγρότης τοῦ ὀφθαλμοῦ, θερμότης, ἐρεύθης, αἴτιον οὐκ ἐκ τοῦ σώματος.* *Τάραξις & Ophthalmia* habent *ὑγρότην* seu lachrymas, *θερμότην*,& *ἐρεύθην*. At *ὑγρότης, θερμότης* quoque & *ἐρεύθης* est major , urgente *verâ Ophthalmiâ.* Lachrymæ & *τάραξιν* & *Ophthalmiam* significant. Quare *Sennertus* rem facit obscuram, nam *τάραξιν* definiens, præterit lachrymas. *Τάραξις* atque *διατάραξις* seu Ophthalmia & *magnitudine humiditatis, caloris, ruboris* differunt *& genere causarum.* *Τάραξις* tantùm de causis externis, *Ophhthalmia* non solùm de his, sed etiam de internis nascitur.

Nunc ea addit *Sennertus*, quæ sumsit de *Alexandri Tralliani* & *Avicennæ interpretibus* : Si â Plethora sit ophthalmia, facies rubet, tumor evidens est, venæ apparent amplæ, nec lacrymæ sunt adeò mordaces, nec dolor adeò vehemens. Si â bile est Ophthalmia, rubedo non est adeò magna, sed lachrymæ acres ac dolor vehemens, ita ut oculi quasi uri videantur. Si ab humore melancholico est Ophthalmia, palpebræ nocte non adeò conglutinantur, lachrymæ sunt paucæ, tumor parvus, morbus diuturnus est & contumax. Si ab humore pituitoso est Ophthalmia, rubedo calor & dolor est remissior ac potius sensus gravitatis & lachrymæ non sunt adeò mordaces, nisi â pituita salsa sit malum ac palpebræ noctu quasi visco conglutinantur, ut non possint aperiri. *Verùm supra Sennertus pituitæ non meminit*;est, *inquit*, & differentia quædam ratione humoris, quod alia â sanguine præcipuè,alia à bile,alia à melancholiâ esse dicitur.

Hinc *Avicenna* ad notas *Ophthalmiæ ventosæ seu flatulentæ pergit :* Cum ventosa est Ophthalmia , est extensio tantùm sine gravitate & neque est cursus, & quandoque rubedinem facit evenire exten-

extenſio. *Et ad hunc modum juniores*, ut *Joh. Baptiſta Montanus Conſ. 71.* Si à flatu, quod *rarisſimè* eveniet ob loci raritatem, tenſio tantùm ſine gravitate percipietur, tumorque facillimè & tota inflammatio diſcutietur. *Hieronymus Capivaccius* : Flatuoſa materia cognoſcitur è dolore extenſivo ſine gravitate, ex *abſentia lachrymarum*, è rubore exiguo, quatenus vi doloris trahitur Sanguis. *Euſtachius Rudius*: Si ex ſpiritu flatuoſo fiat, cognoſcitur ex privatione aliorum & quia oculi tunica adeò extenditur, ut rumpi videatur & doleat, *lachrymæ verò non apparent* vel admodùm *exiguæ* ſine lippitudine, ſive gravitate & per evaporantia facilè remavibilis eſt. *Leonellus Faventinus*: Si eſt ventoſitas, dolor extenſivus ſine gravitate, non currunt nec oboriuntur lachrymæ, non eſt lippitudo in ſomno, ægritudo eſt longior. Sic ferè & *Rondeletius*, *N. Piſo*, *Heurnius*, *VVeckerus* & alii. Neque enim attinet omnes nominatim ciere. *Hieronymus Mercurialis & ſonitum aurium* memorat. Quod ſi nulla prædicta ſigna adſint & tamen oculus doleat, tumeat, extendatur atque *ſonitus in auribus* ſit, argumento eſt, non fieri ab humore, ſed à flatu, ſeu à vapore, eò magis, ſi in oculo nulla appareat lachryma, quoniam in omni ophthalmia humoroſa neceſſariò aliquis humor apparet, ſed in aliâ magis, in alia minus: nam erit magis in ſanguinea, ſecundo loco in pituitoſa, tertio in bilioſa, quartò in melancholicâ.

Nos *Ophthalmiam* pronuntiavimus de ſanguine ſpirituum pleno naſci. Quare is & *ſonitum aurium* facere poterit. Plures eâ *ophthalmiâ* exiſtente lachrymas credunt non cadere. Verùm *Euſtachius Rudius* confitetur *aliquando exiguas* eſſe. Noſtrâ ſententiâ lachrymæ fluunt, ſed non multæ. Hoc *Ophthalmiæ* genus *Johannes Baptiſta Montanus* tradit eſſe rarisſimum. Fortè eâ de cauſa, quod hæc oculorum ægritudo rarò aut nunquam ſit ſine lachrymis. Quemadmodum *Tympanites* eſt ille *hydropicus* morbus, in quo plus eſt flatuum, aquæ minus, ita hæc *ophthalmia* aliquantulum humoris habet, plus flatuum. Nec *Sicca*, ut vocatur, *Ophthalmia*, omnibus caret lachrymis. Nam δι' ἁλμυρὸν καὶ νιτρῶδεν ὑγρὸν γίνεται, ut loquitur *Paulus*, & *Flatuoſa* oritur â ſanguine *flatuoſo*. Profectò humorem hîc in totum excludere non poſſumus. Fumus quidem aere afflatus

movet

movet *ophthalmiam.* At longe ſecus de hoc vapore ſentiendum, qui cum ſanguine affluit, ex ſeque præbet materiam. Hinc & major tunc ægris caligo ob oculos ſolet obtingere.

Si à *ſtomacho* originẽ trahit *Ophthalmia*; *Avicenna* hoc ſignũ prodit: *Quod ſi ejus principiũ eſt ſtomachus, aſſociatur ei nauſea & phlegmatica quidem quandoq; conſequitur.* Ejuſq; interpretes ſimiliter, ut *Jacobus de Partibus, Nic: Florent. Joh. Matth. de Gradi, Joh. de Concoregio, Peter de Largelata.* Si à ſtomacho *inquit hic,* venit, venit cum nauſea, vomitu & conturbatione, *ſic & Guido.* Joh. *Michaelis Savonarolæ* verba habeto: quod ſi fuerit à ſtomacho, nauſea, conturbatio, plenitudo ſtomachi & hujuſmodi oriuntur. *Iisdem ferè verbis* utuntur *Leonellus Faventinus,* Joh. *Bacchanellus, Gul. Rondeletius, Foreſtus, Nic. Piſo. Conſtantinus Africanus* etiam paſſionem *ait* ita inter uveam naſci & criſtalloidem. Ex ſtomacho intelligimus, ſi perforatio oculorum clara & nullam maculam habens videbitur, & imaginatio apparuerit ad tempus, ad tempus augetur & ad tempus minuitur & in oculis utriſque fuerit infirmus, in ſtomacho puncturam & ardorem ſenſerit. Si verò vomitum aut hieram picram acceperit, imaginatio aufertur & quieſcit. *Tandem & Ambroſii Paræi* verba adjiciantur. Ac ſi quidem totum caput gravitas occupet, â capite, mali exortus eſt. Si verò frontem inflammatorius dolor exerceat, â craſſæ meningis aut pericranii intemperie aliquâ calidâ, morbus venire putatur: at ſi in ipſo incandeſcentis doloris articulo æger vomituriat, à ventriculo morbi materia repit.

Illud ſignum *Avicenna* & ejus aſſeclæ maximè comminiſcuntur, qui *Ophthalmiam* de *ſtomachi* vaporibus ita ſublatis naſci opinantur. Quàm certè *vomitio* ſuperveniens *ophthalmiam à ſtomacho* ortam eſſe denuntiabit? Bibuli & vinoſi tandem imbecillo ſunt ſtomacho, ut hic in *vomitiones* facilè effundatur. Iidem verò *ophthalmiâ* opprimuntur, quæ non aliunde originem ducit, quàm à *Maſſa ſanguinea*, utpote quæ vini potu tandem accenſa fuit.

Avicenna nunc ad alia *Ophthalmiæ indicia pergit.* Et Ophthalmiam quidem, quæ eſt cum communitate capitis, ſignificat Soda & gravitas capitis. Nam ſi via fluxus à Cerebro ad oculum non eſt niſi per velamen extrinſecum cooperiens caput: frons eſt extenſa & venæ

exte-

exteriores ſunt plenæ & ſimiliter inflatio incipit venire ad palpebram & in fronte ſunt rubedo & pulſatio & ſi eſt per velamen intrinſecum, non apparet iſtud & apparet ſternutatio & pruritus in naſo & palato.

Eum interpretantur nonnulli, ut *Jacobus de Partibus*:

Primò dat ſigna duo fientis ophthalmiæ communicatione capitis

1. Eſt Soda ſeu dolor capitis præcedens
2. Gravitas Capitis.

Secundò dat ſigna veræ ophthalmiæ communicatæ à capite per panniculum extrinſecum dictum pericraneum.

1. Frontis extenſio
2. Venarum frontis & temporum eminentia.
3. Inflatio oculi
4. Rubedo frontis.
5. Pulſatio in fronte & temporibus fortior ſolito ex ebullitione majori materiæ in ſuis arteriis fluentis ad oculos.

Tertiò dat ſigna tria ophthalmiæ communicatæ per intrinſecum panniculum Cerebri.

Primum eſt, ſi via fluxus materirum de capite ad oculum ſit per intrinſecum velamen Cerebri, non apparet illud, ſc. hæc ſigna, quæ modo dicta ſunt, puta frons extenſa venæ ipſius plenæ inflatio prius in palpebra incipiens & in fronte rubedo cum pulſatione fortiori ſolito.

Secundum eſt ſternutatio frequens ex titillatione narium per humores acutos vel vapores ſuos ab intra fluentes de capite ad oculos vel redundantes de oculis ad nares.

Tertium eſt pruritus in naſo & palato propter modò dictam titillationem.

Ac *Nicolaus Nicoli Florentinus ad hunc modum* : Venientis à capite per velamen extrinſecum ſunt dixit Rhaſes ſecundo continentis, quod fluxus proveniens extra craneum reddit venas frontis & faciei inflatas, & venas oculorum plenas & palpebras ponderoſas.

H

ſas. Et dixit Aaron: adeſt rubedo oculorum & caliditas frontis. Dixit Avicenna: frons eſt exterſa. Et venæ exteriores ſunt plenæ, maximè, quæ in fronte ſunt & temporibus. Et incipit venire inflatio ad palpebram & in fronte eſt rubedo & pulſatio. Velocitatur enim pulſus in venis pulſatilibus exterioribus. Venientis ab intra craneum ſigna ſunt. Dixit Rhaſes ſecundo continentis. Non apparebit venarum exteriorum repletio. Et patiens habebit ſternutationem cum pruritu in palato & naribus. Dixit Aaron etiam in fronte. Dixit Paulus ſunt ſternutatio nimia & pruritus narium. Et Avicenna dixit: non apparet illud ſcilicet de plenitudine, caliditate & inflatione partium extrinſecarum & apparet ſternutatio & pruritus in naſo & palato. Et hoc propter aliquas partes materiæ acutas, quæ expelluntur & derivantur ad nares & palatum. *Conſimiliter Valeſcus de Taranta:* Cum venit à panniculo craneum cooperiente, à quo oritur conjunctiva, tunc inflatio incipit venire ad palpebram & adeſt dolor & pulſatio in fronte, venæ plenæ apparent in temporibus & in fronte & dolor in capitis commiſſura. Si autem veniat à Cerebro vel per panniculos ortos â dura & pia, ex quibus oritur ſclirotica & ſecundina, non tàm interroſa apparent ſigna dicta, ſed adeſt pruritus in naſo & in palato & ſternutatio & certè dolor afflixus ſentitur interius ſcilicet intra oculum & cerebrum. *Ac Leonellus Faventinus:* Si à panniculis cranium cooperentibus, adeſt inflatio in palpebra, dolor & pulſatio in fronte, *dolor* in capitis commiſſurâ. Si à cerebro & panniculis ortis à Cerebro & durâ & pia matre, ex quibus oritur Sclirotica & Secundina, nunc dicta ſunt remisſiora, ſed adeſt pruritus in naſo, & palpebris, ſternutatio & certè dolor affixus ſentitur aliàs inferiùs inſertus, ſcilicet intra oculum & Cerebrum. *Sibi invicem concinunt autores.* Quotieſcunque hîc non adjicio, quo loco illa proferant autores, *Caput de Ophthalmia* intelligi volo. Cæterùm de ſuperioribus autoribus, omnia petiit *D.D. Sennertus*: Neceſſarium quoque eſt inquirere, an per vaſa externa vel interna humor ad oculos affluat. Si enim per vaſa externa & à pe-

pericranio humor affluat, tumor, dolor & pulſatio in fronte ac temporibus percipitur. Si verò à vaſis & membranis internis, dolor profundior erit & multò vehementior. Pruritus quoque in palato & naribus ſentietur & ſternutatio frequens erit. *Hæc ille.*

Signa ſunt caſſa & vana, quibus *autores* humorem, de quo naſcitur *ophthalmia*, ex ipſo *cerebro* demanare exiſtimant. *Ophthalmiâ* ſuboriente, ſerum exudat, quod per *foramen in orbitâ oculi extans*, in nares defluit. Unde ſternutamenta facilè cieri poterunt. Iſtâ autem *Ophthalmiâ* arteriæ externæ pertinentes ad *oculos*, maximè laborare potuerunt. Atque ex vaſis narium *internis & externis* ejuſmodi vapor aut humor exire poteſt, qui, tunicam irritando, ſternutationem facit. *Pruritus palati* quid annuntiabit? Ac ille ſanguis, qui in vaſis *palati* ineſt, non eſt *Cerebri* aut *Capitis* ſanguis. *Caſpar Bauhinus* quidem, *caput*, inquit, *maſticatoriis purgatur per palatum, quia ex capite venarum capillamenta deſcendunt, quæ in palatum deſinunt.* Eſt ſanguis totius corporis totiusque maſſæ ſanguineæ. De eâ ſanguis in *Capitis* partes, motâ *ophtalmiâ*, fluit. Hinc *Capitis dolor & gravitas, rubedo faciei, pulſus venarum*, *ſternutatio* ac *palati pruritus.*

Urina quoque *Ophthalmiæ* indicium habere fertur. Id quod *Johannes Rhenanus l. de Urina* hiſce prodit: Cerebri urinæ color cum minutisſimis bullis, lachrymas deſcendiſſe notat. *Et paulò poſt*: muci ſeu phlegmatis & *lachrymarum* urina, ſicuti etiam ſudoris atque ſputi, ſi ſpiſſa fuerit, mala eſt, ſin lucida, optima, quæ etiam ſine omni adhibito medicamento ad priſtinam ſanitatem reducatur, diaphana verò approximantis ſalutis ſignum eſt. *Et mox*: Si in urina totâ atomi apparuerint, in toto hominis corpore *rheuma* eſſe demonſtrant. Sin verò in ſuperiore urinâ tantum fuerint, *ſuperiores corporis partes rheumatizatas* (ut ita dicam) indicat: at in mediâ urinâ, medium corpus, in inferiori autem inferiores corporis regiones rheumate affectas declarat.

Hieronymus Mercurialis ſolerter diſquirit: Quærat aliquis, an ex urinâ posſit haberi indicium, eo magis, quod Hippocrates 2. Pror. loquens de lippitudine dicit, maximè inſpiciendas eſſe urinas,

ex qua ſententia videtur, quod ex urina posſint haberi indicia, ſed ex alterâ parte nullus eſt, qui hæc adnumeret. Dicerem ego, ſigna ex urinâ interdum haberi poſſe, ſed non ſemper: haberi poſſunt, quando fit ab affluxu in partibus inferioribus, maximè à toto, quia iſta fluxio fit per Venas & Arterias. Status autem venarum & arteriarum maximè declarantur ex urinis: ita, quod jure dicat Hippocrates: in his ophthalmiis haberi poſſe ſigna ex urinis: verum eſt tamen, ſi fiat per congeſtionem & per affluxum à capite, non poſſe haberi indicia & hoc eſt, quod Galenus ait, in com. Prorr. multa eſſe adulterina & interjecta. Et notat Galenus, quod ille auctor voluerit, haberi ſigna capitis ex urina, quod ait eſſe falſum. Dicendum eſt, haberi quidem interdum ſigna ex urinis, ſed non ſemper, neque ut plurimùm. *Hactenus autor.* Hic à meâ ſententiâ non multùm diſcrepabit. Nunquam notas *Ophthalmiæ* exhibebit *Urina.* Nec ea *Capitis* aut *Cerebri* morbos prænuntiat. Nec ille *circulus* ejuſmodi morborum ſignificatus habebit, ac etiam judice *Felice Platero.* Circulum, *inquit hic*, qui in urinæ ſummitatis ambitu apparet ê quo Medici Uroſcopi capitis affectus præſagiunt, nihil aliud quàm umbram eſſe, ab urinalis circumferentia in urina relucentem, hiſce de cauſis permotus aſſeverare auſus ſum. Quod & aqua limpidisſima, in eo contenta, eandem umbram efficiat, quam & pictores, ſi vitrum, quod liquorem continet, depingant, in ad umbratione non omittunt. Cæterùm quod in aliis urinis latior, in aliis contractior, in aliis quoque coloratior diverſimodè circulus apareat, id quoque non ratione affectus in corpore, ſed prout urinæ ſuperficies vel capaciorem vel anguſtiorem urinalis ſedem, quæ in medio ampla, ſupra, infraque anguſta habet, attingit, accidit, cùm anguſtior locus umbram majorem, latiorem proin circulum, ê contrà verò amplior minorem efficiat. Quæ umbra ut in vaſe & humore lucidis, minus fuſca, ſic in obſcuris hiſce vel alio modo coloratis, magis vel nigricans vel alio colore reſplendens apparens, circulos non eodem modo coloratos profert. *Platero* alii aſſentiuntur, quos *libro quarto de Catarrhis c.6.* laudavimus.

In Quæſtion.

PRO-

PROGNOSTICA.

Nunc hisce peragratis, Sermonis cursus ad *Signa Prognostica* vertatur. *D. D. Sennertus* ita orditur: In regionibus & temporibus frigidis etsi ophthalmiæ rariores sunt, difficilius tamen tolluntur ob membri adstrictionem. Contrarium fit in regionibus & temporibus calidis, teste Avicenna. *De Avicenna* hæc sumsit: In regionibus frigidis & temporibus frigidis minoratur ophthalmia, sed est prava & paucitas quidem ejus in eis est propter quietem humorum in ipsis & congelationem eorum. Ejus verò pravitas est, quoniam, quando comprehenduntur in membro, non resolvuntur velociter propter coarctationem meatuum, quare extẽduntur magnificè, donec accidat, ut ex iis findatur panniculus. *Paulò post*: regiones calidæ faciunt, ophthalmiam sicut balneum valdè calidum. *Hæc ille.* Nonnulli inter alia & hoc rationis, cur æstuosis locis *Ophthalmia* sit frequentior, graviorque, ut *Valescus de Taranta*, afferre solent, quòd *humores* (sunt ipsius verba) *in calidis regionibus sunt magis cursibiles & vapores sunt plures.* Ast frigidis locis vapores sunt plures. Fortè respondebis, illos esse frigidos, fervidos autem posse maximè movere *Ophthalmiam.* Idem *Avicenna* ait: *in pueris difficilius curari.* Unde & disquirit *Sillanus*: Dubitatur in qua ætate magis accidat ophthalmia. Dicendum quod in pueritia. Ratio propter eorum ingluviem & eorum molliciem & eorum tenebrositatem & humiditatem. *Leonellus Faventinus, &* Johan. *Matth. de Gradi ferè similiter*: propter humiditatem magnam eorum & texturam raram. *Hinc D.* Sennertus, *pueri,* inquit, *habent caput imbecillum excrementisque plenum.*

Johan. *Matth. de Gradi* vicissim & hoc pronuntiat: *ophthalmia antiqua in sene vel aliter debili non curatur ut catarrhus.* Res tanti non est: omnis morbus senile corpus affligens, est periculosior, difficiliorque curatu.

Mox subjicit Sillanus: Dubitatur, in quo tempore anni magis accidat ophthalmia. Dicendum quod in vere ratione caliditatis & humiditatis. Ratione caliditatis sc. dissolventis humores congelatos in hyeme, Et quia aperiuntur pori. Unde humores sunt ma-

gis apti nati fluere ad oculum. *Hæc profert* admonitu *Hippocratis*, qui *3.Aph.n.& 11. ita :* Si hyems ſicca & aquiloniafuerit, ver autem pluvioſum & auſtrale, neceſſe eſt æſtate lippitudines fieri. Si hyems auſtralis & pluvioſa & tepida fuerit, ver autem ſiccum & aquilonium, difficultates inteſtinorum & lippitudines ſiccæ ſunt.

Unde Avicenna hæc & ſimilia expendit: Quumque præcedit hyems ſeptentrionalis & ſequitur ipſam ver meridionale pluvioſum & æſtas habens aerem herbidum calidum, multiplicatur ophthalmia. Et ſimiliter quando hyems eſt calida & meridiana, replet corpus humiditatibus & deinde ſequitur eam ver ſeptentrionale, tunc conſtringit eos. Et æſtas quidem Borealis multiplicat ophthalmiam & propriè poſt hiemem meridianam. Et quandoque multiplicatur etiam in æſtate, cujus ver fuit meridianum & ſicca hyems & ſeptentionalis. *Eandẽ rem* & *juniores* exponunt, ut *Joh.Matth.de Gràdi*. In meridionalibus, *inquit hic*, facilius recipitur materia humida in conjunctiva & propter multitudinẽ materię & propter latitudinẽ meatuũ ejꝰ. Ac in tali hyeme retinentur multæ materiæ, quæ poſteà liqueſcũt in vere & recipiuntur in conjunctiva & ita apoſtemãtur.

C. Celſus l. 6.c.6. alias *Ophthalmiæ notas exequitur :* Protinus orta lippitudine, quædam notæ ſunt, ex quibus quid eventurum ſit, colligere poſſimus. Nam ſimul ac lachrymæ & tumor & craſſa pituita cæperint, ſi ea pituita lachrymæ miſta eſt & ea lachryma calida eſt, pituita verò alba & mollis, tumor non durus, longæ valetudinis metus non eſt. At ſi lachryma multa & calida, pituitæ paulum, tumor modicus, idq́; vel in uno oculo, longum id, ſed ſine periculo futurum eſt. Idque lipitudinis genus minimè cum dolore eſt, ſed vix ante vigeſimum diem tollitur, nonnunquam per duos menſes durat ſed quandoque finitur. Si pituita alba & mollis eſſe incipit, lachrymæ miſcentur, aut ſi ſimul hæ utrumque oculum invaſerunt, poteſt eſſe brevior, ſed periculum alienum eſt. Pituita autem ſicca & arida dolorem quidem movet, ſed maturius deſinit, niſi quid exulceravit. Tumor magnus ſi ſine dolore eſt & ſiccus, ſine ullo periculo eſt. Si ſiccus quidem, ſed cum dolore eſt, ferè exulcerat & nonnunquam ex eo caſu fit, ut palpebra cum oculo glutinetur.

// Si *Ophthalmia* plures corripit, ea *peſtem* brevi futuram eſſe de-

nun-

nuntiat. Sunt quoque, qui cuilibet *Ophthalmiæ* μίασμα attribuunt, quemadmodum *& contagiosa* perhibetur. Unde *D.D. Sennertus* ita: *Est quoque contagiosa Ophthalmia quædam Galeno teste 1. de differ: febr. c.7. Sparsa enim obtutu oculorum semina contagionis putridæ, ob naturæ cognationem, spiritus, humoresq; oculorum sanorum simili labe inficiunt ac contaminant.* Est hoc loco obscurus. Quidnam sunt semina? quid Naturæ cognatio? Quid Spiritus, humoresque oculorum sanorum? Num *Galenus* est hujus effati autor? Principium ab ipso *Aristotele* ducatur, hic enim *VII. Sect. Probl. 8.* talia *in hunc modum disputat*: cur â tabe & lippitudine & scabie capiuntur, qui appropinquarunt, ab aqua autem intercute aut febre aut stupore attonito aut aliquo ex numero cæterorum malorum capi nequeunt? An â lippitudine quoniam oculus pars nostri corporis mobilissima est ac cæterarum maximè omnium rei sibi objectæ similis reddi potest, quippe qui facilè moveatur ab eo quod moveat. Itaque fit ut cum perturbatum obspicit oculum facilè ipse etiam perturbetur. Tabis autem contagio ideò fit, quoniam spiritum vitiat gravemq; reddit. Adhæc *Julius Guastavinius:* Aggreditur propositorum morborum causas sigillatim exponere, quare contagiosi sint & primò ophthalmiæ. Ait igitur ophthalmiam ideò contagione acciri, quoniam oculus cujus passio est sive morbus, pars est omnium nostri corporis maximè mobilis similitudinesque omnes & omnes impressiones promptè recipit, cum facilè à re quæ movet moveatur, præ humiditate nimirum & mollitie substantiæ ipsius. Unde si oculum conturbatum aspiciat, à quo ipse aspiciatur fit ei similis eandẽque turbationem recipit. Non diversa ratione solvit idem probl. Alex. 1.I. probl. 34. cujus verba retulimus paulò ante ad probl. 4. ἡ γὰρ φθίσις Tabis autem contagio. Phtisis ideò contagione afficit quoniam ab eo qui hujusmodi morbo laborat spiritus redditur pravus & gravis, morbi autem omnes, qui fiunt cum hujusmodi spiritu corrupto, quales sunt pestilentes illi, celerrimè sese insinuant iis, qui ægrotis appropinquant, sicut subdit, ὁ γὰρ πλησιάζων. Qui autem appropinquarit. Docet quemadmodum corripiatur qui appropinquat: quia nimirum spiritum trahit pravum & corruptum, qualis ab ægroto expiratur, qui deinde pulmonis ipsius inficit &

depra-

depravat. *Hieronymus Mercurialis c. de Ophth. rem aliquanto liquidius prosequitur:* Quod in Ophthalmia ſpiritus & humores ſint conturbati teſtis eſt Alex. & Rhaſ. Alex. quidem, quia 2. probl. 42. dicit, ophthalmiam ideò contagioſam eſſe, quia ſpiritus contaminati ſunt, qui cum tangant oculos ſanos inficiunt ipſos. Sic quoque Rabbi Moyſes 24. aph. part. ex ſententia Gal. l. 16. de motibus inevitabilibus, qui liber à nobis deſideratur, dicit quod qui primum videt Ophthalmia aut conturbatione laborantem, ſtatim ipſi oculus conturbatur, quod ſi adhuc intentè aſpiciat non ſolùm conturbatur, verum etiam ophthalmiam contrahit. Ratio porrò atteſtatur, humores & ſpiritus perturbari quia ſi fit attractio humorum per univerſum oculum, neceſſariò illi miſcentur, & humoribus oculorum & ſpiritibus per oculum diſperſis, qui commixti neceſſariò turbant; & hoc eſt quod dicit Hipp. in lib. de locis in hom. ob tumores influentes viſum fieri μαρμαρυγώδη, id eſt, apparere ſcintillas in oculo atque acumen videndi perdi. Sed quæ retis, quæ ſit vera ratio cur ita faciliter contrahat oculus hanc affectionem? Nulla alia eſt ratio potior quam Ar. 7. probl. ſect. ult. & Alex. 1. problem. 35. qui dicunt oculos eſſe humidos, molles εὐπαθεῖς, ſeu patibiles & mobiliſſimos & ratione mobilitatis fieri ut facilè contagia ſuſcipiantur ab oculis affectis. *Similiter multi*, ut quoque *Thomas Grosſius. Christophorus à Vega & imaginationem* vinque *animæ* memorat: De Lippitudine, Græcè ophthalmiâ ferunt Medici, ac docet experimentum homines plures ex ſola attenta inſpectione oculorum eo morbo laborantium in eum morbum incidiſſe: maximè ubi pariter à laborante inſpiciantur, quod partim oritur, ex imaginatione ſani inſpicientis oculos rubentes ac ſplendentes quæ ſimul cum ſplendore poteſt ſanguinem advocare & ad oculos pellere, quod etiam quisq; in ſeipſo facilè experietur: partim ex vapore infecto tranſeunte ab oculis laborantis, qui potius oculos ſui tenuitate ac ſimilitudine, quam habet cum aliis vaporibus & ſanguine, qui ſunt in oculis ſani inficiet quàm aliam ſani partem. Illi etiam qui phthiſi laborant adſtantes contagio inficere ſolent: non aliter quam in peſte dicimus, quoniam putridum valdè ac fœtidum expirant & à ſanis tale inſpiratur. Plures enim talium vidimus, quos

nec

nec nobis nec iis qui cum nobis ægris frequentabant adire citra magnum periculum licebat, nisi multis bonis odoribus præmunitis. *Hactenus Autor.* At cur ergò, *inquit D.D. Vopiscus Fortunatus Plempius,* perpetuâ ophthalmiâ laborant ocularii medici & mendicastri, qui indies tot curant & tractant & inspectant ophthalmias? Puto plurimùm ad morborum contagium valere imaginationem: proinde tàm maximè ejusmodi obtutum nocere, cum is, qui morbitas oculos inspexerit, opinatur se lædi, quod cùm ob frequentem tractationem non opinentur isti ocularii, non ita afficiuntur. *Hactenus Clarissimus autor.*

In eandem partem & *Julius Cæsar Baricellus differit:* Multa observatione animadverti ophthalmiam sive lippitudinis morbum quandoque contagiosum & solo perinde aspectu ab hominibus contrahi: oculi enim tunc adeò pernitiosam vim retinent ut in alios proprium affectum ejaculari valeant. Pulchra ratione hac Vairus lib. 1. de Fascin. quomodo fieri possit, differuit, siquidem animus malè affectus suum quoque corpus male habet, ob id si animus aliquo mærore aut vitio afficitur, colores corporis etiam immutat, si enim ab invidiâ tentatur, pallore & croceo colore corpus inficit; Inde fit etiam, ut invidia tabescentes, si oculos in aliquem liventes defigunt, animi simul venenum vibrent & quasi virulentis jaculis confodiant. Quapropter mirum non est, homines aliquando solo aspectu in lippitudinem incidere. Ut Hieronymus Thomasius medicus insignis (dum ipse Neapoli studiis vacarem) de seipso testatus est. *Hæc ille. Franciscus Vallesius* Ophthalmiã esse dat *contagiosam*, nou autem talem fieri per *fascinationem.* At *Christophorus â Vega* haud negat vaporem tunc ex oculis exire, veluti & *Joh. Matth. de Gradi, cujus verba habeto:* Maximè si cum ophthalmia conjungatur, & si fuerit inspectio diuturna & fixa propter resolutionem vaporum oculorum ex oculo egredientium & pervenientium ad oculum inspicientis. *Quàm perspicuè Johannes Baptista Montanus c. 7. de Epilepsiâ:* Sed posset aliquis dicere, ophthalmia noñe est morbus contagiosus, & tamen est inflammatio, nec plus habet putredinis, quàm aliæ inflammationes? neque inflammatio in corpore existens est contagiosa, cur in oculis secus est? Dico hæc esse ex dispo-

ſitione loci, quia vapores ex oculo inflamato prodeuntes tenuiores fiunt quã ſint vapores ab aliquo alio loco inflamato prodeuntes & ideò in aëre facilius imprimũtur & ad ſanũ oculũ pervenientes, invenientesq; membranũ aptũ ad ſuſcipiendũ nocumentũ, habens etiã planitiẽ, ratione cujus facillimè recipit impresſionẽ factam ab aëre: ideò impresſio fit ratione diſpoſitionis pasſi in ophthalmia. Ratione autem ſui ipſius, non eſt magis contagioſa, quàm quæ imflammationes, ſed quia vapores tranſmiſſi ab inflammatione ad oculum pertingentes præparatum faciunt contagium. Dicimus ergò quod putredo levis de ſe non facit contagionem in corpore, niſi in admodùm parato & hoc raro contingit. *Aſt Spiritum viſorium* appellat *Jacobus Sylvius*, Ophtalmia, *inquiens*, eſt contagioſa propter ſpiritum viſorium foràs emiſſum., ut oſtendunt menſtruatæ mulieres ſpecula inficientes & corruptum â ſpiritu ophthalmico, ob id eminus & parùm diu & per conſpicilia & oculis aqua frigida lotis aſpiciunt. Ophthalmia quidem tonſores & malo curando aſſvetos & obturatos non lædit aſpectu. Sic nec tabidi omnes ſecum verſantes tabe afficiunt, ſed eos tantum, quibus ſunt pulmones ad erotendum aptisſimi. Nec halitus teter cubiculi, in quo elephantici vivunt, ruſticos duros, excrementis vacuos tàm promptè mutat & in elephantiam præcipitat, quàm molles, delicatos, multi ſanguinis & putredinoſos & excrementoſos.

Benedictus Victorius Faventinus etiam adjicit, *viſionem fieri extra mittendo*: Scire debes, Ophthalmiam ſeu lippitudinem contagioſam eſſe, ut ait Gal. 1. de diff. febr. c. 3. inquiens: Sicut & peſtilenti morbo laborantium converſatio prorſus eſt periculoſa, ne contagium inde contrahatur, quemadmodum ex ſcabie & lippitudine, Cum iis enim ſic affectis converſatio nequaquam eſt ſecura neque omninò eorum, qui putridum expirant. Igitur cum ab oculis lippientibus quid putridum expiret, ſiquidem viſio fiat extra mittendo ut placuit Platoni autore Gal. 7. de decret. Hipp. & Plat. inquientie: Si viſibile ad oculum nihil mittet, vim aliquam ſenſitivam à nobis ad viſibile uſque pervenire expectat. Igitur cum ſpiritus facultatis viſivæ delator ab intus oculum penetrans lippientem oculum invenit, mala lippitudinis qualitate afficitur, tunc aërem circumfuſum ea afficit qualitate, quæ una cum ſpiritu perſpirando

rando, uti aura quædam perſpectantis oculum pertingat illius qui intuitum lippientem in oculum fixit, illius oculus eadem afficitur qualitate ita ut & is oculus contagio lippitudine afficiatur. Quod ſi viſio, ut Ariſt. placuit, fiat intus ſuccipiendo, etiam lippitudo contagio ſpectantis oculo contingere poteſt, quoniam viſio qualitate quadam per circumfuſi aeris alterationem, perveniente ab oculis lippientibus ad intuitum noſtrum ſanum, ſimili lippitudine contagio ipſo oculus ſanus afficietur. Ob quam rem palàm omnibus eſſe debet, ophthalmiam ſeu lippitudinẽm morbum fore per vulgum contagio vagantem.

Sed priorem rem aggrediamur, in quam ipſam *Hieronymus Mercurialis*, â quo modò incepimus, eodem capite *hiſce verbis diſſerit*: Quæſitum eſt Alex: 2. problem. 104. cur magna ex parte peſtem præcedat lippitudo. Reddit cauſam eo quod in peſte ſpiritus ſint contaminati, ſuapte natura ferantur in caput & deinde in oculos, tum quia oculi trahunt eos ſuo motu tum quia ob poſſibilitatem facilè recipiunt ſpiritus ingruentes, unde ſpiritus commaculati exiſtentes in oculis inficiunt ipſos & cauſam præbent ophthalmiæ. Sed pace hujus magni viri hæc ratio mihi non ſatisfaciat. Primò quia fons ipſius peſtis eſt potius in humoribus quàm inſpiritibus: dico potius, quia non nego, quod interdum peſtis fomes ſit in ſpiritibus, qui tempore peſtis ſtatim iugulant hominem, ita ut non ſit locus gignendæ ophthalmiæ. Si igitur fomes peſtis eſt in humoribus, non ſequitur, quod ſpiritus venenati debent inficere oculos. Præterea dato etiam quod ſpiritus in omni peſte venenentur tamen ſpiritus qui ad oculos perveniunt, non ſunt vitales ſed animales. Tertiò dato etiam quod ſpiritus animales venenentur a vitalibus, dico quod neceſſariò debebit prius fieri peſtis, quam ophthalmia, qui ſi in peſte primò venenentur ſpiritus vitales ut æquum eſt, cor ipſum prius tentabitur quàm oculi, unde præcedet peſtis ophthalmiam, non ophthalmia peſtem. Igitur mihi videtur dicendum, quod cum hoc contingat non ſemper, ſed magna ex parte ut dicit Alex. contingit ſolùm quando peſtis primariam habet originem ex ſanguinis ebullitione, quia peſtis, quæ fit ex ſanguinis ebullitione, antequam contrahatur magnus ille gradus putredinis

 & vene-

& veneni, ſanguis prius ebullit, unde vapores multi fervidi & acres feruntur ad caput & oculos, quos quia ſunt fervidiſſimi inflammant & ophthalmiam faciunt: & hinc eſt, quod in morbillis, in variolis, quæ ſunt genera peſtis, nam Rhaſis hæc enumerat inter peſtes, ſemper videbitis antequam adveniant, oculos inflammari: & hoc eſt verè perpetuum. *Hunc Autorem Thomas Graſſius* certè etiam imitatur: Licet Alexander rationem reddat, eò, quòd in peſte ſpiritus contaminati feruntur in oculos & lippitudini cauſam præbent. Ipſe tamen crediderim, id evenire potius, quotiescunque peſtis habet originem ex ſanguinis putredine, quæ non intensè adhuc putruit, inde vapores multi feruntur ad caput & ad oculos, qui quia fervidisſimi ſunt, inflammant & ophthalmiam generant & hinc eſt, quod in morbillis & variolis, quæ inter peſtes Raſes connumerat, ſemper videbitis, inflammari oculos, antequam adveniant.

Illud in hoc curſu ſermonis haud convenit præteriri, quod *Peter Foreſtus l. 11. obſ. 4. memoriæ mandavit:* Anno 1565. tribus integris menſibus nempè Octobri, Novembri & Decembri, cùm conſtitutio auſtrina permanſiſſet, multæ inflammationes oculorum cum rubedine & ophthalmiæ non veræ populariter graſſatæ ſunt & palpebrarum pruritus, adeò, ut integras familias inſtar morborum epidemiorum occuparent. Quibuſdam verò & acres cum lachrymis urentibus & dolore & plurimis hæ affectiones diuturnæ admodum erant. Omnibus ferè præcipuè purgationes profuere, poſteà & cucurbitulæ ſcapulis appoſitæ cum ſcarificatione. Quibuſdam vero propter pruritum & acres humores, purgationibus tum cucurbitulis præcedentibus; collyria ex aquâ albuminis ovorum cum aqua roſarum egregiè contulerunt: aliis autem ex aqua roſarum & ſaccharo Candi confecta, alöes exigua portione adjecta. Erat autem Ophthalmia quaſi contagioſa, ut ſi quis ophthalmicos iſtos intueretur, mox eodem malo corriperetur. Quibus verò inflammatio aderat, iis miſſio ſanguinis admodùm profuit: quibus verò acriores fluxiones, purgatio magis utilis fuit, ut ex ſenæ, rhabarbarique infuſo & aliis. *Hæc Autor.* Ex quibus intelligitur, *Ophthalmiam* eſſe aliquando *Epidemiam.* Igitur rurſus quâ ratione, & quo

pacto

pacto, disquiritur. Videtur & extima oculi tunica obstare, quo minus illa corpuscula, quæ vocant *Spiritus*, queant effluere & cum aere venire in oculos intuentium. *Zacutus Lusitanus* & hoc expedit: utrum ophthalmia sit morbus contagiosus? potest in dubium verti: cum enim morbus contagiosus, ut communicetur, requirat principium & seminarium, idque vapor seu fuligo putrida esse debeat, quæ ab oculis egressa in aere recepta oculos distantes inficit immediatè, utpote molles, in superficie constitutos, & nudos & spiritus vaporque exiens sanam tunicam distantem penetrare nequeat, cum dura sit, solida, & densa, fit ut ophthalmia ad distans non possit comunicari. Pro contrariâ parte est autoritas Gal.l.1. feb.c.2. Sicuti & quod pestilenti morbo laborantiũ cõversatio, periculosa, ne inde contagiũ contrahitur, quemadmodũ ex scabie & lippitudine. Probat 4. de diff. pulf.c.1. Sed ut psora & lippitudine qui propius accedũt, quidam corripiuntur. Est ergò hic affectus contagiosus, magis autẽ adspicienti & adhuc magis insueto videre ophthalmicos. Causa primi nam legere literas ex atramento plus nocet oculis quam habere eas præsentes & intueri in lucem, aerem luminosum vel solem, quæ experimenta magis consonant sententiæ Gal. quod illuminatio prodiens ab oculis videntis trahit oculos aspicientis multos vapores rei conspectæ, sicut & radius solaris plures atomos. Causa secundi, quia dissvetudo videndi Ophthalmicos inducit timorem ex quo oculus destitutus spiritu periclitatur & ita læditur a vapore ophthalmici. Quare non erit mirandum, si oculi humidi, molles, mobilissimi & sic maximè patibiles contagium suscipiant facile ab oculis affectis: quæ est causa ut oculus hanc affectionem citissimè contrahat apud Arist. 7. sect. probl. ult. & Alex. 1. probl. 35. Nec conjunctivæ durities est impedimento quo minus spiritus infectus possit communicari, quam sit tenuissimus & ocyssimè permeet. *Hæc ille.* Nunc quod ad *Corpuscula & effluvia*, ut vocant, *oculorum* seu *Spiritus* attinet, præstò est *Petrus Borellus*: Mulieres quasdam esse legimus, quarum visus recens natis animalibus noxam infert, ut & serpentes, quorum aspectus lethalis est. Asseritur etiam quod si lupus hominem prior viderit raucum illum efficiat, aliaque non pauca de oculorum efficacibus radiis passim occurrunt, ut de

morbis oculorum & ictero qui aſpectu communicantur. Hæc autem eſſe poſſe ſequens obſervatio (admiranda omninò) ſatis ſuperque comprobat, qua etiam probari poteſt, viſionem emiſſione fieri. D. Le Faucheur vir inſignis pietatis probitatis & Eccleſiæ Carentonienſis paſtor ſanctioris ærarii tribunum ſæpiſſimè vidit Lutetiæ, cujus oculorum acies tanta eſt, ut conſpicilla ſua paulatim perforet, adeò ut ea ſæpè mutare & renovare cogatur: idemque audivi à ſene mihi cognito, & non dubito idem multis contingere, ſi obſervaretur: at ſi vitrum, quod adeò difficilè ſolvitur radiis oculorum perforetur, cur non in pueros agnoſque tenellos agent: hæc tamen præcipuè in mulieribus obſervata fuere unde pleræque pro ſagis habitæ ſunt quoniam ſic multis noxas inferebant, tum tamen id naturaliter fieret & à corruptione menſtruorum qua etiam ſpecula fœdant & arboribus plantisque reliquis & vino acetoque nocere queant. *Nec eâ de re ſatis dictum judicat*: Dubitarunt huc uſque Phyſici de vi naturali venenata oculorum, & quæ ab aſpectu fiebant ad dœmones revocarunt, naturam impotentiæ experientiasque quotidianas falſitatis accuſantes. At certum eſt viros quoſdam eſſe, naturali virtute præditos tali ut pullis puerulis, aliisque animalibus recens natis, ut & herbis, arboribus, fructibus nocere poſſint, vidique viros, qui dum domum ingrederentur, virtutis ſuæ malificæ conſcii, monebant amicos ut pullos puerosque removerent mammasque nutricum videre renuant ne lacti eidem nocumentum afferant, ipſis enim invitis nocumenta inferebant, non ergò fabuloſum eſt, quod de agnis refertur, unde virgilius.

Neſcio quis teneros oculis mihi faſcinat agnos.

Sic fertur Baſiliſcum oculis animantia reliqua necare, lupum quem priorem viderit, raucum facere, mulieremque menſtruoſam oculis ſpecula vitiare, argento vivo trans vitrum fuſo, ut & plantis nocere, vino, aceto &c. & Baſiliſcum ſpeculo occidi proprii veneni ab oculis emiſſi reflexione. Hæc enim omnia ſequenti ſatis ſuperque patent hiſtoria. D- Chauvinus, nobilis Pariſinus, qui non procul à Dicem jam commoratur, adeò actes emittit ab oculis vapores ut conſpicilla ejus excavent & tandem perforent inutiliaque brevi tempore reddant. Alium mihi familiarem ſenem cui idem accidit

dit adhuc agnosco, est autem vir biliosi temperamenti, quod aliquid ad hæc conferre potest. Multis idem accidisse & quotidiè accidere non dubito, sed à nemine observatur, quod valdè admirandum, vapores enim corporis, sic aqua forti & reliquis acribus fortiores & validiores sunt quæ nullum in vitrum effectum producere queunt. *Hæc Autor.* Pervetus *opinio* proditur, quâ *Plato* interprete *Chalcidio* lumen statuit ex *oculis* profundi.

Primò omnium cuncta res per se dubia videtur. Multi intuentur ægrotantium hoc morbo oculos nec ophthalmiâ opprimuntur. Quàm sæpè pater, mater, liberi oculis fiunt ægri, ille autem morbus minimè vulgatur. Quid de *Chirurgis* dicam, qui tales oculos quotidiè & quidem fixiùs contemplantur? Ajunt quidem nonnulli, *laxos* oculos, *Joh. Matth. de Gradi* & *porosos* esse huic morbo magis expositos. Et hoc est, quod *Seneca l. 11. ad Neron. de clementiâ* scriptum reliquerit: *imbecillos oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem suffunduntur.* Ferè eâdem ratione *Julius Guastavinius Aristotelem* interpretatur, ac *Mercurialis* inde *oculos* quoque pronuntiat *molles* esse & εὐπαθεῖς. Atque *Christophorus â Vega* & *Jacobus Sylvius* oculos quorundam credunt huic ægritudini magis obnoxios esse. Magna, fateor, vis est imaginationis. At nescio quam *Naturæ agnationem* dicit *Sennertus.* Cæterùm *Christophorus â Vega*, veluti & *Joh. Matth. de Gradi* rectè sentiunt, vaporem ex ejusmodi oculis erumpere. *D Sennertus* Spiritus memorat, eosque putant esse *visorios* & *ophthalmicos Jacobus Sylvius*, *Hieronymus Mercurialis*, *Benedictus Victorius Faventinus. Johannes Veslingius Vitales Spiritus* indicare videtur, *frigidam*, inquiens, *humidamque temperiem oculi haud parùm minuit caloris, spirituumq; per tot vasa copiosus influxus, qui tantus, ut ultra naturæ malum plusculum incalescentes & specula sibi propinqua, diffusis acribus calidisque radiis, vitiare & intuitu fixo alienis etiam oculis intemperiem ac labem communicare queant.*

Ego haud dixerim Spiritus illos nobiliores ut *vitales*, *oculo ægro*, fundi. Sunt vapores, quos *Zacutus Lusitanus* commodè sentit per ipsam tunicam *Adnatam*, quam vocant *Album oculi*, emitti posse. Vapor ille per se est tenuis ac affecta tunc est hæc tunica, ut ob

id quo-

id quoque tantò plus vaporis poſſit emittere.. Cutis totius corporis vapores excludit, cur non hæc extima *oculorum* tunica, quæ & lachrymarum liquorem percolat. Quid? *oculus* quoque membrum nudum, ac ſemper madore humectum putatur. Iſti verò vapores, maximè inveteratâ *Ophthalmiâ*, ſunt alieni, ut *oculos* intuentis ſauciare queant. Surgunt de ſero ſanguinis ac ſe miſcent aëri, qui ferit rurſus oculi membranam. *Spiritus viſivi* ut vocant, tantā vim haud habere videntur. *Baſiliſcus* tùm toto corpore, tùm maximè *oculis* ſpirat noxium halitum.

Cæterùm non quælibet *Ophthalmia* eſt æquè *contagioſa*, ut ea, quæ de vento & de pulvere naſcitur. Primùm *malignus* vapor poteſt corpore concipi, unde ſanguis in *oculos* moveatur. Quod *ophthalmiæ* genus facilè vulgari poteſt, quemadmodum & *pleuritis* nunc *maligna* eſt, *epidemia* & *contagioſa*, nunc non item. *Actuarius* l. 2. Meth. Med. c. 7. in commune loquitur: Ophthalmia gravius malum eſt quàm τάραξις. Ophthalmia vel ceu popularis morbus cenſetur, aut ob ſenſorii imbecillitatē aut materiæ impetuoſiorem affluxum invadit. Quare vitium quoque cum iis, qui levi de causâ afficiantur, quaſi contagio communicari videtur, perquam tenuis acrisq; fluxio eſt mali cauſa. *Hactenus Autor.* Maligna certè eſt illa *ophthalmia*, quæ præcurrit ac prænunciat *peſtem*. *Maligna* quoque eſt illa *Ophthalmia*, quam variolæ aut morbilli antè movent. *Contagioſa* quoque plerunque eſt illa *Ophthalmia*, quæ gravisſima eſt, ac fœtido pure ſordeſcit quotidiè. Nunc *Sillanus* ultrà progreditur: Dubitatur, in quibus oculis magis fiat ophthalmia an in magnis an in parvis. Dicendum quòd in magnis. Ratio quod ad eas plures ſuperfluitates delegantur â cæteris partibus, quod habent latiores vias & quod ſpiritus magis diſperguntur & propter hoc pejus vident. *Sic & Valeſcus de Taranta, Joh. Michael* Savonarola, *Johannes Matth. de Gradi, Joh. de* Concoregio, *Leonellus Faventinus, Dominicus Leonus. Zacutus autorem hujus dogmatis prodit hiſce:* prominentes oculi, ſicut magis â fumo læduntur, 31. Probl. 6. ita facilius replentur ab humiditate. *Joh. Matth. de Gradi addit rei cauſam*: Nam declaratur multitudo materiæ ſcilicet cum raritate texturæ, quæ declarat complexionem calidam & humidam, & propter

aliam

aliam causam, quod redduntur magis expositi alterantibus extrinsecis reprimentibus.

D. D. Sennertus & hoc addit : Ophthalmia per consensum â durâ & piâ matre & â partibus intra cranium contentis sæviora habet Symptomata & difficilius curatur quàm ea, quæ fit per consensum ab externis. *Sennertus* nescio quo modo *Dominici Leoni* verbis loquitur: Ophthalmia per consensum â dura & pia matre & â partibus intra cranium contentis, sæviora habet Symptomata & difficilius curatur, quàm ea, quæ fit per consensum â pericraneo & partibus extrinsecis. *Hæc ille.* Ac Græci ut *Paulus Ægineta* & Arabes ut *Avicenna ophthalmiam,* quæ de causis externis oritur, facilius curari tradunt.

Avicenna 3.3.trant.1.c.7.rursum subtexit hæc : Si initium ophthalmiæ erit ex velaminibus intrinsecis, cura est difficilis. Omnis ægritudo, quæ fit per communitatem velaminum exteriorum, cura est magis salva. Hinc *Jacobus de Partibus, Nicolaus Nicoli, Peter de Largilata, Joh. de Tornamira, Joh. Matth. de Gradi, Leonellus Faventinus.* Si est, inquit, *Bernhardus Gordonius* , â venis intrinsecis, tum est valde malum, cum non possint directè remedia adhiberi. *Valescus de Taranta sic* : medicamenta non ita possunt applicari ad intra, sicut ad extra & illa interiora sunt magis delicata.

Johannes Matth. de Gradi & hoc prognosticum inserit: *habens Cerebrum debile & oculos laxos, est paratus ad Ophthalmiam.* Fingamus *Cerebrum,* illato vulnere, eo licet curato, adhuc esse debile. At quo modo inde orietur *Ophthalmia* ? *Johannes Mattheus de Gradi* & reliqui, quos modò dixi, tunc *Cerebrum* ejusq; membranas, magis sudare existimabunt ac madere *pituitâ,* quæ facilè confluit in *oculos.* Quam opinionem omnibus hujus sæculi Medicis ac Philosophis excutere volui. Illud quidem evenit, ut *oculorum* tunicâ vehementer inflammatâ & *cerebrum* & *membranæ* ejus similiter, ast ex parte afficiantur. Sæpè aures quoque initio gravioris *Ophthalmiæ* sunt sonantiores, quòd & harum *arteriæ* sanguine sint magis repletæ. Eodemq; nomine *gravitas capitis, dolor* & *pulsus temporum Ophthalmiam* comitari solent.

Aristotelis, Cassiique Problema est, cur nonnulli, quos lippitudo torsit, acutius vident; An non indubitatum est, lachrymam evocantia collyria, bonâ ratione visum dici acuere, propterea quòd ex illachrymatione & (ut ita dicam) purgatione, illis usi clariùs cernunt? Itidem usu venit in lachrymantibus lippitudinis vitiò, ex materiæ cujuspiam crassæ impacta congerie natæ, ut â purgatione tersius videant. *Hiq;* ajunt *allia* & *cæpas* aciem oculorum acuere, humorem evocando. Unde *Hieronymus Montuus* pronuntiat *nonnullos post lippitudines acutius videre.* Illudque similiter explanant *Hieronymus Mercurialis* & *Thomas Grassius.* Verùm mihi illi oculorum valetudini non benè consulere videntur, qui oculis acria sæpius indi jubent, quibus lachrymæ ubertim cieantur. Vasculorum oscula fiunt patentiora. Ab aliis *allia* & *cæpæ* oculis nocere putantur. Qua de re inferius dicetur. Nec me fugit id, quod *Fabricius Hildanus* Centur. 5. obs. 18. *scriptum reliquit*: Quidam gravissimâ ophthalmîa laboravit, purgato corpore, vena incisâ, collyrtio adhibito, affixis cucurbitulis dein iterum oblatis pilulis purgantibus ac observatâ victus ratione tuberculum paulatim subsedit & oculus feliciter convaluit, visus quoque ita restitutus fuit, ut nunc acutior sit, quàm fuit ante, præcipuè oculi sinistri. Cum enim ante morbum ultra annos viginti perspicillis usus fuisset æger, nunc clauso dextro oculo, sinistro etiam minutissima discernere, legere ac pingere potest, idque sine perspicillo. Hinc morbus gravissimus & periculosus nonnunquam commodum aliquod post se relinquere potest. Ego â teneris annis usque ad decimum tertium ætatis, obstructionibus viscerum & inde nascentibus febribus, nunc quotidianis, nunc tertianis & quartanis, valdè obnoxius fui: postquam verò anno 1575. ex peste quâ ultrà menses sex gravissime & periculosè laboravi, restitutus essem, ita convalui, ut in hunc usque annum 66. ætatis, morbis parùm obnoxius fuerim. Sic plerunque morbus morbum sanat absumta videlicet causâ morbificâ. Hoc modo qui â convulsione aut distentione tenetur nervorum, febre superveniente liberatur, teste Hippocrate l. 4. Aphor. 57. *Hæc ille.*

Quo pacto *febris Ophthalmiam* curare queat, infrà exponetur. Aut enim materia seu ut loqueris, causa morbi prioris, superveniem-

veniente alio morbo, per *alvum, urinam & sudorem* excernitur aut aliorsum rapitur. Verùm raro, imò rarissimè evenit, ut acies oculorum fiat acrior, finitâ *Ophthalmiâ*. Id quidẽ aliquando fieri potest, si levior fuerit *Ophthalmia*, nunquã, si gravior. Atq; leviorẽ Ophthalmiâ statim cadunt lachrymæ; his credunt multi *oculos* expurgari. Causam, *inquit Dn. D. Plempius,* quærenti Aristoteli sect. 31. probl. 9. videtur id fieri, quia oculi per lippitudinem purificati sunt, fit enim sæpè, ut exterior densitas pupillæ aciem arceat; quæ lachrymâ emissâ laxatur ac resolvitur.

Ophthalmia citatiore alvo curatur, ut docet *Hippocrates 4. Aph. 7. 6. Aph. 17.* In Coacis 10: *quæ lippienti spontè Diarrhœa cietur salubris. de locis in homine. Galenus com. in Aphor. & in libro contra Julian: c. 1. C. celsus l. 6.* Post balnea sæpè gravis somnus, sæpè sudor, sæpè alvi dejectio pituitæ cursum finit. *Atque C. Plinius Valerianus:* ante omnia si benè fuerit purgatum caput & venter, oculi nullam possunt invaletudinem sustinere. *Et Octavius Horatianus: Si oculi reumatizaverint, ventris purgatio frequenter fiat.* Quâ ex opinione forsitan *Symmachus. 6.* Epist. 64. purgatorio medicamento alvum vacuasse te scripseras, ut fervor oculorum cum cætero onere decederet.

Ætius tetrab. 2. serm. 1. c. 1. hoc habet: Ophthalmia est velocioris status, in qua lachrymæ magis currunt & quæ acutiorem habent mordacitatem.

Ac *Avicenna* illud: Quo magis humida est ophthalmia, eò citius finitur. Sic & *Jacobus de Partibus, Nicol. Nicoli. Valescus de Taranta.*

Bernhardus Gordonius & hoc adjicit: Ophthalmia, quæ antiquatur, in qua non proficiunt medicamenta, est pessima inter omnes, quoniam significatur humor corruptus, inviscatus, corrumpens nutrimentum, aut quia venæ intrinsecæ capitis materiam administrant. *Avicenna in hunc modum.* Quando adest ophthalmia & oculi dispositio mutatur continens cum cura recta & purgatione ultima: tunc causa ejus est materia retenta in oculo corrumpens nutrimentum & catarrhus ex cerebro & capite. Perseverat & propter catarrhum.

Ambroſius Pareus gravitatem *Ophthalmiæ* indicat hiſce: Undecunque veniat, vix eſt ullius in corpore partis dolor, qui cum inflammatorum dolore ſit conferendus: certè non paucis inflammationis magnitudo oculos propriâ orbitâ depulit ac diſrupit. *Sumſit hoc ex C. Celſo*: Nonnunquam ingens inflammatio tanto impetu erumpit, ut oculos ſuâ ſede propellat. *Hæc ille. Bernhardus Gordonius* in hunc modum: Ophthalmia non eſt negligenda, quia ſi malè curetur, malas reliquias dimittit, ſicut eſt macula, pannus, tela & ita de aliis. *C. Celſus* periculum magis intendit: Solent, *inquit*, etiam carbunculi ex inflammatione naſci, nonnunquam in ipſis oculis, modò ab interiore. Puſtulæ quoque ex inflammationibus interdum oriuntur. Ex puſtulis ulcera interdum fiunt. *Ac Octavius Horatianus* tandem graviſſimum oculorum tædium proclamat.

CURATIO.

Vetuſtiores, quà *Græci*, quà *Arabes* caput eſſe cenſent in *Ophthalmiâ* curādâ, *caput, cerebrumq́;* curare. *Hippocrates libro de locis in homine* ita ait: τὰ δὲ φάρμακα τὰ τῆς κεφαλῆς καθαρτήρια ac paulo poſt: φαρμάκω καθαίρειν χρὴ τὴν κεφαλὴν μὴ ἰχυρῶ. Eandem viam medendi probat *Galenus*, cujus verba ſuperius poſita fuerunt. Nec non *Avicenna*: Quum initium eſt ex velaminibus intrinſecis tunc cura eſt difficilis, niſi ſit ejus reſolutio ſecundum evacuantia fortia, cum adminiſtratione emplaſtrorum confortantium caput, cognitorum ad hanc rem: ſicut eſt emplaſtrum factum de ſpica & roſa & acacia cum aqua Coriandri humidi & ipſo coriandro humido & ſicco, cum pauco croco, dimiſſum ſuper locum unâ horâ aut duabus, deinde removeatur. *Quem Jacobus de partibus* interpretatur ita:

Emplaſtrum caput confortans eſt illud: ℞. Spicænardi, roſarum rubr. acatiæ, coriandri ſicci à ℨij. croci ℨj. terantur ſimul fortiter & ipſis addatur paulatim modicum ſucci coriandri vel aquæ coriandri, donec inviſcentur ad modum emplaſtri, dein ſuper telam fortem extendantur & calida apponantur capiti raſo, quæ ibi dimittuntur una ſolâ horâ vel duabus ad plus, ut *confortetur Cerebrū*

& ve-

& velamina ejus ſic, quod non facilè recipiant ſuperfluitates aliorum membrorum & communicent oculis, dein auferantur, ne prohibeant ſuâ morâ nimiâ fumos & vapores â capite reſolvi. *Hæc quoque & ejuſmodi Cephalica medicamenta* enuntiant plurimi, ut *Nicolaus Nicolai*, *Antonius Famanellus*, *Georgius Bertinus*, *Jacobus Sylvius*, *Euſtachius Rudius*, *Antonius Sapata*.

Lotionem capitis Ugo Senenſis & *Benedictus Victorius Faventinus* collaudant. Ubi, *inquit hic*, in capite aliquid plenitudinis remanſerit cujus occaſione lippitudo perſeveret & ſi mitiori modo lippientē affligat: tunc ut id, quod intus caput remanſit ex toto abſumatur, uti bis in ſeptimanâ ſequenti capitis lotione perutile eſt, præſertim cum præceſſerit totius capitis purgatio. ℞. betonicæ verbenæ, ſtæchados, chamæm: roſarum, a Mj. ebulliant in dulci & miti cineris aqua, forti unica ebullitione, eamque colato & utitor. *Mox & hoc addit*: Igitur cum plurimùm de ſolo capite fluentes humores ad oculos in iis ophthalmiæ progignantur ut autor eſt Gal. 3. aph. comment. 11. & ipſarum materiæ jam concoctæ fuerint & caput purgatum: modo rationi convenit ipſum caput confortari ac corroborari & ad temperiem duci ne ultra malos humores generet & ob hoc ophthalmia recidivet: Et per hoc quintam ophthalmiæ intentionem curativam aggrediar, quæ eſt membrorum corroboratio. Roborantur itaque caput & oculi: tum per ea quæ manduntur & ingurgitantur & per ea quæ potui condonantur: tam per ea quæ extrinſecus iis adhibentur. Caput namque & oculos rutæ manſa & pariter ſalvia & betonica & verbena & fœniculus corroborant, ſecundum omnem modum ſuæ adminiſtrationis & condimenti, ſive ex ſeſe & ſeparatim, ſive cum aliis vel invicem condiantur: ſui enim temperantia calida & ſicca reducendo cerebrum frigidum & humidum ad medium temperantiæ, ipſum roborat: ita ut tunc facultas animalis ex iis ſibi ſerviat: tum ad oculorum functiones exercendas integrè & ſine noxâ: tum & reliquorum ſenſiteriorum ſuos uſus perficientium. Quod ſi ex eorum ſuccis & conſerva roſarū mixtura conſtruatur cum ſaccharo albiſſimo quacunque hora diei vel noctis de ea quicquā manducaveris, tibi ad id perutile reperies, etiamſi id pleno ventriculo ingurgitaveris, ob vapores

illius misturæ una cum vaporibus cibi ad caput & oculos pervenientes & hinc & inde robur proficiscetur. Aliud oculos & caput corroborans est sequens mistura, si die nocteque ter drachmas duas devorabis primo mane priusquam cibum tribus horis ceperis, duas ingurgitabis drachmns pariter, & post meridiem tertio vesperi cum cubare decreveris Rec. seminis fœniculi uncias 4. sileris montani unicas 2. Euphragiæ unciam 1. & mediam: radicis chelidoniæ uncias 2. seminis anisi, petroselini, apii singulorum unciam mediam, pulegij, hyssopi, florum borraginis, granorum Juniperi, saxifragiæ singulorum unciam mediam: omnia in tenuissimum pulverem ducantur: & cum melle despumato fiat mistura, & ea utitor. *Johannes Hieronymus Pulverinus non dissimili ratione.* Tandem alia superest intentio, ut scilicet in ophthalmia partem ipsam mandantem, Cerebrum nempe corroboremus. Quapropter in calida ophthalmia uti possumus Sacch. ros. incompl. nec non & Syrup. de infus. ros. incompl. cui misceatur parum electuarii pliris sine moscho. In Ophthalmia verò frigida, diambra cum mithridato convenit. *Atque Johannes Matthæus de Gradi* talia remedia vocitat *Cerebralia:* Ultima verò intentio, quæ erat de confortatione oculi, completur facta resolutione materiæ ad vivificationem spirituum cum cibis boni nutrimenti paucorum superflitatum facilis digestionis non evaporativis, ut cum brodiis pullorum & vitellis ovorum & cum confectionibus *Cerebralibus* calidis frigidis vel temperatis secundum exigentiam remotionis malæ qualitatis, que remansit simul admixtis aliquibus medicinis confortativis oculi, ut est semen fænic. soseleos, mirabolani chebuli vel indi, euphrasia, rosa &c.

Nunc *Caspar Peucerus ocularia* ut vocant seu *Ophthalmica* percenset: Medicamenta huic usui inservientia repetantur ex iis, quæ suprâ traditâ sunt in curatione doloris capitis â causa calida & phrenitide. Hoc tamen observato, ut semper præmisceantur medicamentis ophthalmicis ea, quæ proprietate quadam oculos respiciunt & vim cæterorum ceu dirigunt ac deferunt ad oculos: in quo genere præcipuè commendantur & valent *betonica, verbena, fæniculum, euphrasia, chelidonia, ruta, siler montanum.*

Hæc

Hæc tàm vulgata ac lippis tonſoribuſque hodiè nota etiam *D.D.Sennertus* approbat: Si humor eſt frigidus & craſſior, materia potius præparanda & evacuanda, iis medicamentis, quæ ſuprà part. 1. de intemperie capitis cum pituitâ ſunt propoſita. Decocto chinæ, ſarſaparillæ & lign. Indic. adjicit fol. euphraſ. verbenæ chelidon. ſem. coriandr. &c. Caput nonnunquam lavetur lixivio, in quo herbæ cephalicæ ebullierint, betonica, ſtæcchas, majorana, euphraſia, agaricus & alia, quæ ſupra parte 1. de intemperie capitis cum pituita ſunt propoſita, ut:

℞. euphrag.
majoran. a Mij.
fol. lauri
roriſmarini
meliloti a Mj.
rad. aſari
valerianæ a ℥j.
ſarſaparill. ℥ij.
ſem. fænic. ℥ß.

Coq. in lixivio pro capitis lotione. *Hactenus ille.*

Viciſſim, *Ophthalmiâ* calidiore, *autores frigida Cephalica* petunt, ut prædictus *Peucerus*, & *Rondeletius*. Ac ſi, inquit hic, *cum dolore capitis fiat Ophthalmia, primum oportet dolorem capitis ſedare, poſteà ad curam inflammationis deſcendere, quia dolor fovet & auget cauſam morbi.*

Deinde *D. D. Sennertus* proſequitur: Et ut purgatio felicius înſtituatur, præparantia præmittenda ex ocularibus medicamentis. Præparationis ergò loco & ut humores calidi & acres temperentur, in humore bilioſo uſurpentur radic. cichor. fragar. ſantal. flor. roſ. viol. nymph.

℞. Syr. violar.
nymph.
rob. ribium a ℥j.
aq. violar.
fragar. ſine vino a ℥iij.
euphrag.

Ver-

aq. verben. a ℥j.
M.

Poſtea inſtituatur purgatio.

Sed multò antè *Peter de Tuſſignano*: ſi vis digerere, ſume de his herbis. Et idem modus ſervetur de ſolutivo. Nota, quod ſeptem herbæ oculares appropriatè portantes virtutem digeſtivorum & ſolutivorum ad oculus, ſcilicet betonica, verbena, euphragia, chelidonia, ſiler montanum, fæniculus & ruta. Et imò, quando volumus digerere materiam phlegmaticam, ſume digeſtivum unum ex eis, quæ habes in capite de dolore capitis proveniente â phlegmate & adde de prædictis herbis. Et ad materiam melancholicam ſimpliciter digeſtivum. Ibi ſume & adde de prædictis herbis. Similiter fiat de Cholerica. Et idem modus ſervetur de ſolutivo. *Ferè eâdem ratione Johannes de Concoregio*; Si materia eſt phlegmatica digeratur ſicut decet, ut patuit ſuprà: addatur tamen in ſyrupo aqua decoctionis vel aqua deſtillata haruũ ſex herbarũ conjunctim vel diviſim portantiũ virtutes digeſtivoruũ & ſolutivorũ ad oculos & conferentiũ â proprietate & ſunt herba fæniculus, euphragia, ſiler montanum, ehelidonia & ruta. *Eademq́ʒ* opinione *Julius Cæſar Benedictus â Guelfalione* ita trahitur, ut ob id *Herculem Saxoniam*, magni nominis autorem refellat, Herc. Saxonia, *inquiens*, unum dicit, ut ſcil. in Syrupis præſcribendis non ſtatim ocularia præſcribamus, quod tamen videò vulgò practicantes facere, ducunt enim hoc humores in oculos, cùm tamen ab initio longè â parte fluxione tentata ſint retrahendi, tunc igitur ait medicamentis ocularibus utendum, cum totum corpus & caput magnâ ex parte fuerint repurgata, tamen inter regulas, quas præbet, eſt, ut in ophthalmicis remediis ſemper ſint admiſcenda, quæ oculis conducant, quod mihi etiam magis probatur & ratio eſt, quia hæc medicamenta non habent virtutem vel trahendi vel extenuandi, ſed ſolum reſpiciendi talem partem ob eorum formam ſpecificam, ſicque potius oculum roborabunt & proprietatis ratione vivabunt, hacq; ratione dixerat Hippocrates in omnibus morbis curandis quoad remedia eſſe in iis imponenda, in quibus ſit talis virtus, id eſt, reſpiciendi talem partem affectam, quare præſcriberem Syr. ex betonica, de bororag. cum

mel.

mel.rof.fimpl.additis decerto communi cum aquis euphr.fænic.a℥j. pro fingulis,quibus fumptis ad medicamentum purgens devenirem: ur ℞. Syr. rof. fol. mell. rof. fol. a ℥ß. &c. Diacathal. Ind. a ʒiiij. agaric. drach. ℈ij. decocti hordufque F. Potio. Quod commendâfle vifus eft Hippocrates 1. lib. de vifu text.4. ubi ait: Ad lippitudinem annum ac popularem conducit purgatio capitis & ventris inferni & libro 4. de locis in homine tex.21. *Si verò ftatim inflammati fuerint, mihi omninò illi fedant fortisfimo aut alio quopiam alvum fubducente medicamento attenuato, vitando, vomitum facias.* Hac ergò univerfali præftita evacuatione poftmodum ad pillulas devenirem lucis,de agarico, fine quibus, additis nonnullis granis dragrydy. *Hæc ille.* Ac fat celebratæ funt *pilulæ Opticæ Johannis Langii*, habent purgantia & multa medicamenta, ut vocant, *ocularia.*

Illa *Cephalica* medicamenta,*Cerebralia* & *ocularia* ut vocant, funt hoc loco vana prorfus & inefficacia. Cùm fanguis *Capiti*,*Cerebro* & *oculis* concitatiùs invehitur, illa membra ob id malè afficiuntur, fana fiunt viciffim, eo revocato, iftoque impetu fedato. Si autem *adnata tunica oculi* tandem gravitate *Ophthalmiæ* violatur, ei *euphrafia* aut *chelidonia* quonã tàm *fpecifico*, ut loquuntur,& tàm *appropriato* modo auxiliabitur? Tales herbæ, inquiet aliquis fortaffe, remedia dirigent, *ita loquuntur*, ad oculos. Verùm hoc tecum pervelim reputes; Si bibitur potio ejufmodi *Cephalica*, *Cerebralis* aut *ocularis*, ejus liquor manat in *venam cavam* ac inde in *dextrum Cordis finum* & mox in *finiftrum*, unde furfum & deorfum fertur. Quantum illius potionis in inferiora membra fluit? quantum per *Renes* emittitur? *Betonica* ftomachum, hepar & caput juvare dicitur. Quâ vi tam privatim proderit *oculo*, qui ex tàm diverfis partibus, ex tot tunicis & ex illis humoribus conftat. Nunc *Verbena* cui membro non fubvenire dicitur? Ac eam quoq; folum *Theffali Collyrium* habet. *Euphrafia* ficcat cunctum corpus & tandem *Rheuma* oculorum. Eâ vi,non occultâ, ut quidem *Arnoldus Noviconienfis* credit, *oculis* medetur. *Ruta*, ut & *Chelidonia* eft vetus medicina, aft *filer montanum* novella. Quidam ejus femine utuntur, quidam foliis, ut *Tabernæmontanus*. *Fæniculum Mefues* laudet. *flatuosâ Ophthalmiâ* urgente. Ac quæ funt illa frigida Cephalica? Sunt *Syrupus rofarum folutivus* & *pleres fine mofcho.* Quod

membrum non refrigerat *rosa*? Cur ea hîc, ut vult *Rondeletius*, privatim succurret? *Idem Autor* dolorem capitis prius curat, quàm ipsam *Ophthalmiam*. Hanc ille tantùm comitatur. Si igitur Medicus, post habitâ & alvi ductione & missione sanguinis, id operam dat, ut dolor capitis, adhibitis *opiatis*, ut vocant, remediis relevetur, non modò nihil efficiet, sed etiam nocebit. Nihil quoque medelæ afferent *Cephalica* aut ut vocant, *ocularia*. Non omnia, quæ *oculis* conveniunt, sunt *Appropriata specifica* ac *ocularia*. De quibus ipsis mox erit aptior disputandi locus.

Principem ferè locum in curando habet *purgatio alvi*. Hæc ducenda est aut interdum liquanda, ut suprà comprehensum fuit; *C. celsus* l. 6. c. 6. evidenter: Non nulli, quum aliquandiu nihil vidissent, repentina profusione alvi lumen receperunt. Quo minus alienum videtur, & recenti re & interposito tempore, medicamentis quoque moliri dejectiones, quæ omnem noxiam materiam in inferiora depellant. *Adjicit & hoc: Si diebus eisdem, alvus nihil reddit, ducenda est, quoniam magis superiores partes leventur. Idq́ patet* & *Galeni* & *juniorum* exemplis. *Christophorus â Vega*, Nos sanè *inquit*, ingentes dolores oculorum incipientibus inflammationibus adhibitâ purgatione viginti horarum spatio sanavimus. Placet unius eorum mentionem facere. Cùm enim Gilius de Andrade, nobilis adolescens 22. annorum, Medicum Metinensem omnis bonæ literaturæ expertem vocasset, retulit se vehementem dolorem alterius oculi pati cum acrium lachrymarum effluxu. Medicus verò collyrium album, quod opium recipit, oculo instillare præcepit: rùm eò remedio adhibito, dolor fluxione retētâ augebatur. Ego vero aversit9 ac re intellecta præcepi, ut pilularū sine quib9 ʒj. eamente assumeret, solum autem ovi albū instilaret: cùm autem manè ad ipsum visendum accessi, cùm profectò sine dolore, fluxione & inflammatione inveni purgatum. *Johannes Chiffletius obs. 12. id simili experimento cognovit*: Generosa Domina Comitissa â Pontefau, longâ & molestâ ophthalmiâ, ita vexata est per multas menses anno 1594, ut nec lucem liberè adspicere posset & doloribus continuis affligeretur: consulvi purgationes & alia præsidia artis, sed nunquā potui obtinere, ut aliquo etiam levi cathartico, nedum aloë purâ utere-

uteretur, vici tandem importunitate mea & dolorum vehementiâ acquievit, dedi extracti mei Catholici grana octo, erat enim facilis admodùm ad purgationes, secessit plus duodecies & paulatim solo illo remedio levata reddita est pristinæ sanitati. Ac *Laz. Riverius Obs. Cent. 1. abs. 7. quoque*: Elegans puella fluxionem patitur in oculum sinistrum, neque ullo modo vel venæ sectione vel purgatione sedari potuit. Tandem sumpsit pilularum catholicarum ʒß. quibus optimè purgata, unde rubor & inflammatio valdè imminui cæperunt Pilularum Catholicarum dosis proposita est in praxi medicâ nostrâ Cap. de Epilepsiâ.

Utque alvus citatior medetur *Ophthalmiæ*, ita eâdem vicissim inhibetur *Diarrhœa*. Id quod *Johannes Baptista Montanus Medic. Part. 11. cap. de tansitu morbor. eleganter declarat* hunc ad modum: Qua ratione morbus unus sanetur superveniente altero id hoc etiã exemplo Avicenna, qui semper in exemplis copiosus est declarat. Fluorem ventris ait sanari ab ophthalmia. Sed hic videtur oppositum dicere ei, quod Hipp. docet in Aph. ægritudines oculorum curari à fluoribus ventris, de quo ipse videatur in 6. part. ubi dicit: Lippientem sine ophthalmia laborantem corripi alvo, bonum est. Dico videri hoc loco textũ Avicennæ corruptum esse, aut hoc modo respondendum, Esse inter se causas circulares, ita ut fluor alvi solvat ophthalmiam & econtrariò. Nam cum materia ipsa defluit ad unum locum eorum, ab alio abit & discedit, ab eoque hoc modo ægritudò removetur. Ophthalmia est in genere distillationum, ut dicebat Gal. in 2. de diff. febr. Ideò cum fiat propter materiæ defluxum ad ipsum oculum, si contingat, quod materia illa, quæ assuevit fluere ad oculum, fluat propter causam aliquam ad alvum, tum fit ophthalmiæ sanatio. Si autem materia fluxerit ad ventrem, fit fluor ventris. At verò si contrarium fiat & materia assueta jam fluere ad alvum, non eò, sed ad oculos fluat, tum fit ophthalmia & fluor alvi cessat, & ita invicem sunt causæ, ut ipse loquitur, sanativæ. Quomodocunque igitur sit voluit certè ex uno membro etiam oppositum brevitatis causa intelligi, cum ait: Venter, id est, fluor ventris, qui est ægritudo, sanatur propter supervenientem ægritudinem oculorum, hoc est ophthalmiam. Addit idem autor exemplum

 de sa-

de ſanatione unius morbi propter ſupervenientem alium & dicit: & lienteria ſanat apoſtema lateris.

Purgantia itaque nunquam inutilia videntur. Attamen *Ætiùs* admodùm providè: Si neque ætas, neque anni tempus, neque ſtomachi imprimis debilitas aut alterius cujuſdam viſceris neque aliud quoddam maximum impedimentum fuerit, purgatio eſt aſſumenda. *Hercules Saxonia* rationem *febris* habet, cavendum, *inquiens*, eſt â validis hiſce pharmacis, dum febris adeſt, tunc etiam Rhaſis conſilium amplectitur, qui ſcilicet exhibet lenientia. *Unde Julius Cæſar Benedictus in eandem ſententiam:* Si adeſt febris, hæc prohibet valida purgantia aliter in Ophthalmia admiſſa â divino Galeno 13. Meth. Medendi c. 11. ajente ſe purgante valido medicamento unicâ die oculorum inflammationem ſuſtuliſſe. Sic ſtollenus cap. de Ophth. hæc habet: vidi contumaces ophthalmias non potuiſſe curari, niſi forti catapotiorum uſu, hyera Dyacolocinth. & ſimilibus id genus vehementioribus medicamentis, ſed omnia pro humoris qualitate & quantitate temperanda. Ac *paulo ante ibidem Hallerius:* Nonnulli ê recentioribus Hippocratis autoritate moti, fortiores purgationes non probant, quod ſic commotus humor defluat in oculum, alii contra. Nunc idem *Julius Cæſar Benedictus* illum *Hippocratis* locum monſtrat: Hippocrates libro de locis in homine, de oculorum affectibus loquens ait: hunc ſi ſanare oportet, medicamento caput purgandum, non forti.

Intueatis ſuprà poſitum cunctum verborum textum: *Hippocrates* non de alvi purgatione loquitur ſed de particulari, de *ptarmico* ſeu ut vocant, Caput purgio. Si, *inquit*, mucus hæret inter Capitis os & Carnem, fluxio minimè ſalſa eſt, verùm mucoſa magis. Caput igitur medicamento non valenti purgandum, & corpus tum cibis, tùm medicamentis infrà ſubducentibus attenuandum, quò, attenuato corpore, fluxus reficietur aut per medicamentum naribus admotum divertatur. *At paulò ante:* medicamenta caput purgantia, quæ quidem ſunt valentia â toto capite deducunt, quæ verò imbecillia, ab oculis & inde â vicinis naſo partibus.

Unde & *Sennertus* fallitur: *Et inprimis bilioſos humores, in ophthalmia evacuare utile eſt cùm id maximè in Ophthalmiâ ſanguini per-*

permisti sunt. Observandum tamen est, ne medicamenta acria adhibeantur, ne humores agitati & exacerbati vehementius ad oculos fluant, sed mitiora medicamenta usurpentur. Sive â phlegmatico *ut loquuntur*, humore sive à bilioso sive â melancholico oriatur *Ophthalmia*, aliquanto fortioribus, aliquantoque acrioribus purgantibus medicamentis locus est omninò. *Oculus* est membrum nimis dissitum. Natura igitur fortiori medicamento lacessenda est, ut ejusmodi humores revocari queant. Ii autem ejusmodi medicinâ levi duntaxat moventur, ut ipse *Sennertus* de *Arthritidis* & *Ischiados* curatione disserens, eundem in modum ratiocinatur. At hîc cavet, ne fortiori purgante *humores agitati & exacerbati vehementius ad oculos fluant.* Verùm tali medicamento non agitantur modò, sed etiam excluduntur. Unde sæpè laudatus *Plempius* l. d. eos voco, *inquit*, ad summum judicem Hippocratem. Hic lib. de locis in homine ita decernit: si ubi fluxio in oculos processerit, statim fuerint inflammati, nihil omninò illinc, sed & fortissimo per interna purgato aut alio quopiam per alvum subducente medicamento attenuato, vitando ne vomitum facias. Ac *Christophorus â Vega pilulis sine quibus*, *suo Cathartico Johannes* Chiffletius ac simili medicinâ *Laz. Riverius*, *Diacolocynth. Hollerius* usi fuerunt. *Pillulæ sine quibus*, inquit *Alexander Massarias*, *ad purgandos tenuiores humores & calidiores, pillulæ lucis ad purgandos crassiores & frigidiores sunt magis accommodatæ: earum dosis est à quatuor usque ad sex scrupulos.* Easdem & *aggregativas*, imò & *aureas pillulas* probat *Johannes de* Concoregio. Utque ad vetustiores abeam. *Galenus* fortia purgantia hîc judicat necessaria. *Paulus Ægineta* & *clysteres acriores* ait hoc loco requiri. *Ætius* dat *euphorbium, hieram*, ut *Galenus* *Scammonium*, *Serapio pillulas* Cochias, *hieram & turbit.* Hos cur *D.D. Sennertus hîc desérit ?* Ego certè *ophthalmias* nunquam nisi *valentioribus purgantibus* curari posse comperi. Si autem *febris Ophthalmiæ* jungitur, iis refrigerantia admisceri possunt. Ejus enim ratio potest haberi. Et si, inquit *Hercules Saxonica*, seri copia haberi posset, esset superbibendum. Illud tamen vos monere volo, quod si serum quotidiè in istis calidioribus præbere volueritis aut faciatis illud dejectorium aut diureticum vel præbeatis in modicâ quantitate; Nam ut

ego ipse experientia comprobavi, qui multum hujus accipiunt atq; illud retinent, in deterius collabuntur: Fortè quod serum, sicuti & lac, est valdè vaporosum, replet caput & consequenter etiam oculos.

Nunc *D.D. Sennertus curationem* ita ordinat: Si â causa interna vel etiam externa sit ophthalmia, quam tamen affluxus foveat & sanguis abundet, alvo evacuatâ, mox vena aperienda est.

At Galenus lib. de cur. rat. per Sanguinis missionem Oeconomum Romanum illum opulentum solâ sanguinis missione & quidem ut *Johannes Baptista Silvaticus* loquitur, relictâ purgatione curavit. *Ac ipse Sennertus posteà*: in Ophthalmia frigidâ & crassa quia sanguis est admixtus, secetur vena humeralis vel Cephalica ante purgationem, posteà frictionibus, ligaturis, cucurbitulis impetus humorum avertatur. *Hæc ille.*

Paulus Ægineta certè *Galenum* sequens, etiam principe loco *sanguinis missionem* memorat. Atq; *Ætias ita sentit, itaque interpretis verbis loquitur*: Hippocrates non eidem homini omnia auxilia hæc adhiberi jubet. Sed alii venæ sectionem, alii purgatorium pharmacum. Ac prius de venæ sectione agit quàm de purgativâ Medicinâ. Ex Arabibus quoque *Avicenna*, idem J*ohannes Serapio*. Et quoniam *inquit hic*, oculus est membrum multæ læsionis multi sensus, non opus, ut fatigemus ipsum in principio, imò opus est, ut administremus in principio flebotomiam cephalicæ ex latere ægritudinis. Et si vocat necessitas servabimus eam in die secundo & non facimus hoc, nisi ut attrahamus materiam, quæ currit ad oculos ab ipsis. Est post illud damus decoctionem duorum mirabolanorum, & prunorum & passularum & tamarindorum & fumiterræ cum hierapierâ & turbit. Et accipiant de hac decoctione multoties, donec mundificentur corpora eorum mundificatione bonâ. *Et hoc est, quod & illud Rhases l.9.c.15. scriptum reliquerit*: Post sanguinis autem detractionem, alvus myrobal. citron. mannæ & fructuum quorundam, ut prunorum, tamarindorũ succo, ducenda. *Atq; l.1. Divis. c.19. quoque*: Ophthalmia fit ex multitudine sanguinis. Et signa ejus sunt, vehementia rubedinis oculorum & magnitudo inflationis. Et cura ejus est phlebotomia. *Unde ex junioribus Alexander Massarias,*

ſarias, ſive adſit inquit, ſive non adſit ſanguinis copia, quàm primùm ad ſectionem venæ accedendum eſt. Quod inter cæteros confirmat Avicenna, qui ſcribit ſectionem venæ omnibus ſpeciebus ophthalmiæ convenire. *Sic & Hieronymus Capivanius.*

Zacutus Luſitanus cunctam rem aliquantò acrius perpendit: De phlebotomia plura diximus lib. 1. Ariſt. Princip. Med. in com. hoſt. 53, 54. Quo loco eam pro hujus affectus curatione eſſe ſaluberrimam, ex priſcorum mente firmavimus. Nunc dubitandum: utrùm in omni Ophthalmia vena ſit ſecnada? Græci multoties ſpretâ phlebotomiâ, purgationem imperant celebrandam. Sic conſulit Hipp. 6. Aph. 17. dicens Lippientem corripi alvi profluvio, bonum. Subſcribit Galenus 13. Meth. 11. qui inflammationes oculorum purgatione per alvum per ſanaſſe gloriatur. Arabes cum ſuo magiſtro Avicenna in omni ſpecie Ophthalmiæ ſanguinem mittunt: & phlebotomia, inquit Avicenna, ex cephalica eſt conveniens omnibus ſpeciebus ejus. Dic. Sanguinis perpetuò convenit etiam in cacochymia, qnia præcipue intentio eſt revellendi & ſedandi dolorem, quæ indicationes cum magnitudine morbi conjunctæ plurimùm urgent. Et ſi â cauſis externis oritur. Hippocrates autem non prohibet venæ ſectionem, ſed poſt hanc celebratam, alvi profluvium ſuperveniens approbat, quia tùm cauſa antecedens, tum conjuncta variatur. Quo autem pacto humor poſitus extra venas ope expurgantis pharmaci poſſit per inferiorem regionem edûci, lib. 1. Hiſt. princip. Med. in com. hiſt. 55. enucleavimus, quo ſenſu etiam Galenus eſt intelligendus. *Hactenus Autor.*

Nos ita ſentimus: Si æſtuante toto corpore, graviſſima urget *Ophthalmia*, ante omnia ſanguinem detrahendum ducimus. Poſteà dejectio quodam valentiore medicamento eſt petenda. *C. Celſus enim ita*: Quod ſi graves dolores ſunt, commodius ſecundo die, ſi tamen res urget, etiam primo ſanguis mittendus eſt, utiq; ſi in fronte venæ tument, ſi firmo corpori materia ſupereſt. Si verò minor impetus, minus acrem curationem requirit, alvum, ſed non niſi ſecundo, tertiove die, duci oportet. At modica inflammatio neutrum ex his auxilium deſiderat. Satisque eſt, uti quiete & abſtinentia. *Hactenus Autor.* Si verò gravioris *Ophthalmiæ* vis nondum infringitur,

gitur, jure descenditur iterum ad sanguinis missionem. Intereà illud curæ est, ne alvus semel mota fiat morosior. Fusior enim est valdè salutaris. Si verò dejectionem medicamento molimur, illud valentius sit, necesse est. Suâ enim vehementiâ humores concitatiùs ciet, exigitque per alvum. Quo fit, ut *Ophthalmia* senescat. Eâ motâ, alii humores semper eò trahuntur. Verùm sauguis est patior, qui illum quoque facit ruborem. Quapropter sanguinis detractio quidem requiritur, ad non semper initio curationis. *Sennertus* ait *in Ophthalmia frigida & illa, quæ â crassis humoribus oritur, venam secandam esse ante purgationem.* Ego, existente ejusmodi *Ophthalmiâ*, autor sum, ut alvus moveatur prius, quàm mittatur ex brachio sanguis. Interdum talis *Ophthalmia* sedatur isto fluore ventris. Res est & multis experimentis cognita. Nec *Galenum* & alios testes laudabo. Nec *Sennerto* assensum commodabunt ii, qui *flatuosam* quoque *ophthalmiam* aliquando reperiri arbitrantur. Nam sanguinis missio tunc planè inutilis putatur, ut illorum fert opinio.

Nunc de eo videndum est, quænam vena sit incidenda. Secanda est, *inquit Ætitus*, potiùs superna in cubito vena, humeralis appellata, faciendaque est major sectio, ad hoc ut crassior sanguis evacuetur, veloxque animi deliquium succedat, quo dolor eximatur & inflammationis fervor extinguatur *Rhases rem magis finitè dat hisce:* Per Ophthalmiæ curationis initia, venam humeralem patienti oculo oppositam in extrema manu pollici vicinam aut supra cubitum, secare juvat, nisi leve malum fuerit. Si quidem tunc ê directo partis læsæ secta humeralis vena ut & in consistente fluxus, opera fert. Quo, circa quanto vehementior affectus est, tanto majorem sanguinis copiam detrahere docet. *Unde D.D. Sennertus,* jubet, *inquit,* Galenus Cephalicam κατ' ἴξιν, id est, ê directo affecti oculi seu ejusdem lateris aperire. Quod & Rhases, si minus grave malum sit, suadet. Si autem malum gravius sit, in brachio lateris appositi majoris revulsionis gratiâ & hinc in latere affecto venam aperire jubet.

Verùm *Zacutus Lusitanus multò peritius :* Utrum autem inferiores, an superiores venæ sunt tundendæ ? etiam dubitandum

sera-

Serapio cap. de ophthalmia, & Avicenna mittunt ex cephalica: mesuës, & Rhasis ad Almansorem, ex saphæna solvæ tu breviter, hoc modo: Sectio venæ Communicantis à loco affecto citius attrahit, non tamen æquè fluxum prohibet. Ob necessitatem ergo celeritatis in inflammationibus internis, incipimus â Communicante; in externis doloribus, ab adverso, vel remoto loco.

In Ophthalmia magna & sæva, ob periculum, & dolorem ab affecta parte prius exhauriendus sanguis; in miti, licet à remotione incipere. Vel dic-serapio in pauca plenitudine, gibberi venas feriendas docet: reliqui in multa plethora ex talo vacuandum jubent, maximè si consueta vacuatio per hæmorrhoidas, aut menstrua, sit suppressa, vel minuta: non eam prima sanguinis detractione revocare curabis, vacuato sanguine & toto; sæpè enim licet distantior videatur locus, longe utilior existit, quia semper consultum fuit accedere ad orginem, & originis principium.

Postquam totum Corpus sufficienter vacuatum est & caput adhuc humore calido repletum existit, sanguinem mittis ex ramo venæ cephalicæ in carpo, veni-nasi, frontis, sub lingua, angulis oculorum, quo expires commodius, quòd in oculis ipsis infixum est. *Hæc ille.*

Alexander Massarias & hoc superaddit: Sin autem uterque oculus laboret, utrinque sanguis mittendus est. Deinde *prosequitur D. D. Sennertus*: interdum necessarium est, venas temporum, frontis, & quæ sunt post aures, incidere. *Cur hîc præterit* incisionem *venarum jugularium*, quâ tàm multi tàm feliciter curati fuerunt. In Ophthalmia gravissima si, *inquit Fabricius Hildanus cent. 4. Obs. 14.* plethora maxima adfuerit, pharmaco expurgato corpore, venam in cubito primo, dein jugularem secare soleo: sic enim sanguis circa membranas Cerebri, oculos, faucesque collectus, protinus evacuatur, uti sequenti exemplo videre est. Anno 1600. quinquagenarius & civis quidam Lausanensis N. de Combe imflammatione dextri oculi adeò graviter laboravit, ut de visu periclitaretur & præ dolore dies noctesq; dormire non posset. Ego post pilulas paulò ante prandiũ dedi, latiori vinculo debito modo ligato ægri collo & in oppositam sectionis partem inclinato capite, ut vena magis tende-

retur, ſcalpello venam ſecundum longitudinem incidi, ſanguinisq; ad uncias circiter ſeptem extraxi: Deinde pulvillum ex ſtupis fabricatum, nec non albumine ovi madefactum, pulvereque noſtro ad ſanguinem ſiſtendum aſperſum applicui & faſcia ad oſculum vulneris conſtrinxi. Ex hac venæ ſectione inflammatio oculi protinus ita remiſit, ut intra paucos dies pleniſſime convaluerit, neque eo tempore in hunc uſq; diem, quo hæc ſcribo, nunquam hoc morbo laboraverit. *Hac ille.* Quo modo etiam *vena jugularis* ſecanda ſit, tradunt *Leonhardus Jachinus*, *Nymmannus l. de Apopl. Fabric. Hild.*

Vetuſtiores Medici quoque *venam frontis*, hoc oculorum morbo concitato, aperiri jubent. Eſt etiam, *inquit l.6.c.6. C. Celſus, genus inflammationis, in qua ſi cui tument ac diſtenduntur cum dolore oculi, ſanguinem ex fronte emitti neceſſarium.* Illud modò *Fabricius Hildanus c.5. obſ.17.* affert: Eſt ſectio venæ frontis localе remedium, ut loquuntur Medici, cujus Natura poſtulat, ut univerſalia præcedant. Et tunc maximè convenit, ut monet Augenius de venæ ſentione lib. 7. c. 8. quando materia amplius ad cerebrum non confluit, totiuſque corporis plenitudo fuerit exinanita, ſi verò ſecus accidat, maximè lædit remedium. Quorum verborum veritatem ex præcedente hiſtoriâ videre eſt. *Idem C. Celſus ſubjicit*: ſanguinem ex fronte vel *naribus* mittere expedit. De hujus & aliarum dictarum *venarum* inciſione *Johannes Jeſſenius hoc judicii habet:* Vena frontis ſecatur: ſupra caput unam in hemicraniâ, duas temporum & totidem in oculorum canthis gratiâ ophthalmiæ inveteratæ, ſcabiei & inflammationis palpebrarum. Duæ jugulares venæ in apoplexiâ, catarrho ſuffocativo, aſthmate & peripnevmoniâ ſauciantur. Duas etiam *narium venas*, Lepores dictas, in faciei fœditate, nariumque affectione aperiunt, nullo tamen ferè cum ſucceſſu. *Duæ* ſub petroſis oſſibus occipitii, in inveteratis *oculorum morbis*, capitisque doloribus.

Arteriotomiam etiam *Dn. D. Sennertus* prætermiſit; quare curationem *Ophthalmiæ* iterum facit truncam. Hoc remedii genus *Ariſtoteles 31. Probl.5. Galenus 12. Theraſp.& lib.14. Meth.Med. Ægineta, Avicenna, Meſues, Albucaſis, C. Celſus, Guido de Cauliaco,*

Alex:

Alex. Benedictus, Hollerius Marinellus, Bettus, Leonellus Faventinus, Ambr. Paræus, Heinricus Saporta, Jul. Cæsar Benedictus à Guelfalione, Caspar Wolphius produnt, celebrant, laudant.

Cucurbitulæ quidē non alienæ videtur. C. Celſus enim ita judicat: *Præter hæc ab occipitio incisâ cute, cucurbitula. admovenda eſt: & paulò poſt cucurbitula quoque, inciſo vertice, rectè accommodatur* At *Andrighetus in valetudinario haud tàm facilis eſt*, Neque ſcapulis, *inquiens*, cucurbitulæ applicentur, ſed ê vena inter pollicem & indicem ſanguis ducatur. *Nunc ita Johannes Rhodius cent. 1. obſ. 79.* oculis cum inflammatione dolentibus nonnulli cucurbitulis cum ſcarificatione pone aures ad venæ cephalicæ in humero initium appoſitis ex voto ſubvenire. Quod tamen vix imitandum ad evitandam humoris attractionem.

Sanguiſugas etiam ſilentio involvit *Dn. D. Sennertus*. At *Paulus Ægineta, Avicenna, Heurnius, Höllerius, Duretus* eas ad *parvum oculorum canthum* & ad *tempora* admovendas putant.

Frictiones inferiorum membrorum admodùm utiles exiſtimant *Paulus Ægineta* & *Rhaſes*. Si dolor, *inquit hic, ſit fortis, & comprimantur pedes ejus, & fricentur & ligentur manus ejus & pedes cum ligaturâ forti.* Majorique ſtudio & ex recentioribus *Peter de Thuſſignano* & *Donatus Altomarius* hoc memorant genus remedii. *C. Plinius* lippientibus ſcribit *aures eſſe fricandas.*

Cauteria verticis ac *Cervicis Avicenna, Meſues, Albucaſis* admodùm efficacia eſſe tradunt. Fiant, *inquit Rogerius, duo cauteria in frontibus juxta oculorum angulos vel ſit cauterium in collo vel duobus fontibus juxta oculos inter collum &* Nares *ſub tenuitate aurium.* Atq; autores *cauteria* etiam inter *ſcapulas* figunt ſalutariter, ut *Riverius in obſerv com.* quidam laborabat *inquiens*, â longo tempore inflammatione, quæ tum adnatam, tùm utramque palpebram occupabat, affectus non erat continuus ſed recurrens; vana uſurpata fuerant anteà remedia, ſed fruſtrà. Tandem præſcripſi duo cauteria inter duas ſcapulas geſtanda nec non cucurbitulam utrumq; amplectentem, applicandam, urgente nimirum fluxione: quod cùm præſtitiſſet, ſani omninò illius oculi evaſere.

Setaceum certè plerunque juvat. *Idque Michael Johannes Paschalius confirmat hisce*: filum collo trajicitur per tres digitos sub nucha, priùs tamen apprehende forcipe cutem, donec sensus tactus abeat & post acui inserto filo crasso facto ex pilis caudæ equinæ vel (ne tantus dolor excitetur) seta vel lino perforamus, ut in vulnere. Acu ablatâ, filum maneat, quod ulcus diu apertum servet, ut per id puris multitudo evacuetur. Divitibus aureum annunulum immittunt, loco fili acu ablata. Quotidiè removent dictum filum vel annulúm & manè, vesperique abstergunt materiam. Hoc auxilio revellente & vacuante multis oculi acies fermè amissa fuit in pristinam sanitatem restituta, ut egò sæpè expertus sum in plerisque & in filio meo nato octo menses. *Hæc ille. Leonellus Faventinus,* Setaceum, *inquit, miro modo juvat. Quod expertus est Leonellus, cujus ego sum ocularis testis.* Illudque remedii *Amatus Lusitanus, Duretus, Caspar Wolphius* prædicant. Ipse quoque hoc sæpius prodesse comperi.

Ptarmica abjudicant *Hippocrates, Galenus, Avicenna, ex junioribus Arculanus* ac *Bened. Vict. Faventinus*, alii non peræque, partim probant. *Æginetam* secuti, ut *Alex. Massarias, Antonius Altomarius, Lud. Duretus, Jacobus Sylvius, Eust. Rudius, Rondeletius, Heurnius, Saxonia, Forestus, Nic. Piso, Jul. Cæs. Benedictus. D. D. Sennertus hanc rem ita æstimat*: Alii ea improbant, utpote quæ ad anteriora & oculos trahant. Ut autem rem breviter expediamus, omninò in Errhinis major cautio adhibenda, utpote quæ ad vicinas oculo partes trahant, quod non fit in apophlegmatismis & gargarismis, quæ per posteriora avertunt. Ideoque non nisi totius evacuatione & capitis purgatione præmissa & cùm æger consuevit per nares excrementa capitis evacuare, ea & quidem non fortiora, conveniunt, neque etiam facilè, dum materia est in fluxu ad oculos, adhibenda. *Verùm multo acrius judicium hoc loco facit Zacutus Lusitanus,* Utrum, *inquiens,* Errhina in oculorum affectibus sunt usui, est quæstio. Quod sint reprobanda, facit argumentum fortissimum quia humores ad oculos attrahunt, cum per eosdem poros deferantur ad angulos oculorum, & ad poros nasi. Sed hæc ratio non est sufficiens, ut concedamus omnia caputpurgia omni tempore esse arcen-

arcenda;nam aliquando adhibita non leve ad curationem momentū attulerunt. Tam nasus,quā palpebræ,oculi expurgationi innaturali statu deserviunt,ob exquisitum oculi sensum,teste Galeno lib. 1. de sanit. tuo cap.18. Quod si verum est, cur salubriter non licebit materiam peccantem in oculorum affectibus, post exquisitam expurgationem ad nares derivare? Hoc præceptum priùs edocuit Hip. lib. de loc. inhom. *ante medium* num.21. sic enim ait: Si autem à carne & osse, muco inter os & carnem subsistente fluxus ad oculos fiat, ex hoc manifestum fit, quòd inde profluit. Et infrà sic ait: narium autem in oculos paulatim fluxerit, & pruritum fecerit, ad nares medicamentum adhibebis. In hunc sensum intelligendus est Galenus lib.6. epid. sect. 2. com.33. dum in oculorum affectibus narium transitus apertos esse, edocuit cum Hippocrate. Hic enim sic ait: Transitus aperiri. Ut nares. At Galenus in com. sic inquit: Id per se quidem memoratu dignum est: Conducit enim omnes supervacuorum excretorio? meatus aperiri.Et cum superioribus verbis conjungi potest, duplicem sic utilitatem præbens, propriam quidem in oculis Rhyode morbo vexatis, ire: Est autem Rhyas, auctore Paulo lib.3. Cap.22. rubric:20. carunculæ in majori angulo imminutio.Ergo ex mente Galeni, in oculorum affectibus nares aperire convenit, hoc est mucosam materiam in oculorum tunicis impactum per nares,& earum canales excernere,iis medicamentis, quæ expurgare nata sint. Posuit autem exemplum in Rhyade, cæteros oculorum affectus subintelligens: num sub uno exemplo cætera comprehenduntur, ex Galen. 5. Aph.33. & 1. acuti. 33. & 3. ejusd. com.42.Hinc profectò est,ut introductorii.seu medici autor, (Cynē Herodotum esse fatetur Galenus, 6.epid. sect.2.com.43.) cap.25. disertè scribat isthæc medicamenta caput per os, aut nares expurgantia, propriè in affectibus capitis, & oculorum sumi: Et Galenus 6. de sanit tuend.cap.17. aperte oculis affectis hæc laudat medicamenta.Hoc etiam respiciens Hip. lib. 7. epid. post cleomenis & Coci historiam, num.37. ita prodidit: quibus fluxiones in oculis tenues, ac diuturnæ, si naturæ in nares præcesserint, prosunt. Quasi dicat, humor in oculis infixus, per nares, sive à natura, sive ab arte ex-

purgetur, bonum. Quare post coctionem, atq; exquisitam totius, & Capitis vacuationem, nasi fusoria, præsertim levia, in oculorum affectibus summoperè præstant, hoc enim tempore per eandem affectam partem vacuare 2. ad Glauc. & alibi sæpe nos docuit Galenus & eò magis per viam proximam, quod evacuationis genus derivationem rectius dixeris. *Hæc ille. C. Celsus* gargarizationes etiam in Xerophthalmiâ probat. Manè, *inquit hic*, ubi concoxisse manifestum est, non alienum est, ex sinapi gargarizare, tùm deinde caput atque os diutius perfricare. *Et paulò post*; ex sinapi gargarizandum.

Nunc ad *externa ocularia*, ut vocant, remedia venitur. *Lac Mulieris puellam nutrientis Rhases, Mesues, Almansor, Plinius Valerianus*, hinc *Lanfrancus, Gul. Placentinus de Saliceto, Gatenaria, Valescus de Taranta, Bertrucius, Peter Bayer* curâ quadam memorant. *Hujusq; rei* rationem *Arculanus detegit:* est præparandum collyrium in lacte mulieris juvenculæ. Alias docet esse præparandum in lacte mulieris nutrientis puellam, quod ultimum intelligendum est, ipsam peperisse illam, quam nutrit, sic enim lac est frigidius & humidius. Est autem melius, ut sit juvencula, quàm senex, quia lac ipsius est humidius, licet calidius, calida parte vivificante & spumosâ oculo conveniente. *Eamque simili modo* exponit *Zacutus Lusitanus*, novissime addubitans, an Lac salubriter adhibeatur. *Verba inserantur*. Dubitandum, utrum lac dolentibus oculis instillandum: Galenus 4. sec. loc. cit. illud vehementer laudat. subscribit Acit. ubi supra. Nam est conveniens, ut dimittatur distillatio lactis in oculo tempore longo, imò oportet ut removeatur omni hora &c. Nam corrumpitur, & acessit. Instilletur ab ubere, & sumatur ex juvencula boni succi. 4. sec. loc. cit. Addunt; ut sit ex lactante fœminam, quia frigidius & humidius: sitque è tertio mense ad annum: recentius enim incoctum est; antiquius, crassum, calidius. Medium temperat ardorem, dolorem lenit, squallentes oculos humectat. At si hæc vera sunt, quare Aëtius tetrab. 2. serm. 3. cap. 10. tantoperè hoc Auxilium condemnat; dum sic ait: quidam porro dolorem obtundere volentes, & caliditatem, & acrimoniam edulcare, lac pro uno infunduntdecipiunt autem seipsos, ex ignorantia, pro-

proparvo ſolatio, diuturnam affectionem ægro propinantes. &c. Quaſi dicat, lac licet dolorem leniat, cum tamen ſit craſſi ſucci humores arctat, & reſolutioni contumâces reddit, ob hanc cauſam in longum tempus protrahitur morbus. Hi ergo auctores ſic ſunt interpretandi, ut Galenus loquatur de urgente dolore Aëtius de medico. Cum enim vehementer hoc ſymptoma inſoleſcit, vires eneruant, dejicit, ac tandem capite debiliori reddito, & ad id plurima hac de cauſa humorum copia attracta lethales ſequuntur oculorum, & capitis morbi, qui ſæpe ægros ad necem perducunt. *Hæc ille.*

Verùm cur *lac* illius matris, quæ infantem puerum fuit enixa, ſit calidius, facile intellectu non eſt. Lac venit de ſanguine. Quapropter & ille ipſe tunc fervidior erit. Ob eandem rem & *hepar* aut *cor*, quæ viſcera quibuſdam videntur eſſe ſanguinis conficiendi organa, tùm temporis magis æſtuabunt. Ego magis referre reor, quinam liquor lactantibus potui detur. Si vinum bibitur, lac calidius erit & ſiccius, ſin aqua, & frigidius erit & humidius.

In *Lac* quemadmodum & in *albumen ovi*, *poma* adduntur. *Alex. Maſſarias* ſic:

℞.	pulpæ pomi cocti	℥j.
	micæ panis infuſæ	℥ß.
	Ovum	No. j.
	Lactis muliebris	qſ.

Sillanus: ad idem coquantur tria *poma* in igne vel in prunis, dentur poſt coctionem, cum quibus vitella trium ovorum miſceantur & ponatur ſuprà oculum.

Alii *ad hunc modum:* Poma tria decoquantur in prunis, deinde mundentur & miſceantur cum albumine trium ovorum, addito uno vitello propter dolorem.

Johannes de Concorogio, commune, *inquit*, ſedativum doloris fit ex pomis coctis.

Rondeletius: Anodynum præſtantiſſimum eſt ex pomis dulcibus.

Platerus & Saporta probant *Poma ſemiputrida*, ut & *Arthritide* urgente.

Deco-

Decoctum *fænugræci Galenûs l. 13. Meth. Med.* laudat, maximè omnium, *inquiens* quæ oculis applicantur, ſine offensâ digerit. Hinc *Matthiolus: fænugræci decoctum ex aquâ oculorum inflammationes arcet inſtillatum.* Nunc ad propiora. Non *ſemen fænugræci* adhibetur, diſpiciente *Petro Salio Diverſo*, *cujus verba ſunt hæc*: Explicans Altomarius pro Ophthalmiæ ratione lenitivos liquores enumerat fænugræci decoctum, in quo animadverto, quod non ſumatur ſemen, quoniam hoc magis calidum eſt, quam conveniat in oculorum inflammatione, cum ſit calidum in ſecundo gradu & ſiccum in primo, ut habet Galenus l. 8. de ſimpl. Med. de Teli. Sed aſſumatur herba, & ejus folia pro formando hoc liquore, in quo conficiendo ſerventur præcepta ab Ætio tradita lib. 7. cap. 15. hæc duo particularia obſervando, primò, ut optimè abluatur, ne pulverem admixtum habeat, ut etiam notat Galenus l. 13. Meth. Med. cap. 27. circa medium; ſecundò ne habeat ſemen permixtum. Et hoc libenter animadverto, quoniam vidi maxima errata commiſſa in actu medendi, aſſumpto ſemine loco foliorum fænugræci in hunc uſum, valdeque hinc exacerbatas ophthalmias eſſe. *Similiterque Ludovico Septaliò Animadv. l. 6. 97.* Obſervandum præterea Galenum & 13. Meth. 22. & 4. de comp. Med. ſecund. loc. c. 2. inter lenientia dolorem in oculorum inflammatione cum albumine ovi & lacte collocaſſe decoctum fænigræci. Id verò plerique Medici parant ex ſemine, cum alioqui id magis ſit calidum, quàm conveniat in oculorum inflammatione, cùm calidum in ſecundo gradu & ſiccum in primo poſuerit Galenus ſem. 8. de ſimpl. Med. fac. Aſſumi igitur pro parando hoc decocto ad fovendos oculos habebit herba ipſa & ejus folia, alioqui augebitur inflammatio.

Non abs re erit, veterum, recentiumque autorum remedia, prout ſe offerunt, recenſere.

Roſa: Octavius Horatianus: *æſtivas perturbationes oculorum etiam decoctio roſarum ſola curat calida* C. Plinius.

Abſinthium & *Abrotonum*: Dioſcorides, & Octavius Horatianus.

Folia oleagina commanducata: Marcellus.

Acacia: hanc Avicennæ interpres ait *confortare* &, ut loquitur, *ſubtiliare viſum.* C. Celſus *imponit cum aliis*, ac Plinius Valerianus *cum ſucco porri. Marcellus* quoque.

An-

Antimonium Averroës & Avicenna, *conservat* inquit hic *sanitatem oculorum.* Halyabbas: *collyrizatum. Dioscorides l.5.59. oculorum aliena expurgat.* Autor libri de simplici medium. Platearius conficit collyrium ex eo cum nucleis myrobalanorum citrinorum & aquæ rosarum vel cum thucia. Plinius Valerianus, Marcellus, Oribasius, Paulus Ægineta, Scribonius vocant *stibium.* Platearius conficit *collyrium cum nucleis myrobal. aq. ros. vel cum tucia.*

Mulieris Saliva: Marcellus: *si mulieris saliva, quæ pueros, non puellas ediderit & abstinuerit se pridiè vino & cibis acrioribus & inprimis si pura & nitida erit, angulos oculorum tetigeris, omnem acritudinem lippitudinis lenies, humoremque siccabis.* Mox ait *primiparæ* salivam esse debere.

Corallus: ustus, inquit Avicenna, *confortat oculum abstergendo & exiccando humiditates infusas in eo,* Haly quoque & Serapio.

Helleborus: ex eo conficit *Pulverem* Avicenna, *Fumigium* Plinius, Serapio *collyrium, decoctum* Macer.

Granatorum succus: Serapio, Isaac Mesues. Ac *collyrium de succo granatorum* fertur.

Margaritæ. Serapio secundum Rhasem. *fortificant nervos oculorum*, ita ferè Haly, Averroës, Mesues. Conferunt, *inquit* hic, *margaritæ sordibus oculorum.*

Sal Ammoniacus: Marcellus: *Salem ammoniacum exustum permisce lotio pueri investis*, Galenus: *Ammoniacum vim habet extergentem cum levicula acrimonia & levissimâ adstrictione. Itaque ocularibus miscetur facultatibus.*

Stercus muris adustum: Avicenna.

Marrubium: Dioscorides, & Haly: *Succus cum melle bibitus, confortat visum* C. Plinius l. 20. Phil. Sextus: *fel vulturis cum succo marrubii convenit.* Horatius Octavianus.

Mel in quo apes mortuæ sunt: Plinius ait oculis esse utilissimum Avicenna, Serapio, Marcellus, Plinius Valerianus.

Sarcocolla: Serapio secundum Haly: *potio sarcocollæ ad laxandum ventrem, habet proprietatem juvandi oculos*: Albucasis hinc, Hinc & Platearius.

Scarabæus: Marcellus: *ſcarabæus coloris ſmaragdini tantum beneficii oculis præſtare dicitur, ut viſionem ei accutiſſimam reddat, qui cum contemplatus fuerit aſſiduè.*

Smaragdus: Serapio: aſſiduatio aſpectus in eũ, præſervat viſum â nocumentis & incolumem ſervat. *LapidēGagatis boſtrychiten Lupinum,* Marcellus. *Agatem lapidem* Albertus & Lapidarius. Eademque de *Saphyro* & de *Chelidonio lapide. Hæmatites:* Plinius & Serapio.

Chelidonia: Almanſor & Avicenna: *acuere viſum,* ut PULVIS. *Succus coctus,* inquit Albukaſis, *cum melle in vaſe æneo poſitus in oculo, eſt magnæ virtutis in clarificando.* Et Plinius l. 25. *ſimiliter:* ac C. Plinius Valerianus. Serapio ſecund. Gal. *ſuccum oculos abſtergere. Succo,* inquit Apulejus, id eſt *lacte, ejus oculos liniunt vel ſucco cum radice cum vino melle & pipere vel flores commiſti cum melle.* Plin. Valer. Ignotus, Macer *eodem modo.*

Crocus: ad *oculorum lumen conferre eum* ſcribunt Avicenna, & Serapio ſecundum Dioſcoridem. Alex. Tral. *ad maximam ophthalmiam fiat crocus cum mica panis, luteis ovor. ac roſaceo.*

Fœniculum: Iſaac, Serapio & Haly *ſuccum vel foliorum vel ſeminis vel radicis & eum ſolis calore exiccatum:* ejus *vero grana commendat* Avicenna. Plinius l. 20. *fœniculum nobilitavere ſerpentes guſtatu ſenectam exuendo; oculorumque aciem ſucco ejus reficiendo. Unde intellectum eſt, hominum quoque caliginem præcipuè eo relevari.* Stephanus Athenienſis *fœniculum maſticatum* laudat. Plinius Valerianus.

Hepar capræ: Dioſcorides & Serapio.

Fel: omne Fel, Avicenna. Averroës, Serapio & quidem *fel galli, Coracini piſcis, urſi, leporis, teſtudinis, anguis, aquilæ & ſcorpionis marini* C. Plinius. Haly *Vulpis ac accipitris fel,* Kiranides Serapio Plin. Valerianus & Sextus *Lupi, perdicis teſtudinis & varioli piſcis* cum melle, oleo & cera, Serapio *fel hirundinis, capræ fel Avicenna,* Plinius, Serapio, Sextus, Kiranides, *Leonis fel* ac *Hyenæ fel* C. Plinius. Rurſus *aquilæ fel* Plinius Valerianus. *Aquilæ fel,* inquit hic, *cum myrrha & nitro uncia una, inunges, viſum clarum reddit, etiam ut acutiſſimè videre ſe intelli-*

telligat. *Democritus* Marcello ſcribente adfirmat *felle hyenæ ſi frons perfricetur, epiphoras incipientes ac omnem oculorum dolorem poſſe ſedari.*

Roſmarinus : ejus ſemen C. Plinius.

Serapio : *collyrium ex ſucco radicis & foliorum ejus.* Hic ſecundum Galenum : *Dioſcorides : convenit oculis, ad quos currunt humiditates.* Plinius valerianus : *ejus cinis.*

Spodium : C. Plin. l. 23. c. 4. oleaſtri foliorum eadem natura. Spodium ê cauliculis vehementius inhibet rheumatiſmos. Sedat & inflammationes oculorum, purgat ulcera.

Ruta : Avicenna, Plinius, Haly *comeſtam & alligatam. Dioſcorides :* ruta cum polenta ac ſtephanus Athenienſis. Plinius Valerianus : *ruta in polenta trita & impoſita lenit dolorem. Cum melle lachrymoſis oculis prodeſt illita.* Item arcellus. *Ex vino bibi jubet* Macer quoque & Platearius.

Laurus ex vino cocta : C. Plinius Valerianus : *oculis humorem tollit & dolorem omnem emendat.* Sic & Marcellus.

Salix : Avicenna : *gummi*, Serapio : *lac*, quod *inter corticem invenitur. ſuccus* inquit Plinius, *emanans ex cortice inciſo.*

Cardui agreſtis ſuccus : Plinius Valerianus : *ad aciem oculorum.*

Satureja : Serapio & Marcellus.

Pulegii flores : Marcellus.

Serpentis Adeps, Serapio, Avicenna, Haly, Plinius & Kiranides. Marcellus : *adipem omnium fluvialium piſcium cum melle oculis prodeſſe.*

Thus : Dioſcorides Q. Serenus, Galenus, autor Iſag.

Myrrha : Galenus.

Betonica : Plinius 25. Stephanus Athenienſis : *betonicæ folia emplaſtrata* Dioſcorides : *betonicæ ſuccum oculis inſtillatum* Antonius Muſa : *Betonicæ herbæ radices ex aqua ad tertias coquito & ex eâ oculos foveto : ipſa autem folia ejus trita ſupra frontem & oculos imponito. Betonicæ drachmam unam aquæ calidæ cyathos quatuor jejunus bibat, deducit ad inferiorem eum ſanguinem, qui caliginem oculorum facit.* Serapio : *drachma una*

cum aqua calida assiduè in jejunio sumta, obscuritati confert. Marcellus: *succum betonicæ tenuissimum oculis infunde, clariores eos facies & importunam lachrymarum destillationem citò siccabis. Q. Serenus.*

Hirundo: ejus *Cerebrum* Plinius *fronti circundatum*, ac *hirundinis caput combustum*: Serapio & Haly: *pulvis & fel* Albukasis: *cinis pullorum cum melle.*

Hirundinis Sanguis. C. Celsus l. 6. c. 6. extrinsecus interdum si ictus oculum lædit, ut sanguis in eo suffundatur, nihil commodius est, quàm sanguine vel *columbæ* vel *palumbi* vel hirūdinis inungere. Neque id sine causâ fit, cum harum acies extrinsecus læsa interposito tempore in antiquum statum redeat, celerrimeque hirundinis. Unde etiam locus fabulæ factus est, aut per parentes, aut id herba chelidonia restitui quod per se sanescit. Earum ergò sanguis nostros quoque oculos ab externo casu commodissimè tuetur hoc ordine, ut sit hirundinis obstimus, deinde palumbi, minimè efficax columbæ & illi ipsi & nobis. Alioqui: *Sanguis columbæ & cuniculi*, Dioscorides, Avicenna Serapio, Kiranides. *C. Plinius Valerianus* album ovi hirundinis. *Mox hæc:* Hirundinisque pulli sanguinis suffusioni oculorum exectum ungi prodest & in perpetuo oculi non dolebunt. *Deinceps.* Ad caligines & omnia oculorum vitia: *hirundinis pulli* plenâ Lunâ in nido suo excæcantur de acu Cyprina, notanturque, ut cognoscantur restituta acie, capita eorum vel ipsi integri in ollâ novâ vini comburantur in cinerem, teruntùrque in pulverem ex ligno ficulneo vel terebynthino, cinisq; eorum cum felle canis latrantis diebus septem, partibus duabus balsami & castorii partibus singulis tritis benè inunctus plurimùm facit, miraberisque jam desperatus sanare. *Plura* inferius *Marcellus* referet. *Illud verò est, quod huc propriè spectat:* Chelidonia herba in hirūdinum stercore nascitur, quæ oculis plurimum suffragatur, maximè autem caliginem deterget. Hirundinis ventriculo scisso albi & nigri lapisculi inveniuntur, qui si lupino aureo includantur, & collo suspendantur, omnem dolorem, oculorum perpetuò avertent.

Hirun-

Hirundinum pulli plenâ lunâ excæcantur, reſtitutq; eorum acie capita comburuntur: horum cinere cum melle mixto rectè uſus fueris ad reparandam oculorum claritudinem. *Hæc ille:* Ad idem alia prædicantur. *Ciconiæ pullum*, inquit *C. Plinius*, qui ederit, negatur annis continuis lippiturus. Item, qui *draconis caput* habeat.

Marchaſita: Avicenna, & *Serapio* ſecundum Abúgerig: *uſta & non uſta.*

Urina pueri Virginis: Plinius, Meſues, Marcellus, Octavius Horatianus.

Lotium virile: Marcellus & C. Plinius l.28. c.6.

Arundo Sacchari & Saccharum ipſum: Avicenna ait *oculos expurgare & extergere.* Serapioque, *obſcuritati conferre* Ad digerendum, inquit, P*ulverinus ex recentioribus*, ſalutare remedium erit, ſi ſumatur fæniculi pes vacuus & plenus Zaccharo violaceo ſubtiliter pulverizato, qui per totam noctem ſub die paſtorali permanſit, per plures dies in oculum immittatur.

Arundinis folia trita cum lacte muliebri: Dioſcorides.

Fæx Vini: Serapio. *Cadmia*: Minius.

Lac, Avicenna. *Aſinæ Lac* Serapio & Sextus, *Lac Capræ*, Serenus. *mulieris* Plinius, Dioſcorides, Alexander Trallianus *C. Celſus*, Rhaſes, Serapio, Almanſor.

Thutia: Plinius, Albukaſis, Serapio Haly, Avicenna.

Æs uſtum: Galenus, Marcellus, Scribonius.

Plumbum: Serapio *Sief de plumbo* facit. Aitque *uſtum abſcindere curſum humiditatum ab oculis.*

Ceruſſa: Græci & Arabes: *pſimmithium*: Scribonius Largus.

Lithargyrus: *ablutus* inquit Serapio, & *dealbatus collyriis convenit.* ac Galenus de compoſ. Med. fac. l. 4. c. 4.

Pſoricum: Marcellus: Dioſcorides: habet aliquod Chalcitidis & Cadmiæ.

Verbena: inde collyrium Theſſali.

Cochleæ ſine putamine tritæ. C. Plinius Valerianus: *ſuſpendunt lachrymas.*

Vitriolum: Serapio ſecundum Dioſcoridem: *uſtum convenit medicinis oculorum.* Marcellus ita: ad lachryams & tumores oculorum lippientium reſtringendos atramentum ſutorium, id eſt, *Chalcantum* viride Cyprinum tundes & albo ovi miſcebis. *Myſi*: Scribon: Largus.

Cinnabarin, Galenus. *ſtannum*: Avicenna,

Caprinus fimus. *Plin. Valerianus*, & Marcellus.

Caprinus caſeus recens coagulatus ſuprà oculos poſitus dolores citò lenit, ſic & Octavius Horatianus,

Butyri fumus: Serapio ſecundum Dioſcoridem: *abſcindit fluxum humiditatum ab eo.* Albukaſis etiam. *Picis, pini & reſinæ fumus lachrymas ſiccant*; Avicenna, Albukaſis, Serapio, Dioſcorides ipſe l. 2. c. 66. De butyro infra ac de *fuligine.*

Ovum: Galenus l. 13. Meth. Med, 21, Plinius 29. *cum lana fronti vel albumen cum pulvere thuris*, ſic & *Serapio* nec non & *Avicenna.* C. Plinius Valerianus: album ovi *hirundinis*: ac quoque album ovi *paſſerini. Ovi luteum*: Dioſcorides & *C. Celſus Dioſcorides Ovi conditum infuſum.* C. Plinius Valerianus, hinc Platearius.

Muſca: C. Plinius, Plinius Valerianus, Octavius Horatianus, & Galenus: *ſi chymoſis fortis, ovi luteum cum muſcæ carne, lib. 3. de comp. pharmac. ſec. loc.*

Pſyllium: Dioſcorides & Serapio *infuſum aqua linita petia fronti.* Dioſcorides *cum lacte muliebri.*

Hyoſcyamus: Dioſcorides & Galenus. Plinius Valerianus. *Mandragoræ radices tuſæ ac circumligatæ dolorem illicò ſedant. Folia cicutæ trita & impoſita fronti epiphoras & Dolorem & tumorem tollunt* Papaveris *Sylveſtris ſuccus*: Dioſcorides, Galenus, Marcellus.

Melilotus: Dioſcorides l. 3. c. 41. *inflammationem omnem emollit, præſertim, quæ in oculis erumpit, ſi ex paſſo cocta illinatur. Interdum autem addito ovi luteo aſſato aut fænugræci farina, lini ſemine aut polline aut capitalis papaveris, intyboque.*

Verbaſcus: Dioſcorides l. 4. c. 99. *verbaſci illius, cui flos aureus, folia cocta in aqua.*

Pepo & Sedi genera: Dioſcorides: *Humilis cucurbita ſeu Tilallayotli,* uti hodiè â peregrinis nominatur.

Vitis folia: Autor libri de ſimpl. Medic. *oculis ex rheumate dolentibus proſunt vitis folia.*

Cornu: Haly.

Camphora: Haly *aq. roſarum cum camphora.* Hinc Platerus, Solenander, Garcias, Renodæus, mox Crollius, & Hartmannus ex junioribus.

Anagallis: Dioſcorides, Plinius, Serapio, Marcellus. Hinc *aq. ophthalmica* Hermanni Conerdingii.

Cucurbita: Galenus & C. Plinius Valerianus ita: *cucurbitæ viridis ramenta trita & ſuper tumentem oculum impoſita tumorem & dolorem emendat.* *Cucumerem* Marcellus: *Peponum folia* Octavius Horatianus.

Ciconiæ pullus: Marcellus: *qui ciconiæ pullum elixatum comederit, negatur multis annis continuis poſſe lippire.*

Coriandri ſuccus cum muliebri lacte: Galenus l. 4. de compoſ. pharm. ſec. loc. C. Plinius Valerianus ita: *Coriandrum viride tritum & mixtum lacte muliebri, ſuper tumorem oculorum inunges & ſtatim ſanat.* Sic & Marcellus. Atque ad hunc modum prodeſſe *Apium folia. Platani*: Galenus.

Portulaca: Galenus & Octavius Horatianus.

Thus & myrrha cum ovi condid. etiam ille & reliqui Græci, *Galenus l. de Antidotis.*

Nunc *Exotica ocularia externa* commemorantur.

Huitxiqua, quam Michuacanenſes *Huitxiqua* vocant, Mexicenſes *Xoxocapatli* nuncupare ſolent. Eſt frutex, folia fundens oblonga. Folia calida & ſicca & pauliſper adſtringenti videntur conſtare naturâ. Tumicam faciem curat. Et pulvis ejus capiti impoſitus, abſiſtit defluxionibus oculis offundentibus tenebras: *Nard. Anton. Recch.*

Mizquitl ſeu ſiliqua Acatiæ. *Hujus è tenerrimis turionibus* defluens, expreſ-

expressusque aut aqua ubi aliquandiu iidem maduerint, illita mirum in modum oculorum morbis auxiliatur. *Idem.*

Ezquahuit. Arboris liquor, qui scarificatâ arbore copiosè fluit, oculis inflammatione laborantibus mirè subvenit. Partes enim habet nonnullas frigidas, siccas & adstringentes. Quare mirum non est, si calidas etiam quasdam partes possidens, vincentibus frigidis in ea, id operetur. *Idem.*

Cacapolton arbusculæ folia acinique acinorumvè curant inflammationes oculorum.

Tlacoxiloxochitl suffruticis flores tusi & immixti aquæ & instillati, oculorum morbis mirè opitulantur. nam inflammationes cohibent, ad nascentem carnem absumunt & discutiunt argemata.

Coatli suffruticis gummi.

Jacuache succus oculis instillatus: *Nierembergius.*

Ccualchiltic fructus.

Tenamaz Nanapula: ejus ex germinibus tenuioribus defluens liquor, instillatus medetur oculis, si inflammatione tententur.

Tepehoila Capitzxochitl volubilis genus est. Utuntur ea Indi adversus calorem & ad tumores præter naturam repellendos. Nec non & ad compescendum sanguinem, qui è vulneribus fluit & curandos oculos inflammatione tentatos, præcipuè si misceatur *Tolvatzin.*

Cozotmecatl: mira de hac planta china audio, quæ enarrantur. Sanguinolenti oculi brevi illustrantur & pristino restituuntur nitori, apposito tantùm folio: *Recchus* & *Nierembergius.*

Chicallotl seu *papaver spinosum:* ejus lac oculis infusum cum lacte mulieris, quæ fæmellam peperit, inflammationes eorum sedat.

Tlalapaltic: inflammatis instillatur oculis, etsi nonnihil calidæ sit temperiei & lenis cujusdam naturæ particeps.

Quaquahutzontic radicis succus, inquit *Nard. Ant. Recchus,* medetur oculis inflammatione laborantibus. *Sic & Joh. Eus. Nierembergius.*

Matla-

Matlalytztic Tetzocana ſuccus oculis inflammatione aut perturbatione tentatis dicitur prodeſſe.

Cicimatic ſimiliter.

Quilamolli herbæ folia reſoluta ex aqua, illitaque medentur inflammationibus & maximè oculis puerorum inflammatione tentatis proſunt.

Tlalamatl herba tuſa & illita, oculis, eorumque inflammationi medetur.

Acxoyatic. Joh. Euſebius Nierembergius.

Ololiuhqui ſeu planta orbicularium foliorum: Seminis ejus eſt uſus in medicinâ, quod tritum ac devoratum, illitumque Capiti & fronti cum lacte & chilli, fertur morbis oculorum mederi.

Hucipochotl Huaxacenſis lachrima ſtillans è perfectis germinibus, inflammationi oculorũ mirum in modum conferre proditur.

Mateillu eſt herba jucunda palato, ſed ſaluberrima obtutui: namque præmanſa & impoſita oculis una atque altera nocte, omnem oculorum vincit morbum, nubem abſumit, pacat dolorem, reponit ſuæ ſedi oculum, reſtituitque viſum uſque ad miraculum. *Joh. Euſebius Nierembergius.*

Totonea Xoxocoyollin inflammatis oculis confert.

Chicomatatl Nieremb.

Atlatzon Pillin.

Exotica ocularia interna ſunt hæc.

Tlatlauhcapatli Alſinifolia: Radix eſt dulcis & nonnihil acris. Eſt mirabile medicamentum adverſus pectorum & oculorum morbos. *Nardus Antonius Recchus & Joh. Euſebius Nierembergius.*

Talat Zopillin radix frigida primo gradu eſt, infuſa & pota omnem à causâ calidâ ortum morbum brevi curat; Medetur & oculorum inflammationibus.

Pinahuihviztli radicis ſuccus medetur tertianis febribus, oculis inflammatis, ſomnumque inducit. *Recchus & Nieremb.*

Naviytepuzt febrientibus confert & oculis medetur inflammatis, *Nard. Anton. Recchus & Joh. Euſ. Nierembergius.*

Totoncaxoxo Coyolim Radix tuſa & infuſa è liquore aliquo expur-

gat inteſtina, ſemen retentum pellit, inflammatis oculis confert & urinam elicit.

Cozticpatli radices coctæ ex aqua fluxum puerorum cohibent & ſuccus medetur oculis.

Vexochitl ſeu floris Vetl ſuccus inflammatis oculis dicitur opitulari ac jus decocti dyſenteriis. Recch. & Nieremb.

Tlatlauh Capatli radix, cujus eſt præcipuus in medicinâ uſus & acido aliquantiſper ſapore, medetur dyſenteriis, aliiſque fluxibus, oculorumque inflammationi.

Ayecocimatl: Nieremb.

Carambolæ: Nieremb.

Non tàm ex his *alienigenis* remediis quàm ex ſuperioribus ſimplicibus conficiuntur varia *externa medicamenta.* Inter quæ collyria *Marcellus Lycium Indicum* laudat maximè, ad conturbationes & lippitudines ſubitas, epiphorasque oculorum ſcio multa collyria, tametſi tardè, magnos tamen effectus habere. Sed nulli collyriorum tantum tribúo, quantum Lycio Indico vel per ſe: hoc enim inter initia, ſi quis ut collyrio inungatur, protinus & dòlore præſenti & futuro tumore liberabitur: ſuper vacuum autem eſt nunc laudes ejus referre, in aliis enim expertus, intelliges ſimplicis rei vix credendos effectus. Oportet ergò ut minimè quater, quinquieſve ex intervallo lippientem inungi. Eximiè prodeſſe judico proprietate quadam, ſed præcipuè, quod nullam in ſe aſpretudinem habet. Quo nomine etiam quod *Diaglaucium* dicitur, probo initiis. Item *Spodiacon*, quod â cinereo colore ſic appellatur. *Sic & Scribonius Largus ac Paulus Ægineta.* Quid ſit *Lycium Indicum*, cujus & meminit *C. Plinius*, exponunt *Garcias ab Horto* & *Prof. Alpinus.*

Collyrium Diaglaucium ſive *Diaglaucin.* Galenus, Marcellus, Scribonius. Dioſcorides l.3. c.100. vocat γλαύκιον. Hinc διά γλαυκίȣ. *Victor* Trincavellus ait *ejus uſum* exoleviſſe.

Collyr. Diaſmyrnes, Galenus, Ætius, Marcellus, Scribonius ex myrrhâ.

Collyrium Philoxeni in forma paſtillorum apud *Galenum*.

Collyrium *Maſchionis.*

Heronis Ophthalmici Pſittaces.

Nea-

Neapolitæ.

Sergii ophthalmici Babilani & Monosemerum.

Collyrium Psosphorus dictum.

Collyrium Berglium inscriptum, quo usus est *Stration Benytius.*

Nictarium Marci facit ad incipientem lippitudinem & ad Chemoses.

Fuscum Olympionico inscriptum ad *Chemoses*, constat ex stibio usto & loto, adhibetur cum ovo.

Theodocion Placianum Horpocratium inscriptum.

Scylacium Pharmacum accommodatum eadem die curans. E vestigio solvit inflammationes. Constat & ex stibio.

Collyrium Malabathrinum Galeni.

Collyrium Lybianum ad Chemoses.

Collyrium Diarhodon ex Pompholyge.

Collyrium Pædicon, id est puerile.

Collyrium Artemonium ex stibio.

Collyrium Cinnabrium Celebris Ophthalmici Stali Britannici, si lippitudines ad malum habitum sunt perductæ. Et alia ex Cinnabere constant.

Confectio pulveris citrini : qui administretur in fine ophthalmiæ *Rhasis.*

Confectio mirabilis pulveris albi ad ophthalmiam Rhasis.

Collyrium album Rhasis.

rubrum Rhasis.

viride Rhasis.

Confectio emplastri ad dolorem vehementem in ophthalmia Rhasis.

Monohemera Collyria, hoc est, *unius diei appellata.*

Alex. Trallianus : sunt duplicia, majora etiam incipiente lippitudine conveniunt, *Ægineta* docente nec non Marcello.

Cataplasma Heraclidis Tarentini : constat ex apio, croco & rosis.

Compositio Andreæ aput C. Celsum, ad frontem admovetur.

Nictarium Marci infrà describitur.

Compositio illa ex commentariis Cæsaris Augusti descripta apud Plinium Valerianum, Marcellum & Scribonium Largum.

Hermiæ Ophthalmici Lutron, id est, balneum appellatum.

Collyrium Nili, *Chiacum* & *Nardinum* ex Æginetâ; Chyacum diffundit, humectat, excernit non obstruit.

Collyrium Nilei. Neque de eo, *inquit C. Celsus*, magis inter autores convenit. *Idem* autor & *Collyrium Cleonis* refert.

Theodotion Phlacianum, *Harpreratium* inscriptum liberat citra venæ sectionem.

Collyrium Casmi apud Marcellum ex plumbo, stibio, spumâ argenti.

Scylacium Pharmacum, ê vestigio solvit inflammationem.

Collyrium nigrum ab *Antigono* repertum referente *Marcello.*

Aliud *Philadelphium* inscriptum.

Collyrium Rhinion apud C. Celsum in Xerophthalmiâ ex myrrha.

Cygnus inscriptus Reginæ, Collyrium *Cygnos Tralliani* ad inflammationes oculorum.

Collyrium ex terrâ samia, *Pacei Ophthalmici* ad affectiones internas.

Collyrium Tephrion apud C.Celsum.

Collyrium Diarrhodon Nili ex rosis.

Diarrhodon Polyderici, quo usus est *Alex. Trallianus.*

Asclepiades Pacii, & *Asclepias apud C. Celsum* caligantibus prodest.

Collyrium Evelpidis, *Memigmenon* apud C. Celsum, constat ex papavere, ære, pipere. Vocatur & *Basilicon.*

Collyrium Artemonium.

Collyrium Smilion apud C. Celsum ad ulcera oculorum, constat ex ærugine.

Collyrium Indicum.

Collyrium Sphærion apud C.Celsum ex lapide Hæmatite.

Collyrium Cinnabrium.

Collyrium Trigodes apud C. Celsum

Melinum Atarachum.

Sicff de Fellibus Al.

Collyrium mitigatorium Trypserum Tralliani ad eos, qui collyriorum rosionem ferre nequeunt præsertim ad affectus recentes.

Collyrium delachrymatorium: Marcellus.

Collyrium Medicum Tralliani, quod usurpatur per initia.

Aliud *siccum Collyrium Tralliani*, quod διὰ κέρων dicitur.

Collyrium διὰ κέρατος C. Celsi. C. Cervi & plumbum habet.

Colly-

Collyrium, quod magnus Hermolaus dicitur: conſtat ex ære, croco, myrrha &c. cum aquâ pluviali. Mirabiliter repellit & extenuat inflammationes.

Collyrium Cæſarianum apud C. Celſum ex atramento ſutorio.

Collyrium Nardinum Zoili apud Trallianum curſum fluxionis repellit.

Collyrium Philonis apud C. Celſum ex ceruſſa.

Collyrium Dionyſii apud C. Celſum ex papavere.

Collyria Diacrocu: Ægineta, *ad lippitudinum initia ſunt commoda.* Ac Apud C. Celſum *Collyrium διὰ κρόκου*, prodeſt caligantibus.

Collyrium Acharistum ex Lycio apud C. Celſum & Marcellum.

Collyria Antonius & Hermolaus dicta ex opio & acacia præparantur & quæ pelaria appellantur. *Ætius:* quidam collyrio Antonio amplius uſi, unà cum dolorum augmento etiam vim viſivam injuriâ affecerunt. Nam per immodicam perfrigerationem, mortificationem magis induxerunt.

Libiana Collyriana: Ætius: & ſi quidem calida fuerit affectio, Libianis collyriis utendum eſt. Quale eſt, quod â nobis ad hujuſmodi affectiones experientia cognitum eſt & in Herætomis reperitur & ab ipſo *Tephrum* appellatum eſt, pompholygemque non habet. Unde etiam nos deſcriptionem ipſius delegimus. Nam Pomphalyx rara invenitur & facilè adulteratur. Optima eſt autem pompholyx colore non alba, ſed magis ad livedinem vergens. Utendum eſt igitur collyrio *Tephro* appellato, ad lippitudinem â calido humore obortam. Si verò non affuerit hoc, alio quodam ex Libanis appellatis utendum eſt aut Cygnario.

Collyrium Iſatheum: cum albumine ovi imponitur.

Collyrium Stratioticon apud Marcellum.

Collyrium Nardinum Zoili: Ætius. convenit in frigida.

Collyrium Cleonis apud C. Celſum ex ſquama æris & plumbo.

Collyria Recentiorum.

Collyrium ex Marchaſitâ Rondeletii.

Unguentum Magiſtrale Joh. Hieron. Pulverini: ubi verò, *inquit hic,* inflammatio in declinatione fuerit, ad magis digerentia præ-

ſidia deveniendum & ſimul ad diſcutientia,inter quæ primum erit unguentum hoc magiſtrale ſæpiſſimè â me cum felici ſucceſſu expertum, cujus deſcriptio hæc eſt: ℞. laridi antiqui inter duas cutes contriti ℥j. Lavetur novies: primò cum aqua fontis, ſecundo cum aqua fæniculi, tertio adhuc novies cum aquâ vitæ, quarto & novies cum aquâ chelidoniæ, quinto novies, cum aqua eaphragiæ, ultimo novies cum aqua roſata, dein adde tutiæ præp. in aq. roſar. ſubtiliter pulverizatæ ʒiij. Miſce fortiter & fiat unguentum, quo oculorum anguli liniantur veſperi, dùm languens quieſcat.

Collyrium ex ovo: Rodericus â Fonſeca: Empiricus ovum coquit ſub cineribus uſque ad duritiem, detracto vitello, implent pulvere vitrioli & Sacch. cand. macerant dictum ovum in aqua roſarum, dein exprimunt & infundunt in oculos.

Unguentum Ophthalmicum Minſichti.

Pulvis Ophthalmicus Minſichtii.

Trochiſci Ophthalmici Minſichtii.

Ophthalmicum Crollii.

Collyrium pro Ophthalmicis Langii.

Aqua Ophthalmica aurea Minſichtii.

Aqua Ophthalmica nigra Minſichtii.

Aqua Ophthalmica viridis Minſichtii.

Aqua Ophthalmica de Cancris Minſichtii.

Aqua florum Cichorii D. Johannis Hartmanni, & Beguini: ℞. aq. Roſar. fænic. ℔ß. pulv. Vitri antimonii ʒj. bulliant per quadrantem horæ, ſtent in B.M. per octiduum. colat. addatur ol. ſaturni ʒß.

Aqua Ophthalmica Quercetani ex croco Metallorum.

Alia aqua Ophthalmica Quercetani ex urinâ pueri & Vitriolo.

Aqua cujuſdam Empirici apud Rodericum â Fonſeca.

Aqua Ophthalmica in Antid. Renod. item Vigierii.

Aqua communitatis.

Aqua Conradi Geſneri ad Ophthalmiam antiquam: extat in appendice Antitod. Renodæi.

Aqua ocularis optima Mithobii.

Aqua

Aqua ocularis Mithobii pro Principe Hennenbergens.
Aqua Ophthalmica Zacuti Lusit. l. 1. hist. c. Xiij.
Aqua Ophthalmica Gabrielis Fallopii.
Aqua Aurea Ophthalmica.
Aqua Carpi ad Ophthalmiam & dolores oculorum.
Aqua oculoris externa ex lapide scissili apud Grulingium.
Aqua Ophthalmica D.D.Hermanni Conerdingii ex h. Anagallide.
Aqua Ophthalmica D.D.Winckelmanni ex fragis.
Aqua Ophthalmica Reinesii apud Horstium.
Aqua Ophthalmica Renotti.
Aqua Ophthalmica D. Wolfii.
Aqua Ophthalmica D. Rhenodæi.
Aqua Ophthalmica Ranzovii.
Aqua Ophthalmica Bartoleti.
Aqua Ophthalmica Hollerii ex urina pueri.
Collyrium Rulandi in Calida & frigida causâ ℞. *aq. rosar. stimmi ritè* ppt. ʒß.
Collyrium Felicis Plateri.
Specificum fellis Lucii piscis.

Philippus Mullerus:

℞. aq. rosar.
euphras.
verbenæ a ℥ß.
tutiæ præp. ℥j.
Matris perlar. ℥ij.
M.

Ad ardorem & dolorem oculi, ℞. butyri rec. novies in aq. ros. lot. ℥ß. tutiæ præp. ℥j. camphoræ ʒß. M. oculo parum indatur ℞. unguenti Rosat. Mes. ℥j. tutiæ præp. ℈iiij. M.

Martinus Blochwitius remedium de *sambuco* petit ad hunc modum: Folia sambuci tenera ac recentia cum polenta inflammationes sedant secundum Dioscoridem ℞. igitur mucilag. sem. psyllii & lini cum aq. fl. sambuci extr. a ʒvj. adde olei sambucini ℥ß. farin. fl. sambuci qs. M. F. Cataplasma ponatur super palpebras. *Octavius Horatianus* certè *sambuci meminit:* Fronti peponum viridia folia

folia frequenter imponantur ſimiliter & de napi foliis. Nam & ſuccus earum frequenter fronti illinitus, & *Sambuci* folia & cytoniorum & portulacæ.

Ocularia Compoſita Interna:

Sotera magna Nicolai Myrepſi, conſtat ex *opio.*

Antidotus ſanitas dicta.

Antidotus Iſotheus.

Antidotus Stoterius.

Antidotus ad omnem defluxionem & hebetudinem oculorum.

Sal purgatorius, quo *Papa Nicolaus* uſus fuit.

℞. Salis ammon. ℥iij Scammonii ʒiij. ſem. papav. albi ʒij. Irid. Illyr. ʒiij. piperis gr. Xiij. palmul. Syriac. unam & quartam ejus partem Nuc. pinear. purgat gr. XXv. Scillæ aſtatæ ʒiij. Mellis quod ſatis.

Electuarium Opticum Minſichtii,

Liquor Ophthalmicus, ſubalbidus Minſichtii.

Aqua Ophthalmica Rubei.

Aqua Ophthalmica ſeu ocularis Interna Minſichtii.

Aqua Ocularis Interna alia apud Horſt.

Electuarium Adolphi Occonis.

Electuaria ad oculos Ophthalmiſantes apud Dom. Ortolph. Maroldum,

Electuarium D. Elidæi.

Papæ Innocentii Tertii.

Pulvis D. Elidæi.

Valeriolæ.

Electuarium Malth. de Gradi confortans caput & oculos, reſolvens vapores & prohibens generationem eorum.

Arcanum Valerianæ compoſitum. Valerianam diximus tantoperè à *Tabernæmontano* laudari:

Arcanum euphraſiæ.

Philippus Müllerus:

℞.	ſem. fœnic.	℔jß.
	ſileris Mont.	℔ß.
	euphrag.	℔ß.
	chamædr.	℥j.

rad.

rad. chelidon. ℥ß.
ſem. aniſ.
apii.
petro ſel. a ℥jß.
pulegii.
hyſſopi.
fl. borrag.
gra. juniperi.
euphrag. a ℥jß.

pulveriſata omnia excipiantur melle deſpumato, utatur manè & ſerò. Hoc remedio cæcus quidam novem annorum curatus fuit.

Electuarium Ophthalmicum Herc. Saxoniæ.

Vinum Ophthalmicum ex Enula euphraſia ſemine fænic & Silere montano. Illud vinum, quod *Arnoldus Villanovanus* tantoperè laudat. *Vinum* etiam *ex Valeriana* conficitur, quàm tantoperè laudat *Tabernæmontanus*

Ocularia externa Medicamenta fuerunt varia, ex quibus illa medicina de *ſtibio* petita nō ſolùm adjutrix fuit, ſed etiam ornatrix. Fuit nigri coloris, uti & alia collyria ſicca Inde *Horatius* l.1. ſatyra 5.

Hic oculis ego nigra meis collyria lippus Illinere.

Fuſcum Collyrium quoque memorat *Scribonius Largus.* A colore nigra dicta quædam *Collyria* fuerunt ſuperius poſita. Ex illo genere alia faciem maximè ornabant. In quem morem *C. Plinius* l. 11. c. 37. ita perorat: *palpebræ ingenis homini utrinque. Mulieribus verò etiam infectæ quotidiano. Tanta eſt decoris affectatio, ut tingantur oculi quoque.* Similiter *Arnobius l. 2.* laminas pertundunt aurium, conficiendis quærunt corporibus fuligine oculos obumbrant. *Tertullianus l. de cultu fæminarum* c. 5. quoque: *Cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt.* Ac de Habitu muliebri ſic: *& illum ipſum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.* *Cyprianus quidem libro de habitu Virginum* ita loquitur: *oculos circumducto nigrare fucore.* Sat clarè D. *J. Iuvenalis:*

Ille ſupercilium madidâ fuligine tactum (tinctum)
Obliquâ producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos.

P. D. Hie-

D.Hieronymus, quem & hoc tractationis loco *Cælius Rhodiginus* vocat scientissimum, libro de Viduit ad Furiam Tom.1.Epist.X. c.11. hisce verbis utitur: *Orbes stibio fuliginatos.*

Age, quid *stibium* sit quid *fuligo*, finire laboremus. De illo prius *C. Plinius* l.33. c.6. illud *hisce exequitur*: ubi Argentum vivum in iisdem argenti metallis invenitur, ut propriè dicamus, spumæ lapis candidæ nitentisque, non tamen translucentis, stimmi appellant alii stibium, alii alabastrum alii larbason. Duo ejus genera, mas & fæmina. Magis probant fæminam. Vis ejus est adstringere & refrigerare, principalis autem circa oculos. Namque ideò etiam plerique *platyophthalmon*, quoniam in *calliblepharis* (in vetustiori exemplari legitur in collyriis) dilatet oculos. Et fluxiones inhibet oculorum, exulcerationesque farina ejus ac thuris, gummi admisto. Hic certè *Dioscoridem* l. 5. c. 99. sequi videtur. stimmi, aut stibium, alii platyophthalmum, alii larbason vocant. Vis ejus est adstringere & refrigerare, sordes & ulcera oculorum expurgare. *C. Plinius* interpres, *Jacobus Dalechampius rem exponit*: pulchriores olim fæminas putaverunt, quibus latiores essent oculi, & ut apud Homerum legitur βοώπιδες. Cùm autem rasa supercilia colore stibii nigro inunguntur, quod passim fit â mulieribus Græcis formæ studio deditis, oculi latiores videntur. Inde Platyophthalmon stibium est dictum. Jon Omphales reginæ Lydiæ, dum ascititia formæ ornamenta persequitur, recenset μέλαναν στίμμιν ὀμματογράφον. Eo fuco utuntur mulierculæ, quas verè & eleganter dixerunt veteres: περισσοπεῖα ἔχειν καὶ οὐ πρόσωπα. *Ac Claudius Salmasius comment. in Solinum hisce*: Illa apud Tertullianum *oculos fuligine porrigunt* legis liber vetus Agobardi. Perperàm repositum â correctoribus: *oculos* fuligine collinunt. *Fuligo illa ex stibio.* De eodem *nigro stibii pulvere* accipienda hæc ejusdem in libro de habitu muliebri: *& illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur*. Hîc pro eò dixit, *oculos fuligine porrigi*. Et allusum est ad stibii appellationem alteram πλατυόφθαλμον. Dioscorides de stibio, quod vetustissimũ ejus exemplar στίβι vocat, ut & Plinius stibi ac quoq; πλατυόφθαλμον. Nã nigro ejus pulvere supercilia circumducebant & in arcũ formabant & sic oculorum spatium veluti producebant, ac ex

tendebant,

tendebant mulieres. Jon in Omphale: καὶ τὴν μέλαιναν στίμμι ὀμματογράφον. Hinc ὑπογράμματα Hesychius, στιμμίσματα ὀφθαλμῶν interpretatur. Pollux: τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφει, τὰς ὀφρῦς μελαίνει, εἰς γραμμαὶ ἡμικυκλίων παριάγει.

At quo pacto *Salmasius* hîc dicit *fuliginem ex stibio*, quo pacto *nigrum stibii pulverem*? An illud in *nigrum* queat ustione transire colorem? Cremari certè solitum est. Nam *C. Plinius prædicto loco* sic: Uritur offis bubuli fimi circumlitum in clibanis, dein restinguitur mulierum lacte, teriturque in mortariis, admistâ aquâ pluviali. Ac subinde turbida transfunditur in æreum vas & mundatur nitro. Fæx ejus intelligitur plumbosissima, quæ subsidit in mortario, abjiciturque. Dein vas, in quo turbida transfusa sunt, apertum linteo per noctem relinquitur & postero die, quod innatat, effunditur, spongiaque tollitur. Quod ibi subsidit, flos intelligitur ac linteolo imposito in sole siccatur, non ut perrarescat. Iterumque in mortario teritur & in pastillos dividitur. Ante omnia autem urendi modus necessarius est, ne plumbum fiat. Quidam non fimo utuntur coquentes, sed adipe. *Hactenus Autor.* Verùm urenda potius quâdam massâ vel farinæ vel luti oblinebantur. Quapropter *Janus Antonius Saracenus not. in Dioscoridem* eam interpretationem *C. Plinii* emendat: Posteaquàm Plinius monuit, loco citato, uri stibium offis bubuli fimi circumlitum in clibanis, deindeque docuit sat copiosè, quo modo ustum idem præparari debeat: *quidam*, subdit, non fimo utuntur coquentes sed adipe. Scilicet ut aliàs perpetuò ita & hoc loco τὸ στέαρ *adipem* convertit, quasi non esset & alia τοῦ στέατος significatio, quæ huic loco aptiùs quadraret. Nos cum cæteris ferè interpretibus *farinam subactam* vertimus & rectè quidem. Etenim τὸ στέαρ (ut ipsius vulgare significatum omittam) tùm hîc, tùm alias non semel apud Dioscoridem, uti & interdum apud Gal. Paul. & Ætium, τὸ σταῖς hoc est massam seu farinam subactam, ἤτι ζύμην hoc est fermentum haud dubiè significat, veluti etiam exponitur, ab Hesychio Serapio tamen haud secus atque Plinius, vocis homonymia deceptus, adipem itidem stibium circumlini solitum scribit, id quod Fallopio viro alioquin doctissimo non usque adeò absurdum videtur. Hic enim stibium, quod vere fuerit animus, larido obvolvendum suavet. *Hæc ille. Scribonius Largus* & *C. Celsus*

 vocant

vocant *coctum stibium*, hoc est, crematum ac ut loquuntur *Chymici*, calcinatum. *Galeni* interpres *ustum stibium* appellat & *lotum*.

Num igitur *ustum stibium* licet nominare *fuliginem?* Hæc quanam est naturâ. *Avicenna* l. 2. tract. 2. c. 246. *certè disquirit*: Fuligo quid est? est terreus, subtilis & diversificatur ejus substantia & omnes ejus species sunt exiccantes substantiâ suâ terrea & est in eis ignitas parva. Fumus est substantia terrea, subtilis, digestivus resolutivus. *Inde & Serapio l. de simplic. Medic.* Dochan, id est, fumus seu fuligo. G. substantia ejus est terrea subtilis & est in eo cum hoc residuum paucum ex igne. Et omnis quidem fumus desiccat sed diversificantur species ejus secundum diversitatem corporum, â quibus resolvuntur. Nam ex medicina, quæ est calidior & acutior, generatur fumus, qui est secundum naturam ipsius. Et â medicinâ, quæ declinat ad dulcedinem & est parùm mortificativa, generatur fumus, qui est similis ei. *Hactenus hic.*

Galenum l. 7. de Simpli. Medic. Facult. adeamus: Lignis seu fuligo omnis exiccatoria est ac proinde terrestris est essentiæ, habens quasdam etiam ignis, qui materiam combussit, reliquias, sed id pusillum est. Porrò tota natura terrena est tenuium partium. Sed quæ speciatim in ea differentiæ sunt, eæ pro ustâ materiâ eveniunt, ex acriore & calidiore, tali etiam proveniente fuligine, ex dulciori simili quoque & hinc fuligine proveniente. Primum enim thuris fuligine utuntur in ocularias medicinas mista, eas videlicet, quæ ad oculos etiamnum phlegmone tentatos accommodantur, atque etiamnum fluxione vexatos & ulcera habentes: nam & illa expurgat & carne implet. Adhæc usurpant quoq; eam ad facultates, quas vocant *calliblepharas*. Præterea terebinthinæ, myrrhæque fuligo molestia caret, non aliter quàm thuris, sed styracis quodammodo valentior est, magis etiam picis liquidæ, quâ etiam magis cedri. Porrò acrioribus utuntur ad vitia palpebrarum vocata ptila & erosos oculorum angulos humidosque citra phlegmonem: at mollioribus mitioribusque tùm ad hæc, tùm ad ea, ad quæ competere paulò superius diximus thuris fuliginem. *Hæc Galenus.* Qui idem *l. 4. de compos. pharm. secund. loc. c. 6.* ejusmodi *fuliginem stibio usto* miscet: *verba accipe*: Pharmacum *Calliblepharon exornandis palpebris* accom-

accommodum. Facit & ad inveteratas lippitudines. *Stibii usti* ac vino extincti ℥xvj. plumbi usti & loti ℥viij. *fuliginis thuris*, spicæ nardi, myrrhæ torrefactæ, croci, squamæ æris ā ℥j. omnibus tritis ac repositis utitor. Ac *l. d. c. 4. stibii* usti vires *declarat hisce*: Quod verò stibium appellatur, illorum quidem fortem ex se ostentat adstringendi facultatem, lotum verò exolvitur, ut propè ad mordacitatis expertium vim accedat. *Quemadmodum l. dicto cap. 9. similibus*: Ad facultatem desiccantem adjunctam stimmi habet adstrictionem. Quamobrem & ocularibus medicinis commiscetur & illis scilicet, quæ conformantur in collyria, quæ vocant, & siccis, quæ utique sicca collyria cognominat.

Galenus superius proximum venustandarum *palpebrarum* remedium cognominat *Calliblepharon*. Nunc illius *verbi* vim pensitat. *De Simpl. Med. facult. l. 9. hunc in modum*: Armeniacum vim habet extergentem cum levicula acrimonia & levissimâ adstrictione. Itaque tale cùm sit ocularibus miscetur facultatibus. Et ipso per sese quoque ad pollinis levorem redacto, utuntur sicco ad pilorum in palpebris incrementum, nempe ubi præ humorum acrimonia partim excidunt, partim verò nec crescunt nec aluntur. Siquidem depastis his acrimoniis, in bonum naturæ habitum pars reducitur, cujus cum alia sunt munera, tùm etiam producendi, incrementum præbendi ac roborandi, qui palpebris sunt pili: quippe cùm prima & ex professo quædam sunt medicamentorum opera, quædam verò mediante naturâ, quæ animantium corpus dispensat, edantur, velut quæ in ipsis *calliblephara* nuncupant. Ipsa enim partes oblæsas mediocriter desiccant, pilos corrumpentem humiditatem absumendo, quæ ubi abolita est, tùm natura ad proprias redit actiones, nimirum sublatis, quæ hactenus impedimento fuerant. *Eadem appellatione* & *Dioscorides l. 1. c. 86.* usus fuit: Quia ex cortice & foliis pini, dum cremantur fuligo excipitur, ad librarii atramenti confectionẽ utilis: itemq; ad medicamenta honestandis palpebris dicata. Erosis quoq; oculorũ angulis, glabris, callosisq; genis & lachrymantibꝰ oculis opitulatur. *Habeto Græca*: ἡ δὲ ἐξ αὐτῶν λιγνὺς καιομένων ἐκλαμβάνεται πρὸς μέλανος γραφικοῦ κατασκευὴν, ποιοῦσι καὶ πρὸς καλλιβλέφαρα, καὶ κανθοῖς βεβρωμένοις πρός τε

πῖλα βλέφαρα καὶ ὀφθαλμοὺς δακρύοντας. Hunc *C.Plinius*, quanquam secus videtur *Marsilio Cagnato* imitatur. Nam superiore illo loco (l.33. c.6.) *stibium* ait vocari *Platyophthalmon*, quoniam in *calliblepharis* dilatet oculos. Ac *l.21. c.19.* Folia rosæ uruntur in *calliblepharum*. Epiphoras quoque arida leniunt. l.32. c.6. de *ostreis* quoque addunt peritiores notam, ambientes purpureo crine fibras, eoque argumento generosa interpretantur, *calliblephara* appellantes. Nec non l.35. c.16. Terra ampelitis est simillima bitumini. Usus ejus ad molliendum, discutiendumque, præcipueque in *Calliblepharis* & inficiendis capillis. Unde *Marcellus* rem eodem *verbo* magis magisque aperit: Collyrium siccum *Calliblepharon* conficitur sic: *stibii combusti*, piperis albi folii capitulum. *Stibium combustum* combures & lotio pueri impubis extingues & siccabis & tundes & cribrabis & sic uteris. *Adhuc*: Descriptio Xerocollyrii, quod *Calliblepharon* dicitur piperis, *stibii*, folii, lapidis phrygii portionem habet.

Verùm idem *Marcellus* etiam *Calliblepharon* tradit maximè ex *fuligine* parari, Crebò lachrymantes, *inquiens*, oculos ut exicces, lucernam oleo cedrino repletam, accensamque superposito vel juxtà suspenso æneo vasculo permitte consumi, inde fuliginem collectam in pyxide cyprina reconde & cum opus fuerit, inunge, miraberis efficaciam medicamenti. *Et statim*: Lucernam fictilem de papyro & medullâ vaccinâ concinnato atque ejus fumo sive fuligine vel Lingy pro *Calliblephario* utere, quo palpebras exesas & glabras sæpius inungendo, decentissimas facies.

Nec ejusmodi *Calliblephara Galenum* fefellerunt: Nam hic *l.1. de. compos. pharm. secund. loc. hunc in modum.* Heros oleum maximè ex lucernis accipi jubet. Hoc oleum lucernarum non ob aliam rationem aptum est, quàm quod magis tenuium partium existit, id quidem ipsi ex lucerna, in quâ veluti coquitur, accedit, fitque tùm veteri, tùm cicino simile, veluti si etiam aliàs ad ignem oleum velis calefacere. Itaque & sordes quæ in lucernis liquido luto similes gignuntur, iis, qui apud nos ruri degunt, cognitæ sunt, ad ulcera in medio digitorum pedum curanda efficaces. His quoque sordibus alopeciam cujusdam rustici curavi. *Idemque lib. 7. de Simplic.*

Me-

Medic. facult. Oleum cedri extenuat quoq; oculorum cicatrices & visus hebetudini ab humorum crassitudine ortæ medetur. Porrò quod ejus est pinguissimum & ad unguem oleosum, quod suspensis super eam, dum coquitur, lanis excipitur ac colligitur, tota cedrea (seu oleo) tenujus quidem est, sed minus acre, quanquam non minus calefaciens.

Hinc *Arabes* etiam *Calliblephara* omninò produnt: *Avicenna l.2. tract.2. c.546. primum ita*: Et picis oleũ fit, ut destilletur ejus humidum ubi decoquitur, ut desiccetur aut suspendatur supra ipsum lana & mādefiat ex vapore ejus & quum madefacta fuerit, exprimatur in vase alio. Quum tamen sit possibile, ut destilletur in cucurbitâ, & alembico, melius est quàm illo modo & magis servatur, illud, quod sublimatur. *Ex eadem Schola Serapio: de Simpl. c. de pice sic*: Et ê pice, quæ dicitur Kepsen. Quæ quando aufertur ab eâ aqueitas ejus, quando in ea aqueitas similis aquæ casei, quæ colligitur quando decoquitur pix, suspenditur lana super picem & quando lana illa fuerit madida ex humiditate, quæ elevatur ex pice, exprimitur in vase alio. Et pix decoquitur vel Kapse quousque auferatur tota humiditas. Et confert ad omnia, ad quæ confert pix humida.

Mox *Avicenna* d. loco *admodùm perspicuè*: Fumus picis bonum efficit marginem oculi & facit oriri pilos palpebrarum & prohibet lachrymas eas & implet ulcera in oculo & confortat visum. *Galenus l. 8. de Simpl. Med. Facult.* ita: Fuligo, quæ ex dictis, (ex piceæ cortice, ex tedæ cortice, ex foliis arboris ex cono) colligitur, ad pilos superciliorum accommoda est, itemque ad angulos oculorum erosos lippientes ac lachrymantes. *Hunc aut illum sequitur Serapio.* Et colligitur. *l. d. inquiens*, ex pice humida fumus, quem sic colligere debes. Accipe lucernam ferream & pone in eâ licinium & parum picis & accende licinium & cooperi lucernam cum coopertorio habente culmum in summitate perforatum & dimittas ardere & quando finietur pix, quæ fuit imposita in lucerna, pone de pice iterum & facias hoc, donec habeas de fumo, quantum volueris: & virtus hujus fumi est stiptica, sicuti fumi olibani & administratur in collyriis, quæ præparant oculum, ac in unguentis quæ faciunt

ciunt nasci pilos palbebrarum, qui cecidere & in debilitate oculorum, lachrymis & ulceribus. *Et deinceps:* Sed fumus olibani fieri potest sic: accipe de Olibano cum forficibus parvis & incende in flammâ lucernæ & pone ipsum in vase ex terrâ novo vitreato. Deinde cooperi cum vase æneo habente culmen mundum & purgatum benè & interpone labiis vasorum ab uno latereaut â duobus lapillum grossitudinis duorum vel quatuor digitorum habentem, ubi possis inspicere olibanum & videre si comburitur: & si flamma ejus attingit usque ad culmen vasis: & fit etiam inde introitus, per quem intromittere possis frustum aliud olibani, antequam extinguatur primum penitus extinctione completâ & facias hoc quousque habeas ex fumo, quantum vis: & tu quidem lini cooperterium æneum exterius linitione continua cum spongia madefacta in aqua frigida: quare quando facies, hoc non calefiet calefactione forti & coadunabitur fumus unus super alium. Si verò non faceres hoc, converteretur fumus, qui ascendit ad cooperterium inferius & misceretur cum cineribus inferioris olibani. Incende ergò ex olibano quantum volueris & collige fumum ejus secundum disciplinam, quam monstravi tibi. Cineres autem collige per se & repone semotim. *Idem Serapio* l. de simplicibus ex animalibus & *fuliginem butyri* ait ad id valdè aptam esse: Fumus butyri colligitur hoc modo: accipe lucernam novam & pone in eâ butyrum & incende in eâ licinium & cooperi cum cooperterio habente culmum & cui culmo sit foramen & dimitte comburere. Et quando explebitur butyrum pone aliud & post abrade fumum â cooperterio cum pluma & fac iterum & administra in medicinis oculorum: nam iste fumus deficcat & stipticat manifeste & abscindit cursus humiditatum ab oculo & replet ulcera ejus citò. *Serapio* absque dubio insistit vestigiis *Dioscoridis*. Colligitur, *inquit hic L. 2. c. 81.* è butyro fuligo hunc in modum: in lucernam novam infusum butyrum accendito & ubi operculaveris, fictuli in modum siphunculi facto & supernè quidem angusto, imâ verò parte foramina clibani instar habente cremari finito: ac ubi primum absumptum fuerit butyrum, aliud subinde affundito, dum fuliginis quantum desideras coacervaveris: tandem

pennâ

pennâ deradito ac utitor. In ocularibus medicamentis vim habet exiccandi & adſtringendi, fluxiones verò cohibet & ulcera celeriter ad cicatricem perducit.

Idem Dioſcorides l.1.c.82. & reliquas *fuligines* exequitur. Cortex thuris eſt & ad oculorum cicatrices, cavitateſque ac ſordes efficax. Torrefactus autem ſcabris etiam lippitudinibus auxiliatur. Καὶ πρὸς ψωροφθαλμίας ποιεῖ. *Nec ſatis: nam eodem libro c. 84. adjicit:* Thuris verò fuliginem ſic facito: thuris grana forcipula ſingulatim apprehenſa de lucerna accendito & in novam fictilem ollam concavam imponito. Deinde æreo vaſe introrſum cavo ac in medio perforato, diligenterque deterſo obtegito. Tùm ex alterâ ejus parte aut etiam utrinque lapillos quaternum digitorum altitudine ſubjicito, quò facilius introſpici queat, utrum illa urantur: & locus ut ſit per quem grana alia ſupponas, priuſquam granum primum penitus reſtinctum fuerit. Hoc verò facies, donec ſat fuliginis collegiſſe videare. Aſſiduè tamen externas æramenti partes aquâ frigidâ ex ſpongiâ undique imbuito. Sic enim ipſo non magnopere calente fuligo omnis firmius adhæreſcit, quæ alioqui ſua levitate delapſa thuris cineri permiſcetur. Derasâ itaque prima fuligine, idem opus repetito, quoties uſum fuerit: ac cinerem quoque ê cremato thure ſeorſim excipito. Cæterùm illa oculorum inflammationes leniendi vi pollet, fluxiones cohibet, ulcera expurgat & carcinomata compeſcit. Ad eundem modum ê myrrha, reſina & ſtyrace fuligo conficitur, quam ad eadem accommodant. Ex reliquis quoque lachrymis fuliginem ſimiliter excipito.

Nunc *Galenus* partes dijudicandi ſumit: combuſti *l. 8. de Simpl. Med. Facult. inquit*, ſtyracis fuligo thuris fuligini quodammodo eſt ſimilis. Unde *Serapio*: G. Virtus fumi olibani prima eſt calidior & ſiccior virtute olibani quouſque reponatur in tertio gradu. Et ſecunda, quæ abſtergit. Et tertia eſt, quæ replet & mundificat ulcera oculi, quemadmodum faciunt fumus myrrhæ & ſtoracis. D. Virtus fumi olibani eſt, quod ſedat apoſtemata calida oculi & abſcindit curſum humiditatum ad ipſum & mundificat ulcera ejus & generat carnem in ulceribus ipſius, quæ dicuntur Kilomata & ſedat apoſtemata, quæ fiunt in eo, quæ dicuntur cancri. *Et rurſus idem*

Q *Sera-*

Serapio: colligitur fumus ſtyracis, ſicut fumus Olibani, & fumus ejus confert in omnibus, in quibus confert fumus olibani. Et fumus ejus quo utuntur Syri calefacit & mollificat. Capite de ſtorace fumus ſtoracis eſt fortior iſtis. Et fumus picis adhuc fortior. Et fumus Alkihan eſt fortior fumo picis. Et Medici quidem adminiſtrant illas, qui fiunt ex fortioribus ſpeciebus in medicatione palpebrarum, quando eſt in eis ægritudo, quæ dicitur ſulach & eſt ægritudo, cum quâ cadunt pili cum duritie palpebræ & rubore: & in medicatione corroſionis & pruritui, quæ ſunt in lachrymali oculi & in medicatione oculorum humidorum, in quibus non eſt apoſtema. Et adminiſtrant alias ſpecies, quæ ſunt magis mollificativæ in aliis ægritudinibus in quibus adminiſtratur fumus olibani.

Fumus terebinthinæ itidem utilis habetur. *Avicenna l. 2. trant. 2, c. 246.* Fumus thuris & fumus terebinthinæ etiam ponuntur in medicamentis ulcerum oculi & prohibent ortum pilorum additorum & curſum & corroſionem & humiditates, cum quibus non eſt ophthalmia & ulcera lachrymalium. *Dioſcorides l. 1. c. 90. Reſinam Lentiſcarum* ſcribit *Pilos oculorum fluentes glutinare & cohibere. Terebinthinæ, inquit Serapio,* & lentiſci reſina facit adhærere pilos palpebrarum. *Bitumen* quoque ad id valdè idoneum putatur. *Bituminis genere*, inquit l. 35. c. 15. C. Plinius, *omnia incommodos oculorum pilos replicant.*

Verùm illa *Calliblephara* erant aridiora. Et hoc eſt, quod *Galenus l. 6. de Sanit. tuendâ c. 12. hoc quoque ſcriptum reliquerit*: Oculis verò ipſis robur adjicies, ſi *ſicco collyrio*, quod ex *Phrygio* lapide componitur utare ac ſi palpebris ſpecillo inducas, ne oculi membranam intus contingas, ita namq; mulieres quotidiè faciunt, cum *ſtibio* oculis gratiam conciliant. *Ac quoque l. 4. de compoſ. pharm. ſecund. loc. c. 5.* Pharmacum aridum ad tuendam oculorum valetudinem: lapis phrygius dicto modo uritur tertio, & poſtquam ignitus fuerit, rurſus extinguere melle attico non multo: reddetur enim pharmacum non aridum, ſed viſcoſitate aliquâ præditum. Reliqua ſint in promtu bene pulveriſata, Æris uſti piperis albi malabatri a ℥j. ſtibii ʒxij. his admiſce lapidis uſti ℔j. Et poſtquam omnia probè fuerint lævigata & reponere medicamentum velis, adjice opobal-

pobalſami Syriaci ſeſquiunciam. Sit verò opobalſamum tenue & pellucenti compage, quod enim ita craſſum eſt, ariditatem pharmaci impediet. Porrò uſus ipſius ad ſolas palpebras competit, cum ſpecillo inducti, citra tunicarum ipſius oculi contactum. Ut plurimum itaque ſufficit circa ſolam infernam palpebram ſpecillum inducere. Nihil verò vetat etiam ſupernam palpebram ſimiliter illinere, ubi præſertim pharmaco opus fuerit, hoc eſt, ubi jam manifeſtè perturbationem quandam perceperit oculus, non tamen expectare convenit, donec id fiat. Verùm præoccupare oportet circa primum affectionis ſenſum, in omni tempore diei, etiam ſi quis biberit & cænaverit. Et planè frequens ejus competit uſus, cum cautione, ut dixi, ne tunicæ oculorum eo contingantur. Oportet autem & eum cui inducitur pharmacum, palpebras exertas & extentas exhibere & cùm inungitur, nequaquam cum ipſis nictare. Hoc ſanè pharmamacum â me compoſitum eſt, non permittens eum, qui ipſo rectè utatur, oculorum lippitudine apprehendi. *Ac hocce modo Marcellus:* Lapidem Phrygium divides in partes ſeptem & combures, combuſtum extingues hoc modo, unam partem in balſamo, alteram in Omphacio, tertiam in lacte muliebri, quartam in vino, quintam in urinâ infantis, ſextam in butyro, ſeptimam in melle attico, quæ omnia in minutiſſimum pulverem redacta, cribrataque miſcebis, quod ſi acrius eſſe volueris, adjicies balſami unciam, piperis ſemiunciam.

Jacobus Dalechampius & *Claudius Salmaſius ſtibium* eo nomine credunt *Platyophthalmon* dici, quòd ſi illius *fuligine* circumducantur ſupercilia, multò majores oculi eſſe videantur. Verũ aliã iſtius cognominis rationẽ affert *Gabriel Fallopius*, vocatum eſt, *inquiens*, Platyophthalmon, ut inquit Plinius loco citato, eò quod faciat ad apertionem oculorum: nam quando in oculis eſt inflammatio vel fluxio, non poſſunt teneri aperti: ceſſante autem affectione illâ, ut ſolet operâ hujus medicamenti, aperti manent. Cùm igitur medicamentum hoc conferat ad lippitudinem removendam & ad fluxionem & ad alios oculorum affectus, meritò ſortitum eſt illud nomen.

Verba *C. Plinii* quidem nunc ita leguntur: *Platyophthalmon id appellavere, quoniam in calliblepharis mulierum dilatet oculos.* At in Codice *Johannis Frobenii* olim ad hunc modum: *Platyophthalmum id appellavere, quoniam in collyriis mulierumque epiphoris dilatet oculos.* Esto. legatur: *in calliblepharis mulierum.* At *stibium* quo modo dilatet oculos: an hi lineis ductis, apparent majores? Quæ hæc est dilatatio? Nimirum *stibium* medetur illi *Ophthalmiæ*, quâ oculos palpebræ claudunt. Ob eam rem *stibium* potest maximè *Platyophthalmum* dici, quod dilatet palpebras, ut oculi compareant rursus. *Stibium ustum* & *lotum docente Marcello*, in *Collyria Medicinalia* maximè addebatur. *Vis stibii*, inquit Dioscorides, *est adstringere & refrigerare, sordes & ulcera oculorum expurgare.* Ac *Galenus* quoque tale pharmacum *calliblepharon* non solum ad ornatum facere ait, sed etiam ad inveteratas lippitudines. Unde quoq; *Fallopius l. de metal. seu Fossibil. c. 29. hisce verbis utitur.* antiqui & nostri etiam recentiores, utuntur propriâ substantiâ antimonii ad affectus oculorum & ad resistendum sanguinem manantem ex membranis Cerebri ratione vulneris, sed usus præcipuè est ad affectus oculorum & ad hunc usum torrebatur vel exurebatur, sed lavabatur.

Fuligines *thuris* quoque, *olibani*, *picis* aliarumque rerum & per se *Calliblephara* erant & illa quoque remedia *medicinalia*, quæ in auxilium adhibebantur, ægris oculis. Quare *Galenus l. 4.* de compos. pharm. secund. loc. c. 6. *stibio* quoque *fuliginem thuris* miscebat. Illudque tunc urebatur, lavabatur etiam interdum. Ac quo *stibii* pulvere nigro fæminæ cilia sua tingebant ac exporrigebant quoq; supercilia, is haud erat *antimonii* seu *stibii fuligo*, quæ urendo colligitur, sed aut crudum *stibium* jam tritum fuit aut *minera antimonii* aut illud *vilius stibium*, quod *Fuscus Lapis* hodiè vocatur. Hæc tria sunt aspectu atra & nigrant quoque illita. Commode *Tertullianus* vocat pulverem: *illum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.* Ac *Cyprianus ita:* oculos circumducto *nigrare* fucore, *Hieronymus* eleganter orbes dicit *stibio fuliginatos*, id est, nigratos. Et hoc est, quod & *Galenus l. 6. de Sanit. tuendâ c. 12.* scribat *gratiam stibio oculis conciliare* mulieres, haud memorans *fuliginem stibii*. Illud quidem scire convenit, quòd mulieres in eandem rem & *fuligine*

multa-

multarum rerum uti consueverant. Hinc *Arnobius* suprà: oculos fuligine obumbrant mulieres. *Ac Tertullianus: oculos fuligine collinunt aut porrigunt.* Ista fuligo conficiebatur ex *oleo cedrino*, ex *medullâ vaccinâ*, ex *pice*, ex *olibano*, ex *thure*, ex *butyro*, ex *styrace*, ex *terebinthina*, ex *lentisco*. Olea, pinguia illa, lachrymæ arborum & ligna incendebantur, inde colligebatur *fuligo*, quâ mulieres tingebant orbiculas oculorum. Erat valdè nigri coloris. Hinc *Dioscorides*: πρὸς μέλανος γραφικοῦ κατασκευὴν: ad atramenti confectionem utilis. Unde etiam *Serapio*: Lignum *pini comburitur & colligitur fumus ejus & fit inde atramentum & fit etiam cum eo cohol, quod præparant oculum.* Protinusque eo loco subnectit *Dioscorides*: ποιοῦσι καὶ ἡ ἐξ αὐτῶν λιγνὺς πρὸς καλλιβλέφαρα: *facit illa ex hisce fuligo ad medicamenta, quæ palpebras exornant.* Unde & *Galenus, fuligo*, inquit, *ex dictis ad pilos superciliorum accommoda est.* Ac *Avicenna: fumus picis bonum efficit marginem oculi.*

Hoc modo ex *stibio* non poterat confici *fuligo*. Illud si vel *adipe* ut placet *Fallopio*, vel *luto* aut *farinâ* admotâ ut videtur *Saraceno*, crematur, erumpens hinc *fuligo* non est atri coloris, quemadmodum *stibium* est albidum & nitet integrum. Nec jam ustum transit in illum colorem, quô id ceu *fuligo pini* pilos tingat. Si simplex & crudum *stibium* jam in pulverem resolvitur, est nigrantis coloris, cujus quoq; per se est illud, quod *minera antimonii* vocatur. Hoc quoque *antimonii* genus, quod patriâ linguâ braun Stein dicitur, est valde nigrum & inde etiam nitet. Hoc utuntur pigmentarii & maximè mercator, qui martis pellem vendit: nam, eo pulvere leviter insperso, scit mirificè inficere eam ac hoc modo exornare.

Ustum & lotum stibium suprà *dixit Marcellus* in *collyria* maximè addi. *Galenus* enim superiore loco prodit, *habere* illud *adstrictionem*, *lotione fieri mordacitatis ferè expers.* Eodemque *stibio usto & loto* idem *Galenus l.3. de comp. Pharmac.* ad ulcera *narium* utitur. Attamen illud circa *oculos* principale erat ac inde temperabantur *collyria.* Eodemque nomine idem *Galenus* & *C. Celsus* adjiciebant *lapidem Phrygium ustum.* Hisce verò collyriis & palpebræ interdum curabantur. Iisque *fuligo thuris* quidē, ut suprâ à *Galeno*, admiscebatur. Quanquam hæc spectat ad *Calliblephara* simplicia maximè. *Calliblephara*

phara tùm tingendo exornantia palpebras, tùm eas vitiatas adjuvantia, *ſpecillo* adhibebantur. *C. Plinius*, de *repentinis mortibus* loquens, ſuper omnes, *inquit l. 7. c. 53.* C. Julius Medicus, dum inungit, ſpecillum per oculum trahens. *Specillum, inquit* Varro l. de lingua Latina, vocatur, *quo oculos inungimus, quibus ſpecimus.* Ac ex Medicis *C. Celſus l. 6. c. 6. ita :* mel adjiciunt, eatenus, ne id *ex ſpecillo deſtillet, eoque inungunt.* Additque *quidam craſſas durasq; palpebras & ficulneo folio & aſperato ſpecillo & interdum ſcalpello eradunt, verſasq; quotidiè medicamentis ſuffricant.* Nimirum *oculi* non ſolùm *collirii* liquoribus medelæ ergò inungebantur per ſpecillum, ſed eodem *palpebræ* vitioſæ etiam perfricabantur. Medici quoque, ut infrà oſtendam, caput in aquam acidam oculis apertis mergi præcipiebant. *Oculos ſuffuſos*, inquit l. 6. c. 6. C. Celſus, *ſuffumigare, acribus medicamentis inungere expedit.* Unde *Marcellus*, baccæ myrti, *inquit*, ſupra carbones vivos ad ſuffumigandum poſitæ, caliginem extenuant, ſi oculis apertis fumum earum patienter exceperis.

Simplicia *Calliblephara* etiam *ſpecillo* admovebantur, ut & *Xerocollyria.* Hæc ex multis conſtabant, quorum ſingula ſeorſum vel ex aquâ pluviatili vel ex vino vel ex aceto terebantur. Cæterùm *fuligo picis* ut ſimplex *calliblepharon*, per ſe leviter infricabatur & quidem *ſpecillo*, nonnunquam, ut fuligo thuris, gummi admiſto. Ad id valdè idoneum erat *bitumen* aut reſina *lentiſci* aut ſimilis lentor, quo pili ſuperciliorum decenter replicantur. Ejuſmodi *calliblephara*, ejuſmodi *fuligines* ac illi pulveres *ſtibii* non in ipſos oculos indebantur. *Fuligo*, quam toties dixi, & pulvis *ſtibii* eſt niger. Hoc integrum ex albido nitet, in habitum verò pulveris redactum capit nigrum colorem. Inde Pollux vocat *μέλαναν στίμμιν*, ut ſuprà nigrum pulverem *Tertullianus.* Cilia ſuperioris & inferioris palpebræ, ut pili pellis martis pulvere *ſtibii* aut quadam *fuligine* tingebantur, dein ſupercilium quoque â naſi radice uſque ad genas excurrens. Dilucidè Pollux : ſtibium nigrum eſt ὀμματογράφον. *Oculos perſtringit, (ὑπογράφει) ſupercilia denigrat, lineas ſemicirculares circumducit.* Supercilium habet figuram *ſemicirculi.* Ac illud verſus genus eſt rarius & deficit, medium eſt plenius. Quare hujus pili nonnulli evelluntur, ut eorum ſeries ſit æqualis. Mox illa aut *fuligine picis*, aut pulvere *ſtibii* collinitur,

linitur, admoto *specillo* seu extremo stylo, qui inficitur. *Juvenalis* suprà vocat *acum*. Quæ nõ pulvere *stibii*, sed verâ *fuligine* quâdam, quã memorat *Poëta*, fuit imbuta, ac ea quidem madida. Nam aut gummi aut alio liquore ut etiam salivæ subigi potest. Nec *Poëta Oculos* dicit, sed *supercilium*. Nam *Galenus* suprà, si palpebris, *inquit*, specillo inducis, ne oculi membranam intus continges, ita namque mulieres faciunt, stibium admoventes. *Ac alio loco*: usus ipsius collyrii ad solas palpebras competit, cum specillo inducitur, citra tunicarum ipsius oculi contactum. Cum cautione ut dixi, ne tunicæ oculorum eo contegantur. Oportet autem & cum cui inducitur pharmacum, palpebras exertas & extenuatas exhibere & cùm inungitur, nequaquam cum ipsis nictare. *Hæc ille.* Et hoc hic *Poëta* prodit hisce: *obliquâ producit acu, pingitq; trementes attollens oculos.* Præterea *Galenus* eo loco tradit & *superiorẽ* palpebrã & *inferiorẽ specillo* inungi. *Poëta* ait *acu pingi*, admodùm commodè. Ac *eâ supercilium produci*, ut *Tertullianus* quoque *porrigi ac circumduci*. Quò fiebat, ut cuncta facies redderetur magis venusta. Verùm *Calliblephara* quædam etiam erant *medicinalia*, ut illud, quod *lapidem Phrygium* habet. *Talia*, inquit suprà *Dioscorides*, *erosos oculorum angulos, callosas genas, & multum lachrymantes oculos sanant.* At *Galenus* quoque ait adhiberi, *ubi pili palpebrarum excidunt, nec crescunt nec aluntur.* Et hoc est, quod *Stephanus* Καλλιβλέφαρον *ita finit*: Καλλιβλέφαρον sc. φάρμακον, Calliblepharon Plinius vocat, id est medicamentum ad ornatum & venustatem palpebrarum (inquit Marcellus Dioscoridis interpres) unâ appellatione & malarum remedia & formæ lenocinium in palpebris Græci appellant, idemque Plinius quale erat malum, in quo remedio opus esset, sic eam vocem variè vertit, modò conglutinandis, modò replicandis, modò honestandis, modò circumliniendis palpebris dicens Hermolaus verò & Ruellius circumlitiones dicunt, quibus palpebras ornant, coloremque mentiuntur. *Hæc ille.* Pulvis *stibii* erat *Calliblepharon*, idem ustum & medicina erat. *Thuris* quoque *fuligo* erat simplex *Calliblepharon*, eandem *Galenus* addit in *illud Collyrium*, quod medetur *Ophthalmiæ*. *Fuligo butyri* & *Dioscoride teste oculorum* ulcera curat, ut picis *fuligo*, quæ per se est *Calliblepharon*, quo cilia tinguntur, quo & producuntur supercilia. Ac in *Calli-*

blephara

blephara Medicinalia sæpius *thuris cortex* torrefactus, *myrrha torrefacta* & *thus combustum* addebantur, ut apud *Dioscoridem*, *Galenum Oribasium* & *C. Celsum* videre est. *Fuligo thuris* ac *picis plerumque erat Calliblepharon*, ut *stibium* tritum. Quoniam verò *Illustris Salmasius fuligine* ex multis rebus ustis collectâ oculos decorari intelligit, eos quoque *fuligine ex stibio* credidit illini solitos, quod apud autores ob eandem rem sæpiùs legitur. Verùm non *fuligo stibii* fuit, sed *pulvis stibii*. In eo tantus vir fallitur. *Stibii* fuligo, est coloris cinericei. At pulvis *stibii* & *usti* quoque nigricat. Maximè atra est *fuligo olibani* nec in eâ omnis odor extinguitur. *Johan Baptista Porta* l. 9. Mag. Nat. c. 8. meminit illius *fuliginis*, quæ in *lucernâ* ut vocat, *papyraceâ* colligitur. Græci, *inquit*, calliblephara vocant, quasi pulchra cilia. Terra ampelite torretur ac additur in calliblepharis. Vel medulla bubula ex dextro crure priore trita cum fuligine, pilis & palpebrarum viciis angulorumque occurrit. Fuligo etiam in hoc casu temperatur, optimè ellychnio papyraceo, oleoque sesamino, fuligine in novo vase pennis detersa. *Hæc ille.* Reddit ea confusè ac sumpsit de *Marcello*, ut de *Dioscoride* ac *Galeno* talia l. 1. *Antid. Spec.* c. 1. *Johannes Jacobus Weckerus.*

Nunc revertor ad illa *ocularia medicamenta externa*, quæ *Ophthalmiæ* quasi propria sunt. *D. D. Sennertus* octo *Regulas* ponit tot etiam *Dominicus Leonus*, quem ille sequitur, multò plures *Rogerius*. Ad ea ipsa *Galenus* quasi invitus descendit. Et hoc est, quod & *C. Celsus*, *Avicenna Haly* & *Serapio* nihil tale adhiberi jubent. *Unde Rogerius:* Generalis est regula, quod in nulla Ophthalmia debet fieri fomentatio usque ad quatuor dies circa oculos.

Hinc tale quid & *Johan. Matth. de Gradi*, *Rondeletius*, ac *Johannes Baptista Montanus* præcipiunt. Ego, *inquit*, libro Observ. quendam Ophthalmicum novi, cui in ea parte, quæ pupillæ apponitur, pustula inerat admodum exigua, ut vix sensu perciperetur. Huic imprudens medicus occurrens tanquam solam ophthalmiam curaturus, pomum ferventi cinere maceratum, saccharoque conditum, temerè applicuit, eaque nocte tamen dolor omninò sedatus est, probeque obdormivit, manè lætus surgens medicum accersivit de sanitate gratulaturus, nec minori lætitiâ gestiens delirus medicus,

ſoluto oculo, propereque abluto cataplaſmate, ſubſecutus eſt humor aqueus, qui cryſtallinum præcedit, ut miſerabili eventu æger altero oculo cæcus ſubinde redderetur: illo enim cataplaſmate diſrupta puſtula profundiori quàm ſenſu apparuerat, ulcus subortum eſt. Dies non ſufficeret, ſi errores omnium recenſere voluerimus, qui quotidiè oculis curandis committuntur. *Hæc ille. Mercurialis* & *Mercatus*, par nobiliſſimorum Medicorum, ab *externis* quoque propè abhorrent remediis. Et hoc eſt, cur collyria veterum ac horum, juniorumque medicamenta ocularia interna compoſita nominaverim tantum modò, non autem deſcripſerim.

Repellentia nonnulli ajunt eſſe commoda, ut Galenus aut *Argigenes*, *Ætius*, *Rhaſes*, *Rabby Moyſes*, *Octav. Horatianus*, *Peter de Largelata*, *Varignane*, *Mercatus*, *Bened. Victor. Faventinus*, *Montuus*, *Hollerius*, *Nic. Piſo*, *Rondeletius*, *Peter Bayer*, *Leon. Jacchinus*, *Saporta*, *Joh. Marquardus*, *Fr. Joël*, *Caſpar Wolphius*, *D. Sennertus*.

Ex his *Leonh. Fuchſius* poſthæc, *inquit*, in ophthalmia ſunt adhibenda repellentia, quæ non exaſperant, hoc eſt, non vehementem ſunt ſortita adſtrictionem & quæ tùm propriâ ſuâ ſubſtantiâ ſunt moderatiora, tùm lenientis liquoris admixtione magis utilia fiunt.

Suſpecta multis, ut *Heurnio Capivaccio* & aliis videntur. Materia, *inquit Johann. Matth.* de Gradi, fluente per venas & arterias interiores nocent, impingendo eam verſus nervos. *Ita & Gatenaria, Paſchalius & Heurnius. Johannes Zecchius* Conſ. 41. In ophthalmia *inquit*, repellentia fluentem materiam fronti aut temporibus admota valdè ſuſpecta ſunt, quando per venas & arterias intra calvam fluit humor, quippe quæ materiam in nervos Opticos impingant.

Quidam autorum in *tutiorum repellentium* numero & *albumen ovi* habent. Unde *Peter Borellus Obſervat. cent. 1. obſervat. 31.* Multis fruſtrà tentatis remediis in patre meo, Ophthalmia detento, ſequenti applicatione curatus fuit. ℞. *albumen ovi* & cum *aluminis* fruſtulo tamdiu agitetur, donec pultis conſiſtentia acquirat, poſteà linteo ſubtili involvantur & oculo clauſo palpebræ imponantur, ſæpè renovando.

R Atq;

Atq; Leonellus Faventinus: Collyrium expertum, quo ego utor in calida dyscrasia lippitudinis: ℞. mucilag. *psyllii & seminum Cydoniorum* & *tragacanthi* factæ cum aqua rosacea dextantem vel minus. Et cum *albugine ovali* fortiter agitetur & addatur *lactis muliebris* quadrans sive triens & fiat Collyrium. Si velimus somnum inducere ægroto, fiant istæ mucilagines cum aqua decoctionis *papaveris albi* & erit mirabile. *Johannes Pulverinus ad hunc modum.* Accipere possumus *ovum recens benè coctum* & induratum & â corticibus mundum, quod per medium in duas æquas portiones dividatur & unaquæque illarum aspergatur *sacchbaro candido violaceo* subtiliter pulverizato, nec non & *tuthia præparata* similiter pulverizata subtiliter, mox iterum ovum uniatur & fortiter exprimatur & quod inde refultat, in oculum immittatur manè & vesperi ante cibum.

Cæterum *C. Celsus* l. 6. c. 6. & *vitello ovi* utitur. Protinus primo die croci p. j. ✱. & farinæ candidæ quàm tenuissimæ p. ij. ✱. excipere oportet ovi albo, donec mellis crassitudinem habet, idque in linteolum illinere & fronti agglutinare, ut compressis venis impetum cohibeat. Si crocus non est, thus idem facit. Super inungi verò oculi debent, sic ut croci quantum tribus digitis comprehendi potest, sumatur, myrrhæ ad fabæ, papaveris lachrymæ ad lenticulæ magnitudinem, eaque cum passo conterantur & specillo super oculum inducantur. *Aliud ad idem:* myrrhæ p. j. ✱. mandragoræ succi p. II. ✱. papaveris lachrymæ p. ij. ✱. foliorum rosæ, *cicutæ seminis*, singulorum p. iiij. ✱. acaciæ p. iiij. ✱ gummi p. viij. ✱. Et hæc quidem interdiu. Noctu verò quò commodior quies veniat, non alienum est superimponere *candidi panis interiorem partem* ex vino subactam. Si grave id & durum propter magnum oculorum dolorem videtur, *ovi & album & vitellus* in vas defundendum est, adjiciendumque eo mulsi paulum, idque digito permiscendum; Ubi facta unitas est, demitti debet lana mollis bene carpta, quæ id excipiat, *superque oculos* imponi. Ea res & levis est & refrigerando pituitam coercet & non exarescit & glutinari oculum non patitur. Ac *Plin. Valerianus* jubet *lutea ovorum* cum rosaceo & mulsâ in lanâ super oculos imponi. Unde *Sillanus.*

Gale-

Galenus l. 4. de compos. Med. sec. loc. c. 8. hæc depromit: crudam hordeaceam vel *triticeam farinam* passo coctam adhibeto. Panis purus ustus, *Coriandri* succus, *cupressus viridis*, *portulaca*: Aut *Amylo* ex veno aut ovi candido oculos ipsos integito. *Agglutinatorium ad fluxionem* hoc est: ℞. Similaginem & mannæ thuris dimidium ejus cum ovi albumine ad emplastri formam redigito & in principio fronti in linteolo imponito: aut *ovi assati vitellum* cum thure aut cochleam cum testâ suâ & ovi candido ad strigmentitiam formam redactâ in splenio â tempore altero ad alterũ extendendo imponito. Sua sponte decidit, ubi restiterit fluxus aut *Moschi malagma* aut *Barbarum* Emplastrum aut viride aut aliquid aliud eorum quæ aceto constant, splenio inditum fronti imponito. *Marcellus hoc remedii suadet*: Si impetus oculorum eruperit, hujusmodi remedium confestim adhibebis, atramenti sutorii ℥j. vel quantumvis, in aquam mundam defundes, idque acriter fervere facies, tùm operies, ut fervor paulatim conquiescat atque ubi modicum intepuerit, in concham transfundes, ibique faciem demerges & oculos patefacies intra ipsam aquam, paulatim quidem admordebit, sed certissimo experimento dolorem incumbentem avertet. *Ac idem autor Gallis utitur*: farina hordeacea & galla contusa cum aqua permixta & collecta imponitur. Ac *ære floris* Octavius Horatianus, æris flos, *inquiens*, tritus cum melle, fronti illitus juvat. *Farina hordeacea*, inquit C. Celsus, *Cocta & cum malo cotoneo cocto mista, commodè imponitur*. Utiturque penicillo expresso ex posca aut ex aqua. *Ac subnectit*: neque alienum est, illini frontem compositione Andreæ, quæ habet gummi P. 1. ✱. Ceruss. stibii a pii ✱. Spumæ argenti & coctæ & elotæ p. iiij. ✱. Sed & ea spuma ex aqua pluviali coquitur & arida hæc medicamenta ex succo myrti conteruntur. His illita fronte cataplasma quoque super injiciendum ex farina, quæ frigida aqua cocta sit, cuique aut acaciæ succus aut cupressus adjecta sit: *C. Plinii Valeriani Cataplasma* hoc est: Castorii dracmas duas, miconii (papaveris alb) sex, croci unam, jusquiami cysaici quatuor, ovorum assorum *vitellos* quinque, mellis quod sufficit, tundis omnia & teris ova & uteris & in *tempora* imponis, si dolent. Itemque *cochleas* de campo tritas insimul illinies *fronti*, statim desinit. *Marcellus*:

Brassica cruda trita cum pane candido madefacto subacta ac fronti illita, dolorem oculorum plurimùm relevat. Verùm *Galenus l. 4. de comp. pharm. sec. loc. c. 8. multò ante. Brassicam* tritam eum polentæ flore ex aqua imponito ad fluxionem oculorum calidam. *Octavius Horatianus* utilia perhibet ea & *caulium folia, peponum folia viridia, rapi folia.*

Nunc *albumine ovi* autores diversimodè utuntur. *Felix Platerus*: Utilis est liquor illius, qui dum ovum assatur, exudat; oculis inditur. Ac quoque *Ludovicus Septalius*: cum albumina ovorum tenacius adhæreant, soleo ego ovum recens ad duritiem quandam excoquere & detracta flava parte, per expressionem ex albo aquam extrahere. D. Sigismundus, inquit *Johann. Marquardus* illam aquam ex albumine ovi accipere, quæ remaneat post fortem conquassationem: debet autem ovum esse recens.

Fortè hi sequuntur C. Pliniũ Valerianũ: facit inquit hic, ad dolorẽ & tumorẽ. Adipem ovi assi cum apio & croco & melle tritũ superimponitur. *Et mox*: ovi album infusum oculis epihoras curat & uredines mitigat & refrigerationes præstat. *Ac rursus*: Rosa viridi tritâ cum aceto in *careno* infusa dactilo & oleo rosato & *lachryma de ovo*, totum simul teres & in linteolo inducis & tepidum super oculos imponis. *Cæterum lachrymã Marcellus* vocat *ovi incocti album.*

Eustachius Rudius chalazas sumit: Sed admirabilissimum est remedium tùm in dolore, tùm in vulneribus oculorum illa ovi albuminis pars, quam gallaturam vulgò appellant, quæ debet exactè priùs conquassari, sed plures unà accipiendæ sunt, ut medicamentum in decenti copia applicari possit, hoc autem remedium quidam bonus Medicus, quia eo solo omnia oculorum vulnera curabat, *Dei virtutem*, appellabat. *Harveus* quoque istas ovi portiones laudat.

C. Celsus inter alia pronuntiat, quò gravior quæque inflammatio est, eò magis leniri medicamento debet, adjecto vel *albo ovi* vel *muliebri lacte. Zacutus Lusitanus quæstionem movet*: utrum in curatione ophthalmiæ magis præstet *albumen ovi*, an *lac?* Illud excellere firmat Ætius loc. cit. Rarefacit albumem ovi meatus, & per viscositatem facile evacuat lachrymam, & meatus obducit, ac humorum

morum acrimoniam contemperat, & ipsorum tenuitatem ad justam spissitudinem transinuat, & omnem morbosam putredinem detergit. Halii cap. prop. dixit, in hyeme, vel ophthalmia frigidore, lac: in æstate, vel calidiore, albumen. Dic tu. Si materia est multa, præstat lac? quia timetur obstructio ab candido ovi. Si pauca, præstat albumen: nam tunc incrassatio non timetur, & magis refrigerat. Solve tertio cum Galeno 4. sec. loc. cit. dicente, lac magis mitigare dolorem, ob multam lenitatem butyri, & abstersionem seri. Quare in magno dolore, sive ob acredinem, sive ob humoris copiam, præstat lac. in remissione, sufficit ovum. *Ac ante hunc Clarissimus & nobilissimus autor: Vopiscus Fortunatus Plempius l. 5. Ophthalm. c. 3. similia disputat.* Ad Ophthalmiam vulgaria remedia sunt *lac* & *ovi albumen.* Quæ duo perpendens & comparans Rhases 2. Contin. dixit lac in curatione Ophthalmiæ esse convenientius. Contrà Abuali albumen esse magis conveniens scripsit. De quâ controversia ita statuendum ex Nicalo Florentino, alterum altero diverso respectu esse conveniens magis. Et quidem (quod innuit Abuali) quando opus est aliquali abstersione, nec multa adest venularum obstructio, tum lac. est melius, quia scilicet in lacte est vis quædam abstersoria, neq; obstruit idem. At Albumen nulla est abstergendi facultate effatu dignâ præditum, cæterùm obstruit magis, magisque est frigidum. Itaque dum non magna adest venularum conjunctivæ oppletio, sed materia magis suâ acrimoniâ & mordacitate molesta est tùm ovi albumen accommodatius est.

Repellentibus sæpiùs *Opium* adjicitur. Illudque plures prodesse tradunt, ut *Galenus* l. 4. de comp. pharm. secund. loc. *farina hordeacea,* inquiens, *adhibeatur, si verò major dolor fuerit papaveris folia recentia aut hyoscyamus aut Opium.* Oculis impatienter dolentibus, *inquit Octavius Horatianus,* fænugræci succus, palmarum indulcatus decoctione aut ovi recentis tenuis liquor infundatur. Similiter etiam lac muliebre juvat. Est etiam Cataplasmatis utilissimum adjutorium, quod de ovi vitello & meliloti pulvere, pane quoque infuso in aqua & oleo roseo simul mixto adhibetur. Nos etiam croci & *opii* quippiam conjungimus. Similia probant *Avicenna,*

Rhaſes, Haly,coſmus apud *Marcellum*, *Kiranides* , ex junioribus, *Peter de Tusſignano*, *Coſtæus*, *Jacobus de partibus*, *Nicolaus Nicoli* & alii Arabum interpretes. At talia certè magnâ curâ adhibentur. Unde *Alexander Benedictus* qui audacius, *inquit*, ſtupefacientibus utuntur, à peritis medicis procul dubio damnantur. Dum hæc conſcriberemus, Patavii id accidit, Juſtinianus Patricius Venetus in dentis cruciatu, convellere juſſit molarem unum ê magnis dentibus & cum dolor ingens perſeveraret, ſuadentibus nonnullis oleo, quod cum opio confecerint, in cavum ſæpius indito, ſupremo ſomno correptus fuit.

Non omnia omni tempore conveniunt. Adoleſcente *Ophthalmia* herbæ *Pſyllium*, *Chamæmillum*, *melilotus*, *Sarcocolla*, *tutia* adduntur.

Miror, *inquit Guido de Cauliaco*, multum de Gordonio qui dixit, quod omnes ſapientes conveniunt, quod Sarcocolla non competit, niſi in declinatione & tamen in ipſa eſt diſſolutio parva abſque mordicatione, quod eſt neceſſarium in augmento, & cum hoc Rhaſes, Alcoatis, Heber Meſues & Acaram eam in augmento commendat. Fortè credidit, quia Jeſus eam in pulvere prohibuit in principio, quod etiam & in aliis temporibus prohiberet. In ſtatu vero ponatur mucilago fænugræci cum meliloti extracta. *Hæc ille.*

Quod ad *pulveres* attinet, illud idem & *Antonius Saporta* admonet, *non ſunt*, inquiens, *circa morbi initium uſurpandi ſoli pulveres, quippe qui oculos gravent & acerbos dolores moveant.* Poſt ſtatim inquit *Galenus l. 4. de comp. pharm. ſecund. loc. 9.* & uigorem magnificè auxiliatur, inflammationesque ſolvit, & ſi qua diſtenſio adſit, eam laxat, linteolum molle *butyro* madefactum ac oculis ſuperpoſitum. Aliter *Octavius Horatianus*: ſi ſiccitas palpebrarum, *inquit hic*, emerſerit, linteolum mundum *butyro* infuſum ſuperimponito. *Antonius Cremiſonius* & *ſanguinis Columbæ* meminit, in ſtatu, *inquiens*, extrahatur calidus ſanguis à Venis ſub alis columbæ.

Ac ad digerendum *inquit* Pulverinus, valet *fruſtum carnis vaccinæ* per totam noctem ſuprà affectum oculum impoſitum.

Seneſcente Ophthalmia alia conferunt. *Chymici mineralia* laudibus tollunt. *Quercetanus* ex *urina pueri*, *Vitriolo* & *tutia* aquam conficit, *Marti-*

Martinus Rulandus ex *croco metallorum*. Sunt, qui aquam pluvialem in cantharo *stanneo* aliquandiu asservatam adhibent, ei admiscent nonnihil *Vitrioli* & *camphoræ*.

Saccharum Saturni seu plumbi quis hodiè non laudibus prosequitur? *Fabricius Bartoletus marchesitam* sat efficacem esse credit: ℞. marchesitam & illam in igne incende seu candescere fac. Dein pone illam in bono oleo antiquo (esset etiam præstantius, si oleum laterinum acciperes) hinc extrahe & iterum accende & ferventem in oleum refer. Hoc cùm quinquies aut sexies feceris, tere lapidem dictũ, & per alembicũ destilla colligens liquorẽ promanantẽ: Deinde fæces, quæ in fundo alembici remanent, terantur benè & misceãtur cum oleo illo destillato & de novo destillatio fiat. Quod quò sæpius fiet, eò aqua erit melior. Item ℞. Tutiæ ℥j. Camphoræ ℥ß. pulveriza & pone in uno bocali vini albi boni & misce benè, & quando resedit parum, hujus liquoris unam vel duas guttas infunde oculo. Ac *antimonium* & *Guido de Cauliaco* ex junioribus autoribus admiscebat, ac ante quoque *Arnoldus Novicomensis*, quando illud in monumentis veterum reperiebatur. Tertia forma, *inquit Guido*, admiscet *Antimonium* est pulvis, quem Magister Arnoldus fecit pro Papa Johanne pro rubedine & humiditate oculorum ℞. tutiæ præp. ℥j. Antimon. præp. ℥v. Margarit. ʒij. floris coralli rubri ʒj. & 5. serici crudi de flosculo vermis. Fiat pulvis subtilissimus & servetur in pyxide ænea & ponatur cum stillo. Inde *Q. Appollinaris*: Antimonium aqua fœniculi distemperatum oculis videndi vigorem conservat. Est secretum. Sed cautè adhibendum. *Claudius Deodatus* similia: Vitrioli albi ʒj. dissolv. in aq. pluv. destill. ℥x. salis nitri ℈j. Aliquoties per Chartam bibulam filtretur. vel ℞. aq. Chelid. aut verbenæ aut rutæ seu fœniculi, Vitri Antimonii per se fusi ℈j. Salis nitri ℈ij. M, macera, manè & vesperi ante somnum guttas quatuor oculis instilla. Divinius reddetur hoc Collyrium, si guttulas aliquot olei Saturni per se facti addideris. Sale item, butyro, saccharo seu melle Saturni cum aqua rosarum, ingentes oculorum inflammationes sedantur. Stupendum quoque & mirabile paratur Ophthalmicum è cancris & chelidoniæ succo, debitâ arte & tempore præ-

paratis,

paratis, quod oculos ad desperationem læsos virtuosissimè restituit. Sic è granis seu baccis *herbæ paris*, arte chymica paratur remedium oculare quod ob mirabiles vires *oculi anni* nuncupatur. *Aliud Secretum ad visus acutiem*: ℞. tutiæ præp. salis ♉. Lythargyrii ☉. & ☽, æris usti Sbiaca lavata, Spumæ marinæ, salis gemmæ, salis Ammon. Spec. trium piper. carpophyll. à ℥ij. Camph. ℈ij. Macerentur in sufficienti quantitate aquæ euphrasiæ tandem manè & vesperi oculis instilla & mira videbis. Item ℞. Magnes. Saturn. præp. Tutiæ, lapid calamin. a.q. s. aquar. euphrasiæ, chelidon, valerian. fænic. a. q. s. Prædicta mineralia vel simul vel seorsim aliquoties candescant & in dictis liquoribus extinguantur, addendo Sacchari crystallini & vitrioli albi parum. Tandem per chartam filtrentur & una vel altera gutta manè & vesperi oculis instilletur, ophthalmias, Epiphoras, Lippitudines & Tumores tollit. Vel: stibii calx candefacta & aliquoties in aq. ocularibus extincta præclarum reddit collyrium spleniis applicandum. Quod si vel nebulæ vel suffusiones adfuerint vel vitrioli albi aut salis anodyni momento & Saccharo crystallino acuari poterint. Si vitrioli albi loco vel Halonitrum vel salem Ammoniacum substitueris, mitiore remedio tùm lippitudines, tàm suffusiones incipientes, morbidasque hebetudines sanabis: paulo acriore, etiam ungues detrahes, quod non raro felici successu in equis tentatum videmus: Vix enim dici potest quantum vim habeat Halonitrum in oculorum extensione & meatuum urinariorum obstructorum apertione. *Aliam medicinam* ex ⊕lo conficit *Gerardus Dorneus*. Alia, *inquit Petrus Maria Caneparius*, satis efficax habetur in praxi Chymistici artificii, quæ colligitur aqua destillatione herbarum recentium, immò rore cœlesti madentium, prout colliguntur ante Solis ortum in vere hæc autem aqua perficitur cum aqua nostri lapilli metallici, ut exemplo patet assumuntur igitur herbæ pilosellæ manipuli decem, chelidoniæ manipuli tres, fæniculi manipuli duo, semel omnes contunduntur herbæ ac citò ita rore madidæ, quibus commistis affunde aquæ primæ è chalcanto distillatæ Uncias tres & gummi aloes Unciam semis, inde *boecia*, ac fumo constituantur cinerum calore, idcirco operam naves ex iis destillare aquam limpidam, quâ si laventur

ventur *oculi*, ſanantur ab omni dolore & inflammatione, præter quod acuitur oculi acies. *Unde Rodericus à Fonſeca ita diſſerit*. Cætera quoque metalla, quæ ipſius æris germina ſunt, pompholyx, Cadmia, ſquama æris, ærugo ejus, imò & Vitriolum, omnia hæc uſta & lota, ſaluberrima ſunt medicamenta Galeno teſte, ex quibus Chimica multa notatu digna parantur ad Ophthalmias, inter quos Quercetanus aquas Ophthalmicas in ſua pharmacopœja proponit, Crollius ex Paracelſo Saccharum ſaturni cum aquâ euphraſiæ proponit; & maximum fieri ophthalmicum ex cancris & chelidonia, quod ſi debito artificio præparetur, oculos ad deſperationem læſos reſtituit. Sed ut ignota relinquuntur. *Ac quoque Lazarus Riverius*: Crollius & reliqui Chymici miris laudibus efferunt Sal Saturni in aquâ roſarum diſſolutum, cui etiam Salis ammoniaci grana aliquot addunt, hujus formula talis eſſe poterit ℞. Salis Saturni gr. Xij. Salis Ammoniaci gr. iij. aq. roſar. ℥iij. M. Inſtillentur in oculum manè & ſerò. *Hæc ille*. *Chymici fellis Lucii piſcis Magiſterium* ſuprà dictum, *oleum Saturni* & *Vitrum Antimonii* ſæpius memorant. Quàm celebrata eſt illa aqua, cujus compoſitio hæc eſt:

℞. aq. roſar.
fænic. a ℔ß.
pulv. vitri antimon. ʒj.

Bulliant per quadrantem horæ, ſtentque in B.M. per Octiduum. Colentur. Colaturæ limpidisſimæ addatur olei Saturni ʒß.

Chymicis certè laus non exigua eſt attribuenda, qui medicinas, omni adhibito labore, magis, magiſque perficere videntur. *Saturni Saccharum*, ut vocant, *oculorum* ægritudini hâc ætate multò magis aptum exiſtimatur. Plurisque fit *aqua ophthalmica ex croco metallorum* confecta; Aut cui *vitrum Antimonii* ac *oleum Saturni* immiſcentur. *Vitriolum* non uſtum ut olim, ſed aliâ ratione præparatum adhibetur. Quid de *face Vini* ſeu de *Tartaro* loquar? Non deſunt tamen, qui addubitant, utrum vires horũ medicamentorum, iſtâ majori curâ adhibitâ, ſerventur intendanturque an deperdantur ac immutentur penitùs. Iſti enim tàm variè præparando rentur poſſe fieri, ut nihil præparetur. Nec remedia ex labore ac ex artificio præparationis, ſed ex ipſa, quam præ ſe ſerunt, effica-

citate probanda esse. *Plumbum* oculis confert. An *Saturni Saccharum* peræque aut vehementius prosit, disquirunt eruditiores. *Vitriolum ustum*, convenit, *Spiritus Vitrioli* haud peræquè. Quid de *urinâ pueri* & ejus *Spiritu* judicandum? Quid de *Camphorâ* & de *ejus Spiritu*? Quid de *nitro* & ejus *de Spiritu*? Nunc quoque jure mirari subit, tàm pauca esse remedia, quæ novella dignè vocari queant. *Plumbum* seu *Saturnum*, *Marchasitam*, *Antimonium*, *stibium* & *Vitriolum* collaudant *Arabes*, *Dioscoridem* secuti. Quid? Nullum ferè & hac tempestate memorari potest remedium, cujus non meminerint vetustiores. Eoque nomine hæc *veterum simplicia* medicamenta ex hâc serie fuerunt posita, ut confestim in oculos incurrant. Nec si ejusmodi medicamenta isto studio præparantur, magis ocularia fiunt. Nec quæ oculis ægris conveniunt, *ocularia* vocari possunt & *appropriata*. *Acacia*, *Marrubium*, *Betonica*, *Euphrasia*, *lignum Sassafras*, *Saccharum*, *Anagallis*, *Plumbum* & *Vitriolum* variis de causis nec semper juvant. Taliumque multa nescio quo augurio auxiliari creduntur. *Sanguis Hirundis* maximè prodest, propterea quod ejus acies læsa facilè sanetur, veluti *tradit C. Celsus*. Ut conjectura fert, hirundinis humor, qui in oculo est aqueus, si, vi illatâ, defluit, exigui temporis spatio succrescit, reditq; acies visus. Inde & ipse *hirundinis sanguis* oculis est magis salutaris. Hac ratione *Anseris sanguis* ad id multò efficacior erit, utpote cujus oculus similiter sauciatus, multò citiùs consanescit. Atq; non nulla *exoticorum* quoq; in majus laudantur. Quædã refrigeratoriâ vi valent. Quare ob eam ipsam ad *Ophthalmiam* erunt accommodata. Quod superest, ex multitudine compositorum *Collyriorum* ferè laboratur. Quàm varia *Græci*, *Arabes*, & *Latini* nobis reliquerunt. Juniores quoque ea tàm variè mutarunt, ut nova remedia adjecisse videantur. Ac ea quàm cautè, quàm circumspectè sunt adhibenda? Ad ea nonnunquam solo ægri rogatu venitur. Est verò & medicina, medicinam aliquando subtrahere. Illa valentiora *Repellentia* sunt apprimè pernitiosa. Lenia verò & sistunt inflammationem, ut *Lac*, *albumen ovi*, *mucilago sem. psyllii & fænugræci*. *Opium*, *Hyoscyamus*, *Mandragora*, *Cicuta* penitus expellantur. *Opium* sæpius potui datum, *oculos* hebetare dicitur, quanto magis nocebit impositum. Atq; illud idem in *collyriis* nocere produnt *Plinius Avicenna*, & *Sera-*

& *Serapio*. Verùm ſanguine concitatiore, magisque ad oculos ruente, *Opium* aſſumtum haud obeſt. *Siq;*, inquit C. Celſus, *tantum mali eſt, ut ſomnum diu prohibeat, eorum aliquid dandum eſt, quæ ἀνωδυνα Græci vocant. Satisq; eſt puero, quod ervi, viro quod fabæ magnitudinem impleat.* Scio quendam in arcanis habuiſſe hanc potionem, quam is, motâ alvo, miſſoque ſanguine, veſperi dare ſolitus erat:

℞. aq. euphraſ.		
fl. Cyani.		
conſolid. Regal.	a ℥j.	
ocularis internæ	ʒiij.	
Laudani Opiati.		
Spern: Croll.	a gr. iij.	
Syr. de ſmaragdis	ʒvj.	
M.		

Hic ſibi omne punctum ferre, ipſamque aciem oculorum hoc mixturæ genere ſalubriter tangere videbatur. Quid enim? *Smaragdus* aciem oculorum recreat mirificè. Nunc ejuſdem ad viriditatem flores *Cyani* & flores *Conſolidæ Regalis Cæruleæ* vergunt. At cujus coloris ſunt illæ aquæ ac hic *ſmaragdi* Syrupus? Ac ſi *euphraſia* prodeſt occultâ vi, ea ipſa an in *aqua deſtillata* poteſt eſſe ſuperſtes? De meo conſilio interdum, ductâ ſæpius alvo, detractoq; ſanguine duo grana *extracti opii*, cujus in l. 4. de Catarrhis memini, offerantur nec de iis tantopere laboretur, quæ *opii* vim uſque in *oculos* comitentur. Ea magis credulè *ocularia* dicuntur, quàm verè, quàm peritè. Credulitate ſæpiùs plectimur. Herbas *appropriatas & oculares Peter de Thusſignano, Johannes de Concoregio, Caſpar Peucerus* ſeptem enumerat.

Benedictus Victorius Faventinus, verò quinque, *Rutam, Salviam, betonicam, verbenam & fæniculum*, ut & *Joh. Hieronymus Pulverinus*, Ad inflammationem oculorum, *inquiens*, olera hæc ſunt deſtillanda: fæniculus, verbena, roſa, euphraſia, chelidonia, & ruta. Unde verſus concinnati fuere:

Fæniculus, verbena, roſa, chelidonia, ruta,
Ex iſtis aqua fit, quæ lumina reddit acuta.

Philippus Mullerus inde conficit aquas: *proſunt aquæ chelido-*

niæ, rutæ, calendulæ, euphrasiæ fæniculi &c. Quercetanus in Pharmac. restit.: aquæ chelidoniæ, euphrasiæ, fænic. rosar. caprifolii *ophthalmica* sunt, ac aliæ oculorum inflammationibus accommodatæ sunt. Nunc *Claudius Deodatus multò plures enumerat*: Ex arte signata plurima oculis conferunt euphrasia, Anthemis, Verbena, Caltha, Argemone, Potentilla, Anemone, Scabiosa, Hieracia, fæniculum, Ruta, Rosa, chelidonia, & præsertim Valeriana hortensis. *Aliasque* adjiciunt alii, ut *Q. Appollinaris*. Atque *Hieronimus Cardanus* l. 4. de alim: cap. 19. quoque eo nomine *lignum Sanctum* memorat: Oculis succurrunt Ruta, chelidonia, fæniculus, euphragia, lignum sanctum, cortexque ejus cum vino & melle & panis cum iisdem conditus: descriptio hæc bona est & experta in Judæo ℞. ligni sancti rasi electi ℔j. cortic. ejusdem ℥iiij. aquæ lib. XX. vini lib. X. mellis optimi lib. ij. rutæ, cinamomi a ℥j. euphrag. chelidon. a ʒjß. santal. citrin. ℥jß. folior. sen. Orient. ℥j. Infundantur simul per horas XXiiij. Inde bulliant ad consumptionem mediæ partis pro Syrupo: inde cum iisdem rebus fiat infusio in tantundem aquæ & vini & eodem modo & bulliant ad consumptionem tertiæ partis pro potu. *Itemque Johannes Zecchius*: Interim verò, ut capitis & oculorum excrementa prorsus dissipentur atque hæ partes roborentur, ligni Indici decoctum per triginta aut etiam quadraginta dies epotum cum simplicibus tamen ocularibus paratum maximè oportunum fore non dubitamus, præsertim si hoc tempore sudor provocetur, capite tamen & oculis ab incalescentia defensis. In hunc igitur modum parabitur

℞. ligni sancti tomiti	ʒijß.
Sarsaparill.	ʒß.
radic. sassafr.	ʒij.

Infundantur per diem & noctem in aquæ communis libris quatuor, dein bulliant ad consumptionem medietatis: in fine adde ad ebulliendum euphrasiæ, chelidoniæ, verbenæ, fæniculi, betonicæ singulorum pugillum unum, colentur & percolati unciæ sex vel septem in aurora propinentur. Super iisdem fragmentis abjectis herbis affunde aquæ communis ℔. 12. & factâ per horas duodecim infusione, bulliant ad consumptionem quartæ partis, in fine adde ad ebul-

ad ebulliendam radicis altheæ (emollitionis gratiâ) ʒij. fænic. ʒij, coletur & uſui ſervetur pro potu quotidiano. Cum qua etiam vinum (quod inclinante morbo non denegatur) attemperari utiliter poteſt. *Ab his & ejuſmodi aliis* autoribus *D. D. Sennertus ſimilia mutuatus eſt*:

R. rad. chinæ. ʒij.
ſarſaparill. ʒiij.
Inf. in hor. 24. ℔ij. aquæ puræ Coq. ad medietatem ſub finem adde.
fol. euphrag.
verbenæ.
Chelidon. a Mj.
ſem. Coriandri pp. ʒij.

Colatura ſervetur pro uſu. Cujus doſis ſit ℥vj. tempore matutino. *Hactenus ille.*

Lignum Sanctum & *Radix chinæ* ſiccant corpus, ea ratione proſunt. Quâ & *Euphraſia* eſt utilis. Huic & reliquis nulla *ocularis proprietas*, ut vocant, ineſt.

Quoniam verò *febris* dicatur mederi *Catarrhis*, ſequitur, ut quoque *ophthalmiæ* auxilietur, quam *Hippocrates* in numero [illegible] *horum* habet. *Caſſius* certè inde facit *problema*: Quam ob cauſam lippientibus nonnullis febris ſi ſuccedat, lippitudinem ſoluit: nonnullis non hoc modò non præſtat ut etiam omnifariam conciliet cæcitatem: quæ igitur eſt cauſa, ut uni opem, alteri oculi perniciem adferat? Quia febris ſupervenit ratione quadam & exemplo *μετασυγκρίτως* quare ſi intra mediocritatem conſiſtat febris ita ut quæ ex ea proficiſcitur *μετασύγκρισις* moderata: emolumentum ſequitur ferè. Sin cum vehementi impreſſione febris invadat, ut motus quoque ejus ſit vehementior, extremum ſequitur nocumentum. Dicat etiam quiſpiam febrim & exiccandi natura eſſe præditam, & infarciendi artubus ſuperfluitates. Illud comprobarit è ſiti, quæ febrientes corripit: hujus argumentum fuerit quod membra quæpiam ob febris ſuperventum excrementis ſcateant. Jam quod lippitudinem ſanet febris, eſt quoniam ſuam a-

refaciendi vim ista excrat, dum fluxum exiccat obortum. Eadem si noxam creat, infarciendo id agit planè, tum quia loca affecta fluxibus excipiendis sunt procliviora: tum quia hosce affluxus in gestos in artubus, confirmat febris & agglutinat, atque ita & multo humorum decubitu obfirmationeque cæcitas nascitur. *Cassium* interpretatur *Hieronymus Mercurialis ad hunc modum*: Secundum quæsitum Cassii est, quod interdum Ophthalmia, si fiat febris, solvitur morbus, interdum si superveniat febris, opthalmia magis exacerbatur. Cujus eventus tradit hanc rationem & benè quod febris, quæ supervenit vel est mediocris vel vehemens, si sit mediocris, rarefaciendo & exiccando solvit ophthalmiam, si verò sit vehemens & vaporibus acribus & magnitudine caloris, non solum non solvit lippitudinem, verùm auget. Addit & aliam causam, sed obscuram, cujus, ut puto, hic sensus est, quòd febris interdum exiccat humores, quod non sunt multi, interdum verò magis infarcit, quia & humores sunt multi & caput plenum est. Et paulò post. Dicit deinde Hippocrates, quod ubi febris ophthalmiæ supervenit, liberat, quod præcipuè verum est de ophthalmia facta â materiâ frigidâ, quod ubi alvi fluxio supervenit, ophthalmiam solvit, ut dicit idem Hipp. Aph.17. Similiterque *Thomas Grossius*: Problema occurrit ex problematibus Cassii deductum, unde est, quod interdum in ophthalmiâ, si adveniat febris, morbus solvatur, interdum magis exacerbetur. Idemmet Cassius respondet, dicens, quod febris, quæ supervenit, dupliciter considerari potest vel prout est mediocris vel prout est vehemens. Si mediocris, rarefaciendo & exiccando solvit Ophthalmiam, si verò sit vehemens, ex vaporibus acribus & magnitudine caloris, non solum non solvit lippitudinem, sed auget illam. vel dicas, cum ophthalmia originem ducere possit â pituita & ab aliis humoribus calidis, febre curari eam profectò, quæ â pituita oritur, ob rationem assignatam non eam verò, quæ ab humoribus acribus & calidis. *Nec non Julius Cæsar Benedictus*: Neque mihi negotium admodùm facessit febris, nam si Hippocrati in Conc. credamus, eadem laudabilis est; *Lippienti* verò (ait Hippocrates) *superveniens febris solutio*, de qua re obstupescit *Hollerius* in comm. dum ait *constat quidem frigidos morbos superveniente febre interdum dissolvi,*

dissolvi, non ita calidos, qualis ὀφθαλμία peculiariter appellata à Medicis, ego tamen dicerem, febrem in ophthalmia posse esse laudabilem, primò quia potest materias extenuare, qua ratione pariter ab Hippocrate vinum datur, secundò quia cùm acres illæ humiditates à febrili ardore absumantur, in cineres redactæ non ampliùs eâ acredine referuntur, quâ possint dolorem ita vehementem formare.

Dogma nõn *Cassii est*, sed ipsius *Hippocratis*, ut & hîc produnt *Hieronymus Mercurialis* & *Julius Cæsar Benedictus.* An *C. Celsus* de eâdem sententia & hoc l. 6. c. 6. proferat: *Protinus ortâ lippitudine quadam nota sunt. Pejus etiamnum est, ubi pituita calida aut livida est, lachryma calida aut multa profluit, caput calet, à temporibus ad oculos dolor pervenit nocturna vigilia urget. Siquidem sub his oculis plerunque rumpitur, votumque est, ut tantum exulceretur.* Intus ruptum oculum febricula juvat. *Si foras jam ruptus procedit, sine auxilio est.*

Morbus quidem morbum curat. Alvus fusior tollit *Ophthalmiam*, ut & interdum *podagra.* Natura enim humores tunc avocat, eosque in alia confert membra. *Febris* autem humores magis magisque agitat, ut ipsi in læsos *oculos* majori impetu ruant. Quo fit, ut *Ophthalmia* potiùs gliscat. Nec illa suo calore vitiosos humores consumit, ut in *libro quarto de Catarrhis* comprehensum est. Illud autem evenire poterit, ut hoc *febris* genus suboriatur, cujus motu humores ad alia membra, ut ad *Pleuram*, ad *jecur* vel ad *pedes* ferantur. Ejusmodi *febris Ophthalmiam* depellere posse videtur.

DIÆTA.

Quibus decursis, de *cibatu* & *potu* pauca dicantur. *Hippocrates l. 6. Aph. 31.* dat *Vinum.* Unde *Galenus*, Juveni ophthalmico, *inquit*, jussi, ut se lavaret ac potu uteretur meraciore & ita se sopori traderet. Et quidem somnus ipsum profundus invasit & manè sine dolore surrexit, mihique præbuit audaciam, in quibus sanguinis copia crassioris in oculorum venulis continetur sine plethorica in toto corpore dispositione, vini potione diffundere sanguinem & evacuare potente & sui motus vehementiâ obstructiones aperire. Hæc igitur sunt fortia remedia doloris oculorum. *Recentiores*

tiores rem similibus exemplis testatam faciunt, ut *Lazarus Riverius Cent. 3. Obs. 25.* Quidam rusticus quinquagenarius ophthalmia inveterata laborans ex Medici præscripto, victu refrigerante & aquæ potu, longo tempore usus fuerat sine ullo levamine. Tandem ab alio medico persuasus fuit, ut victum illum refrigerantem desereret, & meri potui indulgeret. Post assumtum primum meri cyathum, se oculis melius habere sensit & intra paucos dies eodem potu continuato, ab ophthalmia prorsus liberatus est. Idem alii duobus contigisse mihi relatum est, quod confirmat aphorismum Hippocratis, dolores oculorum interdum meri potione curari, quando scilicet ophthalmia fit â sanguine crasso & pituitoso oculorum tunicis impacto, qui meri usu liquatur, attenuatur atque resolvitur. Ac *Peter Borellus* : Tres nobiles viros novi antiquis oculorum doloribus & ruboribus adeò cruciatos, ut nulla remedia intentata, cumque magnis expensis relinquerent, sed omnia sine ullo fructu semper experti sunt, tandem aquæ potu abstinentes, quo Medicorum quorundam consilio utebantur, Vini potu, imò meracioris, curati quasi miraculosè fuerunt. Quod profectò Hippocratis aphorismis congruum est. Venulæ oculorum sint crasso & pituitoso humore repletæ, ut annotavit Hollerius. *Eandem* rem *assertionibus* confirmant ex vetustioribus *Ætius, Ruffus Ephesius, C. Celsus, Marcellus.*

At *Vinum* hîc in vulgus damnatur. Unde & *Martialis :*

Huic dicit Medicus, bibas, caveto,
Vinum si biberis, nihil videbitis.

Nam *Medici* illud hîc maximè circumcidendum putant, ut *Avicenna, Almansor, Rhases*, hinc *juniores Sillanus, Valescus de Taranta, Johann. Matth. de Gradi, Bened. Vict. favent : Gatenaria, Ambrosius Paræus.* Ex his nonnulli sunt aliquanto faciliores, *Ophthalmiâ* vel magis pituitosâ vel jam senescente. Sique oritur *Ophthalmia* ictu illato, *Vinum* non convenit. Nec *C. Celsus* dat aquam.

De *Balneo*, cujus similiter meminit *Hippocrates*, idem judicium ferunt, *tàm vetustiores*, ut *Galenus, Alex. Trallianus, C. Celsus Avicenna, Haly Rhases l. 9. c. 15.* Porrò si â venæ sectione atque alvi dejectione, oculus levior & dolor ejus sedatus & humor mollior & lachrymæ imminutæ fuerint, balneum subindè æger conscendat.

libro-

libroque, Divisionum c.19. Et phlebotomia fit ex Melancholia. Et cura ejus est, potare medicinam solventem melancholiam & introitus balnei & inclinatio capitis super vaporem aquæ calidæ: *Tàm juniores*, ut *Dominicus Leonus, Bened. Vict. Favent. Costæus, Valescus de Taranta, Johann. Matth. de Gradi, Alex. Benedictus, Johann. de Concoregio, Bertrucius, Eustachius Rudius, Fran. Vallesius, Rondeletius, Forestus, Jac. Sylvius, Hier Mercurialis, Pareda, Gasp. Wolphius.* Et hoc adjicit *Ambrosius Paræus:* Balnea non modò anodyna sunt, sed & fluxionem sistunt, fluxionis materiam per sudores divertendo. Itaque ea in fluxionibus Ophthalmicis periodicis valdè laudat Galenus.

Quidam, *biliosâ Ophthalmiâ* urgente, *Diuretica* abdicant, quod (sunt illorum verba) *talia præparant materias ad fluxum*. Nec hæc cuilibet *opthalmiæ* ac omni ejus tempore conferunt. Quapropter *C. Celsus* in hoc *Hippocratem* reprehendere videtur. Curari, *inquit hic,* oculos sanguinis detractione, medicamento, balneo, vino vetustissimus autor Hippocrates memoriæ prodidit. Sed eorum tempora & causas parum explicuit, in quibus Medicinæ summa est. *Mox subjungit:* Solet evenire nonnunquam sive tempestatum vitio sive corporis, ut pluribus diebus neque dolor neque inflammatio & minimè pituitæ cursus finiatur. Quod ubi incidit, jamque ipsa vetustate res matura est, ab his eisdem auxilium petendum est, id est, balneo & vino. Hæc ut in recentibus malis aliena sunt, quia concitare ea possunt & accendere sic in veteribus, quæ nullis aliis auxiliis cesserunt, ad modum efficacia esse consueverunt, videlicet hîc quoque ut alibi, cùm secunda vana fueruit, contrariis adjuvantibus.

Quod ad cibum attinet, is siccans probatur. Inde *Guido de Cauliaco, Peter de Largelata,* & *Dominicus Leonus* adstringentia in fine mensæ, ut *pyra cydonia &c.* commendant. *Hieronymus Cardanus l.4. de alim. c.19.* Panis, *inquit* sit biscoctus cum chelidonia, rutha, cinamomo, amaraco, euphragia, fæniculo & roremarino. *Johannes Zecchius* addit ut cum cibi vapore medicamenti vis in Cerebrum & oculos rapiatur. Ex quâ vulgari sententia & *D. D. Sennertus: Acida in Ophthalmia & acetosa conveniunt, præsertim post cibum, quia*

vaporum ad caput aſcenſum prohibent. Acida & acetoſa illa ſtomachi ſummum, quod vocant Orificium, cohibebunt ſic, ut nec ructus poſſit fieri. Ac inde illa plus oberunt. Nam alvum contrahent, ut quoque increſcat *Ophthalmia.* Quapropter ſuaſerim ea potius, quæ molliunt alvum ac quoque quotidiè liquant. Deinde proſequitur *D. D. Sennertus* : *Acetum* non convenit. Peculiari modo morbo nocere ſolent & propterea vitanda ſunt *ſemen Cannabis, caulis, lactuca*, fabæ, *lentes*, carnes Porcinæ, & ſalſæ, *olivæ. Hæc de Johanne Bacchanello ſumſit :* Nocent oculis *acetum*, amylum, fumus argenti vivi, *ſemen cannabis*, folia caſtanearum, *caules*, coriandrum, crocus lac, *lactuca, olivæ*, opium, ocymum, piſces, portulaca & quæcunque his verſibus joci gratia annotavimus

Hæc oculis multum ſol, pulvis, fumus & æſtus
Ventus cum fletu, vina venusque nocent.
Acria ne mandes, nec quæ ſint plena vaporum,
Nec cepas, lentes, *allia, porrá*, fabas.

Zoar primo Theiſir Tract. 8. c. 21. inquit, capita gallinarum à proprietate cauſare cæcitatem. Item: damnat *carnes* ſiccas, ſalſas, pinguedinem craſſam & viſcoſam & propriè *porcinam*, ſuperfluumque animi & corporis laborem. *Hæc ille.* Aſt *lentibus* multi, ut *Avicenna, Paulus Ægineta*, & *Octavius Horatianus* utuntur. *Si Scabra*, inquit hic, *eſt lippitudo & pruriginoſa ex ſalſo ac nitroſo humore, convenit ipſis poſca & lentium decoctum. Serapio* tantùm fatetur aſſiduam *lentium* comeſtionem eſſe pernitioſam.

Quæ oculos laceſſunt ac lachrymari cogunt, illa quoque proſunt. *Proſunt* inquit Ariſtoteles 31. Probl. 9. interdum *quæ mordent, lachrymamque evocant, ut cæpæ.* In σκληροφθαλμία *inquit Paulus Ægineta*, & ξηροφθαλμία conveniunt medicamenta acria, per quas & duritics remittetur & ſiccitas humectabitur. Talis autem eſt & Panchreſtos Eraſiſtrati & Collyrium Diacenteton appellatum & quod ſtratioticon vocatur. Unde *Octavius Horatianus in eandem rem :* Si verò ſiccitas palpebrarum emerſerit, linteolo mundum butyro infuſum ſuperimponito. Aliquibus verò humorem convenit procurare per lachrymas aquas aut fumo aut terrore vel plagis extorquendas eſſe credimus. Sanè ſi in primâ oculi tunica ſanguinea,

nea, nimia veluti caro apparuerit, quam Chæmesin appellamus, hoc adjutorio curatur. Muscas quàm plurimas cum ovi vitello conterimus & in linteolo mundo superimponimus. Impetiginosos dicimus oculos, asperitatum vitiis laborantes, sic curare consuevimus. Allium accipimus, cujus interioribus melle contritis, oculis postquam ex eo humore vel succo rapuerit, inungito & ex eo pruritus & supradicta vitia depurgabis. *Hæc ille.* Sequuntur *Aristotelem* omnes, uti inde *Plinius* oculos sese lachrymis purgare affirmat.

Origanum ait *Aristoteles* nocere, contra *Octavianus Horatianus* prodesse in gargarismate. *Amylum* & suprà dicitur convenire. Illud quidem *C. Plinius* abjudicat, ut *Avicenna coriandrum.* Attamen idem *Coriandrum*, *crocus* & *portulaca* superius dicebantur prodesse. Majori consensu *Anethum* ajunt incommodum esse, *Dioscorides*, *C. Plinius*, *Serapio* & hinc *Macer*. *Ficus* quoque alienæ habentur.

Nonnulli *sorbere* jubent, non *manducare*. Qui ophthalmia, *Hieronymus Montuus inquit*, laborat, non manducet, sed sorbitionibus utatur, ne moveat oculum agitatione maxillæ, ut monet Vegetius: nam membra per motum recipiunt influxus â Cerebro provenientes 6. Epid. Ac *Johannes Zecchius consf. 27. quoque*: Imperandum est, ne manducet, sed sorbitionibus duntaxat utatur, ne maxillæ inter manducandum agitatione, oculum moveret: nam membra per motum recipiunt influxus â Cerebro & â toto etiam provenientes. *C. Celsus* primo die â sermone quoque abstinere imperat.

Melones & *pepones*, biliosâ *Ophthalmiâ*, haud vitentur, quod refrigerent sanguinem, urinamquè teste *Platero* cieant vehementer. Nec *uvas* reprobat *Plinius Valerianus*, cibos mitiores, *inquiens*, & sine mordicatione accipiant & qui pinguiores reddant humores, id est, Orplios & alios pisces, duriores carnes habentes, glaucum, cyridiam, ex ipsis sicciores. Olera autem intubas & malvas. Ex pomis mela, melones, *uvas* dulces. Ficus autem nullo modo sint accipiendæ in oculorum dolore.

Pullos Hirundinum vel assos vel elixos *Marcellus* ait, in cibo sæpius sumptos, oculis caligantibus efficaciter prodesse. *Salem* quàm candidissimum jejunus si cotidiè gustaveris, omnem o-

 culorum

culorum caliginem citò extenuabis, si credimus *Plinio Valeriano.* De *pullo ciconiæ* suprà diximus.

Persica privatim quasi nocere prodit *Johannes Rhodius Cent. 1. Obs. 80.* Persica *inquit*, in lippitudinem fæcunda prodit curiosè doctus Johannes Heurnius de morbis oculorum cap. 3. Persicorum esu, inquit, abstinendum, quia in lippitudinem fecunda. Quod in memetipso apud Germanos expertus, ob humiditatem & acrimoniam fortassis eo loci majorem. In Italiâ enim tale nihil sum passus, tametsi iis plusculum indulserim. Nec mirùm, quandoquidem Æginetæ de re Med. l. 1. c. 82. mali succi accedunt & facilè corrumpuntur. Actuario de Spir: Animal. nutr. c. 6. frigida & humida tenuem, serosumque sanguinem producunt, imò corruptioni obnoxium, nervosque offendunt sententia Simeonis Sethi de Aliment. Facult.

Abstinentia est salutaris. Neque tamen *inquit C. Celsus*, in lippientibus longum jejunium necessarium est, ne pituita tenuior atque acrior fiat. Sed secundo die dari debet id, quod levissimum videri potest ex his, quæ pituitam faciunt crassiorem, qualia sunt ova sorbilia. Si minor vis urget pulticula quoque aut panis ex lacte. Insequentibus diebus, quantum inflammationi detrahetur, tantum adjici cibis poterit. Sed generis ejusdem, ut nihil salsum, nihil acre, nihil ex his, quæ extenuant sumatur, nihil potui præter aquam. *Octavius Horatianus*, *sitire inquit*, omnibus rheumatizantibus prodest.

Ambulatione, aliisque exercitationibus utendum censent *Paulus Ægineta* & *C. Celsus.* In Xerophthalmiâ, *inquit hic*, multùm ambulare, multùm exerceri, lavari sæpè, ibique desudare, multaque multâ ambulatione atque exercitatione, frequenti balneo. *Ast Horatius*, qui *Ophthalmiâ* laborabat, *pila*, inquit, *lippis inimicum est ludere.* Verùm de cœnatis lippis loquitur *Poëta.* Lusu pilæ quidem superiores corporis partes vehementius moventur. Ast *Galenus l. 5. de sanit. Tuendâ* rectè judicat: Quoscunque levi de causa vertigines, epilepsiæ, ophthalmiæ, aurium dolores, gingivarum, dentium aut capitis infestare solent, ii exercitationem non sustinent, quæ caput impleat, cujuscemodi est, quæ inclinato vel capite vel dorso vel humi vo-

mi vo-

mi volutatis geritur. *Venusq́;* est perniciosa. *Galenus l, 4. de compos. medic. sec loc. c. 8. enim sic :* In fluxionibus circa oculos in principio convenit cibi & potus parcitas, aquæ potus & maximè omnium rei venereæ abstinentia.

Aër sit clarus, purus ac absque fumo. Æger quoque loco obscuro habeatur. *Octavius Horatianus* ægros admonet *hisce* : Odores acres & putentes effugiant, lucernarum vel solis claritudines vitent. Fumi vel pulveris declinent commotiones. Nec cubet unquam suprà oculum inflammatum, sed supinus, ut tradit Jesu Haly. Nec audiendus est *Rhases*. Quæ oculis hebes sæpius intuetur, ea sint viridis caloris, quem ob id *Aristoteles* Sect. 31. Probl. 10. & Plinius concordi ore laudant. Quæ sanguinei coloris sunt, removeantur ab oculis. Adeas Clariss. Virum, *D. D. Plempium.*

Somnum Avicenna statuit salutarem esse, & *Dominicus Leonus* ex recentioribus maximè in *biliosâ* ut vocant *Ophthalmîa. Sennertius* cur eum & in *pituitosâ ?*

Refragabuntur omnes illi, qui somnum *pituitosis*, ut vocant, *Catarrhis* nocere opinantur. Cæterùm *C. Celsus somni* ergò vinum bibi præcipit. Vinum *inquiens*, bibere lene, subausterum, modicè vetus neque effusè, neque timidè, ut neque cruditas ex eo at *tamen somnus fiat*, lenianturque intus latentia acria. *Paulò Post* : sæpè post hæc (balnea) *gravis somnus*, sæpè sudor, sæpè alvi dejectio pituitæ cursum finit. *Hæc hic.* Nec oculos diu clausos tenere expedit. Humoribus enim dandus est quotidiè exitus. Hæc nunc dicta sufficiunt. Nam de Victus modo in *l. 5. de Catarrhis* satis dixisse possumus videri.

Amuleta exequitur *Hieronymus Montuus* ad hunc modum : *Marcellus* : Lapilli in ventre *hirundinum* inventi albi & nigri, si lupino aureo includantur & collo suspendantur, omnem dolorem oculorum perpetuò avertent.

Rhases : oculus *Cancri* fluvialis appensus dolorem oculi lenit.

Kiranus : oculi *lupus* gestatus ophthalmiam sanat.

Plinius : oculi *felis* collo suspensi sanant omnem oculorum infirmitatem.

Lapidarius: *Saphyrus* & *Smaragdus* oculos, quos ſæpè tangunt, ſanant.

Iſtas nugas nugis D. Johannes Hartmannus auget: In Epiphorâ & Ophthalmia præſtat Periapton ex radice malvæ ſimplicis (præmiſſo caputpurgio & averſionibus debitis) radix colligitur, quando Sol præcisè eſt in M. effodiendo illam ſubtus cum exortu Solis, ita, ut radix primum denodetur ad latus fodiendo, poſteà planta tota ſubtus eruatur. Applicetur radix illa ad nucham alligando vel appendendo. *Non diſſimili ratione Marcellus* meminit *Graminis, ceraſorum*, radicis *rumicis* & *millefolii*: *Gramen, inquit*, quod in ſummo *triſulcum* habebit decreſcente Lunâ radicitùs ſublatum quàm plurímum repone. Deinde ex multis unum auſpicante lippitudine ad collum ſubliga, celeriter incumbentem epiphoram diſcuties. *Et rurſus*: *Colophoniæ* modicum phænicio illiga & collo lippientis ſuſpende, ſtatim proderit. Dolorem oculorum ut anno integro non patiaris, cùm primum *ceraſia* erunt idonea eſui id eſt, quaſi matura, de tribus ceraſiis lapillos pertundes & gaitano lino inſerto pro phylacterio uteris, Voto prius facto contra Solem Orientem, quod eo anno ceraſia non ſis manducaturus. Vitandæ perpetuò lippitudinis gratia obſerva ut Kal. Januarii eo tempore, quo Kalend. Solis die fuerint, & etiam horâ primâ vel octavâ & deinceps alio die ſolis & tertio Solis die ſimiliter, collyrio tenui inungaris, tum converſus ad orientem rogabis Deum, ut eo anno dolore oculos tuos non ſinat. Cum primum *hirundinem* audieris aut videris, tacitus ilicò ad fontem decurres vel ad puteum & inde aquâ oculos fovebis & rogabis Deum, ut eo anno non lippias, doloremque omnem oculorum tuorum hirundines auferant. *Rumicis ſylvatici* radicem luna decreſcente, collige & tecum habeto nitidiſſimè, quandiu eum tecum habueris, non lippies.

Lacertam viridem excæcatam acu cuprea in vas vitreum mittes cum anulis aureis, argenteis, ferreis & electrinis, ſi fuerint, aut etiam cupreis, deinde vas gypſabis, aut claudes diligenter atque ſignabis & poſt quintum vel ſeptimum diem aperies, lacertumque ſanis luminibus invenies: quam vivam dimittes, anulis verò ad lippitudinem ita utaris ut non ſolum digito geſtentur, ſed etiam ocu-

lis

lis crebrius applicentur, ita, ut per foramen annuli viſus transmittatur. Obſervandum ſanè imprimis, ut in loco nitido atque herbido deponatur ampulla & cum lacerta diſceſſerit, tùm anuli colligantur. Obſervandum etiam ut lunâ vetere, iſt eſt, â luna nova decima in viceſimam quintam, die jovis ſeptembri menſe capiatur lacerta, atque ita remedium fiat, ſed ab homine maximè puro atque caſto. Lacerti viridis quem ceperis die Jovis, lunâ vetere, menſe ſeptembri, aut etiam quocunque alio oculos erues acu cuprea & intra bullam vel lupinum aureum claudes, colloque ſuſpendes: quod remedium quandiu tecum habueris, oculos non delebis. Lacertum ſanè eodem loco, in quo ceperis, dimittis. Vel etiam ſi ſanguinem de oculis ejus lana munda excipias, eámque phœnicio convolvas, colloque ſuſpendas, uteris efficaciſſimo adverſum oculorum remedio. *Cancri* oculus ſubtiliter ſublatus & in phænicio colligatus, colloque ſuſpenſus lippitudini incipienti medetur, ſi tamen remedium â caſto homine fiat. De manu ſiniſtra *muſcam* capies & dum capies, dicere nomen debebis ejus cui remedium facturus es, te ad curandos oculos ejus muſcam capere. Tùm vivam eam ligabis in linteo & ſuſpendes collo dolentis, nec retrò reſpicies. Charta virgo in qua ſcriptum eſt φύρφαραν, acini novem uvæ albæ, *millefolium* radicitus evulſum & ex ea circulus factus.

CURATIO
OPHTHALMIÆ STOMACHALIS.

SI â *Stomacho* oritur *Ophthalmia*, *Gulielmus Rondeletius c. 47.* ait *vomitum concitari.* Fit etiam hic morbus per conſenſum ventriculi, hoc eſt, quia ventriculus cauſam præbet, aut morbum fovet. In his commendatur vomitus, modò excitari poſſit ſine magnâ perturbatione. Nam motus vehementes materiam exagitant & humores agitati *facilius* in partes imbecilliores fluunt. *Ut & Foreſtus:* Verùm *Vomitus, diſſolutio ſtomachi* & *nauſea* ſuperiùs erant *ſigna ſtomachalis*, ut vocant, *Ophthalmiæ.* Nimirùm de rebus falſis inter autores

tores nunquam convenit. Nulla *Ophthalmia* eo, quo illi volunt, modo originem ſuam â *ſtomacho* trahit. Itaque nec erit, ut de eâ curandi ratione loquamur.

CURATIO OPHTHALMIÆ FLATUOSÆ.

Q*Uæ Ophthalmia â flatu* oritur, eam *Meſues* hâc viâ curat: Si autem Ophthalmia â ventoſitate fuerit, curetur cum embrochis, & balneis facientibus evaporationem & emplaſtris: Et jam laudatus eſt fæniculus in hujuſmodi Ophthalmia ſecundum omnem modum adminiſtrationis ejus & emplaſtrum factum ex eo & vitello ovi eſt juvativum valdè. *Iiſdem ferè verbis* utuntur *Domicus Leonus*, *Johannes de Concoregio*, *Donat: Altomarius.* Si verò, *inquit Nic. Piſo,* ex flatuoſo ſpiritu tunica adnata diſtenditur, vaporationibus ex milio aut ſaccellis ex milio & furfure paratis curatur, aliiſque digerentibus, evacuantibus & diſcutientibus medicamentis. Vitanda autem ſunt, quæ repellunt & adſtringunt. *Euſtachius Rudius* etiam pronuntiat eam *per evaporantia facilè removibilem eſſe.* Atque *Octavius Horatianus* plurimi facit *fomentationem:* omnes particulæ corporis propriis indigent curationibus Oculi autem curationes multæ, magnæque ſunt. Hi namque quùm primò leviter ſeu vapore ſeu frigore vel cæteris quibusvis originibus fuerint attentati, frequenter frigidæ puſtulæ, fomentatione nos convenit obviare.

Verùm iſtæ *embrechæ*, iſtæq; *vaporationes* meritò reprobantur. Credunt quidem autores illud *Ophthalmiæ* genus eſſe *flatuoſum* & ob eam rem maximè *vaporationibus* curari oportere. Verùm eo modo *Ophthalmia* de *flatibus* haud creatur. Nonnulli quoque eadem ratione adducti negant ſanguinis miſſionem aliquid profuturam eſſe. *Ophthalmiæ*, inquit *Hieronymus Mercurialis, â vapore* nulla debetur venæ ſectio, niſi dolor vehementiſſimus adſit. *At aliquantò* ſecus *Zacutus Luſitanus*: *ſi inflammatio eſt magna ſemper vena eſt ſecanda, etiamſi â flatu concitetur.* Illi flatus non liberi ſunt ac ſurſum tendentes petunt *oculos*, in iiſque faciunt *inflammationem.* Sed ii inſunt in ſanguine, qui ſemper detrahendus eſt, poſt ſudor quoq; provocandus, citatâ alvo.

CU-

CURATIO XEROPHTHALMIÆ

X*Erophthalmiæ* quædam medicamenta privatim conveniunt, ut Collyrium *Euelpidis*, quod *Basilicon* nominabat, *C. Celsus adjicit:* Succurrit & his & aridæ lippitudini, si quis panem ex vino subactum super oculum imponit. Nam cùm ferè sit humor aliquis, qui modò ipsum oculum, modò angulos, aut palpebras exasperat, sic, & si quid prodit humoris, extrahitur & si quid juxtà est, repellitur. *Marcellus* hoc *Xerocollyrium* profert, ceu optimum ad epiphoras acres & initia lippitudinis ℞. croci sarcocollæ a ℈ij. aloes hepaticæ glaucii ℈j. hæc omnia diligenter tuta recondes in pyxide cuprea & pro Xerocollyrio uteris. Ac mox *Collyrium stratioticon Psoricon Stacton, Calliblepharium Xerocollyrium*, Deinceps alia *Xerocollyria*; uti & hoc: Capilli muliebres super testam combusti & cum spuma argenti contriti atque ad summam levitatem redacti, Xerophthalmias & prurigines oculorum efficaciter sanant, si inde inungantur. *Item* Pulmonis hedini combusti cinis prurigines oculoru discutit & scabras palpebras emendat, si quasi *stibium* imponatur, *itemque*, Nardi Indici vel Syriaci ex vino vetere triti siccatique pulvis quo Xerocollyrio oculis impositus mirabiliter prodest ad valetudines supra scriptas. Mel optimum despumabis, ut benè purum sit & admiscebis pari mensura succum rutæ & herbæ chelidoniæ atque ad tertias decoques & cum omnia benè permiscueris, in ampullâ vitrea sub signaculo servabis & uteris miro medicamine ad scabros & lippos oculos inungendos. *Collyriumq́ue* nomine *monemorō* ait facere ad impetus lippitudinis ex ovo inunctum ac imprimis ad scabitudines & diatheses tollendas. Huc quoque spectant *Collyrium Diamisyos Collyrium Dioxus*, *Dialibanum*. Eorum multa *Scribonius Largus* exequitur, ac *Galenus l. 4. de compos. Pharm. c. 6.* sicuti *Philoxeni* aridum collyrium, aliud rursus *collyrium* ut *Capitonis*, constans, ex cadmia, ære, stibio tritis. His utere *inquit his*, cum *specilli extremo*, palpebris manè & vespere ex eo sublitis. Deinceps

Collyrium Isochryson hoc est auro compar.

Collyrium Lucii Præceptoris Melinum.

Collyrium Euemeri Psoricum.

Dein *hæc aspergit :* Ad oculos propter Solem aut omninò pulverem scabros atque aridos factos aqua multa æstate quidem frigida, hyeme verò calida affusa commodat, cum Spongia. Ipsis oculorum angulis rubi, lentisci, myrti, rosarum succus per se cum aqua adhibeatur, item vinum *maris* expers, vetus alium, *amurca* cocta cum olio. Abstineatur â salsis & acidis cibis.

Marcellus laudat Medicamen *Barbaricum* ad omnes oculorum causas vel impetus sive sint scabri & lachrymosi sive etiam vermiculos habeant aut brigantes, qui cilia arare & exulcerare solent. *Cauteria* tantoperè hîc non valere putantur. Qui, *inquit l. 2. de igneis Medicinæ præsidiis c. XVI. Johannes Costæus,* profunda ustione immodestè utuntur, ii unà cum alienis humoribus, naturales quoque consumunt; atq; ad extremam siccitatem oculum deducentes incurabilem morbum reddunt.

CA-

CATARRHUS AURIUM.

Secundum *Catarrhi* genus eſt duce *Hippocrate inflammatio aurium*. Hæc ob certam rationem hic ſequitur *Ophthalmiam*. Veteres Medici, *Græci* & *Arabes*, *inflammatis auribus*, & *Cerebrum* laborâre credidere, eique admoverunt remedia. Hos conſectatur turba recentiorum, & ex iis *Sennertus*. Qui communis error hîc coarguitur. Via *Catarrhi* haud eſt illud *Cranii foramen*, per quod *humor Cerebri* vel in *aures* vel in *oculos* vel in *nares* manare fingitur. Vetuſtiores ſimul aſſeverant, *Catarrhum* & per *venas* in *Aures* ferri. Humor ex *Cerebro* per *foramen Nervi Auditori* in intima *Aurium* non poteſt mitti, conſideratâ loci conditione. Atque graviores inde morbi naſcerentur. *Inflammationis* cauſæ ſunt ῥεύματα vel πνεύματα. A *flatibus* oriri poteſt *inflammatio aurium*, ſed longè aliâ ratione. Homine *ebrio*, *vapores* non tàm ex *ſtomacho* per *gulam*, quàm per *arterias* ex *maſſâ ſanguineâ* in intima *aurium* feruntur. Nec *Hepar*, nec *Lien* nec *Matrix* poſſunt *flatũ* in aures compellere, obſtantibus *inteſtinis*, *Diaphragmate* & *Collo*. Si ſpectantur partes *aurium*, harumq; cavitates, erunt *differentiæ inflammationis auriũ*. Eſt & *critica* inflam̃atio *Auriũ*. Illa *differentia* eſt fallax, quâ hæc *inflammatio* per *viam Catarrhi*, hæc per *viã paulatinæ digeſtionis* oriri dicitur. Nec *ſtomachica* nec *Hepatica* nec *Uterina* eſt inflam̃atio *auriũ*. *Flatus ſanguinis* poſſunt facere *ventoſam* ſeu ut vocant, *flatuoſam inflammationem auriũ*. *Signa inflammationis Auriũ* expenduntur. *Gravitas capitis* pituitosũ, craſſumque humorem haud demonſtrat, nec quoque *aër frigidior*, in quo æger antè fuerit verſatus. Atque notæ *humoris melancholici* ſunt incertæ. Nec *gravitas frontis* poteſt eſſe præſagium *inflammati nervi auditorii*. Nec nauſea illã, ut vocant, *ſtomachalẽ inflammationem aurium* teſtatur. *Prognoſtica* dicuntur. *Aurium*

flammatio gravior *Ophthalmiâ* est & periculosior. Levior est inflamatio *auriũ*, *exteriore* tantùm *auriculâ inflammatâ*. Inflammatione *aurium* graviùs laborant *juvenes*, quàm *senes*. At & *juvenes* sæpè convalescunt. Recidiva intendit periculum. *Critica* inflammatio est salutaris. *Inflammationes*, *sordesq;* *aurium* non possunt in *urinâ* agnosci. *Inflammationis Aurium* curatio, omissis *Cephalicis & Cerebralibus* medicamentis, nunc facilior est & minus sumptuosa. Nec *Errhina*, *Ptarmica*, *Ap phlegmatismi* & *Gargarismi* utiliter exhibentur. Deseruntur *Hippocrates* ac *Galenus* nec non juniores, ut *Grossius*, *Weickardus*, *Sennertus*. *Medicina purgans* utilitatem affert, veluti *Sanguinis missio*, *cucurbitulæ*, *Frictiones*, *Cauteria*, *Hirudines*. Quantum ad has, suggerit exemplum *Zacutus Lusitanus*. *Vomitus* nihil confert. *Diuretica* non sunt aliena nec quoque *sudorifera*, sed certâ tamen ratione. Quidam abdicant *Repellentia*, quidam probant. At hi ipsi explicatuum discriminibus dissident, ut inprimis *Massarias* & *Sennertus*. Tandem *Repellentia* expelluntur. *Opium* nec torrefactum prodest, sive illitum sive instillatum. Est quoq; *sensui Auditus* peculiariter pernitiosum. *Lac* & *Butyrum* auxiliantur. *Caninum Lac* vehementius collaudatur. *Albumen Ovi* prodest, prævalet teste *Avenzoar vitellus*. *Otica* vetustiorum Autorum percensentur. Sequuntur *Otica simplicia exotica*, mox *Otica* antiquorum *composita*. *Aures*, infusis liquoribus vel *conchyliatâ* ac *purpureâ* vel *albâ lanâ* obturabantur. *Conchyliata* & *Purpurea* differunt. *Alba* potuit etiam esse *Xylina*, quæ & spissior est. *Cæpa* omni ætate fuit nominata medicina *Aurium*. Modus *Otica externa* admovendi est varius vel per *lanam* vel per *arundinem* vel per *auriculare specillum* ac illud quidem aliquando *lanâ* mollissimâ involutum vel per *ὠτεγχύτην*, *oricularium clysterem* vocat *C Celsus*, vel per *strigilem*. Fit *Vaporatio* per *fumum* & *ollam*. Omnia *Otica*, quæ *auribus* infundenda sunt, ob membranæ interjectum multis suspecta, prorsus aliena, ac periculosa esse videntur. Ructando, vomendo, nitendo, clamando, inflando non *Halitus stomachi* penetrant in *aures*, sed harum vasa distenduntur. Idque docet *Galenus*. *Vapore*

pore calentis panis non tabescunt crassiores *auris* humores. *Cataplasmata* sunt admodùm idonea. Reliqua sunt prudenter eligenda. *Otica exotica* non sunt tanti usus, scitu tamen digna. Recentiores, ut & *Sennertus*, mixturis ac simplicibus medicamentis veterum utuntur maximè. Non ulteriùs progressa est *Ars Medicinalis*. *Pix auribus* convenit peculiariter. *Appropriata Aurium* abjudicantur. Flores *Arundinis Auribus* privatim nocent. Pauca dicuntur, quæ spectant ad *victus rationem*. *Vinum*, finitâ propè *inflammatione*, inutile non est. Dantur cibi *constrictivi*. *Vigiliæ* nihil javant. Somno ferè indulgendum.

✠

SEcundum *Catarrhi* genus est *Aurium inflammatio*, quam quidem principe loco & ante *Ophthalmiam* bis memorat *Hippocrates*, ut libro de glandulis: ῥόοι τε ἀπὸ κεφαλῆς δι' ὤτων κατὰ φύσιν διὸ ὀφθαλμῶν διὰ ῥινῶν. Ac libro de locis in homine: ῥόοι δὲ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἑπτά, ὁ μὲν κατὰ τὰς ῥῖνας, ὁ δὲ κατὰ τὰ ὦτα. ὁ δὲ κατὰ τοὺς ὀφθαλμούς.

Verùm â *Massariâ* superiùs dictum fuit, quidnam causæ esset, quamobrem hujus tractationis initium â *Catarrho Oculorum* duceretur. Si magnitudinem periculi spectamus, *Aurium inflammatio* est gravior *Ophthalmiâ*. At *Medicus* aut *Philosophus* si contemplatur *quinque sensuum* naturam, alio ex ordine eos persequitur. Quare nec ab ratione, uti judicat *Massarias*, abhorrebit, ita incipere, itaque pergere ulteriù. Hâc viâ & *C. Celsus* progreditur, *ideoque*, inquiens, *ad aures transeundum est, quarum usum proximum â luminibus natura nobis dedit*.

Nunc *Hippocrates* prædicto *libro de glandulis* hæc subnectit: *At verò aurium* meatus tortuosus quidem & angustus. Cerebrum vicinum habet, ipsis (auribus) appressum. *Quod cùm afficitur, hoc morbo plurima excernit.*

Cùm tantus autor *Cerebrum*, inflammatis *auribus* pro-

nuntiet laborare, reliqui *Græci, Galenus* & *Alex Trallianus*, ac quoque *Arabes*, ut *Avicenna* ac *Serapio* remedia eidem membro admovenda curant. *Cerebrum* compati ajunt *Juniores*, ut *Christophorus â Vega, Joh. de Tornamira, Arculanus, Alex Massarias, Savonarola, Forestus, Rudius.* Hi *quoque Nervum*, qui est *aurium*, & reliquos affligi arbitrantur. Et si, *inquit Arculanus*, fit per communitatem â Cerebro secundum plurimum, non solùm auditus læditur, sed etiam gustus propter propinquitatem originis quinti paris nervorum Cerebri præbentis auditum origini tertii & quarti paris, præbentis gustum & sensum linguæ.

Præterea *Cerebrum* fons *Catarrhorum* existimatur, ad quos & hæc passio spectat. *Alexander Trallianus* l. 3. c. 4. περὶ τῶν ἀπὸ καταῤῥȣ γινομένων ὀδυνῶν ait *in aurium doloribus, qui ob Catarrhos eveniunt, parti remedia citò adhiberi non oportere.* Unde *Esculapius*, Fit, *inquit*, ex rheumatismo Capitis ac ex Catarrho. Sic & *Gariopontus. Cælius Aurelianus* nominat *poros Acusticos.* Sensuales, l. 2. Tard. Passion. c. 3. aurium viæ sive auditoriæ cavernæ, quas Græci acusticos poros appellant, difficillimis sæpè doloribus vexantur, ut etiam occipitium teneant & oculos atque buccarum musculos & perseveratione tardissimâ tempora & caput. Aliquando etiam humoris fluor per easdem cavernas fit, quem Græci Rheumatismum vocant, & ita jugis, ut sæpè vulneret altiora atque corrumpat & ossa conterebret & propterea copiam fluentis humoris efficiat. Et *paulo post*: tum etiam (adhibendam) totius capitis curationem ex illisione aquarum supercadentium, quam Græci Cataclysmum appellant. *Hæc ille. Avicenna* per *viam Catarrhi aures* tradit *inflammari.* Hic & ejus interpretes, *Joh. de Tornamira, Jacobus de Partibus, Arculanus Galenum* sequuntur. Nam ille *l. 7. Meth. Med. Cerebrum*, inquit, *per aures, nares & palatum purgatur. Ac libro de constit. artis Medicæ.* Quæ per palatum, naresve & aures fluunt, quo cerebrum sit affectum, indicant. *Autor Isagoges similiter ferè*: per aures exeuntia testantur Cerebri robur. *Ex eodem* magisterio *Balduinus Ronseus libro de infantium morbis* affirmat *caput per aures tanquam per cribrum purgari.* Unde & *Marcus Sanct. Barolitanus comment. ad textum Avicennæ*, cum quidam, *inquit*, ulcus fistulosum in aure sinistra pateretur,

teretur, ex quo ſanies plurima flueret, cum Medici illius fluxum retinere voluere contra meam opinionem. Nam ego â Cerebro defluere dixeram. Et poſt mortem, ne viſus eſſem mentiri, plurima ſanies ab auribus & naribus effluxit, ut oſtenderet materiam retentam fuiſſe in Cerebro. *Hæc ille.* Ac veteri illi opinioni admodùm congruenter *Zacutus Luſitanus:* Inflammatio auris ferè ab humore â capite in eam confluente concitatur: is aliquando eſt ſanguis, ſæpè tenuis quidam, fervidusque humor, qui in auris profundum ita ſeſe inſinuat & adhæret, ut primùm dolorem excitet, deinde violenter exaſperans, diſtendens ac replens, tumorem generet. Nam caput nimio humorum onere refertum, in partes ſibi ſubjectas, ſi ſint debiles, eos detrudit, ut aures, oculos, frontem, labia, dentes, gingivas, palatum & alias ſibi vicinas, ſi verò hæ robuſtæ ſint in debiliores, utpote pectus, pulmonem, gargareonem & ventriculum tranſmittit ut probat Galenus 2. febr. 11. *Ac paulo poſt*: Sub auribus glandulæ ſunt conſpicuæ, inſignes & craſſæ, in quas non ſolùm Cerebrum ſed aures ob viciniam ſua excrementa detrudunt. Ob hanc cauſam cùm Cerebrum plurimis morbis vexetur, qui â craſſo præſertim & lento humore originem ducunt, ponè aures cauſtica & veſicatoria admovemus.

Verùm multi ſuperiorum *autorum* & *venas* dicunt, quibus quoquè in *aures* feratur humor, quo eæ inflammantur. Quâ de Scholâ *Johannes de Tornamira*, aliquando, *inquit*, materia fluit per illas concavitates in ipſo organo per viam Catarrhi, quod eſt ut plurimum, fit aliquando ab illis qualitatibus cum materia apoſtemoſa fluente per *venas*.

Tàm veterem, tàmque vulgatam traditionem *Doct. Dan. Sennertus* deſignat hiſce verbis: Quanquam auris fabrica præcipuè oſſibus conſtat, tamen membranas etiam habet, in quas exiles venæ immittuntur, per quas ſanguis tenuis & bilioſus ê *venulis membranarum Cerebri* & vicinarum partium in *aurem illapſus*, inflammationem parit. *Et rurſum:* Diſtinguendum, utrum ſanies illa ab aure ipsâ profluat, an â Cerebro: ab hoc quidem vel rupto, in ipſo, apoſtemate vel citra apoſtema, ſanie ê *Venis Cerebri* inprimis ad aures tranſmiſſa. Si enim ſanies ab apoſtemate eſt rupto in Cerebro,

illa

illa primò satis magnâ copiâ exit, deinde paulatim emittitur, donec omnis sit absumpta; præcesserunt etiam signa inflammationis Cerebri, & Capitis gravitas & dolor, quæ sanie exclusâ remittunt.

Ab apostemate verò in aure rupto dolor, qui præcessit, in aure magis quàm in Capite perceptus fuit.

Sin sanies absque apostemate *Cerebri* in *ejus venis* genito ad aures transmittatur, pruritus quidem in auribus sentitur & sanies ipsa, postquam semel exhausta est, denuò coacervatur, quæ nisi liber exitus pateat, vertiginem & alia Cerebri symptomata affert. *Hactenus Autor.*

Ita fert vetus Placitum, portionem humoris illius domestici, qui Cerebro funditur quotidiè, in aures quoque demitti. Illamque fluxionem aliquando in tantum increscere, ut ipsæ *aures* inflammatione tententur. Quicquid humoris vel nares vel oculi vel aures reddebant, simplex Antiquitas ex *Cerebro* censebat provenire. Hujus & illarum partium, *narium*, *oculorum* & *aurium vicinio* quàm maximè movebatur. Et hoc est, quòd *Hippocrates*, *aurium meatus*, inquit, *vicinum Cerebrum habet, ipsis auribus appressum.* Unde ex junioribus *Johannes de Concoregio*, *inter aurem* ait *& inter Cerebrum esse breve spatium.* Arabes, ut *Avicenna*, & hujus, aliorumque interpretes vocabant *Viam Catarrhi*, quâ humor ex *Cerebro* quasi emicans, descensum facit vel ad spatium *oris* vel ad *nares*, vel ad *oculos* vel denique ad *aures*, tanquam ad emissacula, quo verbo utitur *Chalcidius.* Siquidem ad eas ipsas *Capitis* partes ex *Cerebro* ferunt foramina, quæ *Natura*, Corporis fabricatrix, in *Cranio* commenta fuit. Quapropter *Arculanus* inflammationem *aurium* tradit aliquando fieri, si plus humoris, quàm naturaliter oportet, *ex Cerebro* in *aures* per *foramen nervi auditorii* pertendat. Mox autores & aliam hujus *inflammationis* viam, mentione *venarum* habitâ designabant. Proinde humor non *foraminibus Cranii*, modò, sed etiam *venis Cerebri*, *membranarumque Cerebri* ad proximiores has partes profluere credebatur.

Superiori opinioni nescio quo modo acquiescebatur semper. Duæ res animus mortalium maximè percutiebant, *Hippocratis autoritas*, ac rei *probabilitas* summa. *Cerebro* & his *capitis* partibus

ita

ita cohærentibus, erat in animis humanis quaſi inſculptum, fixum & iis quaſi innatum, humores, quos *oculi, nares* & *aures* publicant, de *Cerebro* manare. Quem humaniGeneris errorem primus detexi, coargui, ſuſtuli. Cerebrum eſt ſine ſordibus, non guttans, non pituitâ prolutum. Eo modo, quo *pulmo, hepar, lien* & *muſculorum* corpora, nutritur *Cerebrum* ſine veſtigiis aut alimoniæ ſuperſtitis aut recrementi reduntantis. Si laborante *Cerebro*, humor inibi inſidet, alia paſſionum genera naſcuntur, non *catarrhi*. Ac ut ad propiora veniamus; ſi Cerebrum ex ſe ſubminiſtrat humorem, quo pacto is in intima *aurium* ſe inſinuabit? Fluidis rebus Naturâ tributum eſt, ut de ſuperioribus locis in depreſſiora cadant. Quapropter & de *Galeni* ſententiâ humores quaſi naturali nutu in imum *cerebrum*, in ipſum *infundibulum*, ut vocant, ac inde vel *nares* ac *oculos* vel in *os* ac *palatum* fluunt. At ii quo modo in *foramen nervi auditorii* poterunt contendere? Hi in *glandulâ pituitariâ* coguntur. Inde delapſi & jam quaſi exundantes, quo modo iter ad *foramina Nervi Auditorii* dirigere poterunt? Ii de mediâ *Sellâ Equinâ* manantes, exitū potius per declivia foramina *Oſſis Temporum* habebunt. Iidem ſi de poſticâ parte *Sellæ Equinæ* ſe agunt, nec inoffenſum erit iter, & ad *foramen nervi auditorii* planè inextricabile. Objecti certè ſunt illi oſſei *proceſſus*, quos *Clinoides poſteriores* libro primo de *Catarhis* c. 4. appellamus. Ac ſi humor inibi prorumpit ac progreditur ultrâ, illius loci tàm declivis conditione in *Spinalem medullam* ſe conferet potiùs, quàm in *nervum Auditorium*. Hujus foramen eſt â latere ſitum & loco iniquo ac valdè incommodo. Ad quem humor non ſuopte motu, non naturali, ſed alienâ vi ac impulſu ſtruet iter. Foramen autem *Occipitii*, quo *Spinalis Medulla* mittitur, imum eſt, grande & adverſum. Ad hæc *Nervi Auditorii foramen* adeò arctum eſt & *nervo auditorio* ita differtum, ut nec tenuisſimus liquor penetrare posſit. Fortaſſe non fas erit, hæc & ejuſmodi alia ſcrupuloſius expendere, ſed credere. Eſt adſertio *Hippocratis, Galeni* & *Avicennæ*, qui ſunt antiſtites Medicæ diſciplinæ. Ultrà igitur quæri non oportet. In Sholâ *Pythagoræ* princeps locus erat credulitati, quæ omnem Doctrinam præcedebat. Verùm apud Medicos ſola veri dignitas valet, non autoritas dicentis. Hi non credunt, niſi ea, quæ

 oculi

oculi mentiſque acies aſſequitur. Falſitatis plena eſt vetuſtas, quare hæc raro eſt veritatis comes. Hæc ex improviſo ſæpius emicare conſuevit. Amplius tùm occultari ac premi non poteſt. Huic & optimus quisque manus dat animo æquiſſimo. Nam commodè *Columella*:

> *Ipſa novas artes varia experientia rerum*
> *Et labor oſtendit miſeris, uſusq; magiſter.*

Ac *Manilius* quoque:

> -- -- *Longa dies acuit mortalia corda.*

Unde *Christianus Poëta, Prudentius* l. 2. contra Symmach.:

> -- -- *creſcit vita hominis & longo proficit uſu.*

Age, reliqua noſtri ſermonis ſubtexamus. Si humor per medium *nervum auditorium* munitat iter ad interiores *aures*, facile inibi deſidere poterit. Initio hujus *inflammationis*, *convulſio* & *Epilepſia* hominem citò opprimient. Nec humori *inflammationem Aurium* concitanti, viam ſolæ facient *venæ Cerebri* ac *membranarum Cerebri*. Sanioris pectoris autores ſunt ii, qui *venas* & *arterias* commemorant. *Arteriæ* invehunt ſanguinem, ejus quod ſupereſt, venæ reducunt. *Aurium venas* & *arterias* l. 3. de Cat. §. 1. c. 10. executi ſumus. Eæ vel *internæ* ſunt vel *externæ*. *Higmorus* quoque intelligit, *inflammatis auribus*, *Cerebrum* aliquando ſimul affici ac viciſſim aures *Cerebro* inflammato aut ad hunc modum affecto. Ille ſanguis verò non eſt *Cerebri* ſanguis ac privatus, ſed publicus. Ac *arterias externas inflammationem aurium*, illæſo *Cerebro*, interdum facere, credi, par eſt. *Marcus Sanctus Barolitanus* ſuprà parùm rectè argumentatur hunc in modum: cùm plurimus humor de *auribus* etiam poſt mortem fluxerit, intelligendum eſt, eum non aliundè quàm de *Cerebro* veniſſe. An in *ulcere aurium*, ut vocat ipſe, *fiſtuloſo* non multa ſanies interdum poteſt ſubſiſtere? Sæpè & nares ſimili morbo tentantur. Quare & inde promanat humor. Plerunque evenit, ut mortuo homine ſuppreſſus humor tandem majori copiâ ſe agat foràs. Quid de *hæmorrhagiâ Narium*, quæ ſolennis fuit antè & mox cohibita, quid de *Menſtruis* ſuppreſſis, quid de *Urinâ* retentâ dicam? Res eſt oppidò manifeſta. Quare ſatis habeo, Lectorem hîc tantùm commonefacere.

CAUSÆ.

Causæ *Inflammationis aurium* ſunt vel *externæ*, ut docente *Alſaharavio*, Sol & ventus, vel *internæ*, ut ῥεύματα vel πνεύματα. *Alexander Trallianus* vocat πνεῦμα φυσῶδες. Hinc ingens turba autorum ſimiliter ſentientium. Quidam tálem *flatum* contendunt de *hepate, Liene, ſtomacho* & de *utero* ſurgere, ut *Arculanus, Joh. Matth. de Gradi*, *Euſtachius Rudius*, *Johann. Bacchanellus*, *Johann. Hieron. Pulverinus*.

Atque *Hieronymus Mercurialis* in *Prælect. de ratione Vict. in morb. acut.* eadem opinione ducitur. *verba* ſunt hæc: Sed videamus jam, utrum aliquæ inflammationes habeant originem â flatu & an in his prius ſit purgandum. Quod autem fiant quandoque inflammationes â flatu præter quotidiana experimenta habetis autoritatem Hippocratis, qui lib. 2. de morbis acut. in pleuritide â flatu, diſcutientibus utendum præcipit, ne perſeverans dolor faciat veram inflammationem, ſi flatus non diſcutiantur. Dolore deſcendente ad hypochondria, purgandum eſſe corpus monet. Quapropter colligitur nonnunquam inflammationes â flatu originem ſumere. *Idemque C. de morbis aurium*, & *flatuoſam aurium inflammationem* aliquando concitari proponit.

D. D. Sennertus quoque rem credit *hiſce explanari*: Cauſa tinnitus eſt πνεῦμα φυσῶδες, id eſt, ſpiritus flatulentus ſivè ἀτμός, hoc eſt, vapor craſſior. A ventriculo ἀτμοὶ ſurſum continenter adſcendentes tinnitum aurium efficiunt. Ita in bilioſis tamen diutius tolerantibus aures ſonoræ fiunt, calore ventriculi in inopia cibi halitus ex pravis ſuccis ſolvente & in ebriis quoque vapores ex ingurgitato potu ad caput magna copia allevatis, qui tum exitum in anguſtiis illis quærunt, ad oſſa & membranam tympani, expanſumque nervum alliſi tinnitus cauſa exiſtunt. Ab utero deinque, hepate, liene, & viſceribus aliis malè affectis evaporationem ſurſum fieri in corporibus cacochymicis & repletis, minimè dubium eſt. *Hæc ille.* Verùm hæc dicta tanti fiunt, quanti ea, quæ tradit *Græcus ille Autor libri de ſpermate*: Solet autem contingere, quod ſperma deſcendens â capite poros narium & aurium obturet, ita ut vitalis flatus exire vel introire nequeat. Sperma retentum per naturam idem operatur, quod venenum, creſcensque venis & arteriis ſuis, dum nequit

quit deſcendere in ſanguinis maſſam, nimiam generat paſſionem in faucibus quandam, quæ ſtrangulator dicitur. Si verò ſperma â Capite deſcendens non impeditur, venit ad teſticulos, ad unum per venam unam & arteriam, ad alium per arteriam & venam alteram.

Rurſus *Hippocrates libro de locis in homine* audiatur. ὁπόταν δ' ἐς τὰ ὦτα (τὸ ῥέεστρον) ῥέει, τὸ πρῶτον ὀδύνην παρέχει βίη γὰρ χωρέει. Πόνον τε παρέχει, ἔστ' ἂν ἀποσυριγγωθῇ. *Cum ad aures (fluxio) fluxerit, primum dolorem exhibet, vi enim fertur. Dolorem autem exhibet, quoad fiſtula contracta fuerit.* Hoc morbi genus *Otalgiam Galenus Meth. Med.* interdum vocat, maximèq; notat vaſa Sanguinis, poſt aures, *inquiens, in 6. de morb. Vulgar. com. 5. venæ quædam ſunt grandiores, in ipſis verò auribus perexiguæ, vixq́ aſpectabiles & plerunque neque perſpicuæ.*

Quemadmodum *oculorum*, ita & *aurium venæ*, ſi ſe habent naturaliter, viſum effugiunt, veniuntque ſub oculos, ſanguine turgentes. Hic aliquando eſt *flatibus* inebriatûs. Taliſque eam *inflammationem* excitabit, quæ jure *flatuoſa* cognominari poterit. Doloris cruciatus eſt tunc acrior, auresque intra ſe ſonant vehementiùs. Hâc, non aliâ ratione *flatus inflammationem aurium* facient. *A Ventriculo*, inquit *D. D. Sennertus, ἀτμοὶ ſurſum continenter adſcendentes tinnitum aurium faciunt.* Eſto: Vapores ructando, vomendo ac nitendo, in os ac clauſo ore, naribuſque compreſſis, in primam *aurium* cavitatem, quam vocant *Tympanum*, agi queant; at hi nec *tinnitum aurium* facient nec *inflammationem*. Quæ via (dicitur *Aquæductus*) fert ad illud *aurium* antrum, eâdem iſti vapores rurſus, patentibus naribus ac ore, remitti poſſunt. Hâc hi fuerunt impulſi, hâc quoque iidem viciſſim exibunt. Si humores *Cerebri* & *Aurium* eodem itinere decurrunt, oſque replent, cur non & illi *flatus* ſimul remeabunt? Nec hi, ut *autor* loquitur, *continenter adſcendunt*, ſed ore ſæpiùs, ſemper naribus patentibus, in *auram* dari poſſunt. Ac cuncta res incudi infrà rurſus reddatur. *Sonitus* & *tinnitus Aurium* eſt paſſio admodùm vulgaris. Eâ vexati ſi ambulant contentiùs aut ſi alvum exonerant nitèndo aut ſi buccas inflant, horum *aures* intus ſunt ſonantiores, cùm earum venæ inde diſtendantur ita, ut quaſi halitus quidam intima *Aurium* percutere videatur.

Dein-

Dein *Sennertus* ait *in biliosis jejunis & ebriis vapores ex ventriculo, ex ejus humoribus & ex potu ad caput, ad ossa, & membranam tympani & ad expansum nervum ferri.* Quasi non quidquam aliud causæ possit afferri, cur illorum *jejunorum aures* intra se interdum sonent, nisi quod vapor *stomachi* se tollat, seque agat in *aures.* Qui bilis multitudine pressus, famem sitimque sustinet, ejus sanguis magis incalescit, fitque acrior. Talem, ubi *arteriæ* in interiores aures inferunt, hæ illum alienum sonum accipere consueverunt. Perquàm commodè *Avicenna*, humores, *inquit, per Corporis molem dispersi ac quiescentes longiore fame exagitantur. Natura enim cibo, in quem agat, destituta, ad humores convertitur, eosque resolvit & commovet.* Si vapores ex *bilioso stomachi humore* in palatũ tolluntur, hos hians os, oscitans ac sæpè exhalans ultrà ac usque in *aures* tendere prohibebit. Potus assumtus non tàm *stomachi biliosum* humorem, quàm cunctam massam Sanguineam diluit, quæ & acrior jejunio facta fuerat, & crassior. Nec *ebriorum* aures inflatum vaporum â stomacho receptant, sed potius ab *aurium arteriis*, quæ etiam fervidiore illo sanguine, exæstuant. Et hoc est causæ, cur ebriorum oculis multa videantur falsa. Idque apud *Athenæum* l. 10. ostendit *Anacharsis.* Ebrio, inquit *Theocritus*, τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται. *Aristoteles Sect. Probl. 3. 10.* quærit: *cur vinolentis res una, plures interdum esse videatur.* Id quod *Lucretius l. 4.* exprimit hisce verbis:

Bina lucernarum flagrantia lumina flammis
Et duplices hominum facies & corpora bina.

Ac *Horatius* l. 2. Serm. Sat. 1.

-- -- - *Saltat Milonius, ut semel icto*
Accessit fervor capiti, numerusq; lucernis.

Nec *aures, oculi* & *Cerebrum* modò, sed quoque pedes hominis ebrii, tàm fervido, tamque vapido sanguine opplentur. Hinc saltavit dictus *Metellus.* Ac in *potationibus* (sunt verba illius, qui *Diogenem Laërtium* interpretatur) *Chrysippus quiescebat, crura tamen agitans, ita ut ancilla diceret, Chrysippi sola crura ebria esse.* Sæpiùs nec manus nec pedes sciunt officia sua facere. Si ebrius corporis exercitatione utitur ac se confert in conclave minus laxum, clausis fenestris, ubi quoque est solitudo, aures sibi sat sentit intra sese esse sonantiores,

 tem-

tempora pulſare ac arterias totius corporis micare vehementius. Tandem *Sennertus* vapores & de *matrice*, & de *hepate* & de *liene* in *aures* levari vult, nec putat ſuper hoc eſſe dubium. Aſt, ne multa, totum illud videri non poteſt ſimile veri, ne quid dicam gravius. Si enim eos ritu nebulæ aut nubis ſpiſſioris ſibi perſuadet ferri in *aures*, quis non cohibebit aſſenſum? Demus enim, *hepar* aut *matricem intemperie*, ut vocant, calidiore aut *ulcere* flagrante vehementer vaporare. Iſti verò halitus eò nec *Diaphragmatis* oppoſitu nec interjectu *colli* pervadere poterunt. Quidam *vaporibus matricis* hanc viam cogitando faciebat. Illos in proxima inteſtina ajebat haud ægrè penetrare, per eorum cava in arduum incumbere, pervenire tandem in ſtomachum ac inde *aures* impetere. Cur iidem vapores non ſe dant in *veſicâm*, quæ multò propiùs abeſt, imò quæ non adjacet modò, ſed etiam eſt annexa. Novis *Catarrhorum* meatibus repertis, nulla ampliùs eſt â veris falſa diſcernendi difficultas.

DIFFERENTIÆ.

Et *aurium inflammationis differentia* aliquo modo numeroſa videtur. Fiunt, *inquit l.3. ſec. loc. c.1. Galenus*, & auris dolores ex inflammatione, interdum quidem ſolius circa meatum cutis, interdum verò in profundò progreſſa, quando videlicet nervus auditorius ad inflammatam affectionem pervenit. Atque *Ætius ita*: Aurium dolores etiam fiunt ob inflammationem cutis aut nervi auditorii. Similiter & *Avicenna*. Hinc *Alſaharavius*: Apoſtemata aurium generantur vel in nervis, vel in ventriculis vel cartilaginibus aut extra in radicibus ipſarum. *Hunc* ſequuntur *Nicolaus Florent. Arculanus*, *Johannes de Tornamira*. Eſt, *inquit hic*, vel in ipsâ auriculâ vel in pelliculis Cerebri vel in nervo. *Foreſtus* ſimiliter: vel in auris cartilagine aut in meatu aut nervo. Atque *Johannes Bacchanellus*: Inflammatio eſt vel in auris cartilagine aut in meatu aut in auditorio nervo. *Leonhardus Jacchinus* ait *aurium inflammationem vel externas vel internas partes occupare.*

Idem *Bacchanellus* & *Foreſtus* faciunt vel *Criticam*, vel non *Criticam*, quos ſequitur *D. D. Sennertus*. Cauſæ doloris, *inquit Arculanus*,

lanus, aut ſunt â toto, ſicut in Criſi aut febribus; aut à membro particulari, ſicut ſtomacho, Hepate, matrice, frequentius tamen â Cerebro.

Dein *Arculanus inflammationem Aurium* tradit *fieri aut per viam Rheumatos aut per viam paulatinæ digeſtionis.*

Valeſcus de Taranta & hoc adjicit: Cauſa vel eſt materia replens corpus vel caput ſui multitudine vel malam habens qualitatem vel eſt flatus. Eſt vel in capite vel in corpore.

Ac *Meſues* dolorem aurium edocet, *fieri vel ab intemperie vel ſine vel cum materia*, *ſicut Alſabaravius* aut ex caliditate aut ex frigiditate.

Illi *Septem Hippocratici Catarrhi* eâ curâ ſunt pertractandi, ut uniuſcujuſque *natura*, *cauſæ*, *differentiæ*, *ſigna* & *remedia* ſeorſum ac privatim expendantur. Ubique occurrunt, quæ ſunt notanda. Falſitas nuſquam non invenitur, adeò diſperſa eſt. Itaque nec ſuperiores *differentiæ* omnes probari queunt. *Aurium inflammationes* â toto corpore, hoc eſt, â *maſſâ Sanguineâ* oriuntur, nunquam â membro quodam privato, ut â *ſtomacho*, *Hepate*, *Matrice*, *Cerebro*. *Inflammatio* quidem *aurium* ex *Cerebri* inflammatione aut ex ſimili ejus ægritudine interdum pendet. At ea â *ſtomacho*, *Matrice* & *Hepate* minimè oritur, vel inde ſublatis *vaporibus* vel *humoribus* tranſmiſſis. Vis ſanguinis omnibus momentis temporis in *cor* confertur, confunditur inibi, cogitur ac mox dividitur in omne corpus. Ex *maſſâ Sanguineâ* ſingulæ membrorum partes inflammantur. Itaque *aurium inflammationum differentiæ* ex *ſtomacho* aut ex *hepate* aut ex *Liene* aut ex *Matrice* aut ex *Cerebro* de ſcholis Medicorum tollantur omninò. Nec ulla *aurium inflammatio* unquam fit per *viam paulatinæ digeſtionis*, ut loquuntur, ſed ſemper per viam *Rheumatos*, hoc eſt, arteriis plus ſanguinis portantibus. Si qua portio alimenti remanet, & illâ removent, ſtatim venæ. Eſt exigua nec *inflammationē* poteſt movere. *Flatus* inſunt in ſanguine & cum eo quoque in *aures* feruntur. Non in *Cerebro* exiſtunt & ex eo in *aures* impetum faciunt. Jam verò de vento aures poſſunt dolere, ut inde etiam *inflammentur*. Non autem eſt *intemperies ſine materiâ*. Illo enim impetuoſo aëre *arteriæ aurium Capitisque* ita afficiuntur, ut plus ſanguinis reddant

dant *in aures*. Unde illa inflammatio tandem concitatur. Nihil nisi *sanguis* & is quidem publicus, communis ac ex illâ massâ promanans, facit *inflammationem*. Hunc vel *internæ* vel *externæ aurium arteriæ* ingerunt vel utræq;. Superioribus annis nobilissimus quidã vir, admodùm senex quodã *apoplectici morbi* genere sæpius tentabatur. Ego tandẽ accitus, præstò fui, cùm eo malo sat graviter oppressus esset. Quidã Medicus quietem imperabat ac tantùm suadebat reficientia remedia, ego contrà clysteres & Sanguinis missionem. Interdum vocem poterat mittere. Quærebat ex filio, quisnam bombardas juxta se exploderet. Doceo inde plenum flatuum esse sanguinem, qui Caput opplet. Vicit igitur mea sententia, fuitque potior. Sanguis detractus erat admodùm fervidus ac mirè spumescebat. Tardius in vasculo gelabatur. Quorsum hæc? Ut intelligatur, & talem Sanguinem *Aurium* quoque *inflammationem* concitare posse.

SIGNA.

Nec vulgaris illa *aurium inflammationis* significatio est sine falsitatibus. *Galenus* & *Alexander Trallianus* illorum *humorum* naturam discernunt *hisce notis*: Dolorem ex crassorum viscosorumque humorum obstructione potiùs concitari, artificiosa quis conjectura hinc deprehenderit, quod æger *capitis* sentiat *gravitatem*, item quòd cibi præcedentes & potus, succos frigidiores & magis humidos procreârint. At si distentio quidem orta fuerit, gravitatem verò in capite vel aure neutiquam percipiat, spiritum flatuosum & crassum, qui non inveniat exitum; doloris causam potius existimandum esse manifestò constat. Sin autem gravitatis simul & distentionis, caliditatis & doloris pulsatilis sensus oriatur, inflammationem efficientem esse causam doloris, qui â Sanguinis excalfacti influxu originem habuerit, bonâ ratione existimate licet. *Unde ex juniorum turbâ Hieronymus Mercurialis:* Quod si alii fervidiores sunt humores, cognoscitur ex vehementissimo dolore & hoc sit perpetuum vobis, dolorem maximum semper â causâ calidâ oriri. Adhæc percipitur intensus calor intra partem, calida non nocent, frigida delectant & juvant. Quod si fiat ab intemperie frigidâ una cum materia, ut ait Galenus, signa habentur ex vitâ anteactâ, ut si quis sit usus cibis pituitosis, si versatus sit in aëre frigido: adhæc si percipiatur frigus intra aurem, si calida applicata juvant. *Hæc ille.*

Et

Et *Melancholicum humorem* agnoſcunt *Valeſcus de Taranta* & *Arculanus.* Melancholicum, *inquit hic*, eſt cum duritie & cum dolore tendente in fuſcum & cum maturatur, creſcit febris, dolor etiam fit magis pulſativus. Cognoſcitur autem quod ſit per communitatem â toto vel â parte, ex nocumento totius vel partis præcedente cum cujus augmento augetur & diminutione diminuitur & ſi ſit per communitatem â Cerebro ſecundum plurimum, non ſolùm auditus læditur, ſed etiam guſtus propter nervos. Et dolor Criticus cognoſcitur ex ægritudine præcedente cum cujus doloris augmento materia permutata ſedatur ægritudo præcedens, ſicut ſedatur phreneſis materia ad aurem permutata.

Alſaharavius & *loca inflammatæ auris* intelligit *hiſce* documentis: Signa apoſtematum calidorum generatorum in nervis, dolor fortis, & intolerabilis, intenſus calor, fortis, febris, rubedo faciei & gravitas frontis. Signum apoſtematum ventriculorum eſt lentus dolor & lenta febris & modica. Signa verò frigidorum apoſtematum ſunt contraria his, quæ diximus in calidis, quia dolor eſt lentus & febris & calor & maximè, quando ætas & tempus & complexio ſunt frigidæ. Signum apoſtematis cartilaginis aut radicum auris eſt quod ad ſenſum videtur. *Hujus* imitator eſt *Johannes Matth. de Gradi*: Si ſit ex apoſtemate in profundo circa nervum ſenſitivum tunc febris eſt vehementisſima, dolor acutisſimus ita ut aliquando æger pereat, ſicut in Apoplexia dicit Avicenna, unde non ſic eſt, ſi ſit ex apoſtemate in cartilagine extrinſeca, quare aliquando ſc. in die, ut ephemera. Ratio eſt clara ſcil. propter vicinitatem Cerebri. Si autem ſit non in radice ipſum apoſtema, non eſt etiam dolor multùm vehemens nec eſt febris continua. Si ſit dolor per communitatem Cerebri, cognoſcitur ex his, quæ præceſſerunt de nocumento Cerebri & per læſionem alterius ſenſus, ut [illegible] propriè odoratus. Et ſi fuerit per communitatem ſtomachi, declaratur per nauſeativam ſatietatem & maximè per ſomnum poſt cibum de repletione: nam tunc magis manifeſtatur nocumentum. Nam dicit Avicenna, quod ſomnus ſubitò factus poſt repletionem eſt ex his, quæ maximè nocent & auditui & aliis ſenſibus.

D. D. Sennertus indicia *ſtomachalis*, ut vocant, *inflammatio-*

nis Aurium prodit *hisce verbis* : Ac surditas si â consensu ventriculi fiat, ægri acutius audiunt ventriculo jejuno & vacuo magis, quàm pleno.

Si *Inflammatio aurium* â *flatibus* oritur, ejus quoque indicia faciunt autores. Quod si, *inquit Mercurialis*, non ab humoribus, sed â flatibus aut ardentibus fiant dolores, hoc præcipuum est argumentum, quod dolor non est continuus, modô accedit, modò recedit, discutientia prosunt, *Johannes Bacchanellus* illud quoque adjicit: *Si â flatu fiant, tunc dolor tensivus, non gravatus & sonus clarus auditur, non confusus.* Sic & *Valescus de Taranta ac Arculanus.* At *Johannes Matth. de Gradi* hunc in modum: In ventosâ stat tinnitus & sonitus, non est sic in humorali. Hoc tamen de sonitu est signum magis fallax, quod etiam in apostemate aliquando fit sonitus propter vapores existentes ibidem clausos, sed distinguitur potissimum propter *ponderositatem*, quod si sit ventosa, non conjungitur *ponderositas*, quæ conjungitur, si sit materialis, non ventosa.

Gravitas Capitis pituitosum, ut vocant, & crassum humorem dubiè demonstrat. Nam *arteriæ* queunt calidissimis tenuissimisque humoribus caput & aures ita opplere, ut hæ sint omninò inflam̃atæ, ast nõ sine gravitate capitis. Caput quidẽ non æq; inflam̃atũ est, at ejus arteriæ sunt magis intentæ ac moventur cõcitatiùs. Unde ista gravedo Capitis simul suboritur; quemadmodum homo sæpè calidissimâ *Ophthalmiâ* urgetur, capite admodùm gravi. Nec esus ciborum frigidorum aut aër frigidior *frigidam Aurium inflammationem* esse testatur. Nam *Galenus* ac ejus asseclæ causam *Catarrhi* asserunt esse posse frigidam, ejusdem autem materiam omninò calidam. Compari ratione â materiâ calidâ potest oriri *aurium inflammatio*, etiamsi eam concitaverit tempestas frigida. Ille *dolor tendens in fuscum* (ita hîc loquitur *Arculanus*) quo modo *humoris melancholici index* esse potest? Si sensus *Auditus*, *Gustus*, & *Odoratus*, ortâ *aurium inflammatione*, sunt hebetiores, & Cerebrum graviter affectum esse videtur. At illa ipsa inflammatio primam originem â *massâ Sanguineâ* ducit. *Gravitas Frontis*, ut quidem placet *Alsaharavio*, indicium *inflammatorum nervorum auris* haud præferre potest. *Cutis frontis*, *os frontis*, illa portio *membranarum Cerebri* ac denique hi *ner-*

hi *nervi* quâ ratione condolescunt? Quâ cohærent propinquitate? Hyeme *inflammationes* potiùs erunt quàm calidissimæ. Siquidem eo anni tempore ventres, ut *Hippocratis* interpres loquitur, sunt calidiores. Quare vix audiendus est *Alsabaravius. Johannes Matth. de Gradi* nauseam affirmat *stomachalis*, ut vocant, *inflammationis Aurium* notam exhibere. *Sennertus* illud signi omittens, *surdos ex ventriculo* ait *pleno stomacho graviùs audire*, plùs indè humorum exhalari, ratus. Imitatur *Mercurialem*, qui à *flatibus ortam inflammationem* prodidit *non esse continuam*. Quanquam hi, si verum volumus, contraria inter se scripsere. Nec mirum. Falsæ res nunquam liquidò explicantur. Nec referto nec jejuno stomacho desunt vapores. Quin *Sennertus* ipse vetustiores secutus, tradit *tinnitum* jejunio maximè fieri. Qui enim famem tolerat diutius, ejus aures tinniunt. Præterea *Mercurialis aurium inflammationem* ut vocant, ait nunc magis, nunc minus urgere, doloribus vesperi semper ingravescentibus. Jure hæc & similia peritioribus sunt fastidio. Sæpè stomachus, *graviore inflammatione aurium*, est imbecillior & minus appetit cibi. Igitur nihil ex eo colligi potest, nihil cogi. Summa, novæ, hoc est, *veræ Catarrhorum viæ* deprehensæ, multa nunc aliter explicari cogent. Vero verius nihil est. Quò gravior est *aurium* inflammatio, eò plures partes simul affliguntur, ut *cerebrum* ipsum aliquando & quoque *Nervi*, quos vocant *Auditorios. Febris vehemens* & *delirium* non exteriorem, sed interiorem *aurem* inflammatam esse testantur, si *Alsabaravium* audimus. Verùm & *externa auris* vehementissimè inflammari potest, ut æger etiam febri urgeatur: Multi ea, *quæ flatus discutiunt*, tùm temporis præsentaneo remedio fore opinantur. Si *inquit l. 1. p. 1. c. 5. Sennertus*, cum flatu vel vaporibus sit intemperies capitis, adest tensio capitis sine gravitate & punctio per intervalla, sonitus aurium & sæpè vertigo, præcessit diæta flatus generans, *agerq; ab iis, quæ flatus discutiunt, emolumentũ percipit*. Talia potiùs ægros afficiunt damno; quippè quæ calida sunt & hinc movent sanguinẽ, ut ille auriũ sonitus multò gravior reddatur.

PROGNOSTICA.

Nunc ea *signa* sunt dicenda, quæ vel præmonent *periculum*

vel *spem* ostendunt. Certè *inflammatio Aurium* est plena periculi, ut *Hippocrates* 3. Progn. 15. quem *Galenus* interpretatur, hinc *Paulus Ægineta*, *Actuarius*, & *Alexander Trallianus* prodidere. Ac *C. Celsus aurium*, inquit, *inflammationes*, *doloresque interdum etiam ad dementiam, mortemque præcipitant*. Patetque exemplis. Nam *Georgius Bertinus* hoc scriptum reliquit : *in aurium quàm in oculorum affectionibus majus vitæ discrimen impendet, ut experta est nostra Gallia in Francisco Secundo Galliæ Rege.*

Ac si non *mors* semper, tamen alia & quidem graviora *mala* subsequi consuerunt, *convulsio*, *Apoplexia*, *Delirium* & id genus alia, uti *Joh. M. de Gradi*, *Arculanus*, *J. Mich. Savonarola*, *Bened. Vict. Favent. Rodericus Fonseca*, *Leonhardus Jacchinus*, *Joh. Bacchanellus super eâ re inter se consentiunt.*

Estque *Aurium inflammatio* gravior *Ophthalmiâ.* Utriusque dolor quidem par esse potest. At *Auribus inflammatis*, perquàm molestus est *sonus* internus & perpetuus. Eo mens turbatur, somnus fit inquietus, quo homo semper intervigilans, reficitur minimè. Hinc certè periculum intenditur. *Hippocrates* etiam aurium itinere flexuoso movetur, quod si, *l. de Glandulis inquiens* ad nares defluxio decumbat, mordentur nares, nihilque aliud gravius accidit. Earum etenim amplæ sunt viæ & quæ sibi auxilium ferre possint, prætereà verò minimè coacervatum, quod per illas fertur. At verò aurium meatus tortuosus & angustus.

Si *exterior auricula* inflammatur, minus periculosa est, ut prodit *Galenus* 3. Prognost. 15. Sic & *Avicenna* edocet, unde, *si phlegma*, inquit, *sit in meatu interiori sæpius sequetur periculum. Quando autem dolor accidit in Cartilaginibus intrinsecis non est vehemens nec timorosus.* Tunc enim, *inquit Benedictus Vict. Faventinus*, nervus auditorius afficitur, non equidem ex longo intervallo Cerebro copulatur, hinc mors subita, hinc delirium. *Id & Joh. Matth. de Gradi* edocet.

Magis periclitantur vitâ *Juvenes*, ut *Hippocrates 1. Epid.* & *Galenus Aphor. com. 22. 1. Aphor. com. 20. ac 3. Prædiction. comment. 16.* tradunt. Unde & *Alexander Trallianus ad hunc modum* : Sive meatus auris, sive alia ipsius quæpiam interna particula frequenter in-

flamma-

flammatione labores, acutiſſima pericula vicinia regionis & genere ſubſtantiæ inducit. Etenim nervus, qui internam auris ſuperficiem ſublinit, cùm ſit ſenſibilis, validos dolores, acutosque excitat, ut etiam Cerebrum in conſenſum perducat, unde febres & deliria ſic affectis oboriuntur. Interim verò etiam læthales. Ac Juvenes quidem ex acutisſimo ipſis eveniente dolore aut delirio aut ortis febribus intereunt: ſenes autem febri quidem non ſubinde corripiuntur neque affectu convulſorio neque delirio. In Juvenibus non celeriter ſuppuraſcit, at ſi fit, ægri dolore liberantur. *Hæc ille.* Ac ſimiliter *Johannes de Tornamira* & *Johannes Matth. de Gradi.* Acutiſſimis, inquit *Joh. Michael Savonarola*, in juvenibus eſt mortalis & interficit quandoque in ſeptimo, quandoque ſubidò, ut apoplectici & eſt magis interficiens adoleſcentes quàm ſenes & velocius. In ſenibus verò hoc apoſtema multoties pervenit ad pus, ſed pueros interficit quandoque ante ſuppurationem. *Ab hiſce autoribus D. D. Sennertus* hoc dogma, ejusque explicationem capit, primò, *inquiens*, humores in ſenibus ſunt frigidiores & propterea inflammationes, quæ in iis generantur, non ſunt exquiſitæ, nec tantum dolorem excitant. Deinde pueri ob ſenſus acrimoniam minus dolorem ſuſtinere poſſunt: Senes verò habent ſenſus hebetiores & propterea dolores non ita ſentiunt. Atque inde accidit, ut inflammationes aurium in pueris raro ad ſuppurationem veniant, ſed pueri ferè moriantur ob doloris vehementiam, antequam ad ſuppurationem venit inflammatio. *Hactenus Autor.*

Aſt qui multorum curat valetudinem, ſæpè hâc ætate comperit, etiam omnium maximas *Aurium inflammationes*, quibus arrepti ſunt juvenes, ad ſuppurationem tendere citò ac feliciter, nec raro, ut *Sennertus* ſentit, ſed ſæpiùs. Multos & ex iis Medicum, qui etiamnum vivit, facitque medicinam, ſcio admodùm adoleſcentem, graviſſima Auris inflammatione tentatum ac factâ ſuppuratione ſanum omninò factum fuiſſe. Percommodè etiam ex ſuperiore ſæculo *Chriſtophorum â Vega* teſtem laudare potero. *Mihi,* inquit ipſe, *cùm juvenis adhuc eſſem 25. annos natus, vehemens auris inflammatio fuit oborta, Verùm intra quartum diem ad ſummum pervenit vigorem & pus erupit album.*

Hippocrates in Coac. hæc prædicit *biliosis liquidis ex alvo primum descendentibus, post stercorosis, coma superveniens, tumores ad aures facit.* Et inibi: *biliosa profluvia surditas sistit. Et surditatem tollunt profluvia biliosa.*

Decimum præsagium Benedict. Victor. Favent. est: in doloribus aurium vehementibus recidivæ contingentes accidunt. Et si verbum hoc sit Hippocratis 3. Prognost. 16. Ipsius tamen ratio est: quoniam indicat recidiva, materiam non fuisse integrè concoctam, ut auctor est Galenus primo aphor. com. 20. Ob quam rem succedente recidivâ indicatur, morbi hujus causam ad majorem maleficentiam reductam fuisse, quæ cum imbecillitate virium ægroti jam acquisitâ, ægrum periclitari, timendum est. *Hæc ille.* Omnes omnium partium inflammationes recurrentes plus periculi afferunt. Sanguinis Viæ fiunt ampliores, ac illa vis, quâ agitur sanguis, est vehementior. Vires quoque anteà fuerunt confectæ. Cur rediviva inflammatio non magis anceps videbitur?

Dominicus Leonus ejusdem generis præsagium in medium profert: *Apostemata aurium per viam Crisis evenientia ante perfectam concoctionem & in die non criticâ, timore & periculo non vacant.* Quod idem memorant *Savanarola*, & *Johannes Matth. de Gradi*, hinc *Sennertus.*

Ad hoc signorum genus spectat illud, quod & *Galenus l. 2. de differentiis febrium c. 3.* prodit hisce: Aurium & articulorum dolores quotidie & tertia die infestant, & *Autor Isagogæ scriptum reliquit,* Auribus inflammatis non laxantur manus, sicut inflammato crure.

Joh. Matth. de Gradi ex duabus rebus de *inflammatione Aurium* auguratur: *Dolor pendens â ventositate, non conservatâ materiâ, in aure existente, inter reliquos dolores est faciliter curabilis.* Et rursus ait, *materiam ad superiora trahi, si urinæ sint tenues.* Urinæ rationem quoq;. *Autor libri de Dynamidiis* habendam ducit: *Urina si superius fuerit subnigra & plena & inferius claritatem habuerit, inferius dolorem renum, & superius gravitatem capitis, obturbationem aurium & narium significat, quod fumus stomachi facit.* Ac inde nescio quod præsagium capit *Johannes Rhenanus l. Urocriter: c. 7.* Minutissimæ portiunculæ luteæ vel atomi urinæ innatantes, docent aurium excre-

crementum per urinæ meatum descendisse & urgentes aurium dolores ostendit, sicuti etiam capitis.

Quo pacto â *flatu* oriatur *inflammatio aurium*, non est facile dictu. *Flatus ille*, quem *autor libri de Dynamidiis* vocat *fumum stomachi*, si foramine *aquæductus* admissus, intrat primam *auris* cavitatem, dolorem movere potest, non autem (nam subindè emitti potest) *inflammationem*, nisi is cum multó sanguine per arterias inferatur. Autor *libri de Dynamidiis* ac *Johannes Rhenanus* frustrà sunt. Non enim ea, quæ in urinâ apparent, suntq; flavi coloris, portiones ipsarum sordium ex auribus erunt, sed sunt massæ sanguineæ purgamenta, quæ egerit Natura. Ac *Johannes Rhenanus Hippocrati* refragratur. Quibus, *4. Aphor. 71. inquit hic, die septimo futura crisis est, iis urina rubram die quarto nubeculam habet, cæteraque pro ratione. Quibus pellucidæ & albæ sunt urinæ, malæ, præcipuè verò in phreneticis apparent.* Urina pallida, inflammatis partibus, est mali nota & ob id non propria *inflammationis aurium* ac privata, sed penè communis. Si membranæ *Cerebri* aut *oculorum* sunt vehementius inflammatæ, urina alba & pellucida est periculi documentum haud fallax.

CURATIO.

Fas erit, nunc videre, qualis nam quoque curatio fuerit adhibita. Hæc si *Hippocratis* scitis congrua esse debet, erit certè, in quo erratur. Ex junioribus *Victor Trincavellius* hanc *Aurium* inflammationem, ceu *Ophthalmiam* curari proponit, propterea quòd intelligit, remedia, ut vocant, *cephalica* & *Cerebralia* itidem adhiberi oportere. *Avicenna* certè autor est, ut humore nimis calido, *cerebrum refrigeretur*. *Serapio* ad id quoque parat curationem. Hos consectantur plerique omnes. Ex *Hippocraticâ* Scholâ etiam prodit *Johannes Zecchius, qui consultat: LXII. pro Carolo Armaciato de auris dextræ vehementi dolore ex intervallis repetente* hisce verbis utitur: Quibus hunc in modum administratis, roborandi capitis per cephalica refrigerantia, moderateq; adstringentia tàm interna, quàm externa ratio habenda erit. Hinc *D. D. Sennertus:* inflammatione Aurium in ulcus abeunte, post universalia gargarismis, apophlegmatismis, sternutatoriis, *capútque posteà roborantibus adhibitis*.

Nam

Nam eodem nomine & consilio *Errhina, Ptarmica, apaphlegmatismi gargarismi* in usu fuerunt vetustissimè. Ac de illis ipsis aliqua prodidit *Hippocrates*. Nam *libro de locis in homine* hæc occurrunt: At ubi jam contracta fistula fuerit, multaque sanies purulenta & graveolens effluxerit, istud ita faciendum. Spongiam sicco quodam medicamento siccandi facultate prædito imbutam, quàm penitissimè in aurem indito & medicamentum purgans naribus admoveto, ut quod prius ad aures defluebat, in nares feratur, neque id, cùm morbosum existat, ad caput rursus redeat. *Ac Galenus l.6. de Sanit. tuendâ c. 12.* hæc distinctè adhibenda præcepit. Non omnes, quæ læsæ sunt, partes sunt roborandæ. Optima verò determinatio est, quæ ex usu earum petitur: quippè oculorum & aurium permagnus est usus. Iccirco decidentibus in has â capite excrementis, derivatio (per vicinas partes) molienda est: ac ad nasum potissimum trahenda, quæ in has partes feruntur. Sin ad nasum non sequuntur, in os ipsum, utiq; per ea, quæ pituitam eliciunt, apophlegmatismata Græci vocant. *Ex Galeni* Scholâ quoque *Johannes Serapio* admodum dilucidè: Quod si infirmatur auditus, causa efficiens est in Cerebro. Et dolent etiam ex oppilatione, quæ est in nervo, quæ descendit ad vias ex cerebro, quando oppilatur ex humore grosso, qui currit ad ipsum. Et opus est, ut mundificemus caput cum gargarismis. Et move sternutationem cum medicinis acutis. *Sic & Nicol. Florent.* Ac *Peter de Largelata ad hunc modum:* Serapio dicit, quando fit sternutatorium ex foliis blitis, quod ex succo ejus & melle mundificat Cerebrum & confert dolori aurium. Ego autem consuevi mundificare ipsum caput cum succo cyclaminis & aqua majoranæ vel vitæ & hoc multum valet. *Ex junioribus Thomas Grassius* etiam iis hodiè utitur & *Arnoldus Weickardus;*

℞. rosmar.
origan.
major.
salviæ.
rutæ a Mß.
ros. rubr. p.j.
Zingib. incis. ℥jß.
pyrethri ℥iij.

De-

Decoq. in ℔ij. aq. ad medietatis consumptionem colat. adde aceti rosar. acerrimi ℥j. detur pro gargarismate, quo matudinè os abluat. *Naribus* quoque sequens indatur, quod

℞. succi major.
betæ cum aceto rosar. extr. a ℥j.
Zingib. subtilis pulver. ℈j.

Misce & linteo exceptum naribus intrudatur & fortiter pituitam elicere conetur, *laborantibus auribus.*

Ac *Masticatoria D. D. Sennertus* utilissima *auribus* promittit *hisce:* Inter particulares capitis evacuationes inprimis utilia sunt masticatoria, quæ non tantùm, dum excrementa Cerebri evacuant, præstant,¦materia ad aures fluat, sed & per foramina in basi calvariæ auditus Organum subeuntia expurgatio humorum aures obstruentium iis fieri potest. Utilia sunt & Errhina. Sternutatoria tamen hic non usque adeò tuta sunt cùm incertum sit, quò motus humorum ex agitatione illâ vehementi concitatus vergere possit. *Iterum aliò:* maximè sternutamenta ad tinnitum aurium curandum utilia sunt.

Illis *Cephalicis* ac, ut vocant, *Cerebralibus* Medicamentis istisque *masticatoriis* fidem abrogant nostra inventa. *Inflammatis auribus* si *Cerebrum* similiter laborat, non *Cerebrales* sed *refrigerantes* quævis potiones sunt remedio. Quapropter mea via curandi & illa vetustior, quam prodit *Sennertus*, â se distant quàm plurimùm. De his, quæ abdico, *cephalicis* & *Cerebralibus* solliciti Medentes, sæpè omittunt necessaria aut ea, quæ sunt repetenda. Ac illa cuncta medendi ratio ægris est admodùm gravis ac quoq; sumptui. *Errhina, Apophlegmatismi* seu *Masticatoria* sunt nullius usus ad *inflammationem Aurium.* Humor enim non *auris* meatu in palati spatium patente, sed vasculis ad *os* & ad *fauces* pertinentibus emittitur. Est sanguinis serum, quod allicitur. Nunquam illa *Masticatoria* isto *aurium* itinere pus aut saniem devocare possunt. Ac æger ipse, moto *aurium* pure, Medentes edocet, *masticatoriis* nihil, nisi tenuem, lentum quidem humorem cogi exspuique. Hic impurior est interdum, massâ sauguineâ non emundatâ. Apud *Sennertum* reperitur mentio illarum viarum: *Per foramina in basi Calvariæ au-*

ditus organum subeuntia expurgatio humorum aures obstruentium masticatoriis fieri potest. Quænam sunt illa *foramina?* Ex *foraminibus Ossis Occipitii* humor *Cerebri* ad oris cavum protrahi non potest. Res per se est aperta, tàm manifestâ loci illius conditione. Si *Sennertus* illis verbis designat *foramen Nervi Auditorii*, humor de Cerebro & de tribus illis intimis *aurium* cavitatibus exibit. Id quod quàm difficile est ad cogitandum? Si verò os *aurium* est ulcere Luis Venereæ confectum, secus judicare licet. Ac sanguinis sero per *masticatoria* evocato, pus erit magis concretum. Sed fortasse querat aliquis â nobis, qui suprà ostendimus, quamlibet inflammatam partem tenui liquore sudare, quânam viâ ille excludatur? Hic suppuratione ac dirupto Apostemate simul se effundit. Absque saniei matione si *Aurium* inflammatio finitur, illud humoris genus aut â venis iterum trahi, reducique in massam Sanguinis potest aut die tandem consumi. Quo fit, ut tunc remaneat gravitas Aurium. Ac quæ *Aurium* inflammatio absque suppuratione curatur, est levior & ille humor, qui inter initia se prodit, est tenuis & oppidò quàm paucus.

Multum auxilii in ductione alvi, inque missione sanguinis est, si *Græcos*, quorùm facilè princeps est *Hippocrates*, ac *Arabes*, ut *Avicennam* & *Haly* audimus. Curatio communis, *Serapio inquit*, in reliquis ægritudinibus, quæ fiunt in auribus, est evacuatio totius corporis cum extracttone sanguinis & cum medicamine solvente humorem vincentem. Et si vocat necessitas, dabimus infirmo quosdam hyeros magnas, sicut hyeralogodion & hyera Archigenis. Ipsæ enim utræque conveniunt Cerebro: *Hæc hic.* Avenzoar principe loco memorat detractationem sanguinis: Incipe, *inquiens* in capite de apostematibus aurium, curam hujus â phlegbatoniâ Cephalicæ. Quoniam ipsa removet ipsum, quando incipit evenire. *Hæc Arabs*, unde cuncta Medentium cohors concinit. Ex quâ *D. D. Sennertus* Generalis, *inquit*, inflammationes curandi ratio & hîc rectè applicanda est. Primò ergò revellentia usurpanda, inter quæ valdè utilis est venæ Sectio & quidem venæ Cephalicæ quæ etiam, si inflammatio major sit, repetenda: Aliis quoque modis sanguis ad aures fluens revellendus cucurbitulis frictionibus. *Hæc ille.* Menstruorum non fluentium ratio est habenda.

Cucur-

Cucurbitulas Hippocrates l. de. locis in homine admodùm efficaces esse arbitratur; *ejus verba hæc sunt:* Et retrò cucurbitula admovenda, ad dextram, si sinistra auris doluerit, ad sinistram verò, si dextra. Nec verò scalpello cutis pertundenda sed ut trahat tantùm. *Alexander Trallianus* eas occipitio admoveri suadet. Posteriora auris, *inquit*, *Cælius Aurelianus*, cucurbitâ admotâ scarificanda. Nec *Hirudines* sunt alienæ. Cùm Juvenis, *inquit Zacutus Lusitanus Praxis l.2.c.14* biliosus & fortis, auris inflammatione truculentâ laboraret, & in die sexto, deliritio apprehensus, cum acutissima febre, anxietate dolore immani, vigilia, siti in exhausta moriturus in horas speraretur, & omnia auxilia tàm per sanguinis missionem, cucurbitulis, purgationes, clysteria, quàm varia anodyna intra aures indita, non juvarent & de narcoticis intra aures immittendis deliberarent Medici, solo hirudinum retrò aures suctu mitescere cæpit. Nam impositis quatuor juxta aurem ægram, quæ erat sinistra, & sanguine ubertim extracto cæpit loqui, abdormivit, sudor placidus ex toto corpore emanans erupit, febris est minuta & ita cessantibus Symptomatis paucis deinceps celebratis, â morte immunis factus est. *Hæc ille.* Tempus admovendi finit *Cælius Aurelianus*: cùm dolor sumserit statum, erunt admovendæ sanguifugæ, quos hirudines appellant, circa fines auriculæ, hoc est, circulatim auditoriam cavernam habentes, cartilagine prætermissâ. *Cauteria Joannes Zecchius* opinatur esse efficacia. Majus, *inquit l. 2. de igneis Medicinæ præsidiis c. 24. Johannes Costæus*, negocium facit aurium dolor interior. Huic quum â frigidâ causa est, si cæteris præsidiis non cedat, Albucasis ustionem proponit ferramento ignito tenui, quod punctum vocat ita, ut in interiori auris circuitu, procul tamen ab ipsius auris radice, ex igne circiter decem crustæ imprimantur. Cur caveat radicem aurium, aperta est ratio. In eam enim partem nervorum, arteriarumque ac venarum propagines disseminantur, quibus ustis dolor aut decidente crusta sanguinis exitus compressu difficilis facilè succedat. Cur exteriorem potiùs, quàm interiorem auris partem urat, non video. Certe interiori cum interioribus consensus est majori, quàm cum exterioribus Nunc siinapi liquido, *inquit Cælide Aurelianus*, atque etiam

admixto fico erunt exteriora cataplaſmanda,donec rubor maximus *fiat, quem Græci phænigmon, apppellant.*

Frictio; itemque *Ligatura* eſt anceps Medicina, quâ ſanguis movetur vehementius.

Primùm ſanguis eſt detrahendus,ut ejus impetus inhibeatur. Prius tamen potuit alvo infundi *clyſter.* Miſſo ſanguine, inſequenti proximo die dejectio medicamento petenda eſt, illudq; aliquantò valentius eſſe poteſt, ſi æger caret febri.

Vomitionem damnat l. d. *Hippocrates: Quod ſi per hæc dolor minimè ſedetur, ea, quæ naturâ refrigerant, frigida infundito & medicamentum, quod infrà dejectionem moveat, propinato. Suprà autem minimè, cùm vomitus nihil conferat & in reliquo refrigerantibus utendum.* Hujus probatores ſunt *Salernitani*, quorum verſus infrà poſiti fuerunt. Eſtque in exemplis, eam fuiſſe peſtilentem. Nobilis quædam matrona, *inquit*, *Fabricius Hildanus Cent. 5. obſ. 12.* de dolore aliquo gravativo ventriculi conqueſta de conſilio cujuſdã medici aſſumpſit potiunculam. Cùm primum hauſtum ſumpſiſſet, ſequutus eſt vomitus maximus & frequens. Inter vomendum autem, quod notandum, cùm timitus doloroſus aurium ſuperveniſſet, auditum amiſit. Arbitror in ipſis violentiſſimis vomitionibus membranam Tympani diſruptam fuiſſe Surditas enim inde evenire ſolet. Vomitorium fuit vinum infuſionis vitri Antimonii. *Hæc ille.* Cæterùm *C. Celſus* curationem hâc viâ ordinat: *Aurium inflammationes doloresq; interdum etiam ad dementiam, mortemque præcipitant. Quo magis inter initia protinus ſuccrrrendum eſt, ne majori periculo locus ſit. Ergò ubi primum dolorem aliquis ſenſit, abſtinere & continere ſe debet. Poſtero die, ſi vehementius malum eſt, caput tondere, idque irino unguento calido perungere & operire. At magnus cum febre, vigiliaq; dolor exigit, ut ſanguis quoque mittatur. Si id aliquæ cauſæ prohibent, alvus ſolvenda eſt.* Mox venit ad *cataplaſmata*, quæ dolorem leniunt.

Quæ *cient urinam* nec ſunt calidiora, haud aliena erunt. Interim etiam, *inquit Johannes Zecchius*, *diuretica cibis commixta non ignobilem utilitatem afferre poſſe, unicuique compertum eſt.*

Similia *Sudorifera,* ut vocant, non poſſunt nocere, ſi loco ſumantur. *Almanſor* quidem & *Balnei* meminit: *Patiens Balneum ingre-*

ingrediatur, in quo sudet. Unde *Alex. Trallianus, Rhasesq́;* hac ratione: *Alvum catapotiis cochiis ducito & Laconicum primam balnei partem, in quo sudorem provocet, intrare æquum jubeto.* Balneum sentimus parùm commodum esse. Quæ quidem aperiunt cutis spiracula leniter, ac massam sanguinem expurgant, ea haud reprobantur.

Repellentia nullius adversus *Aurium inflammationes* remedii esse rentur non pauci, ut *Peter de Tussignano*: Nota, quod repercussiva nunquam competant apostematibus aurium, quod repercutiant ad Cerebrum. *Item* *Johannes de Concoregio* ac *Peter Salius diversus.* Hic contra *Altomarium* disputat ad hunc modum: Inflammationis aurium curam exponens, primò ad intra aurem oxyrrhodinum imponit: quod medicamentum difficultatem patitur: quoniam in isto casu non videntur repercutientia convenire propter vicinitatem Cerebri. Præterea hic modus curandi diversus est â modo Galeni. Galenus enim lib. 3. de Medic. secund. loc. in principio ponens curam inflammationis aurium, distinguit de dolore, dicens, quod dolor vel non est admodùm intensus, sed potiùs remissus vel est admodum intensus & molestus. In primo casu adhibet mitigantia, sicut nardinum, basilicum, & consimilia: in secundo autem adhibet opiata: quare Galenus nunquam adhibet repellentia, quæ etiam videntur præter rationem. *Hæc ille.* *Ludovicus Septalius l. 6. Animadvers.* etiam *Galeni* autoritate nititur. In aurium internâ curandâ inflammatione â repellentibus & oxyrrhodino abstinendum omninò censeo, cùm enim internarum Cerebri partium repletarum soboles esse soleat materia eò detrusa, si repellatur, ad principem partem remeabit & delirium quandoque pariet, aliquando verò alias Cerebri affectus. Quod si Galenus l. 3. de compos. Med. repellentia & oxyrrhodinum in doloribus aurium & in inflammationibus earundem concedere visus est, id intelligendum potius est de phlogosi, quàm de verâ inflammatione. *Johannes Zecchius Consult. 63.* & *Cerebri & Nervorum* rationem habendam ducit: Oxyrrhodina valida ab aliquibus vel etiam gravissimis viris in aurium instillanda mihi semper ex eo suspecta extiterunt, quoniam horum usu periculum imminet, ne defluxus humor & etiam confluens in Cerebrum sum-

ma cum ægrotantis pernicie retrocedat, idque per nervum auditorium â quinta Nervorum conjugatione & â dura meninge in meatum auditorium profusum, hinc fit, quod in laborante phrenitide narcotica medicamenta liquata atq; in aures instillata optimo sunt remedio.

Nonnulli *Repellentia* medicamenta non penitùs repudiant, quemadmodum *Leonellus Faventinus.* Quod si, *inquit hic*, apostema sit extra aurem, non conveniunt repercussiva, quia auris est membrum ignobile ratione cerebri. Volunt tamen aliqui, quòd Valescus autoritate Galeni in megarte: referat, quod repercussiva hic competunt, sed hoc post phlebatomiam & purgationem. *Itemq; Joh. Michael Savonarola*, *Valescus de Taranta*, *Victor Trincavellus*, *Franciscus Feyneus*, *Mercatus*, *Felix Platerus.* Non, *inquit Bernhardus Gordonius*, conveniunt, nisi in *summa necessitate, ac in dolore Syncopali* tantùm & *desperato. Johan. Rivlanus quoque*: Phlebotomia repetatur, ut impedias, ne fiat inflammatio. Ad eum finem instillandum est in aurem Oxyrrhodinum per se aut cum ovi albumine agitatum aut mucago *psyllii cidoniorum* extracta in aqua rosarum vel plantaginis. At hæc repellens, *dices*, non licet autem â parte ignobili ad nobilem repellere, ab aure ad Cerebrum. Licet sanè, quando ex doloris acerbitate *manifestum* imminet *mortis periculum. Aliâ ratione Alexander Massarias:* In maximis inflammationibus & doloribus abstinendum repellentibus, quæ in mediocribus admittenda, quia materia paucior, eaque sint leviora. *Rursus aliâ Johannes Heurnius:* Cum calida causa in vitio est, adeò, ut metus inflammationis vel ipsa inflammatio adsit (hoc est si gravitat, tensio, calor & dolor pulsatilis adsit) initiò admovebimus reprimentia, modò materia non sit coprosissima. *Ac Ludovicus Septalius:* Si tamen non magna fuerit atque non multum in particula & Cerebro subesse materiam cognoverimus, repellentia aliqua in usum venire poterunt. *Nec non D. D. Sennertus*: Repellentiâ hîc, nisi urgens dolor sit, vix adhibenda sunt, ne materia intrò conversa Cerebrum & membranas ejus invadat, nisi forsan pauca sit humoris quantitas, â nullum Cerebri malum vereri oportet.

Ingens est sententiarum diversitas, cùm nec inter consentientes

tientes hoc loco consentiatur. Quidam *illa repellentia* censent esse temerariam medicinam, quidam verò haud in totum, sed auxiliarem quoque, ductâ alvo & misso sanguine. Arque *Bernhardo Gordonio* placet, id remedii, necessitate urgente, adhiberi posse. At *Alexander Massarias* leviora *Repellentia* contendit levioribus *aurium* inflammationibus convenire. Sunt hæc inter sese contraria. A *Massariâ* non dissentiunt *Johannes Heurnius* & *Ludovicus Septalius*, qui *aurium inflammationem â minus copiosâ materiâ ortam*, ajunt *repellentia* omninò pati. *Dan. Sennertus* & doloris rationem habet. Tantumque credit fieri â materiâ haud copiosâ. Ast magnitudo doloris & materiæ paucitas vix jungi posse videntur. Fortè cùm paucum humorem *Sennertus* opinatur esse tantò acriorem, ut illum *ingentem*, ut nominat,ac impatibilem faciat dolorem.Verum qui humor tantam *Aurium inflammationem* potest facere,ille idem quantum dolorem posteà inuret *Cerebri* membranis, in quibus sensus tactus viget maximè? Ipse *Sennertus* pauculam,tenuem & vapidam materiam ait *morbum comitialem* doloris cruciatu excitare, qui ex illlis *tunicis Cerebri* sentitur. Itaque inter *Sennertum* & *Massariam* mînimè convenit, qui ait *in maximis* aurium *inflammationibus & doloribus esse abstinendum repellentibus.* Isdemque utendum, sed levioribus,ac quoque minus gravi inflammatione nec tàm multâ materiâ. Ast hæc non periculum ostendunt, cujus ergò reliqui autores ad *Repellentia* quasi inviti tandem descendunt,ut *Gordonius*, & *Riolanus*. Utriusque verba superius posita fuerunt. Hi *summam necessitatem, dolorem Syncopalem* ac *desperatum*, *manifestum mortis periculum* memorant. Itaque hi & reliqui opinionibus rursus differunt. Qui dissensus est indubitata dubiæ rei nota. Ego *Repellentia* hîc penitus expello. Quid enim? Si dolor *inflammatarum aurium* vehementer urget, materia vel multa est vel valdè acris. Hæc vel suâ multitudine vel acrimoniâ peræquè nocebit Cerebro, in quod illa, adhîbitis *repellentibus*, regeritur. Si enim in *aurium* particulis, cur non etiam in *Cerebro* concitabit *inflammationem* aut parem dolorem? Si minima portio *Cerebri* membranis contecti pernitioso quamvis minimo, humore, excruciatur, statim & reliquum ejus corpus condolescit, ut periculum tunc multò gravius reddatur. Si

levior

levior est *inflammatio aurium* ac dolor, ejus curatio quoque erit facilior. Prudentis erit, ad *Repellentia* minimè venire. Præclarè *Cicero, Medici*, l.1.offic. inquit, *leviter ægrotantes leviter curant, gravioribus autem morbis periculosas curationes & ancipites adhibere coguntur. Repellentia* sunt ex genere remediorum periculosorum, quòd materiam effundunt in Cerebrum, in partem corporis principem. Si subindè urgeat inflammatio, sanguis denuò detrahatur, ac potionibus refrigerantibus paululum opii admisceatur, quo sanguinis impetus sedatur. Intereà & venter fluat.

Opium Galenus teste *Petro Salio Diverso auribus* infundi jubet. Illudque *Ægineta, Oribasius, Nic. Myrepsus, Plinius* & alii *lacte* diluunt. Quod si, *inquit Avicenna*, accidat nocumentum ex usu narcaticorum, administra castoreum post illud solum. *Haly* & *mandragoræ succum* ejusdem effectus esse opinatur. Reliqui *Arabes, Rhases, Mesues, Alsaharavius, Serapio sec. Mes. opio* utuntur, ut ex Latinis *Marcellus, Gariapontus* ac hinc *Gul. de Saliceto, Savonarola, Valescus de Taranta, Arculanus, Chrostophorus â Vega, Alex. Benedictus, Leonellus Faventinus, Eustachius Rudius, B. Bauderonius, Cæsalpinus, Nic. Piso, Victor Trincavellus, Mercatus. Benedictus Victorius Faventinus* differendo *ita dijudicat*: Et cave â medicamentis narcaticis, ne sui frigiditate stupefaciente auditus instrumentum corrumpant, ut autor est Galenus 5. Aphor. com. 5. At prisci iis usi sunt, quas refutat Galenus. Attamen non ex toto negligo eos, ubi inquam certificaremur, ægrum præ vehementia doloris aurium moriturum, haud quaquam ea exhiberemus. Sed cùm majus juvamentum sit, ægrum â nece liberari, quàm sit nocumentum, quod ei accidit ex surditatis proventu, ideoque ea dari quandoque fas est, cùm etiam adhuc non certi simus, ut ex iis adhibitis narcaticis sensus auditus depertatur, & si forte fortuna is labefactabitur, non deficient medela, quibus Dei auxilio restituetur. Et scire debes hanc fuisse Galeni mentem 3. de compos. Med. local. c. 3. Cogente verò dolore, necessarium est etiam iis uti, quæ sensum stupefaciunt, uti, quemadmodum etiam in iis, qui secundum colum avt renes aut quamcunque tandem partem affecti, vehementi dolore affliguntur, facere consuevimus.

Verùm

Verùm ex eâdem hâc cohorte *Levinus Lemnius* l. 2. occult. c. 51. memoriæ mandavit, *quendam auris dolore laborantem, imposito intra aurem opio, emortuum fuisse.* Nonnulli quidem, ut *Rodericus Fonseca Opio, torrefacto* utuntur. *Diximus,* inquit ille, *torrefaciendum esse opium ex sententia Galeni l. tertio per loca, quoniam sic ejus malignitas infringitur.*

Aliter nobis videtur. *Opium penitus tostum* est propè nullius utilitatis ad dolorem sedandum, *crudum* verò, nec auxiliare & quoq; periculosum. Et vis *opii,* quod in *theriacam* additur, facilè exhalatur. Quâ de re & infrà dicetur Quæ in *aures* instillantur, ultra membranam *Tympanum* dictam tendere nequeunt. Ac si penetrant, non poterunt dolentes interiores partes tàm varias, tàm dissitas afficere, quemadmodum nec ea, quæ apponuntur in linteolo. *Opium est sensui Auditus* peculiariter perniciosum. Ac impetu sangvinis vehementiore, & gravior morbus sæpè supervenire solet, si *opium* in *Aures* datur. *Aqua frigida* in vicem *Narcoticorum* succedit. Eâ ob id utitur *Galenus* l. 3. sec: loc:

Quemadmodum *Lac* omnibus *inflammationibus* præcipuum est, ita *Ophthalmiæ* & *Otalgiæ* peculiariter mederi videtur. Atq; *C. Plinius, Almansor* & *Rhases lac emulctum* & illius nutricis, quæ infantem puellam lactat, in eum usum præferunt idem *Rhases, Haly, Serapio, Janus Damascenus,* hinc turba juniorum. Neq; eos omnes nominatim ciere attinet. Quid verò judicii super lacte illius notæ esset, suprà fuit dictum. At *Gariopontus* secus: *in tumore aurium melle & lacte mulieris, quæ masculum nutrit, instillatio fiat.*

Lac in numerum Medicamentorum *Oticorum* refertur. Medicinas & facultates, *inquit Galenus l. 5. de Simpl: Medic. facult. c. 2.* ab hepate hepaticas, â Splene Splenicas, ab auribus *Oticas,* ab oculis ophtalmicas, à dentibus odonticas, à Coxâ Ischaidicas, à pedibus podagricas, ab articulis arthriticas, à tussi becchicas & à calculis comminuendis λιθονθρυπῆικὰς vocitant.

Caninum lac præconio *C. Plinii, Plinii Valeriani, Marcelli* & *Alex: Benedicti* magis utile erit. *Bubulum lac felli caprino*: Plin: Valerianus, *sulphuri* Marcellus *immiscet.* Ac *Butyrum* quoq; erit *oticum,* adeò illud collaudant *Plinius Haly Abbas, Alex: Trallianus*

A a *Avicen-*

Avicenna, Marcellus; hinc *Joh: Matth: de Gradi.* Facit enim ad ſuppurationem.

Otica ſunt &

Albumen Ovi: Avicenna: *inſtillandum in aurem oleum & lac.* *Albumini ovi ſoli ineſt proprietas mirabilis:* Meſues, & Nicolaus Myrepſus.

Vitellus Ovi: Autor ex Arabibus eſt Avenzoar, quem Zacutus Luſitanus l, 1. hiſtor. de Medic. Princ. interpretatur, oſtenditq; inibi contra Matthiolum, Acakiam & Amatum vitellum ovi ad caliditatem (ſunt ejus verba) declinare. Hinc Peter de Largelata, & Guido de Cauliaco.

Olea, ut de *floribus ſalicum:* Rhaſes, Almanſar, Dioſcorides *Succus de foliis ſalicis*, Peter de Largelata, hinc alii. *Succus ſalicis* Plin: Valeri:

Olea *de Raphano:* Serapio, Octav: Horat: Plin: Valeri:

de amygdalis amaris: Avicenna, Serapio, Meſues, Nic: Ætius. Marcellus: *nucum amararum interiora.*

de roſis: Serapio, Meſues.

de violis: Q. Serenus.

de ruta: Almanſor.

de lauro: Avicenna in frigidâ cauſa, Dioſcorides & C. Celſus.

de lilio: Almanſor, Meſues in frigidâ causâ

de Salviâ: Meſues.

de nympheâ: Meſues.

de turbit, hoc eſt *oleum, in quo turbith coctum fuit:* Almanſor.

de colocynthide Rhaſes Meſ: Serapio

de Euphorbio: Galenus in frigidâ causâ, Rhaſes & Haly.

de nuce juglande: Marcellus.

de camomilla: Bernhardus Gordonius: Et accidit mihi ſemel, quod quidam reſtaurator antiquus patiebatur in auribus dolorem intolerabilem, & præceſſerunt purgationes univerſales & operationes particulares juxta doctrinam Galeni & Avicennæ & aliorum autorum omnium & nihil penitus vale-bant & tunc appoſui *oleum de camomillâ* in auribus & feci ſaccellationes de chamomillâ & in

multa

veritate curatus fuit, quare prodeſt multa & diverſa apponere, cum medicamina non valent, dum tamen ſint regulata ratione.

de aſellis: Galenus, Niceratus, Scribonius, Q. Serenus, Marcellus, Avicenna, Plin: Valerianus, Serapio, Plinius, Kiranides, hinc Nicolaus Myrepſus, hinc Victor Trincavellus.

De amygdalis amaris Avicenna, Serapio, Meſues, Nicol: Myrepſus: *oleum, in quo terræ inteſtina cocta fuerint*, ut pauló poſt dicetur.

De Araneis: Marcellus: tres araneæ viventes in oleo ſi ſerveant ad focum poſitæ. *Item:* araneas viventes an aceto macerabis & ſic conteres atq; inde aurem elues, ſtatim proderit.

de Iride: Nic: Myrepſus.

de Caſtorio: Almanſor in calida, Haly, Plinius.

de Nucibus: Dioſcorides & C. Celſus.

Nardina olea: Haly in frigida.

de Cypro: Nic: Myrepſus.

de ſemine cucurbitæ: Meſues: Alex Trallianus.

Rament: cucurbitæ ſuccus ac oleum ſemnis cucurbitæ. Sic & Avicenna, Galenus, Dioſcor: Ætius Serapio, Iſaac. *Succus per ſtrigilem refuſus:* C. Celſus & Marcellus.

Medulla cruris porcini: Jacchinus in mat: calidâ, Rondeletius.

Pingvedines ſeu adipes avium: Alſaharavius: *omnes namq; pingvedines avium communiter ſedant, cujuscunq; ſint. Inſtilletur auri pingvedo gallinæ, anſeris, vulturis, piſcis fluvialis:* Dioſcorides: *adeps anſerinus & gallinaceus:* Alexand. Trallianus: *pulchrè juvat adeps anſerinus aut phaſianorum,* Galenus: Nic: Myrepſus Plin: Valerianus, Marcellus, Q. Serenus, Rhaſes: *adeps gallinæ* aut *Anatis:* Almanſor, *adeps anatis & gallinæ.* Sic & Kiranides.

Vulpis & *Lacerti:* Avicenna, & Serapio ſecund: Dioſcoridem.

Ex pulmone vulpis: Gulielmus Varignane: *adeps collectus ex pulmone vulpis & immiſſus mirificè ſanat.* Et Rhaſes dixit ſimiliter *de ſevo vulpis recenti & etiam ſi fuerit ſalſum, eſt ad hoc magni momenti.* Item Michael Joh: Paſchalius. *Ranarum adeps*: Plinius,

hinc Alex:Benedictus. Plinius Valerianus. & Marcellus.

Sangvis Columbæ: Alſaharavius, Johannes Matth: de Gradi ac Marcellus ita: *pullinum ſangvinem tepidum in eum aurem, quæ obtuſior erit vel dolebit, infundes.*

Sangvis teſtudinis: Plinius: *Sangvis marinæ teſtudinis cum lacte mulieris*: *Sangvis angvillæ* Paſchalius.

Fel teſtudinis Galenus

Fel gruis: Haly *infrigida.*

ovis, Nic: Mirepſus

caprarum: Serapio, Galenus, Al: Trallianus, Ætius, Marcellus.

tauri: Plinius, Sextus & Plinius

Suis: Plinius, & Plin: Valerianus.

Urina: Haly in frigida, Galenus l. 3. de Comp. pharm: *caprina*. Plinius: *urina pueri*, Haly, Q. Serenus Marcellus, Avicenna, Serapio, Haly. *urina cervi*, Alex: Trallianus & Sextus, *Apri*, Plinius, Secundus, Marcellus.

Apri: Dioſcorides, hinc Alexander Benedictus

tauri: Avicenna & Dioſcorides

Stercus capræ: Sextus.

equi: Sextus.

Mala granata: Dioſc: Scribonius & Marcellus.

Betonica: Antonius Muſa, Nicolaus Myrepſus, Macer, Ignotus.

Mel: pleriq; ut & Marcellus.

Hederæ ſuccus: Galenus, Apulejus de herbis, Plinius, Plin: Valeri:

Thus: Dioſcorides, Galenus, C.Celſus, Haly, *infrigidâ*, Alex.Trallianus, Marcellus.

Myrrha: Galenus: *cum vetere vino*, C. Celſus, Avicenna, Plin.Valeri: Serapio, Secund: Dioſcorid:

Cepa: Rhaſes in frigida, Alex: Trallianus, Ætius, Nicolaus Myrepſus, Plin: Vale: Plinius, Avicenna, Octav: Horatianus, Marcellus, Circa inſtans, Macer, Benedictus Victorius Faventinus.

Allium: Ætius.

Porri ſuccus: Nic: Myrepſus: Octavius Horatianus Plin: Valer:

Pſyl-

Psylli mucilago: Marcellus, Mesues.

Euphorbium: Galenus, Avicenna: Ætius: *ego euphorbio modico cum oleo utor.*

Absinthium: Galenus, Avicenna, Plinius, Mesues, Gariopontus & Serapio *ejus vaporationem*, Ætius, Alex: Trallianus, Nic: Myrepsus, hinc Macer.

Ruta: *Ætius, rutæ succus*, Plinius Valerianus.

Cerussa: Alex: Trallianus.

Aloes: *Diascorides*; Ætius: cum vino mulso.

Piper: Ætius, & Octavius Horatianus.

Sambuci baccarum succus: Marcellus, Matthiolus.

Limacia: Serapio Secundum Galenum.

Calamintha: Myrepsus & Plin: Valerian:

Lenticulæ: Galenus earum *decocto abluit aures*: idem *lens Palustris ex aceto & rosaceo imposita valet ad fervidas inflammationes.* Alex: Trallianus: *Lenticulam coctam cum micâ panis obducito, in quibus etiam ulcus est cum inflammatione.* Hinc recentiores & ab his *Sennertus.*

Althea: Plinius, Avicenna, Dioscorides, Serapio.

Origanum: Nic: Myrepsus: cum melle & lacte muliebri

Licium: Galenus, Plinius, Dioscorides, Serapio, Avicenna: Haly, Rhases, Alex. Trallianus, Ægineta, item Glaucium. Adjicit Leon: Jacchinus: cœnemus *glaucio & Licio* hodiè.

Cyclamen: Thessalus.

Malum Punicum: Gal: & Trallianus.

Cannabis: Mesues, Serapio, Marcellus: Cannabis seminis viridis succus tepens instillatur auribus, dolorem apprimè tollit.

Papaver, Galenus.

Acetum: Dioscorides, Avicenna, Serapio, Plinius. An illud salutariter infundi queat, quærunt recentiores & ex iis *Zacutus Lusitanus.*

Folia arundinis tenera Nic. Myrepsus & *C. Celsus* Radicem Arundinis.

Alumen: Galenus, Dioscorides, Serapio, Ætius, Nic: Myrepsus, Marcellus, C. Celsus.

Nitrum: Plinius: *cum aceto & vino* Ægineta, C. Celsus, Galenus,

Oct: Horatianus, Cæl: Aurel: Plin: Valer: Marcell: Serapio, Secundum Galenum : *Spuma nitri in vino aut aqua dissoluta humidtiatibus fluentibus confert & dissoluta in aceto, mundat Sordes eorum.* Hinc Platearius. *Aphronitrum* : Ægineta, Ætius, Nic. Myrepsus, & Octavius Horatianus. Hinc ex *Junioribus Elidæus* : Nitrum dissolutum in vino & projectum in aurem.

℞. succum Coriandri et coq: in cepa alba & tepidè auri imponito. *Hinc quoq;* Sennertus.

Veratrum : C. Celsus : *ad sonitum aurium veratrum quoq; cum aceto conteritur, deinde melle cocto excipitur & inde collyrium factum in aurem demittitur.* Octavius Horatianus ac *veratrum album* Marcellus.

Raphani radices: Gariopontus: *oleum, ubi bullierint ad lentum ignem raphani radices auribus instillato & de lanâ molli eas obturato.* Octavius Horatianus.

Murium cinis : cum melle instillatus inhibet dolorem Aurium, ac si aliquod animal intravit, præcipuũ est remedium murium fel aceto dilutum instillare.

Serpentis senectus : ferventi testa usta & contrita instillatus ex oleo rosaceo contra aurium vitia omnia : Plin: Valerianus.

Anisum : Avicenna & Serapio.

Coriandri succus : cum lacte mulieris immixtus & auriculæ infusus dolorem mirificè tollit : Plinius Valerianus , & Marcellus.

Cardamomi succus : auribus instillatus, dolorem aurium & molarium dentium sedat : Plinius, Valerianus, Marcellus.

Spuma argenti : Plinius, Valerianus, Marcellus.

Brassicæ succus : cum vino æquis partibus mixtus & tepidus instillatus auribus, parùm audientibus auditum præstat & dolorem mitigat : Plinius, Valerianus.

Raphani succus : C. Plinius, Valerianus : Marcellus : *Raphani id est, radicis, quæ manducatur, succus infusus auriculæ dolenti, infinitum prodest.*

Fraxini folia : Marcellus & Q. Serenus.

Cardui silvatici semen, Marcellus.

Gal-

Galbanum cum oleo roſaceo remiſſum & ter aut quater infuſum auribus, mirè dolores tollit.

Herbæ Polygoni *ſuccus:* Marcellus ſuâ experientiâ probat.

Senecionis herbæ ſuccus itidem auribus inſertus, eandem efficaciam præſtat, quod ab experto ſcriptum & præditum eſt: Marcellus.

Haſtulæ regiæ radicis ſuccus: Marcellus.

Sal Ammon: Marcellus.

Cyminum ſilveſtre contritum & ſucco rutæ immixtum, inſtillatumq́; auriculæ dolorem lenit.

Vermes ex quâlibet arbore rubri caloris contriti cum oleo & infuſi, dolores aurium ſedant.

Nucis juglandis foliorum ſuccus: Marcellus.

Opoponax: Marcellus & C. Celſus.

Spuma equi recens detracta & cum oleo roſeo infuſa, auricularum quamvis vehementes dolores abſolvit: Marcellus.

Verris ſemen: Verris cum ſcrofam ſaliet priusquam in terram deſtillet de verendis ejus virus, exceptum tepefactumq́; & cum aquæ modico auriculæ inditã quamvis moleſtos dolores relevat, quod etiam circa auriculam illitum plurimùm prodeſt.

Reliqua vix ſunt memoratu digna: Illud verò ſcire convenit, quod quædam ſuprà ſcriptorum medicamentorum inſerantur compoſitionibus, quædam quoq; per ſe auribus infundantur.

Otica ſimplicia Exotica: ut

Oſſiculum caudæ animalis Aiatochtli. Cluſius eam *medicinam prodit hiſce*: Neſcio an huic deſit virtus, quam de armadillo ſive tato caudato Monardus dixit, præcipuam ejus vim in caudæ oſſiculo eſſe, cujus in tenuiſſimum pulverem redacti pilula, confecta magnitudine capitis aciculæ, atq́; auri indita, dolorem ejus ſedare & tinnitum etiam cum exiguâ ſurditate conjunctum curare traditur. Certè dolorem ſedare, frequenti experientiâ probatum eſt.

Chatalhuic Caſſis ſilveſtris

Nardus Antonius Recchus: *ejus cortex applicatus poſt aures tollit earum dolorem.*

Hoitz-

Hoitzmamaxalli, ſeu Arbor *Cornigera:*

Nardus Antonius *Recchus*: generantur intra corniculos formicæ quædam tenues, fulvæq; & nigricantes, quarum morſus noxius eſt, dòloremq; integrum diem durantem excitans. Harum ova vermiculorum referentia figuram, redacta in pulverem & auribus injecta, inſtillatusq; foliorum ſuccus, dolorem eorum ſedant.

Chilpantlacolli herba

Idem autor; jus decocti ejus infuſus auribus ſaniem exiccat, dolorem lenit & audiendi facultatem inſtaurat.

Tomatl ſeu planta acinoſa vel Solanum.

Item: Succus aurium dolori inſtillatus prodeſt. Et *Johan: Euſebius Nierembergius.*

Otica compoſita externa:

A*uricularis collutio* valdè laudata N. Myrepſi.

A*uriculare Epithema* N. Myrepſi, *ſi aures ob flatuoſum Spiritum dolent.*

A*uriculare Epithema* ad vehementes dolores & pus album, laudatum & mirabile.

Confectio Eſdra: Nicol. valet dolentibus & fluentibus auribus ex rheumate, capiti vel auribus imponatur.

Nardinum ungventum in tetrapharmaco ſolutum & commagenum & Suſinam & pretioſa divitum muliercularum ungventa, quæ Spicata & foliata appellant Galenus l. 3. de compoſ. Medic. ſecund. loc. *Nic: Myrepſus* ac rurſus Galen. l. 6. de tuendâ Sanit. c. 12.

Compoſitio A*uricularis Heræ* ad omnem dolorem omneq; ulcus aurium, Gal. de compoſ. pharm. ſecund. lacos l. 3. c. 1.

Aliud *Nardinum* ac *Diaglaucium* apud Galenum l. 6. de San: tuendâ, c. 12. ad aurium robur vel glaucium vel quotidiè nardini ungventi aliquid, id olim duntaxat Laodiceæ in Aſiâ præſtantiſſimum fiebat, nunc verò & in aliis fit urbibus. Robur autem auribus vel magis afferet, iisdemq; proficiet collyrium, quod Diaglaucium propterea, quod Glaucium recipit, vocant: propterea *Diarrhodon* & *Crocodes* & Nardinum & quod δ' ὄυϛ græcè dicitur, præ-

terea

tereà ex ungventis ea, quæ Romæ ab opulentis mulieribus conficiuntur, quæ Foliata & Spicata vocant. *Cælius Aurelianus*: infundatur *Diaglaucium* ex vino solutum vel aceto vel quod appellant Heren vel *Diaiteon*

Compositio auricularis Marcelli ad omnes aurium dolores.

Compositio auricularis ad omnem dolorem, omneq; ulcus. Quâ & *Galenus*, ut ejus interpres loquitur, in febriente quodam usus est & ob dolores deliravit & feliciter successit

Compositio Asclepiadis adversus omnes aurium casus apud C.Celsum.

Compositio Auricularis ex libris *Galli*, qua utitur *Galenus*.

Compositio auricularis Laodici Regis, quâ *Galenus* assiduè utitur.

Compositio Themisonis apud C. Celsum.

Compositio Xenocratis.

Compositio divi Gay.

Compositio Antipatri.

Compositio Auricularis Harpocratis.

Compositio Auricularis Chrysanti Gratiani.

Compositio Auricularis, quâ *Zoilus Ophthalmicus* usus est ad desperata: constat ex semine hyoscyami, papaveris & ex Croco.

Compositio Auricularis Nicerati ex *Asellis* domesticis.

Compositio Auricularis Arii Tarsensis & Cleon:

Compositio Andronis ad aures jam exulceratas apud Gal: l. 6. de tuendâ Sanit. c. 12.

Ungventum Nardinum.

Medicamentum Basilicon, unde & Octavius Horatianus.

Auriculare emplastrum ex Iride confectum Nic. Myreps.

Auriculare Epithema Nic. Myrepsi ad eos, qui ob flatuosum spiritum dolent.

Auriculare Epithema ad diuturnas & sanatu difficiles phlegmones aurium.

Aliud Epithema ad vehementes dolores & pus album, laudatum & mirabile Nicolai Myrepsi.

Aliud rursus Epithema ad externa auditorii meatus mala & ad inflammatas attritiones fibrarum auris puerorum, admodum laudatum *Nic. Myrepsi*.

Ungventum Elidæi: ℞. ol: Rof. ℥ij Aceti fortiſſimi ℥ ß Bulliant ad conſumptionem aceti & in fine adde Philonii Romani ʒij & utere tepidè, eſt mirabile.

Aqua ad auditum ſeu Acouiſtica Mindereri.

Oleum Guajaci, inquit Pulverinus, ad gravem auditum eſt omnium præſtantiſſimum ac multis experimentiis probatum, quod apud Chymiſtas ac deſtillatores paratum, inveniri ſolet.

Deſtillatum Acoviſticum Mindereri.

Oleum Acoviſticum Ambratum Minſichtij

Oleum Otalgicum Minſichtij.

Spiritus Vini Otalgicus Minſichtij.

Saccelli quoq; apponebantur. Cæterum, *inquit Cælius Aurelianus*, ob mitigationem doloris exterius admovenda vaporatio tepidi vaporis, vel *ſacelli* ex polline tenero confecti, tùm cataplaſmata laxativa. In Rheumatiſmo ſi paſſio coëgerit, radendum eſt caput & conſtrictivis cataplaſmatibus contegendum. *Hæc ille.*

Infuſis in aures Collyriis antiqui aures *conquiliata lana* obturabant. Nos *inquit Plinius Valerianus*, multa proferimus, ut quum res exegerit, poſſimus uti, quum ex his aliqua occurrerint. Tepida infunduntur, ſed mox *conquiliatâ* lanâ obturanda ſunt. *Atq; Marcellus* ita loquitur: *lana occludis aurem*; aures irrorabis & *conchyliatâ lanulâ* claudes. Lanâ *purpurea* obturabis per ſtrigilem ſucco infuſo, foramen ſumnũ auriculæ lanâ *ſuccidâ*, alibi *madefactâ*, item, *madidâ* tege. *Rurſus*: infunditur in auriculam ex lana *conchyliatâ*, eaq; clauditur. *Clarius*: poſtmodum aurem de *lanâ* marino *conchylio* infectâ claudas. Ac mox: *purpurâ aurem obturabis*. *Aſt ibidem*: ſuccus cum *lanâ alba* auribus inſertus.

Johannes Rhodius madidam lanam interpretatur, *coctam ſuccidam* ait eſſe *non lotam*. *Scribonius & Marcellus* ajunt liquorem infundi *per lanam* & *auriſcalpium*. Ad hæc *D. Johannes Rhodius*: Galenus de compoſ: med: ſec: loc: l. 5. c. 9. plenius: per *auriſcalpium, cui lana obvoluta eſt*. Celſus l. 6. c. 7. dixit ſpecillum lanâ involutum. Hactenus *Rhodius*. Cæterùm *C. Celſus lanæ* ita meminit: ubi auris repleta eſt, ſuper *lana mollis* addenda eſt, quæ humorem intus contineat. *Plinius Valerianus* barbarè dicit *Lanam*

Con-

Conquiliatam, ſignificantiùs *Marcellus* lanam *conchyliatam* ſeu lanam *marino conchylio* infectam. Mox *idem* & *purpuram* ac *lanam* vocat *purpuream*. Inter *Conchyliata inquit l. 9. c. 4. Adrianus Turnebus*, & *purpurea intereſt, quod purpureum inficitur purpuræ flore & buccini ſucco, certo quodam temperamento: in conchyliatis non miſcebatur buccinum.* Ita eſt: *buccinum* erat *purpurâ* vilius. Buccinum teſte *Plinio* non niſi petris adhæret, purpuræ in alto mari capiuntur, & hinc pelagiæ dicuntur. Cæterùm & lanâ *alba*, non *purpuratâ* tantùm & *conchyliatâ* obturabantur aures. Talisq; magis obvia erat, ut & *Xylina*, quam *C. Plinius* l. 19. c. 1. ait non ſolùm mollitie, ſed etiam candore præferendam eſſe. Hæcq; erat Spiſſior. Tali Specillum involvebatur, mox in liquorem *mittebatur* & tandem in aures demittebatur. Aliud inſtrumenti genus erat *Strigil* & *Clyſter oricularius*, ut protinus dicetur.

Cepa & hodiè nominata eſt medicina. Ego verò, *inquit Hieronymus Mercurialis*, accipio *cepam* ſeu corticem *cepæ*, in quo pono ℥ij vel ℥iij ol: chamæm: deinde adde ℈j pulv. aniſorum & tantundem piperis albi, jubeo ut cortex ſuper prunas ignitas contineatur, uſque quo totum oleum abſorbeatur, deinde contundi & exprimi ſuccum, quo inſtillatus in aurem dolentem ex vaporibus dolorem tollit. *Ac Benedicti Victorij Faventini* emplaſtrum quoque valdè celebratur. Multi *inquit conſ. 62. Johannes Zecchius*, medicinam facientes ad demulciendos auriũ dolores à quavis cauſa pendentes indifferenter Benedicti Victorii Faventini emplaſtro ex cæpâ utuntur inſigni interdum cum laborantis incommodo, quando præſertim dolor eſt in principio & à calido pendet humore. Ubi verò doloris cauſa frigida morbo accepta fertur, vel inflammatio ad ſuppurationem tendit, remedium profectò feliciſſimo cum ſucceſſu adminiſtratur. Idcircò hîc deſcribere placet: ℞ cæpæ ſub ignitis cineribus excoctæ numero Unam

Butyri recentis	℥ij
olei chamæmelini	
roſacei	a. ℥j
Croci	℈j

Omnia ſimul confuſa & probè ſubacta ad formam emplaſtri redi-

 gantur

gantur. Quod quidem temperatè calidum dolenti loco applicetur. *Hæc ille:* *D. Johannes Hartmannus* ait ungventum de *cepâ* & *fel perdicum à proprietate* juvare. *Aqua è cepa* & aliis diſtillata *Vegæ Hiſpani* eſt decantata. Implentur, *inquit Phil. Millerus*, cepæ pingvedine angvillæ, coquantur ſub cineribus. Expreſſrs ſuccus auribus inſtilletur. Extat & aliud *oleum de cepa D. Hulderi Monſpel:* Allium J. *B. Corteſius* magnificat.

Illa *Otica* omnia *auribus* infunduntur calida, ita præcipit *Hipocrates libro de locis in homine*: Medicamentum natura calidum tepefactum & metapio ſubactum infundendum. *Ita ferè* & *Galenus l. 3. de compoſ: Medic. ſecundum loc. c. 1.* Item *Paulus Egineta*, *Meſues* & *C. Celſus*. Hinc recentiores Medici nunc ſex, nunc ſeptem, nunc octo conditiones poſuerunt, ut P*eter de Tuſſignano*, *Johannes Bacchanellus*, *Johannes de Concoregio*, *Arnoldus Weickardus*.

Modus admovendi eſt varius; hunc prodit *Galenus l. 3. de compoſ. Medic. ſecund. loc. c. 1.* ego nullum pharmacum dolore vexatis infundo, neq; etiam per *lanam* inſtillo: utpote qui experientia edctous ſum, quod præſtat, neq; omninò contingere doloris tempore auditorium meatum, ſed per *auriculare ſpecillum lana mollisſimâ obvolutum* dolore vexatas foveo, pharmacumq; ita moderato tepore in aurifuſorio ſpecillo præparatum injicio, ur interrogato per nos ægro, num tepidum ei videatur & num calidius ipſum ferre poſſit, ad tantam caliditatem procedam, ut nihil amplius offendat. Tinctum itaq; in hoc modo præparato pharmaco ſpecillum ad principium meatus moderatè imponito, & in altum defluere ex eo pharmacum permittito & poſteà iterum, iterumq́;, & ſæpiùs tingito, idemq́; facito nullo tempore intermiſſo. Palàm eſt autem cum hoc fit, etiam foris omninò aliquid effluxurum eſſe, expleto nimirum toto auditorio meatu, hoc igitur quantum poſſibile eſt, moderatè excipe nec aurem contingas. Poſtquam verò probè foveris, meatum pharmaco expletum ſinito & mollem lanam forinſecus, tùm meatus oſculo, tùm univerſæ auri imponito: atq́; ubi rurſus fomenta adhiberi oportebit, incumbentem foris lanam leniter tollito: rurſusq́; ſimiliter foveto, quantum poſſibile fuerit, diligenter cavens, ne vel aùditorium meatum vel aliam quampiam auris partem attingas. Ad hoc verò præceptum maximè animum advèrtas, quod omnium potiſſimum

mum ſit in aurium curatione. *Eundemq; Alexander Trallianus* & *Ætius*. Mox *Galenus eodem libro*: Abſinthium cum aqua decoquito & per ſtipulam fomentum inde facito, quo modo alias per arundinem id fieri demonſtravimus. Sic in nares & in os vapor per arundinem ferri poteſt. *Arundinem* quoque memorat *Alexander Trallianus:* Præterea illis uti fomentis expedit, quæ ex vaporibus per arundines perforatas adhibitis conſtant. Oportet autem alteram arundinis partem auris ſinui accommodare, alteram verò in olla, quæ operculum habet perforatum & undique conſtrictum. *Hæc ille.* Interpres *Meſuis* vocat *Cannulam* & *ὠτεγχύτην Galenus. Cujus verba libro ſexto de ſanit. tuendâ c.12. hæc ſunt*: ad aurium robur vel glaucium ſolum ſuper cote tritum cum aceto, mox tepidum per ſpecillum blandè infuſum aut etiam per inſtrumentum illud, quod publicè in uſu eſt & oricularium clyſterem, græcè ὠτεγχύτην vocant. *Hæc hic. Strigilim* nominat *Plinius Valerianus*, item *C. Celſus* ac hic quoque meminit *fiſtulæ*. Hoc, inquit *Marcellus*, in aurem *de ſpicillo* infundes: per *ſtrigilem* in foramen auris dolentis infundis. *Rurſus*: *medicinalli ſpecillo* in aurem infundes. *Scribonius* ſimiliter: quem interpretatur *Johannes Rhodius*: ſtrigil barbarum vel obſoletum. Strigilis Cicero: Plinius ferream ſtrigilim dicit. Celſus ejus meminit, cui ibidem laxiore uſu *ſpecillum oricularium*: oricularius clyſter. Hieronymo Mercuriali *auricularis*: au nempe in o mutatur. Galeno ὠτεγκύτης. Celſo ſpecillum averſum, auriſcalpium averſum. *Galeotus Martius de promiſcua doctrina* c.IX. inſtrumentum putat concavum, quo liquor adtrahitur ſtilo in medio ejus revocato, eodemque excluditur. Qua ratione Barth. Adverſar. l.XL. c. IV. ſine dubio intelligit fiſtulam, qua loco cuipiam aliquid immittitur. Eum ſanè noſtrorum chirurgorum ſiphunculo non abſimilem, indicat apud Celſum l.VI.c.VII. Oriculario clyſtere aqua vehementer intus compulſa. De clyſtere quidem appoſitè. Vereor autem ne ſpecilli longè alia fuerit ratio, modò accuratè inſpiciatur Scribonius Comp. CCXXVII. ubi auriſcalpium averſum κυαθίσκος appellatur, quod parvi forſan cyathi figuram haberet, quo liquor infunderetur. Antonius Muſa Braſſavolus comm. ad

 Hipp.

Hipp. de victu in acutis l. IV. Sect.CXXXI. ſatis aptè ſpecilli concavitatem interpretatur. Cujuſmod. credit ſpecillum averſum Celſi l. V.c.XXIIX. cui contrarium eſt adverſum quod acuminatum fuiſſe monſtrat ille, quando lib.7.c.XXVII. præcipit ſpecillo adverſo diducere vulnus, acie nempè dilatare. Hinc verè *Mercurialis* Practicæ loco nominato: *ſtrigil eſt inſtrumentum unâ parte conchatum, qua humor in aurem immittitur.* Quod verò ſtrigili jatraliptarum hæc ſimile refert præter levem quandam cavitatem, quam exhibet Schema apud Mercurialem Gymnaſt. l.I. c.VII. cui non planè diſſimilis ea ſpecies, quæ in commentario Pignorii de ſervis conſpicitur, ad quam proximè accedit, quam Romæ in marmore thermarum Diocletiani ſe ſculptam vidiſſe prodit Braſſavolus ad Hipp. de vict. acut. lib.3.Sect.LI. etiamſi figura paulò rudior. Hoc verò inſtrumentum ê muſeo Franciſci Angeloni Franciſcus Stellutus ad Satyram V.Perſii omnium exquiſitisſimè deſcripſit. Nec minori diligentia rem oculis Apulejus videtur ſubjeciſſe, quando depingit *ſtrigeculam* ſtrigeculam, rectâ faſtigatione clauſulæ, flexa tabulatione ligulæ, ut & ipſa in manu capulo moraretur & ſudor ex ea rivulo laberetur. Hæc *Rhodius.*

Vaporationem per fumum & ollam Idem *Galenus* & reliqui *Græci*, mox *Arabes*, *Avicenna*, *Almanſor*, *Alſaharavius*, *Meſues*, *Serapio*, *Myrepſus*, hinc *Guido de Cauliaco*, *Joh. Mich. Savonarola*, *Arculanus*, *Franc. Feyneus* & alii admitti jubent. Auris, *inquit ille*, qui *Almanſorem* ſequitur, teneatur ſuper vaporem aquæ, in qua ſunt cocta mentaſtrum, ſtoechas & ſampſuchus.

Dom.Or. Mareldus ſternutamenta credit utilia. Si ſit ex flatibus ſurditas, conferunt ſternutationes.

Johannes Tilemann & hoc adjicit: Tabula cupreſſi calidè applicita vel juxta Bapt. Port.in Mag.Nat.l.20.c.5. Inſtrumentum illud ex ligno hederæ & præcipuè ſmilacis. Conf. Schvvent. delic. phyſ. Math.p.4. prop.23.

Nonnulli ab *externis* remediis propè abhorrent. *Alexander Trallianus* ex Græcis hoc ſcriptum reliquit. Hoc ſcire in univerſum & cavere oportet, ne ſubitò in doloribus, qui ob defluxionem eveniunt, parti remedia adhibere feſtines. Nam præterquam quod

nihil

nihil juvent, etiam magis adhuc materiam attrahunt & ut copiosiùs ad affectas particulas post concoctionem feratur, irritant. *Illud* quoque *Rabi Moyses, Galenum* consectatus: Ego nullum pharmacum auribus dolore vexatis infundo, neque etiam per lanam instillo, nimirum experientiâ edoctus, quod præstet; neque omninò contingere doloris tempore auditorium meatum. At remisso dolore per auriculare specillum obvolutum lanâ mollissima partem dolentem foveo, pharmacumque injicio modicè tepefactum in aurifusorio specillo. Posteà verò forinsecùs tùm orificio auditorii meatus, tùm universæ auri mollem lanam impono 3. de comp. secund. *Paulus Ægineta* ob id ipsum *Hipprocratem* ad testimonium citat: In aurium contusione Hippocrates monet, ut nihil ipsis adhibeamus. Quandoquidem verò ab ipsis affectis sæpè cogimur, utendum his est. Myrrhæ, aloes, thuris, acaciæ singulorum æquales partes cum aceto aut ovi candido illine. Ac ex junioribus *Johannes Anglicus lib. Ros. Angli.c. de Rheumate* intelliget quædam *auribus* obesse. Multa, *inquit ille*, ponit Mesues, quæ tamen non laudo, talia enim auditum obstruentia auditui nocent. Itemque *Johannes Baptista Montanus* l.in 9.t.Rhas.c.de catarrho, *alia sunt*, inquit, *quæ in aure ponuntur. Sed evacuatio illa non est conveniens.*

Johannes Zwelfer tunicæ, cui nomen est *Tympano*, rationem habet, aqua, *inquiens*, Acoustica Mindereri si in usum trahi debeat, auribus nequaquam (uti nec quidquam aliud) largiter infundendam esse censeo, cùm membranula super annulum & subjecta ossicula expansa, Tympanum dicta, subtilissima sit, adeoque facilè rebus aut liquoribus acrioribus infusis, totaliter destrui & erodi possit, auditu ex toto abolito. Consultiùs proinde fore arbitror, ut saltem frustulo panis tritici ê furno recenter extracti illi insperso ilicò auribus applicetur & alligetur calidè, sicque ut calore panis & aquâ spirituosâ simul agente, crassi humores nervos & meatus auditorios obstruentes, incidi, attenuari atque per insensibilem transpirationem vel retrocedentes ad palatum per sputum & salivam evacuari possint. Quam ob rem non ineptè quis egerit, si similibus in affectibus, aquam illam ori immiserit, pro majori attenuatione & attractione humorum crassorum ab auditoriis meatibus

(intra

(intra membranulum Tympanum ſitorum) qui per tympanum vix ac ne vix quidem illo illæſo vel exeſo tranſudare poſſunt.

Quoniam auris membrana , *Tympanum* dicta objicitur ac viciſſim ejus foramen interius, *Aquæductus* cognominatum, in oris ſpatium uſque patet,nihil liquoris medicinalis retur *Zvvolferus* ſalutariter in aures injici poſſe, ſed potius ore contineri oportere. Verùm in primâ illa auris cavitate tantum humoris naturaliter haud ineſt. Rectè *Helmontius* : *oculi ſani non habent excrementa. Amarum autem quod aures ſudant,exiguum eſt benè valenti, eſtq; exhalatum ultimâ digeſtionum periodo. Quod ſatis obvium : ſiquidem quò profundius intra aurem ſculpſeris,eò minus ſordium reperies? Inſignum, quod fuligine tenus foras properet. Nec ſecus atque pedum digiti ſuum colligunt effluvium.* Sudant quidem illa auris interiora, ſed leviter. Nec ſanies aut pus, concitatâ aut finitâ inflammatione, per illum *Aquæductum* in os confluunt, etiamſi illud , *maſticatoriis* phlegma allicientibus, repleatur. Ructando,vomendo, nitendo, clamando inflando non halitus ſtomachi aut pulmonum ex ore per prædictum foramen in primam illam auris cavitatem compellitur , qui feriat *Membranam* illam, cui nomen eſt *Tympano* , ſonumque faciat aut intendat. *Vaſa ſanguinis* ad *collum*, ad *aures* & ad *caput* pertinentia,cohibito ſpiritu,diſtenduntur, veluti *libris de Catarrhis* manifeſtavi,illudque *Galenus* ipſe *libro tertio de ſanit : tuenda capite ſecundo* declarat *hunc in modum :* Apotherapia eſt duplex : altera quidem exercitationis ceu pars,altera ejus ceu ſpecies. Omnis exercitationis probè peractæ poſtrema pars apotherapia dicitur. Et duplici conſilio ſuſcipitur & ut excrementa expurget & ut corpus à laſſitudine tutum reddat. Dura frictio vitanda eſt. Media ſit nec dura nec mollis. Porrò tendendas obiter, dum fricantur , partes cenſemus, quo quicquid inter cutem & ſubjectam carnem excrementorum reſidet,per cutem expellatur. Quippe ambabus iis laxis non magis foràs, quàm intrò ferri excrementa contingit. Diſtentis verò iis, quæ ſub cute ſunt, omnia foràs eliduntur,ceu gemina manu expreſſa: una foris,ejus utique,qui fricat,altera intus,ipſis ſc. quæ tenduntur,particulis, manus vicem ſupplentibus. Ac propter hæc quidem non exigua portio apotherapiæ eſt ſpiritus detentio & cohibitio.

Ap-

Appellant verò ita, ubi omnibus thoracis musculis, qui circa costas habentur, intentis, coactisque exspirationem continemus. Accidit namque obiter, ut spiritus, qui à costis premitur, dum efflari, quod clausum sit, prohibetur, universus pessum ad transversum septum detur: atque ut cum hoc, quæ ipsi subsunt, omnia simul attollantur, jecur, lien, ventriculus & quædam alia. Loca verò ad excipienda, quæ expelluntur, excrementa patent, tùm ventris tota capacitas, tùm istinc consistentium intestinorum concavitas. Si verò feriari planè abdominis musculos patieris, nullius prædictorum excrementa vacuabis, quæ verò in thorace aut pulmonibus habentur, ea deorsum transferes. Expedit verò, huc potius transferantur, quàm in illis maneant: tantò profectò magis, quantò etiam eorum, quæ in ventre, quàm quæ in pulmonibus & pectore continentur, promptior exitus patet. Hæc enim (nempe quæ in ventre & intestinis sunt) vel evomuntur facilè vel excernuntur: illa cum conatu & vi per tusses ejiciuntur. Verùm si quis, perinde ut septum, ita abdominis quoque musculos anhelitus cohibitione intendat, exquisitius planè expurgabit ea, quæ sub septo sunt, viscera: non transferetur tamen quicquam à spiritus instrumentis ad ea, quæ nutrimento sunt delegata, sed totum in ipso thorace ac pulmonibus excrementum manebit. Quare cohibitionem anhelitus id genus nunc non probo, multoque minus, si quis omninò non distento septo validè ac vehementer contrahat musculos abdominis, quoniam ita necesse est, *venas omnes, partesq; quæ circa collum sunt, spiritu ac sanguine impleri*, excrementa verò sursum atque ad caput non deorsum & ad ventrem ferri. Intueri enim id tùm in iis, qui tibia inflant, licet, tùm qui maximam, acutissimamque vocem edunt. Siquidem his collum omne dilatari, faciem verò intumescere & caput validissimè impleri videas. *Hactenus Galenus.* Res ita se habet. Quocunque modo homo motum ventris, thoracisque impedit, *venæ* & *arteriæ Colli, Capitis* & *Aurium* magis replentur. Qui includit spiritum, ejus facies sanguine æquè suffunditur, ac illius, qui nititur, duritiâ alvi laborans. Cujus aures sonant, is sonitum graviorem sentit, si corpus exercuit aut nititur, compresso ventre. Nam & illa sanguinis vasa, quæ *Aurium* sunt, magis distenduntur,

vi quaſi quâdam factâ. Cœterùm vapor de calente & madido pane ſurgens, ſi per illam *membranam Auris* penetrat, non poterit humores illos craſſos liquare, ſed verendum eſt, ne magis magisque ſpiſſet, quippe qui nihil aliud eſt, quàm exhalatio ſicca. Quod enim in eo ineſt liquoris, huic membranæ inſidet, nec tranſit.

Sed jam ad ſuperiora pergo. Omnia externa remedia non ſunt damnanda. Commodisſimum ſæpè eſt, *Cataplaſma ex lacte, ovo & farinis* confecta ad confinia *Aurium* admovere. Hæc leniunt dolorem, ſanguinisque impetum compeſcunt. Nonnulla ſunt inefficacia & parùm idonea. Eligenda & hîc ſunt. Memoravi ea tantùm, non tranſcripſi. Eorum paucisſimis utendum eſt. Quanquam me non fugit, quod *Plinius Valerianus* ſcriptum reliquit: *Scio certè medicos quosdam hujus curationis ſibi ſummam ſcientiam vendicâſſe & magnas mercedes popoſciſſe, quum adverſus morbos aurium unum atque alterum noſſent remedium.*

Otica illa *exotica* ut ſunt inventu rara, ita ſcitu ſaltem digna. Nec veteres illæ mixturæ tantâ vi per *clyſterem oricularium* & per *ſtrigilem* in aures infundendæ ſunt. Ubi eæ compoſitiones inaruerint, ſolvebantur liquore. Illud, *inquit C. Celſus, perpetuum eſt, quotiescunque crasſius medicamentum eſt, quam ut in aurem inſtillari poſſit, adjiciendum eum eſſe humorem, ex quo id componi debet, donec ſatis liquidum ſit.* Finitâ inflammatione, quam jam excepit ulcus, ſæpenumerò & membrana & osſicula ſunt penitus vitiata, amiſſo *Aurium* ſenſu. Tùm medicamenta auribus minus periculosè infunduntur. Hæc ætas non invenit novitiam medicinam. *Sennertus ol. roſ. viol. aceto, lacte, cyclamine, cepa, lenticula, & nitro* utitur. Erant medicamenta antiquorum, ut ea ſuperius poteris recognoſcere. *Nitrum*, inquit C. Plinius Valerianus, *ex vino liquatum purulentis auribus medetur. Sonitus quoque & tinnitus diſcutit nitrum tritum & ſiccum, ſparſum ex roſaceo tepido & auribus immiſſum purulentis auribus medetur.* Ac *Marcellus in eandem partem:* Aphronitrum delicatisſimum & mel optimum, & acetum acerrimum, conteres pariter uſque ad ſummam levitatem, & auriculæ infundes, non ſolùm auditum reſtitues, ſed & dolorem emendabit. *Eademq; repetit, propter effectum,* inquiens, *medicamen iterum ſcripſimus.* Et veterum admoni-

monitu *Butyrum, ol. chamæm. amygd. d. & amar. fol. malv. rad. alth. caricæ, farinæ* variæ adhibebantur. Dolenti auriculæ, *inquit Marcellus*, oportet farinam hordeaceam per ſe coctam ex aqua mulſa cataplaſmatis more à foris imponere, vel farinam lini ſeminis & fænugræci in unum coctam vel alteram earum cum farina hordeacea, ſimiliter ex aqua mulſa coctam: oportet etiam extrà adhiberi ſpongias molles & aquâ calidâ benè expreſſas, deinde tepidum inſtillare amygdalinum oleum vel laurinum ſæpiùs in die. *Similiq; ratione C. Celſus lib. 6. c. 7. Cataplaſmata quoque calida ſubinde mutata proficiunt, ſive fæni Græci ſive Lini, ſive alia farina ex mulſo decocta eſt.* Si vehemens eſt inflammatio, adjicitur *papaver*, cujus quoque meminit *Sennertus*. Per ſe quoque inquit *l. 6. c. 7. C. Celſus*, hyoſcyami ſuccus ſatis proficit. Verùm & eum horremus. Cæterùm iterum miſſo ſanguine ac citatâ alvo, ſi *aurium inflammatio* non leniri poteſt, ad *Opium* tandem deſcendit Medicus, ægroque ejus extractum dat potui.

Serapio ſecundum Dioſcor. Picem humidam cum oleo roſarum ſaniei conferre ſcribit. Unde fortè *Alexander Benedictus*, *quidam liquidâ pice*, inquit, *perungunt aures in dolore*; quidam & *pedes, catarrho* urgente: *Alſabaravius* inflammatis *auribus* pedes lavari fricariq; jubet, ſubmergantur, *inquiens*, pedes in aquam decocti camomillæ abrotani & aneti & fricentur plantæ pedum cum ſale & oleo. Cæterum pici *Marcellus* ſingularem tribuit potentiam, infirmatis *inquiens*, auribus prodeſt præcipuè *picis flos*, quem Piſſelæon Græci vocant, cum oleo communi mixtus, ita, ut tertia pars ſit olei: nam & dolorem ſedat & non patitur ſuppurationem fieri, & ſi facta fuerit, eadem perſanatur. Ad ſummam: ego ipſe diu vexatus auris tædio, cum multis fruſtrà uſus eſſem medicamentis, ab hoc ſum perſanatus, & alios complures ſanavi. *Florem* autem *picis* appello, qui excipitur, dum ea coquitur, lana ſuperpoſita ejus vapori. *Sic & Scribonius.*

Neſcio quæ *Appropriata* memorat *Gulielmus Rondeletius*: Decoquantur aliqua in oleo & maximè, cùm dolorem lenire volumus & digerere, ut aſelli, lumbrici, cantharides nigræ, cochleæ marinæ aut terreſtres & maximè humor, quem eructant. Habent enim ma-

gnam vim mitigandi dolores cochleæ, quæ à tota ſubſtantia dolorem ſedant, ob id tàm in cauſa frigida, quam in calida poſſunt adhiberi, modò coquantur in ol. appropriato ipſi cauſæ, ut frigido, in cauſa calida, & calido, in frigidâ, vel in oleo medio & temperato, præſertim ubi non eſt perfectum, à qua cauſa fiat, ut medulla cruris porci ſaliti. Eſt enim præſtantisſimum remedium in omni cauſa. Unde & *Michael Joh. Paſchalius:* Succus rutæ cum ſanguine anguillæ ſtatim mitigat omnem aurium dolorem. Succus roriſmarini cum oleo roſaceo & ſapone Gallico vetuſtisſimos aurium dolores curat, adeps pulmonis vulpis auribus admotus eſt optimum præſidium in dolore aurium. Idem præſtat ſpolium Serpentis decoctum oleo aut ſucco convenienti calido aut frigido, habita ratione cauſæ: pili Naqueræ facultate præditi ſunt à tota ſubſtantia curandi omnem aurium dolorem.

At *Peter Paulus Pareda* optimè ſentit, judicatque: Quæ Rondeletius ſcribit de medulla cruris porci ſaliti & autor de pilis Naqueræ & aliis totâ ſubſtantiâ ſedantibus dolorem, omittantur, ac ſi non eſſent ſcripta: quia cauſam doloris cognoſcimus, & ideo remediis manifeſtâ qualitate operantibus curabitur.

Flores *Arundinis Galenus auribus* peculiariter inimicos eſſe prodidit, At *Myrepſus folia* & *C. Celſus radicem arundinis* adhibet, ac quoque *florem junci rotundi.* Folia ſint viridia. Majoris, inquit *C. Plinius Valerianus*, cannæ viridis folia contundes & per linteum exprimes ſuccum, tepidumque auribus infundes per dies ſeptem vel novem: eſt enim res ſaluberrima. Verùm magis congruens duco, rem inferius exponere, ubi de remediis *Iſchiados* agetur.

DIÆTA.

De *Victus ratione* breviter dicendum. Dubia maximè perſequamur. *Rhaſes* & *Almanſor* dant vinum & illud quidem forte: At *Syllanus* aſpergit: *in cauſa frigida*, ac nonnulli, ſeneſcente jam inflammatione *Aurium.* Quod ſi, *inquit Gariopontus*, tardaverit, & febris non fuerit, neque tusſis balneis patientes utantur. *Cælius Aurelianus:* locandi præterea ægrotantes calido in loco & ſi dolor coegerit, phlebotomandi atque tertiâ die levi ac ſorbili cibo reficien-

ciendi. Tùm declinante passione cerotaria apponemus, dantes varium cibum & vinum. Ac si fuerit Rheumatismus, dandi etiam cibi constrictivi, resumptivus adhibendus cyclus, tunc recorporativus. Ac ita *Plinius Valerianus*: cibus eorum sit succus ptisanæ & alicæ & citrum & similia benè cocta, similiter & ovorum vitelli utilissimi sunt & malvarum caules & pisces aspratiles & pipiones & de domesticis pullis extremas partes.

Nec de *Somno* convenit. *Georgius Bertinus Campanus* de ea re disserit ita: Celsus in magno dolore cum febre & vigilia sanguinem mittit, & si aliquid causæ prohibet, alvum solvit, si vehemens inflammatio, somnum ex toto vetat, adjicitque cataplasma corticis granati contriti, si pus habent aures, lylium per se infunditur, aut irinum unguentum aut porri succus cum melle. Arabes in inflammatione sanguinem detrahunt, purgant, dolorem demulcent, lacte mulieris oleo rosaceo permisto aut mucilagine psyllii aut albumine ovi aut oleo florum salicum aut oleo rosaceo cum aliquot granis opii simul permisto, si dolor nimioperè urgeat. Celsus in inflammatione aurium somnum omnino inhibet, quod in vigilia major inflammationis portio revocatur, & cum calore inflammationis conjunctus magis excandescat, humoresque à Cerebro & cæteris corporis partibus alliciat. Unde affectus pervicacitas sevior evadit. *Hæc* Autor. Cui haud queo adstipulari. *Vigiliis* non sedatur inflammatio, sed augetur. Si *somnus, inflammatis oculis* opitulatur, cur non & *auribus* similiter afflictis. *Vinum* enim & eo consilio bibi jubet *C. Celsus*, ut concilietur somnus. Ac *Cælius* Aurelianus, utendum, *inquit*, etiam requie corporis atque abstinentia & silentio & somno. Huic ergo propè indulgendum est.

Exercitatio corporis non convenit. Hinc & *Salernitani*:

Motus, longa quies, vomitus, percussio, casus,
Ebrietas, frigus, tinnitum causat in aure.

CATARRHUS NARIUM.

ARGUMENTUM.

Tertius Catarrhus eſt *Coryza*. Iterum dicitur, ut *Hippocraticus* ſeptenarius numerus & ordo *Catarrhorum* cuſtodiatur. *Coryza* Latinè & *Ravis* nominatur. *Diſtillatio* & *Deſtillatio* an & quomodo differant? *Coryzæ definitio* conſtat ex *genere proximo*, & ut loquuntur Philoſophi, ex *differentia Specifica*. *Coryza* etiam dicitur *Catarrhus primi ventris*. Eſt quoque *inflammatio*. Præterea *Catarrhus per foramina* vocari poteſt, ut placet *Johanni Baptiſtæ Montano*. Eſt minus periculoſus *Catarrhus*. *Nares* directo tramite in *cerebrum* patere credebantur. Hæc origo tanti erroris eſt. Rudis fuit antiquitas & inſequens ætas omni ſæculo malè credula. *Hirudines* per *foramina Oſsis Cribriformis* ad *Cerebrum* arrepere poſſe putabantur. Infans ſæpe tuſsiens, vomensque interdum lac majori oculi angulo reddebat. Integro oſſe *Cribriformi* ac *Spongioſo*, ne minima inſecta in *Cerebrum* ſe poſſunt inſinuare. Quo nomine *Nymmannus* & *Helmontius* errant largiter. *Sennertus Infundibulum* & *Palatum* dicit confusè. *Gallinacea Coryza* deſcribitur. *Equina* non eſt diverſa. Illæſum erat *cerebrum*, os *cribriforme* & *proceſſus Mammillares*. *Membranæ* erant corruptæ, & muco perfuſæ. Aſt *membrana pituitaria poſterior* haud vitiosè affecta reperiebatur. Eſt morbus *equorum* pernitioſus, malignus & contagioſus. Transfertur ex longinquo in alios *equos*, & maximè in eos, qui ſimilis ſunt coloris. Ad ea reſpondetur, quæ *objiciunt* nonnulli. Nullum veſtigium muci unquam nec in hominis, *Coryzâ* oppresſi, Cerebro deprehendi poteſt. Reliquias alimenti in Sanguinem venæ cujuslibet partis reducunt. Recrementa emittunt pori cutis. *Renum caro* ob *urinæ* tranſitum *urinam* redolet, reſipitq;. Paucula *urina* in ipſis *renibus* notatur, iisque obſtructis, admodum

dùm multa. *Cerebrum* patefactum nunquam ita prodit *pituitam*. Hæc facilius in *Cerebro* remanere posſit,quàm in *Renibus Urina*. Rurſus quæ *opponuntur*, hic diluuntur breviter. *Membranæ pituitariæ* & reliquæ multis rebus diſcrepant. Non omnes ob id queunt ſudoris inſtar reddere *pituitam*. *Pituitariæ membranæ* non propriè ſudant. Ad alia, quæ objiciuntur, reſpondetur. *Sternutatio* ad *Catarrhum Narium* ſpectans, *Epilepſiæ* non eſt ſimilis. *Vincentii Alſarii à Cruce* opinio caſtigatur, in parte probatur. *Martinus Schoockius* laudibus afficitur. Natura *Epilepſiæ* pluribus exponitur. *Epilepſiâ* ingruente, non *facultas animalis motrix* ſimul concurrit,ut credit *Sennertus*, ſed ſola *expultrix Naturalis* incitatur: Nec in læſis tantùm, ſed etiam in ſalvis partibus. *Proſperi Martiani* & *Nicephori* exempla ſunt valdè rara: *Epilepſia* non oritur ab humore, ut loquitur *Sennertus*, διάθεσιν epilepticam habente. *Incubus* eſt ſpecies *convulſionis*. Nervi *morbo comitiali* non moventur, nec *cerebri membranæ*, nec *cerebrum* ipſum. Refutatur *Sennertus*. Ac nunc efficaciùs curari poteſt *Epilepſia*. Magnus eſt conſenſus *Facultatum animæ* & ipſarum quoque *Facultatum Expultricum*. Et *Comes Montanus Epilepſiam* certâ ratione negat *ſternutationi* eſſe ſimilem. *Sennertus* aliis modis *Epilepſiæ* confert *ſternutationem*. Aſſenſus non præbetur. Nec *ſternutatione Cerebrum* aut ejus *membranæ* agitantur. Quidam ſternutant ſine *capitis* & *thoracis* motu. Vltima *objectio* diluitur. Nec albida pituita de *Cerebro*, nec cruor pituitæ de *narium arteriis* venit. Adjicitur illud, quod ſpectat ad curationem *Catarrhi Narium*, & ſimul *Thoracis*. Talis *Catarrhus* non eſt ſemper mortiferus. Reique ratio affertur, poſthabetur autoritas *Hippocratis*.

Nume

✠

NUmerus nihil fermè ſileri ſinit. Nobis igitur per ſingulas *Catarrhorrum* ſpecies duce *Hippocrate* hîc euntibus, & *Narium catarrhus* rurſus occurrit, cujus naturam tùm *libro de Oſſe Cribriformi*, tùm noviſſimo *libro de Catarrhis* affatim expoſuiſſe videmur. Quid igitur pluris æſtimemus, ſententiæ incerti addubitamus, fugam faſtidii an ſtudium illius ordinis, illiusq́ue ſeptenarii numeri, cujus ergo nos denuò exorſi ſumus. Actum quidem agere, ac repetere enarrata, odioſum. Attamen dicta maximè ob ordinem cuſtodiendum ſub hoc temperamento iterum dici queunt, ut magis magisq́ue firmentur. Eaque ſæpè per ſe uberiorem requirunt lucem verborum. Commodum itaque erit, acquirere omiſſa, & defecta ſupplere. Ac quoque ea, quæ intereà temporis in mentem aliquibus contrà venêre, diluere. Nec non etiam ſuppetunt hiſce paginis propriè perſequenda.

Nos vocem *catarrho narium* inconditam ſuprà prodidimus *raucam* antiquitus nominari. *Vetus* enim *Gloſſarium* ita: Κόρυζα, Ravis. *Nonius:* Ravis eſt raucitas. *Ravidus* quoque *Raucus*. Ac *Raucеſcere* eſt *Ravire. Ravire* & *Ravere* dicitur apud *Plautum Pænulo 3.5. v. 33. & Captiv. Prol. v. 13.* Verùm *catarrhus pectoris* vocem propriè *raucam* reddit. Nunc Κόρυζαν omnes ferè Latini *Gravedinis* nomine interpretantur. Aſt *Gravedo* eſt multarum partium, ut ſupra fuit dictum. Vnde *Q. Aurelius Symmachus* l.4. Epiſt.18. *tetras herbas olet ruſticus, vinum anhelus ructat ganeo, nantem ſequitur gravedo.* At l.6. Epiſt.41. clarius: *me gravedo capitis retinet.* A qua teſte *Salmaſio* haud dicitur Κάρυος. Κόρυζαν quaſi κατ᾽ ἐξοχὴν *Rheuma* & *deſtillationem* vocitari volunt. Nos l.5. *de Cat.* cap.1. & *Coryzam capitis* oſtendimus ab *Hippocrate* dici. Quâ de re diſputant *Johannes Alexandrinus* comm. ſuper Epidem. Hipp. & l AntiSoph. *Nicolaus Leonicenus.* Veniamus, *inquit ille*, ad ſecundam, in qua magis Sophiſta ſe jactat; ſed quantò major jactantia, tantò major ejus ignorantia depre-

deprehenditur. Joannes Alexandrinus exponens verba illa tertiæ particulæ Epidemiarum, commento sexto, *à capite Coryzantibus.* Solvit autem dubitationem dupliciter, ita scribens: aut dicimus, quod est consequens ex necessitate, dixit, sicuti & lac album, quemadmodum & Galenus dicit: Spondyles, qui sunt juxta spinam, non quòd in alio loco sint spondyles, sed quia ex necessitate dixit. Sic & mel rubeum dicimus: Aut hoc igitur intellige, aut quoniam aliter supervenit coryza & hujusmodi passiones aut à causa primitiva aut causâ antecedente. A primitiva quidem causa fit coryza, quum aer frigidior fit in hyeme, aut calidior, sicuti in æstate: ab antecedente verò causa, sicuti quoties multoties ipsum Cerebrum per se patitur aut calidam aut frigidam dyscrasiam. Hæc omnia rectè Alexandrinus, qui, sicuti etiam Galenus, verbis autoris, quem exponit, sive sit Hippocrates sive alter, duplicem tribuit intellectum, & liberum lectori relinquit capiendi meliorem. Primus intellectus est, quòd ideò coryzantibus additum sit verbum illud, à capite, non alicujus discretionis gratiâ, sed solũ tanquã ex necessitate sequens, atque ideò superfluè, sicuti Poetæ solent dicere, lac album, mel rubeum. Quem etiam intellectum dat aliquando Galenus verbis illis Hippocratis in libro de juncturis Spondyli spinæ, licet alterum approbet meliorem, de quo satis superius. Secundus intellectus est, qui multò verior, ideò appositum fuisse, *à capite Coryzantibus*, ut ostenderet, quod duplex sit Coryza: una, quæ fit à capite, id est, à causa antecedente in capite existente: altera à causa primitiva, ab aere scilicet vel calido vel frigido: ut ostenderet, inquam, atque distingueret, de qua Coryza verba faceret, de illa scilicet, quæ fit à capite seu causa antecedente, & non altera. Hunc secundum intellectum Sophista neglexit, quia non intellexit: vel si intellexit, gallum Æsopi imitatur, qui, dum rimatur terram, gemmas respuit & quisquilias sequitur. Eadem inscitiâ vel judicii perversitate Sophista dictus 6. part. Epidem. splenem sinistrum dici putat, non secundum alteram expositionem, quæ vitium verbi superflui vitat, per splenem sinistrum intelligendo sinistras partes splenis: sed secundum alteram deteriorem, quæ donat Medicis poeticam libertatem dicendi, splenem sinistrum, sicuti illi dicunt, Lac album. *Hæc ille.*

 Me-

Memineris, *Coryzæ* verbum omnes *Catarrhos*, etiam *Branchum* significare, qui autem aliundè, quàm à Capite ortum ſuum trahere poteſt, humoribus à Corde influentibus. Quamobrem *nomen Capitis* quoque ab antiquis aliquando adjectum eſſe videtur.

Sunt, qui *diſtillationem* & *deſtillationem* à ſe differre cenſent. *Deſtillationemq́;* eſſe quaſi viam ad *Diſtillationem*. Nam humor primùm de alto ſtillat, & ſæpè in pectus, poſtmodum diſtillat quaſi & tabeſcit corpus. Deſtillat, *inquit l.4. c.2. C.Celſus, humor ex capite in nares, fauces & pulmones*, veluti *Columella* l.12. c.18. ait, *picem in fundum deſtillare*. Si humor de capite in pulmones ſtillat, *Phthiſis* ſuboritur. Unde *C.Celſus* l.2.c.7.hiſce verbis utitur: *Frequens deſtillatio in corpore tenui, longoq́; tabem timendam eſſe teſtatur.* Ac l. 2. c. *tuſſis, deſtillatio, raucitas, in quibuſdam etiam tabes oriuntur.* Atque *vetus Gloſſarium:* Deſtillatio κατάῤῥȣς, καταῤῥέω, *defluo, deſtillo*; non dicit, *diſtillo*. *Chriſtianus à Vega* Κατάῤῥȣς interpretatur defluxiones, ac *deſtillationes*, non *diſtillationes*. E diverſo *Seneca diſtillationibus* ſe ait urgeri, *ut diſtillet ipſe*. Ac *C.Plinius* l.10.c.6.*Phthiſicas* & longas *diſtillationes* jungit. Apud *Senecam Diſtillatorius* teſtibus *Cælio Rhodigyno* & *Philippo Beroaldo* eſt ille, qui concinnat venditq́ue diſtillationes, hoc eſt, ciborum liquamina. Butyrum caloris vi tabeſcit, ut multi gelati ſucci. Verùm forſitan facile erit, rem expedire. Nam qui humor de capite ſtillat, is in Cerebro, ut vetus fert opinio, liqueſcere putabatur. Quapropter & *catarrhus*, quo humor, integro adhuc habitu corporis, de capite dejicitur, *diſtillatio* nuncupari potuit. Hanc verò tabes totius corporis ſæpè ſequitur. Non audiendus in *ſua diſputatione* eſt ille, qui *deſtillatione* ubertim, concitatiusq́ue, aſt *diſtillatione* humorem cerebri lentè, ſpiſsè ac guttatim fluere opinatur.

Definitionem rei ajunt *Philoſophi* ex *genere proximo* & *differentia*, ut loquuntur, *ſpecificâ* conſtare. *Coryzâ* itaque autore *Hippocrate* eſt *catarrhus Cerebri manifeſtus & incurrens in oculos*. Nam is *libro de locis in homine ſubjungit:* At verò fluxiones ex capite ſeptem ſunt quædam ſiquidem in nares, quædam in aures, quædam etiam in oculos decumbunt. *Atque hæ quidem ex capite fluxiones oculis ſunt conſpicuæ.* ἆτοι οἱ ῥόοι καταφανέες ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῖσιν ὀφθαλμοῖς.

Ac

Ac *libro de Glandulis :* Fluxio alia in oculos,alia in nares, alia in aures. *Sic ſe habent fluxiones ad exteriores partes oculis conſpicuæ, neque omnino lethales.* οὕτως ἐς τὰ ἔξω δῆλοι τῷ ὀφθαλμῷ ῥόοι, καὶ πάμπαν θανατώδεες. Unde *Hippocratis* interpres, *Theodorus Zvingerus*, fluxiones, *inquit*, ſunt vel non manifeſtæ vel manifeſtæ, καταφανέες, nimirum, quæ deferuntur ad Nares, Aures, Oculos. *Hos tres catarrhos Cerebri ſeu Capitis* quoque minus *periculoſos* judicat *Hippocrates*. Et hoc eſt, quod *Theodorus Zvingerus* inibi ſubnectat: *Ex fluxionibus afficiuntur partes vel gravius vel levius, ut oculi, nares & aures.* Præterea *Hippocrates* libro *de Flatibus* & alibi *ventrem* tradit vel *medium* vel *ſuperiorem catarrhis* tentari. Quamobrem idem, quem toties dixi, *Theodorus Zvingerus* edocet, *Catarrhos* vel *infimi*, vel *medii*, vel *ſupremi ventris* eſſe, & quidem *hujus catarrhos* enarrari tres, *Ophthalmiam*, *Otalgiam* & *Coryzam*. Ac *Ophthalmia* eſt *inflammatio*, ſicut & *aurium catarrhus :* quare eodem è genere erit *coryza*. Profectò & nos noviſſimo *libro de Catarrhis* oſtendimus, quo pacto gravior *Coryza* ad *inflammationem* inter initia quàm proximè accedere videretur.

Johannes Baptiſta Montanus in lib. Non. Rhaſis ad R. Almanſ. lect. C. VIII. aliter diſcernit hoſce *catarrhos*, Hippocrates, *inquiens*, in lib. de Glandulis, methodum tradidit, quam poſſumus eligere, ubi de omni catarrho deſcendente à capite ad inferiora loquens ad ſeptem fontes reduxit & inquit: Omnis Catarrhus poteſt deſcendere per ſeptem vias & meatus, vel per oculos, vel per aures, per nares, per palatum, vel per utrumque ventriculum, appellat duos ventres inferiores, thoracem & ventriculum vel per venas & arterias, vel per vertebras & nervos. Iſtæ ſunt ſeptem viæ, per quas neceſſariò tranſit catarrhus, cùm à capite deſcendit, nec poſſunt eſſe plures nec pauciores. Si autem breviorem viam vellemus, illam poſſemus eligere, & ſic dicere: Omnis catarrhus deſcendit à Cerebro, vel per *propria foramina*, vel per vias amplas, vel per nervos, vel per venas. Si per *propria foramina*, ſunt illa quatuor Hippocratis & ex anatome vidiſtis *foramina*, quæ ad oculos, ad aures, palatum & nares deveniunt. Ubi ergo Cerebrum ſuos defluxus per *foramina propria* deſtillat, *hoc erit unum caput :* cùm per communes & vias latas deſcenderit,

 derit,

derit, hoc eſt, per duos canales amplos vel per alterum illorum, id eſt, per canalem arteriæ aſperæ, vel per œſophagum & per unum ad pectus, per alterum ad ventriculum deſcenderit, hoc erit *ſecundum caput*. Vel per venas, erat *tertium caput. Quartus* deſcenſus catarrhi eſt per nervos. *Ac mox:* diximus de differentiis, quæ à locis ſumuntur & loca poſuimus quatuor, videlicet *foramina*, *canales* amplos, id eſt, aſperam arteriam & Oeſophagum, *venas & arterias*, & *ſpinalem medullam ac nervos.*

Verùm *Hippocrates* nec *libro de locis in homine*, nec *libro de Glandulis* mentionem habet *foraminum. Coryzæ genus proximum* eſt *Catarrhus capitis in oculos incurrens & minus periculoſus.* Deinceps adjicitur *differentia*, ut vocant, *ſpecifica*, quâ *ex naribus* prolabitur humor. *Johannes Baptiſta Montanus* veſtigiis *Arabum* inſiſtere videtur, qui memorant *foramina* Cranii. *Avicenna* appellat *viam catarrhi*, ac hinc intelligit ea *foramina Arculanus.*

Hippocrates quidem *Narium* vias *libro de Glandulis* vocat laxas: αἱ τε γὰρ ὁδοὶ τουτέων εὐρέες. Eoque nomine *Coryza* tantum periculi non poteſt afferre. At *idem* ait *naribus* foramen non eſſe, ſed eò loci objectum eſſe non os, non carnem, ſed cartilaginem mollem inſtar ſpongiæ, ut *libro de Oſſe Cribriformi* oſtenſum fuit. *Galenus* os narium comparat Spongiæ, quòd utriusq; foramina non ſint recta, ſed flectuoſa.

Simplex Antiquitas ſemper quidem opinata fuit, *Nares* in *Cerebrum* uſque patere, quo pacto autem, *Spiraculis* an *majoribus foraminibus*, haud dilucidè expoſuit. Inſequens ætas non tàm inveſtigavit rem, quàm credidit, recepitque aſſenſu. Quocirca *aerem* per nares in *Cerebrum* meare, vix dubium fuit. Ac *hirudines* quoque eò pertendere, perquàm ſimile fuit veri. Harum meminit *Hippocrates*, hinc C. *Plinius*, *Q. Serenus*, *Marcellus*, *Avicenna libr. 3. Fen. 9. Tract. 1. cap. 5.* Quum viderem, *inquit libr. 4. de locis affectis cap. 5. Galenus*, hominem integrâ valetudine cruorem evomentem; interrogavi, quâ victus ratione anteà fuiſſet uſus: ille verò inter alia, quæ narravit, hoc quoque addidit, quod cum nocte quadam ſitiret, miſſo puero, qui aquam afferret, ex immundo fonte bibiſſet. Quibus auditis, ſciſcitatus ſum, apparuiſſentne aliquandò

ſan-

ſanguiſugæ in ipſo fonte, qui, quum id quoque faterentur, epoto ſubinde idoneo pharmaco hirudinem vomitionem rejecit. Porrò, quum alius quiſpiam hujuſmodi cruorem emungeret & expueret, ipſo narrante audivi, eum rure, æſtatis tempore, in ſtagno quodam cum cæteris juvenibus juvenili ludo, qualem adoleſcentes in aqua ludere ſolent, exercitatum. Tum ego ſciens in eo ſtagno ſanguiſugas eſſe, duxi laborantem ad ſplendorem: converſoque directè ad ſolis radios narium foramine, in eo loco, ubi naſus ad oris regionem perforatur, hirudinis in meatu latentis caudam conſpexi. *Huic hiſtoriæ*, ut vocant, aliquid lucis vult afferre *Johannes Baptiſta Sylvaticus*, adnotare, *inquiens*, propter hiſtoriæ posſibilitatem diligenter convenit: eorum, qui de lumbricis ſcripſerunt, communem fuiſſe ſententiam, hirudinis mortuæ longitudinem plerisq; digitum non æquare, quæ longitudo in vivis minor eſt, quia ſeſe contrahat illa de more, dum vivat. Hujus verò longitudinis menſuram adhuc minorem in his volunt, quæ ſuâ naturâ generis ſunt minoris: at longè quoque minores illas eſſe videbis, quæ ſunt ætate minores: Ita ut minimæ cujusdam exilitatis eam hirudinem, quæ in nares illius viri irrepſit, fuiſſe, ſupponere nobis liceat. Eluctari corpore ſuo hirudinem etiam per anguſtisſima loca ſcripſit Plinius, ſi vas non obturatum optimè fuerit, ubi nemo putaret, adeò enim, inquit, in tenuitatem ſe extendere & os acuerre poteſt, major præſertim, ut per linteum, etiam rarius contextum evadat. *Hactenus autor.* Hâc ratione *Zacutus* & alii adducti, quos *l. de Oſſe cribriformi* & *l. de Catarrhis* nominatim dixi, tradidére, *hirudinem* in *foramina Osſis cribriformis* ſe inſinuaſſe ac perrepſiſſe ad ipſum *cerebrum*. Hæc quidem primùm cogitando veri admodùm ſimilia eſſe videntur. Mox verò ficta deprehenduntur, conſideratâ etiam atque etiam *Osſis Cribriformis* conditione. Hujus foramina ſunt oppidò gracilia, cæca penitus, obſtructa ac ab ipſo aeris meatu valdè diſtant. Hoc quoque iter, quà reſpicit illa foramina, craſsâ membranâ involvitur, huic *hirudo* dentes ſuos ob vaſcula ſanguinis infigit, quæ inibi errant multa. Sanguinis avida eſt hirudo, ut peritè oſtendit *Silvaticus*. Hunc expetit unicè. Igitur ultrà haud tendet. Ac peresâ eâ membranâ, *Os Spongioſum* objicitur. Hoc eſt aridius, ac exors ſanguinis.

Quapropter ab ea tàm exangui parte resiliet potius *hirudo*, aliamq; partem petet, quæ plena est sanguinis. Cæterùm *Hirudo* ipsis naribus excluditur vomendo. Nam ingesta non solùm ore, sed & naribus redduntur. Quædam infantis nutrix fide plena, infantem asseverabat lac etiam oculorum angulo majori, frequenti vomitu, interdum emisisse. Ille infans erat æger nec poterat commodè glutire, sed pectori admotus cùm traheret lac, subitò tussiebat ac quoque vomebat. Quare lac haustum in illud iter aeris vi quadam compellebatur, & tandem in illum canalem, quo lachrymarum liquor ex oculis in nares fertur. Huc quoque *hirudo* potest pertendere. Sed ei via in Cerebrum semper occlusa est. Fabula est, Muscam in *Cerebrum* penetrasse. Cur non similia abjudicantur? *M. Terentius Varro l. 3. Rei Rust.* scribit circa paludes tàm minuta animalia nasci, ut ea nec oculi quidem facilè suâ consequantur acie, ea tamen fatetur per aera in corpus, per os ac nares pervenire. Quare multi illos vermiculos credidére in intima cerebri trahi posse, veluti & illa corpuscula, quæ in aere lucido volitant, quæ vulgus vocat *Solis Atomos*, Germanicè den Sonnenstaub. Credibile, *inquit* l. de *Apopl. Gregorius Nymmannus*, proinde est, cum carbonum accensorum fumis unà *pulvisculos* & quasi *atomos* crassiores ex iisdem carbonibus exhalantes, quas manifestò oculis cernimus, inspirando attrahi, hosq; ita attractos se in Cerebri poros, sinuumq; cavitates insinuare & nunc copiâ & crassitie eorum foramen commune, ductusque anteà explicatos occludere & obturare, nunc etiam, imprimis in iis, qui ejusmodi fumis assueti non sunt, insitâ vi quadam cerebrum afficere, humoresque commovere, ut isti in prædictum locum ruentes, eum aliquando occludant. Atque sic duplici nomine vapores seu fumi isti carbonum apoplexiæ originem præbere possunt 1. obstruendo sinus. 2. commovendo humores. *Nymmannum* (nam ait se hanc rem & anno 1619 ostendisse) sequitur *l. 1. Pract. Medic. part. 1. c. Sennertus*, obstructio, *inquiens*, fit à vaporibus vel humoribus. A vaporibus, si hi crassi confertim & copiosè ad caput ferantur, meatus Cerebri opplere & obstruere possunt. Tales vapores elevantur à cibo vel potu pleniore vel vaporoso vel humidiore, ab humoribus item & excrementis vaporo-

sis

ſis in ventriculo, inteſtinis, à vermibus, in utero. Poſſunt quoque meatus Cerebri obſtruere fumi & vapores craſſi extra admisſi. *Hæc ille.* Tàm largiter quoque errat *Helmontius*, qui libro, qui *cuſtos errans* inſcribitur, muci materiam ait magis lenteſcere in oſſe *Spongioſo*, per quod (ſunt ejus verba) *odoratus organum ſuos odores recipit.*

Cerebrum *Catarrhis* aliquando redditur ſanguinolentum, ut l. 2. *de Catarrhis* oſtenſum eſt, quibusdam ita videri. Ex qua nota & Johannes *Baptiſta Montanus*, *Sanguis*, inquit, *etiam poteſt eſſe materia deſtillationis, & nos vidimus multos, à quibus ſanguis deſtillabat à capite ad palatum, ad pulmonem, ad ventriculum, ut difficillimè vulgares decernant, an à capite vel thorace deſtillet.* Eodem loco quoque palàm fiebat, *Cerebrum* fieri aliis *Catarrhis* putridum. Oris ſputum & mucus narium, morbo arquato urgente, flaveſcunt. Ejusdem igitur coloris aliquando erit *Cerebrum.* Idem & aliis ſæpiùs eſſe fumeum, vix ambigitur. Hoc igitur ſupererat, ut *Cerebrum* aliquando foret pulverulentũ. Sępè jumenta abiguntur viis admodũ pulvereis ac jugulantur protinus. Eorũ Cerebra ſemper munda conſpiciuntur. Necetur quoq; beſtia quæpiam ipſis fumoſi aeris injuriis, ejus in Cerebro ne veſtigia quidẽ fumi ullo modo deprehẽdi queunt. Profectò ſi hoc *os Cribriforme* hiſce *atomis*, ut vocant, hiſce quoque inſectis, quæ volitant in aere lucido aut paluſtri, penitùs pateret, animalis vita diu ſuperſtes haud erit. Si illius *osſis foramina* reris aeri ſalubri patere, minimè ejus injuriis, patere rurſus purgamentis Cerebri, occludi autem arrepentibus animantibus, hæc quàm difficilia erunt ad credendum? Quanta providentia hìc requiretur? Pagani *Patellanam* & *Patellam*, duo numina & patefactis & patefaciendis rebus præſtituta colebant. Cur antiqui & illas aut ſimiles *Deas* huic *osſi cribriformi* nunc patulo, nunc clauſo, nunc rurſus patefaciendo non præfecerunt? Quid de *Foraminibus Osſis Cuneiformis* dicam? Hæc multi quoque fingunt nunc operta eſſe, nunc reſerari. Credunt ea in oris ſpatium uſque patere. *Ventriculorum meatus*, inquit Comes Montanus *C. de Catarrho*, *effundunt excrementa in choanam, choana in adenem ſubditum eructat, adenem verò excipit os foraminulentum, veluti cribrum deſinens in palatum,*

quo

quo tranſcolantur excrementa. Quem errorem *l.1. de Catarrhis Sect.2. c.3.* coarguimus. Ac *Infundibulum* & *Palatum* tàm diverſæ ſunt partes, quàm disſitæ. At eas *D. Sennertus* l.1. Pract. Med. part.1. c.17. hiſce verbis conſociat: *Deinde ſunt in* Cerebro *ventriculi, excrementis ejus evacuandis parati: in tertio ventriculo duplex eſt meatus: anterior deſinit in palatum ſeu infundibulum dictum, quod finit in ſellam Osſis Sphenoidis, ubi glandula pituitaria eſt, & plexus retiformis, ſeu rete admirabile, ut Galenus vocat.* Ait quoque *infundibulum finire in ſellam Osſis Sphenoidis.* Rem paucis dabo. *Infundibulum* eſt membranaceus canaliculus, qui ad ſubjacentem *glandulam pituitariam* annectitur. Nec hæc ſola eò loci interjacet, ſed illa cuncta *Osſis cuneiformis* portio, quæ aut concamerata eſt, aut ſolida ac plena inſtar fungi. Huic tandem ſubeſt ſpatium palati. Quo pacto igitur *D. D. Sennertus meatum tertii ventriculi anteriorem* ait *deſinere in palatum ſeu infundibulum?* Ac plures autores peritioribus hanc & ſimilem anſam præbent ad reprehendendum. Diducto *anſeris* roſtro ac diſſecto, primùm occurrit in conſpectum ille oblongus aeris commeantis canalis, ex quo pendet muc9, dein ſe quoq; in oculos ingerit exiguũ foramẽ, quod ſimilem liquorem exhibet. Qui illud meo admonitu contemplabantur, ii hoc opinabantur ab ipſo *infundibulo* ac ab illa *glãdulâ pituitariâ* huc uſq; exporrigi. Verùm adactâ terebrâ offendebatur os pumicoſum, aridum, ac ab *infundibulo glandulaq; pituitariâ* valdè dimotũ. Mox idem foramen illæsũ in alio capite anſeris conſiderari jubebam, notabant ipſi vaſcula, unde illius muci liquor depromebatur. Ac in narium ſuperiorum cavo quanta vis muci obvia eſt, medio roſtro inciſo? Ille quoque interdum ſubcruentus notatur. *Gallinæ* ſæpiùs eô *coryzæ* genere tentantur, quo multus mucus circa *tubulos narium interiorum membranaceos*, quos libro de *Oſſe cribriformi* manifeſtavi, ac quoque in ipſo canali ſpiritus ducendi colligitur, roſtri foraminibus occluſis. Villani eo morbi genere *Cerebrum gallinarum* vitiari arbitrantur, uti ea opinione *Hippocrates, Galenus* & *Avicenna* olim tracti fuerunt. Eâ *Hippocrates Aph.2. lib.6.* pronuntiat: *quibus nares natura humidiores, minus integrâ ſanitate fruuntur.* Nam ejus interpres *Philotheus* ita: διὰ τοῦ εἰπεῖν, ῥῖνες ὑγραὶ, ἐδήλωσεν τὸ ἐγκέφαλον, hoc eſt, *per id, quod dicit Nares humidæ,*

midæ, *indicavit Cerebrum.* Aſt ſi ejusmodi gallinarum capita patefiunt, illud omni ex parte ſalvum eſt, integrum & naturaliter coloratum. Nares interiores tantùm ex illa multitudine muci laborant. Externa roſtri foramina ſordes plerumque opplent pulvereæ. Quapropter ut recipiatur anhelitus, os ſemper patulum tenetur. Quo fit, ut linguæ tunica vehementer areſcat. Hâc viâ malum curatur. Roſtri foramina gracili, teretiq; pennâ clementiùs trajiciuntur, butyrumque pipere leviter aſperſum datur devorandum, detractâ linguæ tunicâ ſicciore.

Non adeo diverſa eſt illa *Coryza*, quâ *equi* arripiuntur. Tàm fæda eſt, quàm lethifera. Quare, deſperatâ ſalute, Paterfamilias eos ſæpius tolli jubet. Nuper eo morbo æger *equus* inciſis venis, profuſoque ſanguine necabatur, quò caput, Cerebrumque inviolatum iterum inſpicere liceret. In aſſiduum examem explorata quoque expedit ſæpiùs revocare. Eandem namque rem ego ſimiliter *capite de Coryza*, teſtatus fui. Nunc cunctum Caput, Cerebrumque æquè ſalvum rurſus reperiebatur. Illæſum quoque erat os *Cribriforme:* Naturaliter ſe habebant *Proceſſus Mammillares:* mundi erant & ſui coloris. *Fibras de dura meninge tractas* receptabant foramina illa tàm minuta. Quid multa? Nullum veſtigium ullius vitii intra *Cerebrum* deprehendi poterat. *Os Spongioſum* quoque non erat adeſum. At illæ os hoc obtendentes membranæ erant aliquo modo vitiatæ: nimio illo muco adeò perfundebantur, eoque ſinus inibi obvii vehementer ſcatebant. Attamen plus iſtiuſmodi muci in ſiniſtris Naribus adinveniebatur, *medii & infimi ventris* viſceribus haud vitiosè affectis. In aliis cadaveribus equorum venæ valdè liveſcebant, ut plures ſanguinem crederent ſemper in vitio eſſe. Illa ſanguinis vaſcula, quæ ad interiorem narium tunicam pertinent, in hoc equi corpore nimiùm intumeſcebant. Quare plus muci etiam exudarunt. *Membrana pituitaria poſterior* haud laborabat, preſſa ſolennem reddebat liquorem. Aſt *narium* ille mucus redundans infeſtante iſtâ *Coryzâ*, eſt ſpisſior, albidus quidem, attamen fædus aſpectu, ac neſcio quo modo movet nauſeam & propè vomitionem. Eſt nequam morbus; hujus contagium in *equos* tàm mirè vulgatur. Præſepium, pabulum, levis contactus ac aer adverſus etiam

ex longinquo virus in alios transfert, & ut credunt, in eos maximè, qui ſunt illius coloris, cujus eſt ipſe, qui hâc malignâ ægritudine laborat. Veteranarii varios liquores in nares infundere conſueverunt, Cerebrum imprimis ægrum eſſe rati. Sunt imitatores & vetuſtiorum Medicorum, ut *Galeni, Alexandri Tralliani, Ætii.*

Juniorum ex turba multi, urgente *coryzâ*, humorem credunt, ſi non ex *cerebro*, ex *cerebri* tamen membranis in nares confluere poſſe. Atque ſuperioribus experimentis nihil moti, ajunt, *Cerebri membranas* madere, quæ ad os & ad nares protenduntur. Itaque humores ex illis *cerebri membranis* eò ſenſim ferri, idque in humano æquè ac in beluino corpore fieri. *Membranarum Cerebri fibras* manifeſtè per *foramina oſſis Cribriformis* ad *Nares* & per *foramina oſſis cuneiformis* unà cum nervis tranſeuntibus ad palatum & ad alias partes proximas trahi. *Glandulam pituitariam* habere multa Sanguinis receptacula, unde liquor pituitæ ſenſim manare poſſit. Idque *l. 7. Fabric. c. 11.* docere *Veſalium.* Sunt qui & hoc afferunt: *Galenus l. 9. de uſu Part. c. 4. ſtudet docere vias, quas refert in foraminoſa Sphænoidis & palati oſſa, addit tamen inter hæc & meningem duram diſtantiam eſſe, quæ æquet altitudinem adenis ſeu glandulæ, in nullum alium finem, quàm quò citra ſuffocationis metum & occurſum rei cujuſpiam extrinſecæ iſta excrementorum diſpenſatio per membranas celebrari poſſit. E Cerebro autem, in latitudine ſumtâ voce, nihil planè excrementitii deſcendere, haud probavit aliquis certo φαινομένῳ. Ratiunculas enim nemo hîc curat. Cum, inquiunt, Cerebrum diſſectum nunquam humidum, ſed ſiccum reperitur. Ergo humorem neque generat, neque transmittit. Qualis, quæſo, conſequentia hæc eſt: in Renibus non ſpectatur Serum. Ergo Renes nec generant urinam, nec transmittunt. Si cotidiè transmittitur & expellitur, ejus abſentia prius non tollet.*

Quæ è contrario hîc diſputantur, ſunt varia. Verùm *dicat, quod quiſque vult, ego de hac ſententia non dimovebor.* Quin operam dabo, ut & diſſentientes ad meam ſententiam, adverſus omnia reſpondendo, tandem perducam. *Glandulæ pituitariæ* ſint venæ haud paucæ. Madeant quoque *Cerebri* membranæ, harumque portiones & *fibræ* ad *palatum*, & ad patentes *nares* trahantur. Sed quis vel leviter rei phyſicæ, medicæque peritus crediderit conſtantiorem illum,

illum, viſcidumque liquorem muci per iſtas excurrentes membranaceas partes in *palatum* & in *nares* viam ita facere, ut nec minimum veſtigium tàm lenti humoris in *Cerebro* aut ejùs in membranis unquam deprehendi poſſit? Si nervorum membranæ pituitam *Cerebri* portant, ea feretur etiam in alia membra, in genas, in tempora, in colli, brachiorum & pedum muſculos, quos intrant nervi, de *cerebro* proficiſcētes. Nunc circa *glandulam pituitariam* maximè verſus *Occipitis* foramen craſſiores ſunt, magisque diſtant *membranæ cerebri*. Si per eas ita deductas foret itus ille tardior pituitæ, omnis *Catarrhus* fieret in ſpinalem medullam, quæ proximè abeſt.

Nulla membra ex ſe fundunt redundantes reliquias alimenti. Quare eæ nec in *cerebro* unquam deprehendi queunt. Ut namque aliarum partium, ita & *cerebri* venæ, quod eſt alimenti reſidui, in maſſam Sanguineam reducunt. Hujus quoque purgamenta jugiter exhalant pori cutis & ſpiracula. Nec *cerebrum* aliis humoribus dat viam tranſitumque. Nam hi in eo patefacto tandem deprehendi poſſent. Per *Renes* urina jugiter colatur. Quapropter eorum Caro & cruda reddit odorem urinæ & cocta eandem reſipit. Teſtes, *Galenus l.3. de aliment. facult. c.6. inquit*, cum ex genere ſint glandularum, non perinde tamen laudabilis ſunt ſucci, ut mammillares, ſed habent viroſum, quiddam ſeminis, quod generant, naturam referentes, ceu renes, urinæ. *Atque Ætius tetr. 1. Serm. 2. 125.* Renes palàm eſt, mali ſucci eſſe, ægrè concoqui, quando etiam in guſtu urinæ qualitatem nobis repræſentent. *Quo quid dilucidius dici poteſt?* Inſuper ipſius *urinæ* liquor in *Renibus* notatur. Eſt paucus, verùm is interiores *Renum* partes ſatis madefacit. Prætereà una atque altera gutta urinæ ſæpiùs occurrit. Tàm manifeſta veſtigia urinæ ſubinde decurrentis inibi extant naturaliter. Si calculi occludunt *Ureterum* itinera, plus urinæ in *Renibus* offenditur. Quare non poſſum facere, quin illud ex libro *Obſervationum mearum Medicarum* depromam. Qui rei frumentariæ Exercitus Cæſarei præfectus erat, nomine *Heiſinger*, Wittebergæ admodùm pertinaci ſuppreſſione urinæ deceſſit. Diſſecto corpore *Ureteres* erant albidâ ſabulosâ materiâ penitùs oppilati: at *Renum* in cavitatibus multum graviter olentis urinæ reperiebatur. Abunde eſt, illud hoc loco retuliſſe. Nam

hæc res ſanè quàm multis experimentis teſtatior fieri poſſet. *Coryzâ* infeſtante *Botallus* itinera pituitæ ad nares pertinentia, hoc eſt, *foramina Cribriformia* ait occludi. Et hoc eſt, quod *nares* aliquid ſtridulum tùm ſonare ſoleant. Verùm illa pituita nec in illius hominis Cerebro aperto (ut ſuprà præfatus fui) ſe ingerit in conſpectum. Nec eam Cerebrum naturaliter egerit tàm citò, ut ne minima ejus gutta ſuperſtes eſſe queat. Jam verò Cerebrum nec pituitæ quoque odorem fundit unquam nec ejus præſtat ſaporem. Illud quidem ajunt pituitoſum alimentum miniſtrare. At recens Cerebrum & pituita jam naribus rejecta oppidò inter ſeſe differunt. Coctum verò Cerebrum magis accedit ad naturam *glandulæ*, quam ajunt fricari. Cocta pituita magis lenteſcit, tandem areſcit. *Urina* eſt multò tenuior, multoque liquidior, quàm mucus narium. Si urina ita decurrit, ut ſui veſtigia relinquat in *Renibus*; Cur non pariter in Cerebro ſub oculos venit, ac cadit ſub tactum pituita, quæ æquè prompta ad decurrendum haud eſt. Hæc ſpiſſa eſt, lenta & ita viſcida, ut ſi contingatur manu, filatim ducatur. Talis humor in Cerebro nunquam conſpici poteſt, ſive homo careat *Catarrhis* ſive iis urgeatur. Qui humor in *ventriculis cerebri* deprehenditur, non eſt mucus, non eſt pituita. Quæ cùm ita ſint, intelligendum eſt omninò, pituitam nec naturali inſtituto, nec valetudinis vitio Cerebrum, principem illam partem corporis, tranſire.

Hoc levisſimum eſt, quod nobis objici ſolet, etiam cutem ac reliquas corporis membranas pituitâ ſudare, ſi ita ſudat *membrana narium ac palati*. Quàm multis locis & quàm perſpicuè oſtendi, *membranas narium* & illius *palati* totâ naturâ, genere & vaſculis ſanguinis à reliquis tunicis & pellibus differre. Itaq; hi æquè acuti videbuntur ac illi, qui hac via philoſophantur. Homo anteriore oculi tunicâ cernit; E. & tunicâ linguæ, tunicâ auris, tunicâ coſtarum, tunicâ volæ manus videre poterit. Has narium & palati membranas perſpectas habeant ii, qui noſtram opinionē in animo habent convellere. Aliàs ſpontè corruent ipſi nec longè aberunt ab ineptiis.

Quàm flaccida quoque illa eſt argumentatio. Si Narium tunica exudat mucum, plus ejus reddet, ſi hominis corpus vel fotu vel deambulatione inſudat. Aſt hoc haud advertitur. Quare nec

tuni-

tunica narium illo modo ſudat pituitam. Illud igitur ſcire convenit, diverſa eſſe hæc *ſudationum* genera. *Narium tunica* ſine ſenſu ſenſim, rituque ſudoris deliquat mucum; ob id ſudare dicitur. Propriè autem ſudat cutis corporis. Vera itaque ſudatio nec parem pituitæ emisſionem requirit, nec ſequitur. Quapropter nunc cunctum corpus eſt (ut Apuleji verbo utar) ſudorum, admodùm ſiccis naribus, nunc his vicisſim madentibus, exors madoris. Utq; ſunt hæ differentes poteſtates expellendi, ita pituita naſi & ſudoris liquor ſunt magnæ diverſitatis.

Rurſus quid contra nos dici queat, attendendum. Non ſine *ſternutatione* eſt *Catarrhus Narium.* Quin ea à nonnullis inter *Catarrhos* cenſetur, ut *libris de Catarrhis* oſtendi. Illa ipſa quoque *Epileptico* morbo ſimilis habetur, quo Cerebrum & ejus membranæ concutiuntur. Quocirca *ſternutatio* & *catarrhus Narium* non diſpar morbus *cerebri* erit.

Ad hoc ego nunc reſpondeo, nec *morbo Comitiali cerebrum*, nec ad illud ſpectantes tunicas agitari. Verè *Martinus Schoockius*, Vir Scientiarum varietate eminens, abundans rerum copiâ, ac hac ætate in omni doctrina præcipuus nobilisque *libro de ſternutatione* cap.16. mecum aſſeverat, *ſternutationem, quicquid aliis viſum fuerit, cerebrum non afficere nec materiam eam concitantem deliteſcere in cerebri ventriculis. Neutiquam ergò Epilepſiæ adæquari poſſe ſternutationem.* Quod effatum nunc à me vehementer firmabitur. Secus quidem cum vulgo, tùm in prælectionibus ſæpè, tum in quotidianis ſermonibus locutus fui. Nam omnia ſimul movere, conſilium non erat.

Utor permiſſo, caudæq; pilos ut equinæ
Paulatim vello, demo unum, demo etiam unum.

Nunc igitur ſtabilitis ſuperioribus meis opinionibus, hanc rem ipſam aggrediar, præſertim cùm ea mihi aliquid negotii hîc concinnare putetur. Reſtant duo alii adhuc, ut ita loquar, decumani errores, quos quoq; primâ quaque occaſione coarguam, aliisq; locis patefaciam. Adeò non conſummata eſt ars Medica.

Corporis muſculos ope *Facultatis animalis Motricis* trahi, ſat certum eſt. Inſuper in aperto erit, *naturalem quandam vim expultri-*

cem mali iisdem *Musculis* insitam inesse. Hujus quoque meminit *Thomas Erastus*. Tria, *inquit ille in Disp. de Convuls. th.106*, motus in nobis principia reperiuntur, voluntas, imaginatio seu appetitus rationis expers & natura. De duobus primis nullus, de tertio is tantùm dubitat, qui animum iis, quæ fiunt, non advertit. Hac enim vi distribuitur alimentum, vacuantur singularum partium excrementa, moventur in singultu & vomitu ventriculi tunicæ, efficiuntur crises, diarrhœa, mensium purgationes, aliæque similes excretiones. Nec alia est virtus, quæ per rigores corpus tantâ vi quatit, quæ sternutationes ciet, quæ distillationes & reliquas fluxiones concitat, quæ pulsus cordis & arteriarum producit. Nec dubium est, quin suos cieat motus, sive voluntas & phantasia agant sive quiescant. Hac facultate Cerebrum spoliare non possumus. Cur enim quod omnibus aliis partibus concessum est, Cerebro parti principi negatum putemus. Magis etiam ea opus partibus quibusdam aliis, quæ tactus sensu noxia percipiunt. Nam Cerebrum hoc sensu carere (aut certè obscurissimum habere) docuit nos Chirurgorum & Anatomicorum summorum frequens & accurata observatio. Et quidem in vulneribus tangitur, pungitur, foratur, pars aliqua eximitur absque omni sensu tactus, licet ratio, sensusque integri serventur. Quæritur igitur, utrum hæc Cerebri potentia convulsiones cieat, an facultas sive appetitus sentiens? Quod vis naturalis in causa sit, tùm alia jam dicta ostendunt, tùm id maximè, quod sensus expers Cerebrum videtur esse. Quibus & hoc accedit, quod convulsiones epilepticæ sternutationes, rigores, aliique tales motus plures nihil tale appetentibus, imò invitissimis nobis accidunt. Huc etiam Galeni testimonium pertinet, qui libro 2. de Symptomatum causis capite 1. convulsionem instar palpitationis à solo morbo fieri asserit. Si verum hoc est, non movet musculos appetitus, sed ab hoc aliud quippiam. Quod si appetitũ concurrere putamus, solius morbi Symptoma pravus ille motus nequaquam dici poterit. His addi potest, quod sternutationes, concussiones, quæ sub initium somni accidunt, quæq; in ea Epilepsiæ specie visuntur, quam aura frigida ex pedibus in Cerebrum sublata excitat, ab hac virtute fieri conten-

ten-

tendunt. Quamobrem verisimile est, hos etiam ab eadem facultate naturali commoveri, præsertim cùm aliqui absque imaginationis sensibili offensa convelli videantur. Si multos ex prædictis motibus non prius fieri objicias, quàm causæ lædentis molestia sensu percepta fuerit, hoc non impedire dicent hujus opinionis propugnatores, quin à natura nihilominus fiant. Non enim à dolore seu molestia illa appetitum sensibilem sic alterari, ut convulsionem appetat, sed naturalem Cerebri virtutem ab ea sic irritari & extimulari contendunt. Nemo, puto, ignorat, naturalem vim expultricem ventriculi, intestinorum, vesicæ, venarũ in mesenterio sitarum â mordacitate seu acrimonia humorum & pharmacorum excitari. *Hæcq; Autor Disputat. par: quartâ, nervosius disputat*: multæ partes corporis, ut ne dicam, omnes motu arbitrario destituuntur, quæ ob id non carent motu, quo noxia à se abjiciunt atque etiam arcent. Hepar, lien, venæ, arteriæ excrementitios humores magnâ violentiâ quotidiè deponunt, tametsi illo motu, quo musculi moventur, præditæ non sunt. Cùm in continuis febribus venæ crisis tempore & per diarrhœas, aliasq; alvi fluxiones, putridos humores in ventriculum & intestina effundunt, non absque motu id faciunt, licet musculis donatæ nullis sint. Ratio eadem est aliarum partium. Quin imò ipsi quoque musculi noxia à seipsis depellentes, non videntur motu voluntario, sed naturali id facere: quò pars quælibet natura edocta est, molesta sibi alio propulsare. In singultu motus oris ventriculi est manifestus, quo conatur mordicantem molestantemq; humorem excutere, nec tamen musculi motu movetur. Quid ergo prohibet Cerebrum quoque irritatum instar aliarum partium hostiles vapores repellere? Quod faciat, infinita probant: Sternutatio, Coryza, Catarrhi alii, concussio corporis per somni principium eveniens atque alia quàm plurima. Hujus contrarium rationibus demonstrare qui conabitur, hoc impetrabit ab omnibus intelligentibus, ut pro sano insanus reputetur. Si præter motum illum voluntarium, cujus instrumenta sunt musculi, nullus extaret motus alius, non cunctarer tuis rationibus victas manus porrigere. Nunc dum alii quoque sunt, minimè necessum est, ut moveri nullo modo judicemus, quia motu arbitrario moveri

nega-

negamus. Similis propemodùm ratio ſenſus eſt. Nam naturalis quidem ſenſus (ut ſic jam vocem) utilium & inutilium partibus ineſt omnibus: illis etiam, quæ ſenſus animalis compotes nunquam fuerunt. Viſcera certè cor ſcilicet, lien, jecur, renes noxia percipiunt, atque à ſe removere ſatagunt: quamvis nervos nullos obtinuerint à Cerebro alios, qui in tunicas eorum diſſeminati cernuntur. An cordis ſubſtantia nullo modo vapores, humoresque exitioſos percipit? Unde igitur tam crebræ oriuntur ſyncopæ, diſſolutiones anxietates, defenſiones, quæ vel propter diſpoſitiones proprias, vel propter vicinarum partium conſenſum eveniunt? An in ſternutationibus, in nocturnis concusſionibus, in coryza, inq; aliis talibus Cerebrum nullum habet rei inconvenientis ſenſum ſive apprehenſionem ſive perceptionem? Quis inficiatur, tacitas eſſe rerum amicitias & inimicitias? Aut quis neſcit, nonnullos etiam epilepſia corripi odore quarundam rerum, quæ multi alii ſuaviter odorantur? Singultum excitari ab humore moleſtiam adferente ori ventriculi, confeſſum eſt cunctis. At hæc moleſtia ita percipitur ſæpenumerô ab ope ventriculi, ut homo ſingultiens nec prius aliquid ſenſerit, nec tunc ſentiat. Quô fit, ut non tam ſenſu animali quàm naturali quadam virtute videatur talia nonnunquam apprehendere ac pellere. Conſimili modo ventriculus à cibis ingeſtis aut pharmacis ſubvertitur, quæ inſcientes deglutivimus. Si tàm eſt hoc apertum in ventriculo & corde, ut ne idiotæ quidem ignorent, cur de Cerebro dubitatur? Vidi ego qui ovillas carnes imprudentes perederant, putantes alias eſſe, propè interiiſſe; ſic & de caſeo fit, & de purgantibus. Summa, Cerebrum ſentit & ventriculorum Cerebri pars interior membrana veſtitur.

Hiſce tàm multis verbis *Thomas Eraſtus* acerrimo vir ingenio naturam *Naturalis Facultatis Expultricis* ſatis exponit, recteq; talem & *Cerebri membranis* aſſignat. Simul autem licet videre, quid is erret, ab eâdem illâ *Cerebri facultate expultrice naturali Sternutationes*, *Coryzas* & illas *Concuſſiones*, quæ ſub initium ſomni invadunt, oriri opinans. Illudq; hic autor tàm certum exiſtimat, quàm quod certiſſimum. Sed nos hîc ſatis habemus, & hoc autore aſſentiente, pronunciare, partes *motu*, ut vocant, *Animali* gaudentes

dentes etiam *facultate naturali expultrice* per morbum moveri posse. Nihil certè repugnabit *Galenus*. Propter nervos, *inquit ille l. 1. de motu Muscul. c. 1.* instrumentum *animale* musculus factus est: quemadmodum propter arteriam & venam, *naturale*: etenim motus, qui ex arteriâ & venâ procedunt, naturales sunt & voluntatis expertes, qui autem à musculis, animales & voluntarii. Sive autem consultò dicas, musculorum fieri motus sive spontaneas aut cum voluntate, nihil refert: unum enim in omnibus his conjectari oportet, quo modo videlicet discernas motum ipsorum à motu arteriarum & venarum. Itaq; etiamsi nequeas in omnibus ostendere differentiam, abunde satis, quod vis, significabis. Cur igitur non sensus instrumentum esse musculum diximus, sed motus duntaxat, quanquam planè utriusq; similiter ipse sit particeps? an quia motus quidem nullus utiq; fieri posset animalibus voluntarius absq; musculis? Quare proprium ipsius instrumentum musculus est: sensus autem inest omnibus sensilibus particulis, etiam sine musculis: quæcunq; enim ipsarum particeps sit nervi, ea omninò sentit. *Deinceps cap. 8.* Cùm autem musculum mortuum, cui non est ampliùs participatio animalis vigoris, totum incidentes per transversum, ad suos fines contrahi conspiciamus, videbitur utiq; non immeritò hoc esse officium constitutionis corporis ipsius. Atqui si corpus musculi in se ipsum contrahi natum est, quis usus adhuc erit animalis facultatis ipsum moventis, nisi ad hoc, ut musculi mutuò motibus cedant? Nam si quod uterq; facere natus erat, id ageret perpetuò nihil certè prohiberet, corpus obnoxium semper esse affectui, qui Tetanus nuncupatur; quid enim aliud Tetanus est, quàm cùm partes invitæ in contraria retrahuntur à musculis oppositis? Ut autem id non fiat, aliquis forte facultatem animæ causetur, dicatq; jubere ipsam musculis otium agere, cum oppositos ipsis moveri oporteat. Verùm si id fatebimur, primum quidem contraria iis, quæ anteà dicta sunt dicemus: non enim amplius musculis moveri ab animali vigore, sed potiùs moveri concedemus, tàm multa, quæ in ipsis apparent, habebimus sibi ipsis adversantia. Primum sanè & maximum, quod nervo proveniente ad musculum, qui intus est, abscisso, statim musculus ille extensus

 videtur,

videtur, ac ſemper in extenſione manere. Oportet enim, ſi modò contractio quidem connata eſt ejus corpori, extenſio autem animâ jubente fiebat, extenſionem perire potius, quàm contractionem, quando is, cui nervus abſciſus eſt, muſculus â communione cum principio eſt ſejunctus, nunc verò contrario modo ſe habet, contrahitur ſiquidem ille, cui non eſt abſciſſus nervus, qui autem illi eſt contrarius, extenditur. Oportebat autem non ſolum ejus, cui nervus abſciſſus eſt, extenſionem perire, ſed & ejus, cui non eſt abſciſſus, ambo conſervare & extenſionem & contractionem: ſi modo extendi quidem à nervo, contra hi verò à ſeipſis, muſculi habent. Quo modo igitur & hujus dubitationis ſolutionem habebimus? Ex ipſa rerum diverſitate oportet & hîc diſcrimen invenire & motus corporis muſculorum & facultatis, quæ ipſis utitur. Quod igitur eſt diſcrimen? Abſciſſo muſculo extermo aut tendone ſtatim particulam flecti, tametſi flectere ipſam flectere nolimus. At â quo flectitur? (neq; enim id præterire oportet) ab ipſo ſc. muſculorum internorum corpore in ſeipſum natura conſidente. Quod ſi flexio particulæ non eſt voluntatis noſtræ, quonam pacto fieri dicatur ab animali facultate? Ut igitur diſcas, quis ſit facultatis proprius motus, jubeto hominem conari particulam læſam impenſius flectere, videbis ſanè evidenter ipſam flecti. Rurſus jubeto exolvere voluntarium motum flectendi, videbis certè iterùm eam extendi, quousq; primam flexionem reſumat, ad quam deducta eſt abſq; voluntario conatu. Ex his enim, quæ apparent evidenter, intelligi poteſt, quod in exactam & perfectam flexionem nunquam corpus muſculi ex ſeipſo pervenire poſſet, niſi ab animali facultate adjuvetur. Fruſtrà igitur fortè quiſpiam dicet, corpus muſculorum eâ naturâ, ut contrahi poſſit, factum eſſe, cùm ab animâ id ipſum perfectiùs ac meliùs efficiat. Sed qui hoc dicet, unus ex iis eſt, qui de nullo pronuntiare, ſed de omnibus dubitare ſolent: quem libenter percunctarer, an particulam, quæ nata eſt extendi, putet aptiſſimum inſtrumentum potentiæ, cujus officium eſt cogere, an contra? Equidem ne excogitare quidem poſſum, quonam pacto quis inſtrumentum ineptius ad motum conſtruxiſſet, quàm ſi ipſum ad contraria voluntati moventis vergens feciſſet:

quod

quod si hoc est ineptum, contrarium profectò est aptissimum, omne, quod ex seipso inclinat, quo moturum velit. Cùm igitur facultas animalis festinet musculum ad proprium principium trahere, structura ad hoc apta ipsi fuit. *Et paulò post*: Natura ipsius corporis musculi ad contractionem vergit. Apparet musculum suapte natura in extremam contractionem progredi, quantum in structurâ corporis est positum. Cum enim solutus fuerit continuitate, quam habet cum osse obnitente, tunc quasi vinculis solutus & perfectè liber factus, suam ipsius naturam ostendit.

Ex his apparet, *Galenum* musculis duplicem *motum* attribuere, alterum *animalem*, alterum *naturalem*. Sub eo autore *Johan. Bapt. Helmontius* eandem rem multis locis suscepit, *ut l. de Lithias. c. 9.* Ego dico musculis inesse duplicem motum, unum nimirùm, quatenus est organum motus arbitralis, atq; alterum sibi proprium. *Atq; libro de Febribus c. 9.* Tremor cùm sit in ipsis musculis, notandum est, musculos habere duos motus, unum quidem, quatenus sunt clientes voluntatis, ut edant voluntarium motum: alterum verò, in quantum invitâ voluntate, proprio feruntur motu: estq; hic iterum duplex: prior scilicet, qui unico tractatu violento contrahitur, prout in Spasmo, Crampo &c. Alter verò, qui intervalla patitur, qualis est tremor febrilis, jactigatio & tremor membri alicujus (puta capitis aut manuum &c.) senio & potatoribus familiaris. *Itemq; Libro, qui Sedes Animæ inscribitur*: Omnis anima est lumen â patre luminum, rerumq; Creatore datum, lumina autem, alibi probavi esse immediatè in loco & mediatè in aëre locato. Sic quoq; sensitiva est in loco, sive sede, de qua in præsentiarum scribo. Mens autem, cùm sit substantia luminosa, penetrat lumen creatum, quod anima sensitiva est, & vicissim hoc penetrat mentem, eamq; obtundit suâ corruptelæ contagione Adami. De qua lib. de vitâ longâ, de mortis introitu in hominem. Est ergò anima sensitiva caduca mortalis, mera lux vitalis, data à patre luminum nec alio modo, verbovè explicabilis. In anima sensitiva conjungitur mens immortalis. *Itemq; Scripto, quod confirmatur Morborum sedes in anima sensitiva*: Anima sensitiva præfecta est omnibus suis facultatibus vitalibus, sive sint per organa distributa,

ſive demum communi Archeo fomentatæ. Epilepſia à pedibus ſuſcitari videtur: at ſalem nunquam absq; ſyncope irruit, nunquamq; ſenſus tollit, niſi prius ipſam animam ſenſitivam, ejusq; facultates principes conſternat. *Rurſus libro de Lithiaſi c. 9.* Mens immortalis nil quicquam, in ſui ſubſtantiâ, horum patitur, ſed tantùm in ſubjecto, ſede, hoſpitio, animâ nempè ſenſitiva. Atq; minutulum eſt adhuc, quod ſenſitiva anima â ſenſibilibus patitur, niſi ipſa ſibi velut hoſtilis fiat, dum impatiens exorbitat. Atq; alibi anima ſenſitiva fit inſenſitiva, ut in caducis pro tempore. *Paulò poſt:* Quoties cuti, venis, arteriis, nervis accidit injuria, in rugas ſe contrahunt per vim animæ ſenſitivæ. *Nec non Libro de flatibus:* Homo cum totali virium extinctione moriens, relinquit ſuum cadaver generali Tetano, utrinq; tenſum. Aſt ubi violentâ abripitur morte, eſt ejus cadaver flaccidum. Unde didici vitam quandam, ſenſationem & motum ſive Blas eſſe in carne, præter voluntariam, vita illa nimirum, venena & mortem, cum extinctione apprehendens, utrinq; tendit tendines. Unde falſum eſt, cor eſſe ultimum moriens. *Veluti & libro: confirmatur Morborum ſedes in Anima ſenſitiva:* Quod in Epilepticis concidat omnis ſenſus, non item motus: id perinde non arguit, animam ſenſitivam non eſſe fontem utriusq;. Nam etſi intercidant omnes intellectuales poteſtates, ſubſiſtunt tamen obſcuratæ, quia vita non tollitur, nec pulſus ideò ceſſat. Quod autem motus ſpaſmodes involuntarius etiamdum perſtet, id non tàm animæ, quàm vitæ muſculorum ſingulari tribuendum. *Ac libro,* cujus titulus *Vita Multiplex in homine* eſt: Poſtremò & demonſtravi, vitam quandam peculiarem muſculis ineſſe, cum facultatibus ſenſitiva & motiva, per quam ſe tendunt pavido ſpaſmo omnes ad ſenſationem mortis. Ut patet in tetano, rigoribus & convulſionibus, in quibus tàm in vivis, quàm à morte muſculi moventur invitâ voluntate etiam poſt vitæ extinctionem. Adhuc *l. de Lithiaſ. c. 9.* Senſatio ideò nimirùm ad ſolam vitam ſpectat. Cumq; Scholæ ſcirent, cerebrum nullam aut ſaltem obſcuram vix ſenſationem habere, maluere ideò nervum ſubjectum primarium credere ſenſus, motus atq; doloris. Cerebrum videlicet fontale quidem ſenſus, motusq; initium: attamen

nervum

nervum immediatum doloris, ſenſusq; ſubjectum fecere. Motum autem, licet aliquid magis materiale, tamen voluére ex altiori voluntatis arbitrio dependere, illiq; ſubjici. Sic nempè ut voluntas ſit principium imperativum motus: nervus autem organum delativum imperii, atribilaris & tandem muſculus inſtrumentum executivum voluntatis. Sed ſenſationem intelligunt in nervo, tanq: ſubjecto, fieri mediante ſpiritu animali. Quem vocant animalem, ab arteriis quidem hauſtum, at in cerebro ad ſuos uſus recoctum. Agnoverunt ideò, nervum quidem per ſe eſſe absque ſenſu, perinde ut Cerebrum & cætera membra ſolida: quamobrem ſpiritus animales volunt eſſe ipſius ſenſus atq; motus, primitivos atq; moventes effectivos. Quibuscum nondum convenio: ut neq; in hoc, quod nervus ſit organum atq; primarium ſubjectum omnis ſenſationis. Nam quis neſcit, quod in ſano quælibet pars pellis ſentiat non tamen ſubter ſe nervum gerat? Non enim concedo, concepto ſenſibili, in partibus extra nervum, ſpiritus retrogradu motu recurrat in nervum, ut conceptum ſenſibile cõmunicet Cerebro, tanquam ſenſuum origini; ut inde remanendo, tùm demum in parte læſa vel attacta, doloris aut complacentiæ ſenſus efficiatur, In terminis namq; ureter ſummè dolet absq; nervi alicujus inſertione. Sic & ulcera cava ſæpè carne ſenſitivâ replentur, nec tamen in illâ nervi de novo ſuccreſcunt: cùm partes primæ conſtitutionis, ſemel ablatæ, non recreſcant: uti nec, quæ ſunt primæ conſtitutionis, per cariem exeſa, ampliùs reſtituuntur. *Ac deinceps*: Dein cum dolor plerunq; in inſtanti naſcatur, etiam is, qui per externa, excitatur. Ergò ad dolorem non eſt opus recurſu ad Cerebrum, ut per refluxionem velut conſulto opus eſt. Quapropter Scholæ, parum à Cerebro recedentes, maluerunt nervum accipere, pro primario organo, perceptivo objectorum ſenſus, quatenus vel radio luminis vel materiali ſpirituum irroratione (nondum enim ſe determinarunt in plerisq;,) à Cerebro continuò dimiſsâ, aſperguntur. Adeoq; Cerebrum denegare ſenſum atq; motum inferioribus, niſi per mediatores ſpiritus ſuum favorem inceſſanter inſpiret. Aſt & in hoc multas reperio anxietates. Nimirùm ſingulares pænè in membris ſingulis, imò in inteſtinis, aliisq;

 partibus,

partibus, omni fermè nervorum consortio destitutis, quales sunt ipsi dentes, quorum etsi radicem nervulus tangat, non tamen exterius dentes, quos tamen sentire, inviti multi testabuntur. Sic ureteres carent nervo, ipsumq; cranium sub terebrâ trepani sensum mirificum, in pedum usq; digitos resonat. Credidi itaq; non posse ab unico & communi fonteCerebro vel univocæ texturæ nervo, tantam distribui unius tactus latitudinem. Supposui itaq:, quod antè jam probavi, sensum primario in animâ sensitivâ ubiq; præsente, atq; eatenus etiam proximè in spiritu insito partium residere. Ideo Cerebrum non est primaria sedes & fons tactus. Deniq; dolor omnis fit in loco, & quasi ex tempore sentitur. Ergò tactus fit in loco & non post factam denunciationem ad caput. In digitis stupore affectis, suspenditur sæpè solus sensus, motu sospite interim atq; libero.

Hic autor motum quidem duce*Galeno* rectè facit duplicem,ast mox obscurus evadit. Contendit quoq; non*Cor*,sed *musculosum genus*, instante morte,novissimè mori. defunctoCorpore,musculus quidem se adducit, magis tamen spiritu residuo, si *vis expultrix naturalis musculorum* semel commotior facta fuerit. Spiritus vitalis certè etiamnùm influit. Urgente *Epilepsiâ* aut *convulsivo motu*, nondum extincta est vita. Ac si cor desinit micare, sangvis tamen adhuc movetur, in quo inest Anima. Nunc *Helmontius* Facultatem *Musculorum naturalem expultricem* appellat *vitam Musculorum peculiarem*. Nec corpus jam exanime semper distentione musculorum, ceu spasmo est rigidum, sæpè reperitur flaccidum, ut omnes artus ex facili flectantur. Sub morte oculi sunt patuli,palpebræ musculo superiore nonnihil contracto, hiat quoq; os, musculo *Deprimente Digastrico sive Biventri* adducto. Quid dicam de reliquis musculis, qui μασσητῆρες vocitantur? Præterea maxilla inferior suo pondere naturaliter vergit. Ante *Helmontium Harveus* naturam *naturalis Sensus* exposuit. Primùm *Facultas Expultrix Naturalis Musculorum* dolore surgit,irritata movet musculos, quibus corpus concutitur, sensu ad tempus amisso. Interdum cor, assumto veneno,palpitat sine intermissione,ut incidat *Epilepsia*,quâ tùm

tùm homo caret dolore. Cor autem tàm vehementer pulſat, *Naturali* & *vitali facultate* remanente.

Muſculus eo artificio eſt fictus, ut facilè ſe contrahat, etiam in mortuo corpore diſciſſus, quemadmodum planum hîc facit *Galenus*. Itaq; dolore moto, *Facultas* mali *expultrix naturalis* muſculum ſimili ratione flectere poterit, jam invitâ & adverſante *Facultate Motrice Animali.* Idq; genus vocitatur *Convulſio*. Cui tamen illæ tantùm partes ſunt obnoxiæ, quæ *Animalis*, ut vocant *motus* ſunt conſortes. Unde illud â *Thoma Eraſto* accipit *D. D. Sennertus: in convulſione â facultate expultrice eſt initium motus. Aliter enim ſeſe habet expulſio in parte, quæ motu deſtituitur, aliter in eâ parte, quæ ad motum apta eſt, variantq; ſymptomata ſecundum partes ſubjectas.* Quanquam *Galenus* nonnullis & *motu Animali carentibus membris*, aliquam motionem haud penitus derogare videtur. Eſt palpitatio, *inquit ille in lib: Hipp: de humor. com. 2.* dilatatio quædam præter naturam, quæ omnibusparticulis, quæ diſtendi poſſunt, accidere conſvevit. Hoc autem ideò adjunxit, propterea quod nec oſſa nec cartilaginesunquam palpitant, cauſa eſt, quia diſtendi non poſſunt. Cadit autem palpitatio non modò in cor, ſed etiam in Ventriculum, veſicam, uterum, inteſtina, jecur, lienem ac ſeptum transverſum. Cùm verò arteriis cordiq; accidit, tùm alius quidem præter pulſum, motus in eis oritur. Ex quo apparet, hunc affectum neq; volũtariæ facultatis neq; organorum, quæ voluntati obediunt, eſſe proprium, Cujusmodi eſt tremor & convulſio, ſed iis corporibus omnibus, quæ dilatari queunt, accidit. Diſtenditur autem ab aëre aut ab humore, puto eſſe aëream ſubſtantiam, quæ per corpus facilè transflueret. *Idemq; Galenus* aliis locis ait illas partes non propriè convelli. *Cor* quidem ſpiranti etiamnùm animali ereptum, ſi acu pungitur, ſe comprimit, tàm manifeſtum motionis, quàm exhauſtum ſangvine. Ea vis igitur ſi viventi animali, ab humore irritetur, *Cor* tunc longè aliter movebitur. Cùm dexter *pulmo* Nobiliſſimi cujusdam Domini globulo plumbeo bombardæ eſſet trajectus, diu infirmus fuit. Sæpiûs eveniebat, ut ſano pulmone, naturaliter ſpiraret, ſauciato autem vehementer tremulo. Idq; oculis & admotis manibus, nec non

ipſius

ipsius ægri admonitu satis cognoscebatur, vulnere nondum persanato. Nolo quoque eum motum prodere, quem concitat *inflammatio*. Quâ ratione & *Lien* palpitat. Ob id *Spigelius*, *Tulpius*, *Nymmannus* nominatim cientur. *Venæ* quoque & *arteriæ* palpitare dicuntur.

Jacobus Lavellius com. l. de Pulsibus certè ita differit: Convulsio, quæ Spasmon dicitur à Græcis, est retractio quædam musculi ad suum principium. Hæc convulsio arteriam quoque retrahit eo modo, quo Galenus exponit. *In eandemq; partem Petrus Paulus Galeal. de puls.* Si motus in scrino conspicuus dicitur, vibrans vocatur, si obscurior, convulsivus. *Et paulò post:* Spasmosi pulsus causa & ille est pulsus spasmosus, quando arteria dignoscitur contrahi in suum principium, quemadmodum convulsio est contractio nervorum in suo principio, sic quoque in spasmo: adeò ut causa hujus pulsus sit duplex, nempe virtus, quæ movetur motu simili spasmo, & sic in causa hujus, ut dicitur ab Avicenna, est motus non naturalis in virtute aut malitia in essentia instrumenti. *Item Jacobus Lavellius:* Solet irritari facultas à causa mordente atque cogente, ita ut præter naturam operari cogatur, quod dupliciter contingere solet, aut quia aliqui maligni & venenati halitus & vapores ferantur ad cor à putri materia elati, qui non copiâ, sed qualitate cor lædant ac vitalem facultatem quodammodo commoveant. Aut quia acris & mordax sit materia peccans, quæ suo acredine ac mordacitate facultatem irritet, nec naturaliter ipsam operari permittat. *Ac rursus Peter Paulus Galega:* Motus tres species sunt: motus animæ naturæ, & tandem utriusque, ut respiratio. Motus cordis, ut Galenus docet, est naturalis. Motus naturæ est motus irrationalis, veluti est motus ignis, qui de sui naturâ tendit sursum & urit & nescit se urere. *Ferè similiter Helmontius:* Vitam aliam participare in Splene, aliam in musculis, aliam in utero muliebri. *Item* L. qui *Multiplex Vita in homine* inscribitur: Tandem quoque venis suam à morte hominis adhuc permanere vitam, quâ multos dies ab obitu personæ, cruorem in se detentum à coagulatione præservat & hactenus vitâ quâdam illustrat. Quapropter venarum esse aliam vitam, qua nedum vivant: sed & in vita ipsum cruorem

con-

conservent. *Itemq; L.de Febribus c.9.* Cui insidet materia febrilis, primùm se contrahit in rugas. Quod sentitur facilè in præcordiis. Parti verò obsessæ, totum genus venosum quodam consensu collaborat, strictimque se arctat contractis fibris obliquis. Inde namq; rarus, durus atq; minutus pulsus, frigoris index ac opifex. Hanc enim corrugantem stricturam venarum, quisque febriens, si in se animadvertat, facilè dignoscet ac penitus naturalem etiam benevalenti. Nam etsi scrotum laxum propendeat, statim tamen atque scoria humana ad sphinctera delabitur, corrugatur scrotum suapte sponte. Naturale est itaque venis & partibus primario affectis, sese in rugas contraxisse. Cum igitur venis passim associentur plerunque arteriæ, necesse est, has pariter obliquâ cum venis convulsione contrahi. Quod sanè facilè percipient febricitantes, si horum memores, seriò attendant ad ea, quæ sentiunt. *Tandem & libro de Lithiasi:* Quoties venis & arteriis accidit iujuria, in rugas se contrahunt per vim animæ sensitivæ. Quàm insigniter namque statim arteria sub dolore quolibet indurescit? Cujus durities non (ut Scholæ arbitrantur) ariditatem arteriæ, sed ejus tensionem sive spasmum singularem, quæq; ob id, instante rursus sudore, contractionis relaxationem cum mollitudine prodit. *Hactenus autor.*

Hepar denique motum habere putatur. Tale *Hepar* etiam exectum memorant *Josephus*, *Petr. Comest. Procopius*, *Theodor. Nicetas*, *Cyrillus*, *Plutarchus*, *Seneca* in *Thyest.* Ac in *Herc.*

Stat terror animis & cor attonitum salit,
Pavidumq; trepidis palpitat venis jecur.

Prudent. Hymn. 5.

Nudate costarum abdita,
Ut per lacunas vulnerum
Jecur retectum palpitet.

Nec de hoc motionis genere loquar. Diversimodè partes *Musculis* carentes afficiuntur, irritatâ vi *expultrice Naturali.* Quædam nunc offensæ sentiunt injurias, non autem queunt surgere, nec id, quod adversum est, contrahendo propulsare. Membranæ extensæ annexæque dolent tantùm. At ubi stomachus vexatur, ejus tunicæ contrahuntur ita, ut assumpta egerantur. Partu in lucem edito, *ma-*

trix etiam aeris injuriis vel acredine humorum interdum læditur, ut illa manifestè palpitet, quippe quæ jam distenta, inanis & surgente *facultate expultrice Naturali*, est admodùm idonea ad motum.

Nunc verò si in una parte irritatur *vis expultrix naturalis*, surgit aliquando in aliâ nec semper proximâ, sed etiam in dissitâ & prorsus contrariâ, ut cunctum corpus tandem concutiatur, sublatâ plerunque ad tempus *facultate Animali*. Quod mali nuncupatur *Epilepsia*, item *motus convulsivus*. Quo *puerperæ* teste *Valleriola* sæpiùs arripi solent. Superioribus annis juvencula puerpera primipara hâc mortis viâ interibat. Quanquam fætus extinctus tandem, adventante morte, fundebatur. Hæc puerpera si nitebatur, illo *motu convulsivo* nunc ejus totum corpus, nunc vel dextri vel sinistri lateris partes semper vexabantur. Vidi &, *inquit Helmontius*, mulierem, quæ nunquam caduco corripiebatur, nisi instante partus dolore nec cessabat etiam, nisi post partum. *Hæc ille. Hystericam Epilepsiam* in vulgus celebrant *Fernelius*, *Benivenius*, *Didacus Moranus*, *Rod. Castro*, *Mercurialis*, *Bottonus*, *Mercatus*, *Sylvius*, *Forestus*, *Platerus*, *Horstius*, hinc *Sennertus*. Nimiâ continentiâ *urinæ* urgente, homines quoque convelluntur. Testes locupletissimi sunt *Johannes Heurnius* & *Johannes Baptista Montanus*. Quemadmodum illud *Clariss: Vir D. D. Thomas Bartholinus Cent. 5. Obs. 61.* aliquando hæreditarium esse proponit: *Referebat nobis Medicus Patavii princeps Benedictus Sylvaticus vidisse se in Austria principem epilepsia laborantem ex Renum affectione cum vesicæ calculo. Hocq; ipsi malum fuisse hæreditarium narravit, à matre calculosa contractum, quæ Epilepticis convulsionibus sæpe correpta, tabida tandem obiit. Ex Taxite memorabili exemplo similem Epilepsiam mulieris adducit Schenckius l. 1. Obs. Med. 195.* Cæterùm calculosis interdum & puerperis Medici offerunt *Borracem*, quo *vim naturalem expultricem* adjuvari credunt. *Dn. Sperlingius* cùm urinam tàm diu, uti memoravi sæpius, reddere non posset, usq; ad mortem istis *motibus convulsivis* variè premebatur. Comes quædam, *inquit l. de Lithiasi c. 7. Helmontius*, itemque altera monialis, ingenti dolore, diem clausére suum. Utraque enim, velut uncum, uno trianguli acumine, in rene, altero verò, intra ureterem desinente,

exhi-

exhibebat: atque ſpaſmo crudeli obierunt ambæ. Non quidem moriuntur præ urinæ ſuppreſſione, ubi alter renum lotio ſatisdat: atroci ſed ſolo ſpaſmo oppetunt, qui ſpaſmus iterum circa mortem laxatur. Quapropter diſſectio, præter lapillum uniformem, exhibuit nihil, quod mortem attulerit. *Atque cap.5. & 6. fotus & humectantia* laudat, hæc, *inquiens*, ut Althæa, malva, Amygdalinum &c. juvant, non quatenus amplificent ureteres (quod in ſe ridiculum) ſed in quantum ſpaſmum criſpationis demulcent. *Addit & hoc idem autor libro de Lithiaſi cap. 6.* Sub paroxyſmo cum toto abdomine turbatur, præſentique in omine atque metu, inſtantem procellam, non minùs, quàm eandem compatitur, toleratque præſentem. Præſentire enim videtur arenam, nondum viſam: at ſanè adeſt tùm in utero ſuo, dumque præſentitur, & tunc adeſt contracturæ illius exordium. Volens itaque Archeus hoſtem eluere & excuſare inſtantem paroxyſmum, accerſit undecunque omnem laticem & ad eluendum renes demittit. Contrahuntur ergò venæ in calculoſis renibus, conſentiuntque inteſtina, atque dolorem colicum ideò mentiuntur ob conſenſum. Qua de cauſa nephriticus dolor à colico nondum per Scholas ſatis diſtinguitur. Nec mirum ad ſpaſmum venarum, ipſa inteſtina quoque convelli, cum contracturæ artuum ſequantur propter conſenſus conſanguinitatem, tàm dolores immanes colicos quàm nephriticos. *Hæc hic.*

Atque ea vis expultrix ex ejuſmodi membro ſurgens & illarum *Animali motu* gaudentium partium *facultatem expultricem naturalem* concitare poteſt, ut totum corpus tandem convellatur. Unde *in his*, inquit l.3. c.13. Paulus Ægineta, *Epilepticis, qui per conſenſum ex ſtomacho afficiuntur, etiam ipſius ſtomachi palpitatio præcedit & agitatio & morſus.* Simul vermes ſtomachum mordicant, ingruit Epilepſia. *Vis illa expultrix naturalis* ex *ſtomacho*, ex *matrice*, ex *renibus* concitata eſt ſimilis beſtiæ, quæ hominem ſubitò invadit. Hic ſentit quoque vim quaſi inferri. Quare is membrum queritur ſibi renitenti invitoque agitari, quod *facultate animali* anteà fuit motum. Res, ne quid diſſimulem, eſt controverſa, ac inter *Galenicos* diſſenſionis plena. Unde *Sennertus* hunc in modum: *de motus etiam illius convulſivi, qui in Epileſia accidit, quoque membra variè agi-*

 tan-

tantur, natura & causa inter autores, præcipuè Thomam Erastum & Comitem Montanum est controversia. Thomas enim Erastus in Anatomia librorum Comitis Montani, & in disputatione de convulsione, pluribus defendere conatur, morbum hunc à facultate animali provenire. Verùm *Thomas Erastus* illam ipsam, quam publicat *Sennertus* sententiam *th.121. Disp. de Convulsf.* certâ ratione probat. *In Epilepticis quibusdam (non est enim una omnium ratio, si Galeno credimus) nihil vetat utrumq; principium, imaginationem & naturam concurrere. Naturæ videntur esse motus isti vibrantes, corpus ita ferè, sed violentius quatientes, ut in vehementi rigore. Alterius autem facultatis sunt membrorum distortiones. Sæpè contingit, præsertim in excrementorum vacuationibus, ut animalis motus concurrat cum naturali.* Quanquam is *thes.*116 & 117. ita argumentatur: *Deinde si ab alia facultate actio sana vel laudabilis editur, & ab alia rursus morbida seu depravata efficitur, convelluntur certissima artis nostræ principia. Perinde hoc foret, ac si bonum sanguinem per sanitatem à temperamento conveniente jecoris gigni dicas, pravum autem seu vitiosum ab animali facultate procreari asseras. Morbus & sanitas circa idem præcisè subjectum versantur, nec est sanitas facultatis aut instrumenti alius affectio, quàm ejus, cujus etiam morbus ei oppositus passio existit. Indubitatæ veritatis est hoc axioma. A qua facultate & instrumento actio secundum naturam propriè & per se editur, ab eisdem etiam, quæ præter naturam fit, editur. Quare si ab imaginatione musculi & membra secundum naturam moventur, ab eadem quoque præter naturam moventur.*

Contra hunc disputat *Comes Montanus ita: Prætermisisti, quod demonstrandum erat, hoc est motus epilepticos ex imaginatione celebrari. Ego quidem fateor, ab imaginatione plerunque appetitus & motiones exoriri, at nego, motum in Epilepticis à facultate animali vel motrice prodire, quàm imaginatio excitet. Movetur musculus in epilepsia ad suum caput, sed non ex arbitrio, sed ex natura, sed ex morbo. Cum Galeno dico & asserui semper, motus convulsorios epilepticos à morbo tantùm provenire: at nunquam dixi, motus illos esse animales:-nam licet (autore eodem Galeno) animalibus similes sint, animales tamen non sunt.* Prætereà ait musculum *naturali insitoq; motu* se contrahere, ut illæ *Rigoris* species oririqueant, ἐμπροσθότονος, ὀπισθότονος, τέτανος. *Hæc Comes Montanus.*

Nec

Nec aliud *Helmontio l. de Lithiasic 9.* videtur,qui tamen in *Galenicos* ſemper nimis acerbus, ſeverusq; reperitur: Eſt contractura, ſenſationis ſive doloris effectus. Ætas mea, quia perverſorum ingeniorum ferax, paradoxuum hoc cum aliis multis ridebit. Quod tamen ſequens poſteritas lubens amplexabitur. Scholæ equidem autumarunt ſpaſmum per organa & executiva motus voluntarij fieri eatenus, quod dicant ejusdem eſſe facultatis functiones ſanas & morbidas, quanquam alienis cauſis occaſionalibus excitatas. Muſculus ergò cum ſolus ſit membrum executivum motus voluntarii & nervus organum delativum imperii voluntatis: ſequitur, (ut docent) muſculum tametſi in ſpaſmo, invitis nobis actum: attamen nequaquam contrahi, niſi ab ipſamet arbitrali facultate motrice eadem, quæ illum, dum eſt, ſanus, movet. In quo hallucinanter Scholæ ſibi contradicunt, dum ſpaſmum definiunt motus arbitralis quidem Symptoma, attamen oriri â plethora vel inanitione. Noviſſe debent, omnem ſpaſmum eſſe Blas vitale muſculorum,ex Archeo innato ſuſcitatum: cujus occaſio eſt, malignum aliquod irruens in Archeum, muſculorum vitæ inſidians. Muſculus ineſt: & motus arbitralis & alter ſibi proprius. Per quam, etſi ſeſe retrahat verſus ſuum caput: attamen nîl obſtat, quin ſpiritus partibus illis motivis inſitus, illas retrahat ac moveat: prout jam ante de ſcroto dictum eſt. Nec enim naturæ repugnat, partes proprio motu locali ſubſilire, abſente animâ, triſti ſcilicet ſenſatione, partes alio imperatore mobile, furioſè contrahi. Cùm muſculis ſingulariter deſit alius conſpicuus motus, quo deſignet ſibi illatam noxam, præter eum, quo exſequitur arbitralem animæ motum. Quin imò naturale eſt penitus omnibus membris & communi partium niſui proprium,illas contrahi ob triſtem illatæ injuriæ ſenſum. Quem locum Scholæ deſeruere intactum. Quare erroneum cenſui, eum Scholis ſpaſmum credere affectionem capitis. *Ac libro de Flatibus:* Omnis muſculorum convulſio ſive ex colicâ ſive ſumpto laxante veneno vel alio non eſt ex motu voluntario ſed ex naturali ſenſatione, motuq; muſculorum.

Sennertus rurſus ſequitur *Th*: *Eraſtum*: cujus verba hæc ſunt: *atq; iſta præter voluntatem contractio ſola ad ſpaſmum & motum convulſivum indicandum ſufficit atq; unicum ſignum pathagnomicum eſt. Neq; refert, quod hi motus contra voluntatem fiunt. Etenim vel ab appetitu irrationali fiunt, vel ab animâ quaſi perturbata, ut ex Ariſtotele l. 3. de animâ c. 2. & Galeno 2. de motu Muſc. c. 6.* Viciſſim *Comes Montanus* beſtiis *epilepſiâ* laborantibut contendet etiam *appetitum* illum *irrationalem, ut vocant*, tolli. Si itaq; *motus convulſivus* brutorũ animalium ab *expultrice naturali ſolâ* oriri poteſt, cur non idem poteſt fieri, ſi homo illo morbi genere affligatur? Mox *Sennertus* in *Quæſtione quintâ* ſic loquitur: *neq; etiam ſimpliciter naturales ſunt, cum fiant beneficio muſculi.* Illud beneficium muſculi *hic autor* oſtendit proficiſci â *naturali diſpoſitione, & â naturali contractione, quæ etiam in inciſo muſculo corporis defuncti deprehenditur.* *Si facultas expultrix naturalis* earum partium, quæ voluntario gaudent motu, vehementer irritatur, illa cunctam *Animalem Facultatem Motricem* tandem ſubigit, fugatq;. Tanta hujus vis eſt, tanta efficacitas. Hæc muſculos tunc contrahit multò vehementiùs. *Sennertus* quidem ita ſentit: *neq; credibile, eſt facultatem naturalem expultricem poſſe tàm vehementes ac validos motus ſolum edere.* Quanta vis naturalis eſt illa, quâ Uterus infantem exanimem tandem excludit, ipſa autem mater comitiali morbo extincta ferè, expers certè penitus eſt *ſenſuum* & *motionis animalis*. Oſtendi, *inquit Helmontius, in utero vitam ſingularem, quâ ſcilicet poſt mulieris mortem, prolem adhuc enititur.* Quid de *naturali* & ſimul *vitali expultrice facultate* loquar? Hinc *variolæ & morbilli* oriuntur, hinc tanta *profluvia ſangvinis* exiſtunt. *Facultas Animalis* quo pacto tàm improbos motus aut faciet aut intendet? Illa cautè corpus movet ſemper & moderatè. An nunc cum ratione inſaniet? An neceſſitati obſequetur voluntas? Quàm occulta erit illa conſpiratio? Quò minus reſtat mentis, eò validiores plerunq; ſunt agitatus partium corporis. Qui *Phrenitide*, quâ turbatur ratio, graviſſimè ægrotant, ij multa faciunt magis violenter & ad extremum teſte *Hippocrate*, convelluntur. *Vincentius Alſarius à*

Cruce

Cruce quidem *l. 2. de phrenitide* causam requirit, cur *Phrenitici* tantarum virium existant: facilis est solutio alterius quæsiti, cur nimirùm phrenitici, cùm validos edant motus, sensus tamen debilissimos habeant, quia scilicet nervi resiccati & incalescentes ut validius movent, sic ad sensũ ineptiores redduntur, eò quod ad sensionẽ requiratur, mollicies non siccitas. Quæ ratio in Elephanticis elucescit, resiccatis enim ab humore atro & nervis & cute, perit in illis externarum partium sensus; addere tamen etiam possumus ad robur illud in phreniticis faciendum non infimum habere locum animi impetus, quos ipsimet habent ex variis simul & validis in imaginatione motionibus. *Hæc ille.* Ast multos phreniticorum confitetur ipse Epilepsiâ affligi. Nec semper imaginatio, ut cum illis loquar, *concurrit.* Subinde *Facultas Musculorum naturalis expultrix* nititur surgere ac è medio quoq; *Facultatem Animalem* pellere. Febricitantes quoq;, teste *Josepho Pomio,* Epilepsiâ interdum implicantur, veluti & iracundi, qui adeò excandescunt. Cor tàm vehemẽter palpitavit, ut etiam costam autore *Fernelio* offenderit, imò perfregerit. Quàm violentus hic fuit motus, tàm naturalis. Hujus igitur vim naturamq; *Sennertus* haud perspexisse videtur. Meum itaq; fuit, rationem rursus ad veritatem revocare. Quàm multi vomitionibus tandem expirârunt, inani satis stomocho? Jure *Comes Montanus* quoq; & *Vincentius Alsarius à Cruce* hoc premunt, quod *vi epilepsiæ* ratio, voluntasq; amittatur. Quo illa pacto, ut contendit *Erastus* & hinc *Sennèrtus,* tùm temporis ad *Facultatem Naturalem Expultricem* se adjunget? Vires corporis longinquitate morbi atteruntur ita, ut homines & mente laborent & corpore. Hi autem morti jam proximi, plerunq; recidunt in *Epilepsiam.* Somno etiam quasi sopita est *Facultas Animalis Motrix.* Dormientes igitur pueros sæpè arripit hic morbus, vermibus morsu intestina lacerantibus. Ac primùm alterutrum latus, tandem cunctum corpus, interdum unicum membrum, vel pes sinister vel dexter maximè convellitur.

Nec in eo valdè mirum cuiquam nunc visum erit, dolore moto, *Facultatem Naturalem Expultricem* in tàm privatis, in tàm remo-

tis

tis partibus corporis ita irritari, ut *convulſivus motus* ubiq́; exiſtat. Tanta eſt cognitio illius *Naturalis Facultatis Expultricis*, quam habent membra, tùm quæ *motu Animali* gaudent, tùm quæ eo carent. Tantum quoq́; conſortium *Muſculorum Corporis* ipſe *Galenus l. 1. de motu Muſc.* ſignificat. *Hippocrates* non ſemel tradit, læſo *muſculo temporali*, adverſum latus malè affici. Quâ de re diſputant *Berengarius*, *Hollerius*, *Ballonius*, *Jacotius*, *Cæſ: Magatus*, *Duretus*, *Hofmannus*. Exemplum affert *D.D. Bartholinus Cent. 5. Obſerv. 3.* Item l. 4. obſ. 3. *Nicolaus Tulpius*. Cæterùm ipſum *Hippocratem Epid. l. 7. Sect. 1.* interpretatur *Proſper Martianus*, etiamſi, *inquiens*, in hac ſententiâ id paralyſi tribuiſſe Hipp: videatur, Convulſioni idem convenire & quotidiana experientia demonſtrat & ipſemet Hipp: teſtatus eſt, ſect. 3. lib. Coac. verſ: 109. ubi ita legimus: *quibus timpora ſecantur, convulſio ex contrariis ſectioni partibus oboritur.* Res quippe omnium, quæ in arte contingunt, difficillima & quæ doctiſſimos quosq; viros vehementer exagitavit. Ego autem, dum hanc materiam animo evolverem, conſiderabam convulſiones, ex capitis percuſſionibus contigentes, in oppoſitum fieri, è contrà verò, quæ ex partium infra caput exiſtentium læſione oriuntur, quotiescunq́; alteram tantùmmodo partem infeſtant, ſecundum læſæ partis rectitudinem excitari. Ita Scamandro in Lariſſa contigit, cujus hiſtoria l. 5, epid: verſ: 98. regiſtrata fuit, huic enim exuſtione in coxa à Chirurgo perperàm adminiſtrata, à qua ſphacelum contraxit, factæ ſunt convulſiones in eodem latere primùm, deinde verò factâ mali propagatione, in utroque. Cauſam ſubticuit. Ob id quidem exponit diſtributionem venarum. At ego arterias Cerebri in nervos transmutari paulò ſuprà demoſtravi. Dein monſtrat Paralyſin ſemper in oppoſitum fieri ac hoc in loco teſtatur Hippocrates: veruntamen modò brachium ſolum apoplecticum fieri cæteris partibus illæſis omninò permanentibus, quod menſibus elapſis obſervatum eſt hîc Romæ in Rev. Patre Ordinis prædicatorum, Monſterii S. Sabinæ, qui in ſummitate capitis ab incidente gladio percuſſus vulnere ad Cerebrum penetrante brachii oppoſiti ſenſum & motum ſtatim amiſit, quod

unde-

undecim dierum ſpatio, quo vulneratus vixit, immobile ſemper fuit. Aliis crura reſoluta fuiſſe, obſervatum eſt: quemadmodum proprio nepoti ex ſorore contigiſſe mihi retulit admodùm excellens D. Ludovicus de Monticulis, quod etiam alii oculati teſtes mihi confirmarunt. Ille igitur cum in oculi ſiniſtri angulo vulneratus fuerit enſe acuto, qui uſque ad calvariam poſteriorem penetravit, crus dextrum tantummodo reſolutum eſt, & quamvis ex vulnere ſanatus fuerit, integra etiam remanente viſione, nihilominus cruris motum nunquam recuperavit. Idem militi cuidam contigiſſe narravit mihi D. Jubentius de Angelis. Nam cùm à plumbeo globo per ſclopetum trajecto illi Cerebrum transfoſſum eſſet, crus vulneri oppoſitum reſolutum, nec, à vulnere miraculo ſanatus, motum cruris recuperavit, unde in poſtremum clauſus permanſit. Hæc non poſſunt ſecundum vulgarem opinionem de nervis explicari, ſed poſſunt ſecundum Praxagoræ opinionem, ſcil. arterias Cerebri mutari in nervos. *Hæc ille.* Quam rem *Syneſius l. de Inſomniis* latenter tangere videtur, non ſecus, *inquiens*, atq; in nobis viſcere aliquo malè affecto, aliud eodẽ modo afficitur: ac digiti etiam morbus in Ingven decumbit, tametſi quæ interjecta ſunt multa, nihil mali ſentiant. Sunt enim unius animalis partes, ineſtque in his potius, quàm aliis quædam ad ſe invicem affectio. *Nam Nicephorus Gregor. Patriarcha comm. in Syneſ. ad hunc modum:* Vidi ipſemet aliquando puerum quendam, cui cùm ſagitta nervum (νεῦρον τοῦ αὐχένος) cervicis percuſſiſſet, contigit, ut inde pes alter torpore (νάρκη) corriperetur & permaneret in reliquum tempus inſanabilis morbus; & cùm pes alter ætatis progreſſu creſceret, hic alter in ea tenuitate & brevitate, quâ tunc fuerat, conſiſteret ſuſpenſus, inutilis & otioſus, tanquam pondus inanimum. Itaque dubitatione afficiebat eos, qui cauſas & rationes non intelligebant, quo pacto cùm manus propior eſſet, pes autem procul diſtans condoluiſſet. At verò qui cum rationis judicio conſiderant res mundanas, pleraque his ſimilia reperire poſſent. Neque enim eundem ſentiunt dolorem omnia corpora, neque omnes corporis artus, ſed id tantùm corpus, quod ad patiendum naturâ comparatum eſt: & ea corporis pars, quæ ad condolendum apta eſt, & quando & quomodo uſu venit. *Hactenus*

autor. Sunt hæc oppidò rara cognitu. Illiusque *Paralyseos* causam reddere, animus non est. De *convulsivis Epilepticisq;* motibus sermonem institutum habebimus.

Convulsionem quoque *Paralysi* aliquando junctam esse & vetustiores & juniores tradidére, ut *Hippocrates*, *Galenus*, *Avicenna*, *Jacobus de Partibus*, *Peter Salius Diversus*, *Joh. Heurnius*, *Erastus*, *Dn. D. Th. Bartholinus Centur. 4. Obs. 3. Schenckius.* *Memini*, inquit com. Aph. 2. l. 5, *Cardanus*, *me vidisse virum strenuum, qui in monomachia, effosso oculo sinistro convulsus & resolutus est in parte dextra & evasit.* Si Cerebrum, illato ictu, simul afficitur, *Paralysis* potest excipere *motus convulsivos.* Hi tamen possunt fieri, illæso *Cerebro.* Coxâ ulceratâ, *Hippocrates* testatur & sanum latus fuisse convulsum. *D. D. Sennertus quidem aliter sentit:* In spasmo, utpote in quo caussa saltem circa partem affectam & in loco privato hæret, Cerebrum & sensus integri sunt: in convulsivis verò motibus *Cerebrum sæpe simul* afficitur, unde etiam *sensus ferè simul* læduntur. Et convulsivi motus ferè accidunt per partium aliarum consensum, materia ab utero, ventriculo vel aliâ parte Cerebro per *nervos* communicatâ: quæ cum à Cerebro rursum excutitur, & in *nervos* expellitur, nunc hanc, nunc illam partem vellicat, atque inde variorum membrorum concussio & agitatio excitatur. Et quidem si materia hæc ad *principium medullæ spinalis* mittitur & æqualiter totam occupat, tunc æqualiter universum corpus convellitur, & tam dextræ, quàm sinistræ corporis partis membra concutiuntur. Malumque hoc omnium gravissimum est, præcipuè si aliquid materiæ adhuc in *Cerebro* hæreat, unde & partes capitis convelluntur & sensus afficiuntur. Si autem dextram saltem vel sinistram corporis partem petat, motus convulsivus tantùm in dextra vel sinistra parte accidit. Si verò non ad *principium spinalis medullæ*, sed ad nervum privato alicui membro inservientem materia mittitur, motus etiam convulsivus fit saltem in privato illo membro & nunc brachium, nunc crus, nunc manus concutitur. Et si magna materiæ efficacia vel copia sit, membro è directo posito per communes nervos communicatur. Aliquando etiam, ubi causa mali in privato aliquo membro generatur, cum ea agitari incipit, primùm illa pars motu

con-

convulſivo corripitur, poſteà tamen materia per *nervos Cerebro communicatur*, & hinc ad *principium ſpinalis* medullæ protruditur, unde *univerſum corpus* motu convulſivo prehenditur, aut certè latus è directo loci affecti ſitum. *Et paulò poſt:* Si cum toto corpore *faciei quoque muſculi* convelluntur, & unà ſenſus interni afficiantur, Cerebrum ipſum affectum eſt; ſi verò ſenſus omnes conſtent, neque *faciei muſculi* convellantur, verùm totum corpus afficiatur, Spinalis Medullæ principium laborat. *Similiter P. 2. c. X. de morbis puerorum.:* in epilepſia cerebrum magis afficitur, & propterea omnes totius corporis partes convelluntur, & ſimul omnes ſenſus interni & externi abolentur; motus tamen ille depravatus non ita diu durat, cùm Cerebrum id, quod moleſtum eſt, omni conatu excutiat. In convulſione verò cùm *materia* circa ſpinalem medullam & *in muſculorum exortu conſiſtat*, omnes partes ita non concutiuntur, neque *animales actiones cæteræ læduntur.* Malum tamen hoc pertinax eſt. *Et paulò ante:* monſtratum fuit, epilepſiam nullo modo à pituita provenire, ſed potius ab occulta & acri, cerebrique membranas peculiariter infeſtante qualitate. In Pueris quoque ſemper διάθεσις epileptica concurrat. Eam teſtantur *fœda illa ulcera* & tuberculi, quæ infantibus interdum *in capite* oriuntur. *Ac quoque libr. 1. Prax. cap. de Epilepſia:* Convulſionis cauſæ ſunt *humores:* quia tamen tales humores in multis abundant & cauſæ tales multis obtingant, quia tamen convulſionem non patiuntur: procul dubio occultam aliquam diſpoſitionem *nervis* inimicam humor acquirat, neceſſe eſt, antequam convulſionem pariat, ſimilem illi, quæ epilepſiam generare ſolet. *Et eo c. de epilepſia ſubjungit:* dantur multi morbi, in quibus tales humores & inde exhalantes vapores ad caput adſcendunt, ut *Lues venerea, febres malignæ multæ, venenatorum animalium morſus*, quibus tamen & aliis pluribus epilepſia non conjungitur. Ideoque ad Epilepſiam generandam „ non ſufficit, ut vapor ſit acris, mordax, malignus, ſed *peculiaris* in eo „ *qualitas* & *ſpecifica proprietas*, quâ membranis Cerebri & nervoſo „ generi peculiari modo infeſtus eſt & omninò *διάθεσις epileptica* in „ eo requiritur. Quæ autem illa ſpecifica ſit malignitas & διάθεσις „ Epilepſiam excitans, explicare in hac naturæ obſcuritate impoſſibile

bile est. *Ac initio Cap. de Epilepsia:* Contagiosum morbum antiquitas credidit. Hinc Plinius l. 28. c. 4. despuimus comitialis morbus, hoc est, contagia regerimus. Plautus in Capt. Act. 3. Sc. 4. Isti, qui sputatur, morbus interdum venit. Quæ omnia nobis quàm minimè probantur. *Hæc autor.*

Vincentius Alsarius à Cruce illum locum *Plauti* dilucidè interpretatur: Illis verbis quid sibi voluerit Plautus, docemur à Plinio lib. 10. cap. 23. Fuit siquidem olim consuetudo, quæ & adhuc hodiè viget apud vulgares homines & mulierculas, ut si quid exorandum vel audirent vel inspicerent, quod sibi evenire nollent, in terram despuerent, velut abominantes, persuaserant enim sibi superstitiosi veteres, desputationem esse remedium non leve adversus ingruentia mala & adversus comitialem morbum, quâ superstitione etiam contra fascinum ter in sinum expuere solebant, ut in quodam meo de invidia & fascino libello Lucæ olim in media adolescentiâ edito ostendi. *Ex eadem sententia* & *Thomas Grossius* rem exponit. Nunc ad reliqua.

Nulla hîc agnoscitur διάθεσις *epileptica*, eam nec *capitis ulcera* testantur nec contagium. Nec nos movet, quod scriptum reliquit *Georgius Bertinus: Puer integrè sanus & minimè invaletudinarius* (epilepsiam) *morbum esse totius substantiæ & venenatum expertus est, qui cum post ægrum epilepsia laborantem in eodem cyatho bibisset, hujus morbi contagione statim correptus est.* Hic puer anteà fortè perterritus fuit. Multa plerunque omittuntur, quæ verò scire interest. Nec *Helleborus*, uti quidem *cap. de convuls.* loquitur & sentit *Sennertus*, *maligna qualitate nervos stimulat & lacessit.* Nam omnia valentiora purgantia hunc *comitialem morbum* creare poterunt. Rectè *Helmontius l. de Flatibus:* Paracelsus nescivit hoc loco cujuslibet veneni, etiam specie amicâ, purgantium exhibiti, illam esse proprietatem, ut Archeum commoveant, ejusque Blas concitent, juxta Aphorismum: *Spasmus post helleborum lethalis.* Eodem loco *Sennertus* quoque *Colocynthidem* & *Mercurialia* pharmaca dicit. Certè inquit *Thomas Erastus*, *ex usu Antimonii non paucos convulsos scimus, qui mortui tamen non sunt.* Talia sunt naturæ humanæ teste *Galeno l. 2. de victus ratione in morb. acut. com. 17.* admodùm adversa. Inde incitatâ *stomachi, intestinorumq; facultate expul-*

pultrice naturali similis vis partium *motu Animali* gaudentium ita irritatur, ut *epilepsia* tandem arripiat hominem. Similia exempla suggerunt *Fernelius*, *Valleriola*, *Forestus*. Nec *apium* & reliqua Cibaria tam occultâ vi faciunt *morbum Comitialem*. *Apium* definit *Job. Bapt. Montanus conf. 39.* unde hæc sumsit *Sennertus*. At ipsis in cibo dat Epilepticis *Galenus*. Ob eandem herbam quoque jure *Avicennam* redarguit *Leonhardus Jacchinus*. Nec certè (ut contendam ad ea, quæ restant) desunt, qui *febribus* jactantur, qui attentantur *Lue Venereâ* & *morsu venenati animalis* ægrotant graviter; qui iidem in *epilepsiam* interdum cadunt. Eamq; ex illa Lue ortam *cent. 6. obs. 23.* describit Clariss. Dn. D. *Thomas Bartholinus*. *Variolis* & *morbillis* erumpentibus, pueri in *morbum comitialem* sæpissimè delabuntur. Nonnunquam verò in eum haud implicantur. Nec mirum. Nam nunc humor est admodum acer, nunc verò mitior, nunc multus, nunc paucus, nunc citius pellitur, nunc cunctantiùs; aliquando is ad membranas aut ad alias partes ejusmodi injuriarum haud perferentes diutiùs hæret. Tanto doloris cruciatu, *vis expultrix naturalis* inde etiam in *musculorum* corporibus ex longinquo irritatur. Ante omnia etiam *proprietas Naturæ* est attendenda. Quidam infantes leviter ægrotantes, in hunc morbum cadunt. Plerunque & propè naturaliter *facultas animalis* est infirma, *expultrice facultate naturali* tantò magis importunâ. Facilè in iis *Facultas naturalis expultrix Animalem motricem vim* expugnare potest. Quid multis moror? Omnes infantes ad epilepsiam sunt proclives, nonnulli tamen naturâ magis propensi. *Sennertus* itaque iterum fallitur, illi quoque decipiuntur *Chymici*, qui eum humorem nunc *Sulphuratum*, nunc *Mercurialem*, nunc *Vitriolatum* cognominandum ducunt. *Convulsio*, inquit *Sennertus*, *est ab humore crasso & tenaci, ac propterea pertinaciùs nervis adhærente*, *convulsivus motus ab humore vaporoso, seroso & bilioso*. Rursus frustrà est *Sennertus*. Cur non humor crassus & tenax potest esse salsus, acer, ac *biliosis* aut *serosis* liquoribus mixtus? Similiterque judicat, *motus*, inquiens, *ille convulsivus aut illi potiùs similis affectus*, *qui sub primum somnum accidit, oritur à vaporibus quibusdam acribus*, *â ventre inferiore ascendentibus & principium nervorum vellicantibus*, *sed qui statim evanescunt*. Hujus somniculosæ *convulsionis* mentionem ante *Sennertum* plures

fecerunt, ut *Thomas Erastus*, *Vin. Alsarius à Cruce*, & *Comes Montanus.* Hic tamen sentit rectiùs, *vim expultricem naturalem* tantùm memorans. Eo levis *convulsionis* genere plerunque tentantur ii, qui vulnera acceperunt aut artuum jam opprimuntur doloribus, aut qui curas nequeunt abjicere, ad dormiendum profecti. Tam inquieto animo, vis *expultrix naturalis partium motu animali gaudentium* facilè se commovet, at se subitò reprimit, ubi expergiscitur homo. Quo modo *vapores inferioris ventris principium nervorum*, Cerebri medullam conglobatam *vellicare* poterunt? Et cur non *medii ventris vapores?* cur non *vapores supremi ventris*, *caput* dico?

Nec *Sennertus* naturam *Incubi* exponit hisce: *Et quidem posteriores Cerebri meatus, qui ad spinalem medullam tendunt, incubo inprimis obstruuntur. Obstructio autem ista non fit ab humore, sed à vapore crasso saltem. Nam malum hoc citò fit & citò desinit.* Ille morbus est potius species privatæ *convulsionis*, quâ *thoracis musculi*, homine somnum adhuc capiente sic afficiuntur, ut respiretur laboriosiùs, *Imaginatione* illudente. Et Epilepsia nonnunquam magis nocturna est. *Nuper*, inquit l.7.cap.47. Vincentius Alsarius à Cruce, *ego medicinam feci studioso, qui quidem interdiu nunquam, noctu verò haud infrequenter comitiali corripiebatur accessione.* Frustrà *Fernelius* Plethoram, cacochymiam circa præcordia hærentem, *Rondeletius*, *Sennertus* obstructionem meatuum cerebri, *Incubo* infestante, accusant. Musculi, quorum operâ movetur *thorax*, laborant. *Incubus* interdum comitatur, interposito tempore, *Epilepsiam. Memini*, inquit l.5.c.16. Vincentius Alsarius à Cruce, *me légisse apud Galenum in lib. de us. part. Ephialtem esse veluti quandam in somno epilepsiam, cùm eadem perpetiantur incubo affecti, dum quiescunt, quæ comitiali morbo correpti, dum vigilant, Ætio & Paulo testibus. Ac ab Ætio dicitur præludium Epilepsiæ.* Utroque morbo *Respiratio* impeditur & *vox* quoque redditur incondita. Peritè l. 6. c.27. *Idem autor subjungit hæc:* Impotens vox, quæ interdum auditur in Comitiali insultu arreptis, nil aliud certè est, quàm sonus quidam extraneus absque ullo prorsus concentu vel ordine prosiliens, ob difficilem aëris expirationem à *musculis intercostalibus convulsis* progenitus, qui boatus cujus-

cujuſpiam ſimilitudinem habet. *Hæc ille.* Similem certè vocem profundit & is, qui *Incubo* corripitur jam vigilans. Incubus, *inquit Cent.1. Obſ.54. Johannes Rhodius*, per vigilias invadit. Alexander Maſſaria Celeberrimus Patavii Prof. Med. incubo extra ſomnum gravabatur. In medio itidem contubernio juvenis Germanus etiam excitatus à ſomno, de hoc malo plurimum conquerebatur. Idem Bernhardo Gordonio à Nic. Florentino vulgatum ceu rariſſimum monet Marcellus Donatus Med. hiſt. l. 11. c. 4.

Idem *Sennertus* ſuperiore verborum contextu latenter, ſat manifeſtè alibi *Epilepſiam* confitetur, ab *aura* quadam in *Cerebrum* nitente, ortum aliquando ducere. Tale quid à *Galeno* in ſcriptis relictum eſt. Quod mox recentiores diſcrepante aſſenſione vulgant. At id *Comes Montanus* profitetur oppidò quàm raro fieri. Illa *aura* in *Cerebrum* vel *Spinalem Medullam* per *venas* aut per *nervos* ægrè perveniet, ut *l. de Cat. 2.* monſtratum eſt. Ægris *aura* videtur adſcendere, non autem reverà extat, nec eo contendit itinere. Primùm levis quædam *irritatio* in digitis pedis vel manus fit, dein in eodem membro invaleſcit, ut illa etiam medium aut ſummum artus occupet. Ob id æger ſibi *aura* advolvere videtur. Ac ratio hominis, inſtante jam *motu convulſivo*, plerunque alienatur. Quæritur etiam, *inquit Diſput. de Convulſ. Thomas Eraſtus*, cur abſque delirio aliqui convelli videantur? Si enim convelli putantur, in quibus Cerebrum aliis partibus compatitur. Reſpondeo, nunquam fieri, ut aliquis citra omnem imaginationis læſionem convellatur, niſi cùm mali cauſa in ſolis muſculis conſiſtit. Nam qui propter conſenſum nervorum uteri aut ventriculi convelluntur, ſi attentè obſerves, prorſus videbis eos malè imaginari. Vidi nobilem mulierem tetano & puerum Opiſthotono affectum (illa convaluit, hic periit) multas etiam, uteri vitio & alios ex vulneribus convelli: at illæſam prorſus imaginationem non vidi. *Hæc ille.* *Aberrabat*, inquit Obſ. Decad. 5. c. 1. de Spaſmo abdominis Phil. Hechſteterus, *nonnihil in paroxyſmo mens.* Atque *Heurnius* eundem morbum *l. de morb. cap. c. 15.* exequens, ægrum ait *mente in paroxyſmo exui.* Ac meis libris ſæpè dictus Dn. Mag. *Sperlingius* ob urinæ ſuppreſſionem *motibus convulſivis* tentari cœptus, pedi ſuo convulſo querebatur ſubjacere *felem,*

lem, ob eam se vestigium ponere non posse. Hanc subinde execrabatur. Cæteroqui sanæ mentis erat. Similem ejus diminutionem *Nicolaus Tulpius l.1. Obs. c. 9.* enarrat. Ac amputatis membris extremis, homines quoque leviter delirare solent. Rei causam quærunt *Michael Doringius cent. 3. observ. 15.* ac *Gulielmus Fabricius Hildanus.*

Quâ ratione autem *Sennertus in convulsione* censet *animales actiones cæteras non lædi?* Materia non potest circa *Spinalem Medullam* hærere. Nullum inibi sentiunt ægri dolorem. Nec humor aut vapor per eam sursum repet. Ac pueri & alii quàm sæpè *motibus convulsivis* opprimuntur, omnibus ad unum sensibus amissis. Malumque à *vermibus intestinorum* tunc oritur. Et quo pacto materia *in musculorum exortu* (hisce verbis utitur Sennertus) *consistere poterit?* Hic, quæso, quàm varius est? Eum quo modo humor aut vapor usquequaque occupabit? Quid in unaquaque re hîc sit erroris, cur non judicemus?

Nunc *Sennertus* eodem superiore loco *nervos* perquàm studiosè memorat. Equidem haud inficior, iis violatis, motum convulsivum corporis concitari posse. Irritatur quidem inde *Facultas Naturalis expultrix*, quæ duabus membranis inest, ex quibus constant nervi. At ipsi ceu habenæ musculos haud adducent nec remittent. Ita etiam à *Galenicis* edoctus fuit *Helmontius.* Nam nervi, *inquit Thomas Erastus, nequaquam musculos movent, sed imperium deferunt solum & ob id convulsionis subjectum primum ii non sunt. Deinde ii neque copiâ differti neque vacuatione depauperati sic decurtantur, ut musculos contrahere possint.* Nec aliud *Gulielmo Rondeletio* visum fuit. Ast *Sennertus Nervorum principium propè Spinalem Medullam* ait *vellicari.* Hi si tam violenter commoverentur, ii, occupante corpus *Epilepsiâ*, penitus dispararentur. Atque hæc ipsa & *Erasti* sententia & *Galeni* est. Sæpiùs tamen comperi vel occultari eam vel quoq; ignorari interdum. Cujusdam *illustrissimæ Personæ* filiolus *Epilepsiâ* subinde attentabatur. Medicus persenex barbâ admodùm promissâ, istius pueri palmam eo temporis momento, quo repetebat morbus, attingens, profitebatur posteà, se *nervos* illius manus valdè agi-

tatos

tatos deprehendisse. Illos pro corporis teneritate fuisse tenuissimis filamentis similes. Perspicuè falsus erat. *Lucretius libr.6.*quidem:

Corripere assiduè nervos & membra coactans,

Et rursus:

Desipit, extentat *nervos*, torquet, anhelat.

C. Celsus quoque rigorem *nervorum* dicit. Sed rei Medicæ peritum fore arbitror neminem, qui nomen *nervorum* hoc loco audierit, quin illo intelligat prodi *tendines musculorum.*

Sennertus etiam nescio quo modo persuasum habet, humorem tereti *nervo*, ceu tramite quodam in *Cerebrum* ferri, referrique eâdem viâ in reliquas partes corporis. Sit humor vaporis instar tenuis,at is quo modo à *Cerebro* allici potest? Ac quàm flexuoso itinere *Nervi* hinc inde trahuntur? Idem autor,*Sennertus,labrorum & faciei musculis* convulsis, *Cerebrum* ipsum tradit humore repleri vel vapore. Nuper infans dormiens *epilepsiâ* vexabatur. *Faciei musculi* & *labrorum* vehementer torquebantur. Insequenti die duo grandes *vermes*, poto *cathartico* medicamine, per alvum excernebantur. Posteà is & ingenio benè valuit & corpore. Ex quo potiùs intelligitur, musculos fuisse convulsos, illæso *Cerebro*. Apud *Schenckium* illa *observatio* legitur: *particularis epilepsia sine omni capitis offensa animadversa:* observatum hoc etiam est à Medicis,morbum hunc in aliquibus à particularis cujusdam membri (brachiorum,pedum, digitorum,humeri,spatularum) convulsione sæpè incidere,tametsi nihil ex iis ad Cerebrum adscendere percipiebatur. *Hactenus Thomas Erastus.*

Hic verò *autor Disputatione de Epilepsia* Epilepsiam contendit morbum *ventriculorum cerebri* esse. Ac *Comes Montanus motum illum in Epilepsia* ait *fieri ob cerebri ventriculorum obstructionem.* Contra Erastum, *inquit*, nego motus epilepticos à spiritibus & à facultate animali provenire, ast assero à concussione Cerebri oriri. *Et rursus:* Epileptici motus fiunt & à concussione Cerebri & ab obstructione Spinalis Medullæ. Indé *ex eadem nota D. D. Sennertus:* Cerebrum in Epilepsiâ laborantibus *concutitur*, & quidem, ut humorem vitiosum *excutiat*, quod in infantibus Epilepsiâ

Ii manu

manu capiti applicatâ ſæpè manifeſtè deprehendimus: *Iterum:* per membranas Cerebrum ſentit acrimoniam, hinc *vellicatum Cerebrum* ſeſe cum nervoſo genere *concutit*, atque id, quod moleſtum eſt, *excutere* conatur. Ait *Cerebrum* quoque *contrahi* & *conſtringi.* Ejuſdem ferè generis illa ſunt, quæ ante *Sennertum* edocuit *Johann. Baptiſta Montanus Lect. in Rhaſ. cap.7.* oſtendimus, *inquiens*, heri principaliter eſſe in Cerebro Epilepſiam, non in ſubſtantia ejus, neque vaſis vel membranis, ſed in ventriculis. Dico, quod ventriculi Cerebri lædantur, quia contrahuntur & concutiuntur motione involuntaria facta à cauſa præter naturam. Quod autem talis contractio & concusſio fiat, videatis omnes antiquos, Hippocratem, Galenum, loquentes de hoc, tùm ex his etiam, quæ apparent, id manifeſtò patet, quia nunquam videtis epilepſiam ſine contractione illa omnium membrorum, nervorum & muſculorum, quia cùm habeant chordas & villos à nervis productos, & nervi à nucha, & nucha à Cerebro, quædam continuitas fit, ita, quòd nervi æqualiter convellantur. Itaque ineſt principii nervorum hujuſmodi concusſio. Ex his ergo quæ apparent, dixerunt contractionem eſſe Cerebri, argumento ſumpto ex hoc, quia nervi omnes patiuntur, & nullum habent affectum in ſe, ſed conſenſum tantùm à ſuo principio. Cùm ergo convellantur, eodem modo convellitur Cerebrum ſive principium. Exemplo catenæ habentis annulos multos, ſi moveritis principium ad motum primi annuli, omnes moventur: ita ad motum Cerebri ſequitur motus omnium nervorum: ſed in hoc advertatis, ut diſtinguatis ſpaſmum ab epilepſia, quia non eſt ratio æqualis contractionis, cùm attrahitur motu epileptico, & quando fit ſpaſmus (loquor autem de ſpaſmo, qui fit ab inanitione vel à repletione, non autem de non proportionatis ad materiam): quia cùm fit ſpaſmus verus, neceſſaria eſt illa contractio nervorum, nihil operante voluntate, ſive abbrevietur longitudo & dilatetur latitudo, ſive utrumque abbrevietur. Sed in contractione Cerebri concurrit aliquo modo voluntas, nec purè involuntarius eſt motus iſte, ſed irritatur voluntas, cùm percipit oppilationem & nocumentum in ventriculis, ut mateteriam excutiat, ita, quòd materiam habet præter naturam. Et miſtus

ſtus motus eſt, participans violenti & voluntarii, quia coguntur ventriculi ad expellendum & voluntas, cùm irritatur, contrahit, inquam, ventriculos ad expellendum. Motus verò ſpaſmi veri involuntarius eſt. Jam ergo videtis, Symptoma hoc eſſe in Cerebro & ventriculis,& ſimiliter quid ſit & cur fiat: quia finis hujus contractionis eſt intentus à natura, ut expellat illud nocumentum. *Hactenus autor.* Nonne hic & hujus aſſeclæ irridendi ſui dant facultatém? An *ventriculi Cerebri* nunc *motione involuntariâ*, nunc *voluntariâ contrahuntur?* An quoque *concutiuntur?* Ait in *Epilepſia* & *in iſta contractione Cerebri concurrere aliquo modo voluntatem.* Excute tuam intelligentiam,& expone *illum aliquem modum.* An tuos *Cerebri ventriculos*, quò vis, ceu digitos flectere, diducere, comprimere & contorquere poteris? Illi ventriculi Cerebri, quod, quæſo, muſculorum genus nacti ſunt? Quæ nunc affert *Sennertus?* Hic & in Inſtit, l.2.Part.3. S.2. c.4. Epilepſiam ait *eſſe totius convulſionem & ab humore Cerebrum vellicante per conſenſum evenire.* Itemq;, *à materia vaporoſa & malignâ Cerebrum, nervoſumq; genus vellicante & moleſtante Epilepſiam excitari.* Illa quoque omnia abjudico, abjicioque prorſus omninò. Ac prima videamus. Infantis vertex quidem patet,ac iſte hiatus nominatur *Fontanella.* Hæc ad tactum palpitat,manu admotâ. Sed ille motus non *Cerebri* eſt, ſed ſanguinis, quem continet ſinus proximè ſubjacens *Falciformis.* Aggravante *Epilepſiâ*, ſanguis tanto niſu tàm impetuoſè, tàm varieque agitatur. Et hoc eſt, quod *Theophraſtus Paracelſus* exiſtimaverit, *cor* maximè laborare. Surgente facultate *expultrice naturali*, *facultas expultrix* in ſanguine reſidens etiam aliquando incitatur. Nonnunquam intercurrit Lipothymia & *Syncope.* Quare dehiſcens *vertex infantis* nunc turget,nunc concidit. Idem, *febre* infantem ſimul urgente magis palpitat,tandem facit ſcrobiculum, morte appropinquante. Cerebrum ſane quàm molliculum membrum penitus ineptum eſt ad motum. Quam in rem audiendus eſt *Gaſpar Hofmannus.* Quapropter idem Cerebrum nec ingruente *Epilepſiâ* movebitur. Illudque etiam D.*Doct.*D.*Senn: Thomas Eraſtus*,& *Comes Montanus* humorum injuriis laceſſi volunt. Nec hoc commovebitur,irritatis membra-

nis. Nec hæ ipſæ, ut *Dura* & *Tenuis meninx* agitari poterunt, & ad *Cranium*, & ad *Cerebrum* uſquequaquè adnexæ. Illæ autem quæ *ventriculos Cerebri* veſtiunt, dividuntque, ac quæ iſtud fingunt *infundibulum*, quàm tenues ſunt? Quàm facilè violari poſſint? Sæpè ſublatâ Cranii vitiati portione, *membrana Cerebri* cognomento *dura* conſpicitur. Si ea inclementiùs tangitur, homini incidit *epilepſia*; nec tùm videmus vel agitari illas *membranas* vel eo modo vellicari. Aliquando quidem, ſanguine intercurtente, diſtenduntur. Nullus verò illarum tunicarum proprius privatusque agitatus unquam deprehenditur. Ad hæc diſputata aptè cadunt verba *Thomæ Eraſti Diſput. de Epil:* liqueat, quæ pars Cerebri in Epilepſia præcipuè afficiatur. Non ſunt venæ nec arteriæ, quod alium in Cerebro uſum non habent quàm in partibus corporis omnibus obtinent. Ratio par eſt membranarum. Etenim extra Cerebrum munimenti gratiâ cùm ſint nervis datæ (quod Galenus in 7. de Plac. Hipp. & Plat. luculentè demonſtrat) intra calvariam quoque alium uſum Cerebro non præbent. Quod ſi vaſorum explantationi etiam ſervire dicantur, nihil hoc attinere ad præſentem cauſam reſpondebimus. Quod nec Cerebri ſubſtantia, quod pars ſimilaris eſt, princeps & proxima cauſa ſit prædictarum actionum, eodem in loco Galenus præclarisſimè probat. Confirmant idem experientia vulneratorum in capite, itemque ſectiones animalium vivorum. *Nunc verò hic autor ea ſubjicit:* Epilepſiam eſſe morbum inſtrumentalem & ſine Cerebri intemperie nonnunquam repentè invadere, nullus eſt, qui neſciat. Adhæc toties nominatas actiones Cerebri omnes gravisſimè lædit, temperie ejuſdem illæsâ permanente. Quocirca rectè, firmeque concludemus, Epilepſiam morbum eſſe ventriculorum Cerebri, non autem reliqui corporis ipſius. Ergo nihil aliud fuerit, (quoad pro morbo nomen hoc uſurpatur) quàm inſtrumentalis Cerebri ventriculorum morbus à ſubſtantia mordaci, alitervè inimica cerebro excitatus, in quo propter impetum ac concitatiorem motum Cerebri, noxia volentis excutere, mens cum ſenſibus læditur, & totum corpus inæqualiter quatitur. *Hæc autor.* Hic in parte aliquâ ſentit verè, in parte aberrat. Nec me fallit, quàm ſæpè â vitio partium *Capitis* aut *Cerebri* oria-

tur

tur *Epilepsia.* Sæpè, *inquit* superiore loco *Prosper Martianus,* observatur, si in vulneribus capitis cum ossis fractura aliquod ejus frustum, quantumvis exiguum. in vulneribus relinquatur, quod Cerebri membranam pungat, statim convulsiones invadere, quæ ossiculo detracto, è vestigio cessant. Hæc ille. *Fernelius* l. 5. c. 3. est locupletissimus testis, de *carie Cranii* natam esse *epilepsiam.* *Octavius Albertus,* inquit apud Schenckium Neretus Nerutius, *dolore capitis ac destillatióne tenui vexabatur cum exiguâ convulsione cervicis ad posteriora. Hunc defunctum comperimus aquæ cochlearia tria collegisse inter duram menyngem ac Cerebelli posteriorem sedem.* Si tunicæ Cerebri, illa pellicula *Pericranium* dicta, istæ membraceæ exilitates in *Diploe* seu in Cranii *meditullio* ut vocant, repertæ, carie Cranij læduntur, *epilepsia* quoq;, illæso *Cerebro*, potest invadere. Fit inibi tantùm irritatio, & quasi intervallata. Nam si sangvis plagâ illatâ, suprà *Meninges* collectus Cerebrum vehementer urget, *Epilepsia* raro sine intermissione vexat hominem, sed nunc ægrum deserit penitus, nũc eum rursus, ast interdum, horario spatio interjecto, occupat. Idq; meis sæpius notavi observationibus, quas etiam vulgare, animus est. Cæterùm humor (eâ de re quoq; locus est) vel vapor dolorem faciens, non est *Cerebri* proprius & privatus, sed est ille, quem influens sangvis secum tulit. *Cerebri* purgamenta non separatim cogũtur. Illo *Epilepsiæ* morbo quàm sæpè arripitur homo, ac quàm citissimè liberatur? Æger dicto citiùs resipiscit, per seipsum consurgit, inambulat, ridet, nihil de capite queritur, ut antè, compos mentis est, rursus vitæ munus exequitur ac ceu sanissimus agit negotia. Si *Cerebrum* vel ratione *temperiei* ut loquuntur, vel ratione suorum *ventriculorum* offenderetur, tàm citò æger ad se redire haud posset.

Ut cujusque membri, ita etiam partium capitis dolor hoc morbi genus creat. *Statuendum,* inquit laudato loco Prosper Martianus, *est quæcunq; facultatem nervosis partibus insitam irritare possunt, ea omnia convulsionis proximam causam fieri.* In eum numerum *& affectus animi* omninò admittantur. Eo nomine apud *Galenum l. 5. de locis aff: c. 6.* commemoratur *grammaticus quidam juvenis, quoties nimis vehementer doceret, aut cogitaret*

aut inediam sustineret aut irasceretur, comitiali morbo corripiebatur: quemadmodum apud *Joh: Bapt: Montanum in consil: Med. 41.* duo qui (*sunt autoris verba*) ex animi affectibus inciderunt in hunc morbum, isti tamē in victu erāt parcissimi, non erant excrementosi, tantùm ex animi affectibus venerein talē ægritudinem, & ita dico, quod potuit ista causa concurrere. Sed quod principaliter est causa, est materia crassa, ita, quod dicerem, morbum esse materialem. *Peter Forestus* quoq; mentionem facit cujusdam, qui *simul audiebat pueros tubâ tortili intonantes, in epilepsiam* implicabatūr. Nonnulli quoque ceciderunt vel hominem decollandi artificem vel alium *epilepsiâ* jam laborantem, de improviso intuentes. Scio quendam similiter vaccam isto morbi genere oppressam conspexisse & eodem quoq; arreptum fuisse. Quid multa? Sat compertum est, *terrore mœrore* & *irâ* homines in hunc *morbum comitialem* delabi. *Erastus, Unzerus* & hinc *Dan: Sennertus* illis *animi* commotionibus censent cieri vapores, qui in *Cerebrum* perveniant, faciantq; *epilepsiam*. Similesq; ajunt de ægrâ *matrice* surgere. *Coxæ* vitiatæ supra meminit *Hippocrates*. Ac tale quid *Gatenaria* etiam referente *Sylvio* memoriæ mandavit.

Dein quidam Epileptici vulneribus capiti illatis, teste *Donato* convaluere. Quare illi autores hâc vulgi opinione oppressi, *Cerebrum* semper censent vel per se vel aliorum membrorum vitio laborare. Eâ de causa ij etiam caput contendunt tàm graviter semper concuti, ut *Galenus* ipse, *Thadæus Florentinus, Comes Montanus, Unzerus, Sennertus.* Ast illud sublime membrum quot & quàm validos nactum est *musculos*? Iis certè quàm vehementissimè quati potest, totius corporis *facultate Naturali Expultrice* concitatiore. Et hoc est, quod & *stridor dentium* audiatur. Quid de multitudine *musculorum* ad *oculos* pertinentium loquar, qui tùm maximè torquentur? Sat distinctè igitur *Apulejus*: *ut corruat, omniaq; membra conflictationibus debilitet, facie ulcerosus, fronte & occipitio conquassatus, oculis hebes, naribus hiulcus, pedibus caducus.* Ac Seneca: *incertum lumen est, nervorumq; trepidatio, si memoria sublabitur, caputq; versatur.* Rursus *Apulejus* memorat *repentinum mentis nubilum, cessantem animum, caput grave, cervicem torpentem, tempora pulsata, aurem sonoram, oculos se obtorquen-*

torquentes, manus se contrahentes. Ac *Lingva*, quæ tota habetur musculus, quàm tremula est? Extremæ *nares* etiam ob *musculos* tenduntur. Tandem *pollex* ut & hanc prodam rationem, multitudine *musculorum*, quos habet, citiusvehementiusq; contrahitur. Nec hic morbus quoq; *Cerebri*, sed *thoracis* passione redditur gravis, plenusq; periculi. Nam & illi *musculi* afficiuntur, quorum operâ spiritus ducitur. Adhæc plures *facultates expultrices* tùm temporis irritantur. Profusione sangvinis nimiâ sæpiùs cietur morbus *epilepsiæ*. Unde *Sennertus* causa epilepsiæ, l. 1. part. 2. c. 31. inquit, est uterus vel ex mensium obstructione *vel fluxione, vaporibus è materiâ Cerebrum petentibus*. Tàm pervulgata ratio eodem fastidio semper respuitur. Illa potius *vis expultrix*, quæ in *Sangvine* inest, movet *naturalem facultatem expultricem* illarum partium, quæ *facultate motrice Animali* sunt præditæ. Idemq; morbus eâ de causa *Variolas* & *morbillos* comitatur. Hi ipsi sub initio movent *vomitiones*, *Stomachi* facultate expultrice simul commotione. *Trincavellus Epilepticum* senem quinquagenarium curavit, qui leprosus posteà factus fuit. *Vis expultrix*, quæ in sangvine inest, istos humores anteà subindè ejicere nitebatur, ac sociabili consortione *Vim naturalem expultricem*, quâ concuti potest corpus, solicitabat, usq; dùm humor lepræ penitus eruperit. Quis igitur non intelligit, plerasq; res hîc perperàm esse constitutas? Vapores an per *foramina ossis Cuneiformis* viam ad *Cerebrum* affectabunt? Ac si eos secum tàm citò ferat sangvis; illorum ad ascensum quî *Cerebrum* & ejus *membranæ* semper instar vermis contrahent, ut cunctum inde concutiatur corpus? O quantum àbsum ab istis opinionibus, quantum abhorreo. quis non vel vulneris vel ulceris magnitudine recidit in *Epilepsiam*? Semper ergò talis in omnium hominum corporibus invenitur vapor vel humor, qui ut *Sennertus* loquitur, *διάθεσιν epileptitam contineat*? Qualis verò sit, verbis, attestante ipsomet, exprimi non potest. Eum morbum quoque nonnulli ajunt ex affectionibus Lunæ pendere, quæ occultum cum *Cerebro* habeat consortium. Aliis hæc locis sat copiosè à nobis dicta sunt. Senescente *Lunâ*, crebrior est *morbus comitialis*, si de impurâ massâ sangvineâ nascitur, at adolescente *Lunâ*, sæpiùs

piùs infestat illa *epilepsia*, quæ ab intestinorum animalibus oritur, quæ eo tempore invalescunt, plusq; virium obtinent ad lædendum. *Luna* quidem *Cerebrum* ceu *subjectum Epilepsiæ*, ut loquuntur, afficere perhibetur. In eo quoq; errat *Vincentius Alsarius â Cruce l.3.de Epil:* Qui Epileptici affectus causam ad Lunam referunt, ingenio præpollentes viri, ad rei naturam mihi multò magis accedere videntur, quàm qui in Dæmonem rejiciunt. Permagna enim vis est Lunæ in hoc morbo gignendo, ut plerisq; aliis etiam, qui illius motum insequuntur. Avicenna ait augeri Cerebrum augescente Luna, augeri quoq; flumina. Ex quibus facile est intelligere, unde sit, quod qui Epileptico affectui sunt obnoxii, interlunii tempore serò semper â morbo aggrediuntur. Ast fortasse etiam ratio elici potest, quamobrem interlunio concepti, editivè comitiales evadant. Sic ergò comitiali morbo ab humore pituitoso addicti in Lunæ cum Sole conjunctione, quàm sæpè accessione tentantur, frigida illa excrementitiaq; humiditate in Cerebro adaucta ac ejusdem ventriculos elapsâ.. Quod verò eodem tempore vel in utero concepti vel in lucem editi, talem ægritudinem reliquo vitæ tempore patiantur, ut Serenus Medicus

Ipse Deus memorat per tempora Lunæ
Conceptum talis, quem sæpè ruina profudit.

non in pravam aliquam & occultam Lunæ facultatem referendum puto, sed in eandem potiùs causam, nempè luminis Lunæ privationem. Quare non est â ratione alienum in interlunio, quo tempore tàm varia, tamq; naturæ nostræ inimica temporis conditio incrudescit, infantis vel in utero concepti vel recens editi, cùm membra alia, tàm caput inprimis debilius reddi, quod posteà vitæ cursu præ imbecillitate excrementitios humores tùm congerat, tùm etiã aliundè â fortioribus membris transmissos accipiat, qui Cerebri ventribus communcati Epilepsiam pariunt. Verùm & plenilunio fiunt Epileptici. Quin hoc tempore Epileptici insultus exacerbantur multiq; morbis ê fluxione laborant, velut nos ipsa docet experientia. Luna enim & lumine calefacit, ut in plenilunio experimur: tunc enim calor est auctior & humectat maximè atque refri-

refrigerat; quamobrem hoc etiam Lunæ aſpectu comitiales â morbo aggredi non eſt rationi diſſonum, eliquatis â tepido Lunæ calore Cerebri humiditatibus. Illudq; prætereundum nullo modo eſt, cùm duplici ab humore per eſſentiam oriatur, pituitoſo aut melancholico, plenilunii tempore eos potiſſimum cadere, quorum morbus ab ipsâ melancholia pendet, in interlunio verò eos, quibus ex pituita contingit affectio. Sic fit & in menſtruis. Ratio: quoniam pituitoſi humores frigidi adeò ſunt, ut niſi magno calore, qualis Lunæ non eſt, non fundantur, frigore autem intenſo magnoperè augeantur, melancholici autem cùm adeò frigidi non ſint, quippe qui per calorem tales evadunt vel moderato calore funduntur & eliquantur, frigore autem non augentur, ſed compeſcuntur potiùs atq; ſedantur, unde fit, ut qui hujusmodi humoribus abundant, deterius habeant in plenilunio, qui verò illiusmodi in interlunio. *Quanquam hic autor & irritatam facultatem expultricem naturalem* dicit ſubſequentibus *verbis:* Perſæpè tamen accidit, ut hoſce lunæ aſpectus Epilepſia non expectet, ut nec menſium exitura, quam multis ter in menſe citari, compertum eſt, pro ſuperflui ſangvinis copia & qualitatis ratione, *irritata facultate expultrice naturali*, nam & Epileptica invaſio pro copia pituitoſi, atrivè humoris in *Cerebro* ex pravâ victus ratione redundantis, ordine jam expoſita Lunæ tempora inſequens frequenter apparet. Lunæ facultas inter cauſas procatarcticas, non autem omnis Epilepſia Lunæ accepta referenda eſt. *Attamen hic autor* ſemper meminit *Cerebri*, in quo humorem credit colligi, unde hoc morbi genus naſcatur. Reliqua dehinc perſequemur.

Pueros plerunq; hic morbus malè habet. Vis *animalis*, ut dixi, eſt dibilior, validior autem *facultas expultrix naturalis.* Ii verò convaleſcunt, ætate procedente, quâ *Animalis Facultas* ſe interdum corroborat. Infantium *epilepſiâ* extinctorum Cerebra perſpexi ſæpiùs, nihil in iis unquam notavi. Quos tamen medentes concordi aſſenſu confirmabant *eſſentiali*, ut loquuntur, & per *Idiopathiam factâ* epilepſiâ conflictatos fuiſſe. *Hippocrates* cùm *Ovicularum Epilepſiâ* ſublatarum Cerebra, aquæ liquore plena repererit, eum morbum inde tradidit diffundi. Quidam puerulus

levi *epilepsiâ* arripiebatur, cujus mox indies intumescebat caput, ut tandem morbo, cui nomen est *Hydrocephalo,* diu teneretur. Hujus jam defuncti *Cerebrum* tenui sero penitus perfusum erat. Et hic tamen semel tantùm *epilepsiâ* attentatus fuit. *Primùm*, inquit Disp: part: quar: Thomas Erastus, *hoc esto, quod complurium Epilepticorum Cerebrum dissectum nihil habuit, ex quo talis obstructio colligi posset. Dissecti enim alii sunt, in quibus ventriculi aqueo humore, aliquando etiam cruento, pleni apparuerunt, quamvis Epileptici nihil fuissent passi.* Multos *hic morbus* â teneris ungviculis exercuit, nec ulla nota offensi *Cerebri* post mortem eorum in capitibus deprehendi poterat. Horum dissectionibus interdum præfui, interfuiq; sæpiùs. Non verò is sum, qui *Cerebrum* nego vitiari possè. Ipse in eo viscere malos humores, resq; alienas aliquando deprehendi. Inde autem *Epilepsia* semper haud nata fuit. Ac si accesserit irritatio tantùm in *Cerebri* partibus sensibilibus facta, fuit commota hinc *faccultas* Naturalis *expultrix*, quâ corpus tantoperè concutitur. Nunc, me tacito, intelligis, quid de istâ differentiâ sentiendum sit, quâ altera *epilepsia* per *Idiopathiam*, altera per *Sympathiam* cognominatur. *Naturalis*, ut dicitur, *epilepsia* â parentibus tradita est illa, qua homini *facultas animalis* est debilior, impetuosior verò *facultas naturalis expultrix.* Timidi huic morbo sunt magis oportuni, *facultate animali* magis infirmâ. Hanc surgens tàm importuna *potestas expultrix Naturalis* facilè ad tempus extingvere potest. Admodùm commodè loquitur *Plinius* 11. 37. in *morbo* comitiali aperti oculi nil cernunt, *animo caligante.* Finemq; paroxysmi *Lucretius* exprimit hisce:

Tumq; vacillans primùm consurgit, & omnis
Paullatim reddit in sensus, animamq; receptat.

Terror est sæpè causa *Epilepsiæ puerorum. Idiosyncrasiæ* tamen haud omittantur, in quibus exponendis multus est *Sextus Philosophus.*

Nunc ad curandam *epilepsiam* tandem non caput est, capiti mederi, tàm multa *cephalica* adhibere ac hisce ægris tàm varia ut vocant, *antepileptica,* quemadmodum *Cranium humanum, Radicem*

cem poeoniæ, Cinnabarin, Ungulam Alcis & *apri veſicam* potui dare. Ejusmodi in erroribus verſatur *Helmontius l. de magnetica Vulnerũ curatione* : Ut Sapphirus de ſe virtutem in corpus ægrum dedit, ſit ſe ipſo imbecillior, ſic nempe ungula alcis epilepticos arcens inſult9 paulatim effœta redditur. *Et paulò poſt*: Saltem os capitis valet ad Epilepſiam, non item oſſa reliqua : tùm demum, Cerebrum totum in Cranio conſumitur & liqueſcit, cujus liquoris (viſceris inquam) irroratione continua, vires cranium acquirit alias, quas aliis abeſſe oſſibus animadvertimus.

Nec Cerebrum ipſum auxiliatur. Thomas Eraſtus *Cranium* jam dudum, Duretus *ungulam Alcis*, eandem & quoq; *radicem pæoniæ* Chriſtoph: Virſungius & Jacobus Primeroſius l. 4. de vulgi Error: c. 57. reprobarunt. Maxima cura debet in eo verſari, ut noſcatur origo mali. Ob eam hic morbus aliter, aliterq; pellitur. Homo rerum înopiâ mœſtus & hinc *epilepticus*, liberalilate aliorum erigatur. Aliaq; ratione conſolemur afflictos. Qui helleboro indiget, in meliorem ducatur cogitationem, ſemper animus benè *conſtituatur. Vermes inteſtinorum* enecentur , ſangvis nimiùm manans claudatur, *Variolæ* & *morbilli* valentioribus, ut vocant, *Diaphoreticis* curentur ; diligenter fiant, quæ curando vulneri opus ſunt ; ex fracturâ membranam Cerebri urgentia & veluti aculei, pungentia oſſicula tollantur. Ac aliorum vulnerum doloribus excruciatum conſolemur ſpe propoſitâ, brevi fore levius. *Lunâ* ſeneſcente, corpus perpurgetur maximè. Summa hujus generis eſt, ut utique pernoſcatur cauſa, cur vis *expultrix naturalis* corpus tantâ vi concutiat. Illâ tàm vehementer incitatâ, *muſculus* ex facili & propè ſuapte ſponte contrahitur, prout ad eum motum inſtructus â naturâ ipsâ eſt, aptus & natus. Homo ſauciatus percipit dolorem in tunicâ muſculi manus, mox hic illud membrum queritur, ſe adverſante, moveri, mente quidem valens. Dein alia pars non ſemper ejusdem, ſed etiam adverſi lateris convellitur. Ea eſt natura *naturalis* illius *Facultatis Expultricis*, ut ſemel irritata remotas, ac eas quoq; ê contrario poſitas partes agitare valeat, utq; nunc remittat, nunc ægrum invitum rurſus aggrediatur. Unde & ἐπίληψις hoc eſt, ἐπίβασις ſeu ſecundum *Lexi: Græ-*

co Lat: aggreſſio nominari videtur. Sæpè ſi ſtomachus in vomitionem vehementer provocatus eſt, eandem ſponte movet, etiamſi ipſi nihil humoris ſit reliquum. Quosdam inde quoq; dixi diem obiiſſe.

Galenus l. de fæt. form: cum animalibus confert muſculos ac *l. de Muſculis* eos ait in unum corpus coaleſcere. Horum itaque *naturalis vis expultrix* fermè communis erit. Ac *geminarum partium* quanta eſt conſpiratio? Quanta ſocietas? Quantus nexus? Is re ipsâ quàm manifeſtus? idem quàm difficilis cognitu? Nihil de *oculis*, de *Auribus*, de *Muſculis temporum* dicam. Si *Ren ſiniſter* æger ab opere ſuo vacat, ab eodem feriatur *dexter* ſanus. Illa *facultas naturalis expultrix*, quâ de loquimur, diffuſa eſt in ſingulas partes membrorum, & ſimul jugata. Quare ea quanta quanta eſt, ſurgit tandem & utriusq; lateris membra quatit tàm violenter, ceu vi illatâ. Eo fit, ut illa *facultas* in omni corpore tantoperè irritata, ceu civis furioſus *Facultatem Animalem Motricem*, ut Regem ſeditione ortâ, de gradu deturbet, dejiciatq;. Inde & reliquæ *Facultates* quaſi intermoriuntur. Ex poteſtate *intelligendi* promanat facultas appetendi, ex hac vis *Motrix Animalis*. Ubi *epilepticus* ad ſe revertitur, movet membra decenter. Aſt rurſus irritata *Facultas Naturalis* iterum iſtas habenas quaſi arripit & violenter agitat artus, ſtructura *Muſculorum* ad id maximam partem conferente. *Cerebrum* nihil læſum eſt, nec inde quatitur, nec comprimitur. *Membranæ* ejus quoq; minimè dimoventur. Indoleſcere aliquando poſſunt, ut inde *Facultas Naturalis expultrix* irritata tàm gravem faciat morbum, nec *vellicatis* ut diſtinctè loquar, *membranis Cerebri*, ac inde concuſſo Cerebro, *principioq; Nervorum*, veluti ſentit *Sennertus*, nec *convulſis* aut *irritatis* nec *occluſis* obſtructisq; Cerebri ventriculis, aut *conniventibus*, ut tradit *Vincentius Alſarius à Cruce*, itemq; *Thomas Groſſius*, qui & *conniventiæ* verbo utitur. Non ſupervacuum erit, eum locum ad literam ſubjicere. Namq; harum ſententiarum nulli aſſentior.

Tandem dixi, *inquit Vincentius Alſarius à Cruce*, ex cerebri ventriculorum occluſione, ut oſtenderem cerebri ventres hoc in Symptomate duplici modo obſtructionem pati, uno quidem pro-

priè

priè, altero verò impropriè. *Propriè* dicam *ventres obstrui*, quando *crassus pituitæ succus* aut *melancholicus* in iisdem ventribus retinetur. *Impropriè*, quando *non substantia* aliqua crassa illos *obturat*, sed *qualitas quædam alteratis per continuitatem partibus afficit.* Quare falluntur, qui omnem Epilepsiam ab obstructione fieri contendunt, nisi forsitan obstructionis vocabulum lato modo accipiant. *Occluduntur* enim semper in omni genere epilepsiæ Cerebri ventriculi, sed obstruuntur, si materia sit crassa, *connivent* verò si qualitas aut materia aliqua existat, quæ licet mole minima, facultate tamen maxima prædita sit, pro qua *expellendâ contrahantur* in sese atque conniveant, ex qua re membris facultate animali destitutis, comitiales in terram miserè prolabuntur, ex quibus pariter manifestè constat, Cerebrum hoc in morbo non ut similare, sed ut instrumentale oblædi, quemadmodum ex *Hipp.* 6. Epid. circa finem nos ipsos docuit *Galenus* 3. de loc. Aff. scribens, quòd crasi humores, qui in Cerebri substantia abundant, interdum ei ut instrumentali, interdum ut similari parti nocent. Cùm enim meatus obstruantur, ut instrumentali, cùm verò temperamentum alteratur, ut similari.

Siquidem Cerebro in comitiali hoc motu non secus accidit, ac ventriculo à re quapiam præter naturam & pravæ qualitatis, ceu ferruginea bilis, molestato evenire solet. Tunc etenim singultum patitur, expellente naturâ id, quod alienum à se est. Ita igitur Cerebrum Epilepsiam incurrit, cùm aliquid â parte primùm affecti ad ipsum fertur, quod licet mole minimâ, facultate tamen maximâ præditum existit. Pro quo quidem expellendo mox *Cerebrum insurgit seipsum multifariam movens, veluti contrapugnans*, unde patet in Epilepsia consortii lege facta, motum fieri à materia non *offarciente* ventres, sed ad rei nocuæ expulsionem irritante. Erit ergo motus convulsivus, non convulsio propriè dicta. Ut enim in Epilepsia per essentiam legitima convulsio, motusque convulsivus, ita in eadem per consensum motus solùm convulsivus. Ex Hippocratis Galenique scriptis & principiis patet, in Epilepsia Cerebri ventres occludi oportere.

Nunc igitur ex *Cerebri ventriculorum* nempe *medii* aut *postremi* occlusione Epilepsiam fieri ostenditur. Nam *actiones motrices* & *sensibiles* à ventriculis Cerebri proficiscuntur. Obstructis ventriculis Cerebri, aliquo pacto virtus expultrix contra rem infensam insurgere potest, quam dum Cerebrum expellere conatur, multifariam movetur, cujus membri *motum vitiosum nervi* primùm, *dein musculi*, tandem *membra omnia invitè sequuntur*. Sic ergo ab expultrice sola facultate, absque ullo moventis adminiculo, motus epilepticus editur. Rursus demonstratum est in omni Epilepsiæ generationis modo utique *occludi* (aliquando enim *obstruuntur* à materia crassa, aliquando verò connivent præ qualitate prava ad ipsos per consensum transmissa) cerebri ventriculos, sedes animalium spirituum, à quibus tanquam â proximo instrumento emanant animæ actiones omnes, necesse omninò est, ut *exitum spiritibus minimè habentibus*, hoc morbi genere decidentes, *motu*, *sensibusq; priventur*, nec non etiam rationis memoriæque amissionem incurrant. Statuo cum Gal: Paulo Ægineta, bonaque Medicorum parte, efficientem Epilepsiæ causam nullam aliam esse, quàm frigidum, crassum & omnino viscidum ac derepentè obstruentem, ut Spiritui animali, quo minus expandi possit, aditus intercludatur. Ergo humor Melancholicus & pituitosus hic maximè sunt Causæ. Constat iccircò Epilepticam accessionem citò fieri & citò etiam decedere, quod à *crassis*, *viscidisq; humoribus cerebri ventres obturantibus* gignitur, qui tamen brevi temporis curriculo à *valida Cerebri concussione* excernuntur. Tunc enim magnum Naturæ conatum molitur, materiamque infensam à se longè nititur excutere. Non prius coquitur humor. Si Epilepsiam prout fit ex Cerebri ventriculorum occlusione consideremus, profectò erit *morbus in via*, quod si prout in ea ablata est principalis cerebri facultas, inter *Symptomata generis* noxæ functionum animalium reponenda omnino erit. Dein *vapores* ut stomachi sua *crassitie ventres obstruendo* hunc morbum pariunt. Quidam verò negant, ego quoque non facilè video. *Multitudine* potius *occludendo* aut aliqua *qualitate afficiendo* Cerebri ventres vapor Epilepsiam per consensum progignet. Qualitate autem manifesta evaporatio à subjectis partibus ele-

elevata Symptoma hoc efficit vel *calidior* vel *frigidior*, unde expultrix cerebri facultas ad eam expellendam insurgit. Frigida aura fuit in puero Galeni. *Venefica* & *occulta* qualitas oritur ex *putribus humoribus*, ut *stomachi*, *uteri*, suppressis Menstruis, vermium. Præter vaporem est *pura qualitas* omnis *substantiæ & quantitatis expers*, de qua scriptum est ab Avicenna, ad Cerebrum elevari qualitatem puram sine substantia. Illa est vel *venefica* vel *dolorifica*. Hæc fit dolore stomachi à vermibus aut humoribus facto. Dolor fit in ore stomachi, quod ob nervos societatem cum Cerebro habet. Illa verò *venefica* est, dum alteratis per continuitatem partibus ad Cerebrum usque attingit, non alia certè ratione, qua putant aliqui res quasdam solo tactu per qualitatis vim ea, quæ sibi contraria sunt, alterare posse, ut ex *marina torpedine* abundè constat. Pelops Galeni magister putat in corpore similem aliquam veneno generari essentiam, nullâ accedente causa externa, quæ ubi nervosam partem occupaverit, ad *nervorum usque principium alteratis per continuitatem partibus*, vim suam transmittat. Hæc prava est qualitas & indicibilis. Cadunt ex cerebri contractione & ex repentina ventriculorum Cerebri occlusione.

Hic autor præ se fert, imò gloriatur, se veterum, *Hippocratis*, *Galeni*, *Avicennæ* sententiam summâ ope tueri. Ait si non semper obstruuntur, *ventriculos Cerebri* tamen occludi, ut *conniveant*. Idq; scitum magis magisq; interpretatur *Thomas Grossius l. de morbis Capitis*, videndum est, *inquiens*, quo modo occludantur. Occluduntur meatus duobus modis; vel quando *connivent* latera & junguntur simul, vel quando spatium inter latera repletur. Et quia conniventia dupliciter item fit ob siccitatem scilicet & mordicationem. Quod non fiat per conniventiam ex siccitate occlusio, præter Avicennæ & Galeni auctoritates, videtur & ratio persuadere, quia connivent latera locorum concavorum, quando exiccantur vehementer: sed Cerebrum cùm sit corpus humidum, non potest ita exiccari, ut fiat hujusmodi conniventia, ideò dicendum erit, fieri posse occlusionem per *Conniventiam* ex mordicatione aut veneno, ut in puero illo, qui sentiebat à pede auram quandam adscendere ad caput. *Et paulò post:* Obstructio potest generari in Cerebro duobus modis:

uno

uno à re obstruente meatus & cavitates Cerebri, ut in Epilepsia per essentiam: alio verò citra humoris affluxum ac veram meatuum clausuram, sed solùm per Cerebri depravatam configurationem, quam nanciscitur ex depravatis ejusdem Cerebri motibus, quos efficit, ut à se pellat molestum: quibus sanè variè configurantur & prodit nativam figuram & nativos etiam meatus adeo vitiari, ut paulò minus potentiæ oblædantur, ac dum verè obstruunt cavitates: quo fit, ut in eâ Epilepsiâ, quæ per consensum ab aura vel flatu caput euntibus concitatur, non omnino priventur laborantes internis sensibus, quinimò aliquando audiunt, vident, ut hystericis accidit fæminis. Quo etiam, ut hæc epilepsiæ conditio vel nunquam vel raro migret in Paralysin & Apoplexiam, ut illa, quæ fit à vera *obstructione*, quam certum est, facilè commeare in dictos affectus. *Hæc autor.*

Age, mentis acie figuram, positionemque ac conditionem *anteriorum ventriculorum Cerebri* aliquantò diligentiùs perlustremus. Hi quàm anfractuosi sunt? Quàm sinuosi? Illi igitur si in anticâ parte oppilantur, humor in ima pellitur, sin in posticâ, itidem in nescio quæ devia movebitur. Ipse *Grossius* Cerebrum ait esse nimis humidum. Tàm molle igitur viscus quo pacto vellicari poterit? Autores, urgente *Epilepsiâ*, verentur, ne *nervi* dirumpantur, quantò vehementius *Cerebrum* isto motu vitiari poterit. Nonne *Septum translucidum*, *membrana infundibuli*, *glandula Pinealis*, *Processus Mammillares*, corpuscula illa sane quàm tenera disturbabuntur? Quâ ratione hi *Cerebri ventriculi* tàm infirmi humores tàm crassos, ut *pituitosos*, quemadmodum vocant, ac *melancholicos* excludere poterunt? In Infantes hic morbus cadere consvevit. Quare is & *mater Puerorum* in vulgus vocatur. *Cum verò*, inquit Vincentius Alsarius à Cruce, *ab Avicenna mater puerorum Epilepsia dicatur, fateor equidem me cum Leonhardo Jachino com. in 9. Rhasis ad Almans. ignorare, nisi fortè pro matre novercam innuere nobis voluerit.* Hoc, ut l.2. p.1. c.2. *de Catarrhis* ostendi, illius linguæ Idioma est, & proprietas, ut *mater caloris*, *Calbata*, febris est & mundus dicitur *fœtoris mater.* Quâ ratione & *Avicenna* denuntiat, pueros maximè huic morbo expositos esse. Horum Cerebrum quo pacto (quem locum

bre-

breviter perstrinxi paulò antè) corrugari poterit & rursus distendi? Quo modo simile quid à vapore, à flatu & ab aura fieri potest? Ea quidem ratione concitari interdum *epilepsiam*, quà *veteres* tradunt, ut *Hippocrates* l. de Flatibus, *Galenus*, *Aretæus*, *Alexander Trallianus*, *Averroës*, quà & juniores, quemadmodum *Fernelius*, *Marcellus Donatus*, *Hollerius*, *Mercurialis*, Zacutus, *Hœchsteterus*, *Tulpius*, *Rhodius*, *Borellus*. At talem *Epilepsiam* contendit *Vincentius Alsarius à Cruce*, non obstruere *ventriculos Cerebri*, nec ut placet *Thomæ Grossio*, tollere *functiones Animales*. Ast *Nicolaus Tulpius*, manifestam, l 4. obs. 2. *inquit*, originem trahit ex pollice pedis sinistri, cum conspicua mentis labe ac terribili contractione, reflexo capite versus dorsum, per eam convulsionis speciem, quam Græci ὀπισθότονον vocant. *Hæc ille*. *Ista* certè *conspicua labes mentis* & *terribilis contractio* non nisi vehementer *obstructis ventriculis cerebri* fieri potest. Atque eandem *Epilepsiam* prodit Excellentiss. Dn. D. *Bartholinus cent. 4. obs. VII.* fæmina quædam cum non procul à nostris finibus abesset, prehensa fuit tàm gravi Epilepsia, ut nec aquam nec ignem præterire posset, quin statim gravissimo insultu corriperetur. Cum primùm eum conspicerem, non parum animo consternabar. Totum corpus intumuerat tàm tetro colore infectum. Referebat se statim post aquas improvidè ingestas pejus habuisse, ventris continua tormina persensisse, colorem corporis sensim, sensimque degenerasse & antequam Epilepsiâ corriperetur, semper in sinistro latere motum viventis cujusdam animalis sentiri. Excretis vermibus innumeris, Paroxysmi Epileptici desiere. *Atque idem cent. 6. obs. 78.* ait *copiosam circa os spumam* fuisse. Jam *Vincentius Alsarius à Cruce*, à spuma, *inquit l. 6. c. 25.* Epilepticis circa os ipsum fluctuante haud irrationaliter deprehendi potest, à pituitoso humore symptoma progenitum esse. In quibus enim ab accessione correptis multa crassaq; circa os spumosa apparet materia, hic morbus à pituita originem trahit; nam etsi in aliis Epilepsiæ generibus spuma fit, verisimile tamen est, multò majorem fieri in his, quorum Cerebrum pituitoso excremento magis abundat. *Rursusq; affirmat*, pituitosam illam salivam è capite promanare, ac quoque *Thomas Grossius*. Quin & *Vincentius Alsarius à Cruce* illius phlegmatis liquorem

contractione cerebri in *os* & in *nares* l.6.c.29. fluere ponit. Quare & *masticatoria* ac *ptarmica* l.7.c.39. statuit *pituitam è cerebro educere* Admodum clarè *Thomas Erastus Disput.par.4.* Quod in paroxysmo effluit, est nihil aliud quàm mucus, qui continuè solet per *nares* & *choanam* exstillare. Hoc verò interest, quod in morbo per vim & confertim excluditur, per sanitatem sensim ejicitur. *Hæc ille.* Erit igitur vera Epilepsia.

Verùm nec *humores Cerebri* ita descendunt, nec eâ viâ *vapor* aut *aura* tenuissima sursum levari potest. Ast ea, inquis, repellitur, ligato membro, uti laudati Autores *Bartholinus* l. 6. obs.78. & *Rhodius* cent. 1. obs.58. testantur. Quin & *Vincentius Alsarius à Cruce* l. 6. c. 27: quidam olim Venetus juvenis comitiali convulsione per consensum à minimo sinistræ mauus digito corripi per intervalla solebat, à quo digito præcipuè verò ab ea parte, quæ inter unguis radicem & nodum versatur, nescio quid primum elevari æger ipse affirmabat, ita tamen, ut antea universus digitus levi quodam motu palpitaret. Adscendebat autem, quod elevabatur veluti psalliendo per brachium in caput, ut patiens affectionis causam in Cerebrum migrantem manu ostenderet; qui juvenis ab hoc Symptomate persanatus fuit, corpore prius diligenter purgato, Cerebroq; corroborato & phœnigmo digito adhibito, *ligatoq; interim strictè carpo*, ut *auræ adscendenti aditus* intercluderetur. Quâ arte etiam juvenis Galeni sanatus fuit. *Hæc ille.* De ejusmodi auræ adscensu, quemadmodum de origine & natura *Spumæ* quid sentiendum sit, *libris de catarrhis* exposuimus. Vapores nec per *tunicas Nervorum* sursum nituntur nec instar nebulæ subter cutem aut ex visceribus ac intestinis levantur. *Vincentius Alsarius à Cruce* quidem l.3. c.26. ita sentit, itaq; loquitur: *quod expiratio à vermibus & intestinis ad Cerebrum elata, illud magnoperè lædat, & motus tremulos & convulsivos, ipsamq; Epilepsiam inferat, notius est, quàm ut demonstrari indigeat, veterumq; ac recentiorum Medicorum consensu satis, superq; probatum adinvenio.* Hisce & ejusmodi aliis, qui finguntur, vaporibus *Cerebrnm* non patet, ac si iis quoque esset objectum, haud obstrueretur in tantum, ut *ejus ventriculi* Spiritus *Animales* promanare non paterentur. Ac si ventriculi illi tantùm oscitant, ac ut superio-

res

res loquuntur autores, *connivent*, iter Spirituum haud impeditum erit. Tandem *Vincentius Alſarius à Cruce* memorat *medium Cerebri ventriculum* & *poſtremum*. Hos verò non contingunt nervi, quos *ille autor* ait ab *obſtructione illorum ventriculorum* priùs affici, poſteà *muſculos*.

Tertius & *Quartus Ventriculus Cerebri* conditione partium adjacentium, non de conſilio Naturæ formantur. Hi quî vi ſe contrahent? Quin & *lib. de Catarrhis* ſatis ſuperque oſtenſum eſt, Cerebrum nec alimoniæ redundantiâ nec invaletudine ſuâ ullos excludere humores. Nec me illa movent exempla. Conſulis, *inquit l. 1. obſ. 8. N. Tulpius*, Amſtelredamenſis filiæ, exagitatæ vehementer à morbo comitiali, & parum aut nihil auxilii ab arte, impetranti, ſuppetias tandem tulit officioſa natura, expellens potenter acrem periodicæ diſtentionis cauſam à Cerebro in ſubjectos faucium muſculos. Quibus impeditis, ceſſit quidem ex toto, intumuit haud parùm guttur, periit elocutio, neque deglutiit, niſi admodùm graviter. *Eodemq́; libro obſ. 15.* erat convulſio periodica: imputabat æger præſagium hoc deſtillationi à capite in pectus & inde in ventriculum deciduæ, ex cujus adventu judicabat adventuros convulſionum circuitus. Sed concitabatur hic deſtillationum curſus ex motu atræ bilis & ex ejus vaporibus à frigido Cerebro in aquam converſis. *Ac D. Joh. Rhodius cent. 1. Obſ. 42.* Puer quatuordecim annorum die morbi undecimo à phrenitide liberatus, luculento puris fluxu per interiorem oculi angulum & nares. Alius abſceſſu per aures & nares erumpente raro exemplo evaſit. Quod poſt Ambroſium Paræum Chir. l. IX. c. XXII. in juvene ſe Venetiis vidiſſe narrat Herc. Saxon. Pract. c. III.

Hæc & ejuſmodi alia ab hiſce autoribus ad populare illud judicium accommodabantur. Humores illi non ex Cerebro per foramina *Oſſis Cribriformis* ac *Cuneiformis*, ſed per vaſcula ſanguinis defluxerunt. Atque vapores quo modo hos *ventriculos* ſuâ multitudine conſtringere poterunt, cùm ii & supernè & infernè pervii ſint: Sagaciore ingenio ſunt nonnulli, qui, ut *Rondeletius*, teſte *Eraſto*, & hic ipſe, teſte *Vincentio Alſario à Cruce*, Epilepſiam negant ſemper *obſtructo Cerebro* oriri. *Ventriculos Cerebri*, ceu partem ejus ſaltem irritari offendique volunt. *Johanni Bapt.*

 Mon-

Montano autem & *Sennerto* placet, & *membranas Cerebri* & *Cerebrum* ipsum vellicari ac quoque vehementiùs agitari.

Thomas Erastus Disp. parte 4. quid sit *Epilepsia*, finit *duobus*, & quidem *hisce modis:* Quoad *morbum* significat Epilepsia, dicitur affectus esse præter naturam, sive morbus instrumentalis ventriculorum Cerebri, in quo propter mordacem vaporem aut aliàs inimicâ qualitate præditum habitum cogitur ad ejusdem expulsionem: ad quam consequitur mentis ac sensuum læsio unà cum corporis convulsione interrupta. Ut *Symptoma*, convulsionem esse dicimus jam dictam, propter affectuum Cerebri ventriculorum eos ad expulsionem rei noxiæ cogentem. *Non adeò dispari ratione Vincentius Alsarius à Cruce:* Et cùm Epilepsia morbum in via, videlicet occlusionem ventriculorum Cerebri sequatur, hac etiam de causa Symptoma non temerè vocabitur. Omnium sensuum cum fons & origo sit Cerebrum, veluti pro supposito axiomate habetur apud omnes Medicos, non immeritò statutum est, Cerebrum partem esse, in qua hujusmodi passio generatur. Ita definio: Epilepsia est Symptoma, in quo princeps functio aufertur, sensus, motusque arbitrarii amittuntur, cum omnium partium depravata motione non continua ex Cerebri ventriculorum occlusione.

Verùm hæc quidem hactenus: nùnc quod instat. Rursus palàm fiat, *motionem Animalem* Epilepsiâ ad tempus deperdi. Hoc nomine laudem meretur laudatus *Vincentius Alsarius à Cruce*, Additum est, *inquiens*, quoniam hic motus fit quidem musculis ad propria capita revulsis, qualis etiam ipsis præter naturam motus est, sed *animali* ciente ac impellente virtute, quæ quoniam in epileptico morbo affectis præ ventriculorum occlusione *intercipitur*, quò minus in motus instrumenta deferri possent, necesse omnino est, ut motus amittatur voluntarius. Quam rem probo etiam tali ratione. In *Epilepsia amittitur sensus, ergo multò magis & motus.* Nam ad patiendum minor multò, quàm ad agendum virtus postulatur, sensus enim ut passio, motus verò ut actio se habet. Quod si legeretis vos sensu deperdito, aliquando motum servari, id non efficit, ut majori facultate influente motus non egeat. Siquidem illud evenit duplici de causa aut obstructis nervis, qui ad cutem texendam

veni-

veniunt, & non iis pariter obstructis, qui musculos pervadunt aut cute ipsa stupefacta, stuporeque ad profundiores musculos non pertingente, ita ut cum dicitur servari motum amisso sensu, intelligendum sit non de una præcipua, signataque parte, sed membro aliquo, ut brachio, crure, quæ variis constant partibus. Alioqui enim nunquam videas brachii aut cruris aliquem musculum moveri, qui idem non sentiat. Verùm ne à re nostra discedam, qui animalem virtutem ad motum epilepticum edendum influere contendunt, secus rem dijudicant, nimirum sensus omnes hos in morbo deperdi, non quidem ob defectum spirituum animalium, sed quia iidem spiritus *perturbantur ita & agitantur, ut rerum species recipere nequeant*, quorum hominum sententia mihi certè non probatur. Nam si spiritus quoquo pacto influerent, licet agitati atque commoti, sensus in Epilepsia depravatè saltem operarentur, non abolerentur penitus. Datur quidem levior, imò spuria comitialis affectio, in qua nec semper functio princeps, nec sensus motusque voluntarius auferuntur, & in qua demum universalis partium convulsio, jactatioque non apparet. Ego verò de legitimè facta potissimum definitionem intelligi velim, quam tùm alia, tùm depravata *motio* tàm *Cerebri*, quàm universi etiam ferè corporis insequitur. Per talem autem motionem non modò convulsionem propriè dictam, sed etiam convulsivum motum accipere oportet. Uterque enim motus à legitima, veraq; Epilepsia vix sejungi videtur, quæ causa fuit, ut Galenus 3. de loc. aff. 7. & post eum Paulus l 3. c. 13. & Haliabbas ex Theor: Epilepsiam esse convulsionem asseruerint. Ubi per convulsionem non solùm convulsionem ipsam, verum quoque convulsivum motum intelligens, quamvis Capivaccius autumet Galenum quasi aliud agentem hanc ægritudinem appellasse, & Pareda ad Pasch: Met: per convulsionem motum convulsivum tantummodò exponat. *Convulsionem enim in* epilepticis membrorum in propriam radicem contractio, *motum convulsivum* eorundem concussio, jactatioque propellit. *Et paulò post:* Convulsionem in Epilepsiâ membra versus radicem contracta, nobis apertè ostendunt, cujus origo & causa pendet non ab irritata facultate, sed ab eadem illa humidiori materia nervorum exortus irrigante & con-

ſequenter à morbifica ſolùm materia, ob quam nervi ſecundum eorum latitudinem augentur, ſecundum verò longitudinem imminuuntur. Hic autem ex convulſivo cunctarum partium motu patefit, qui generatur ex *Cerebri multifariam motione*, dum ejuſdem membri inſita expellens virtus ad rem infenſam à ſe longè propellendam inſurgit. Atque reſponderem ego, Epilepſiam non fieri niſi *nervorum principio* ſecundum veteres oblæſo. Ac Avicenna ait materiam, quæ pervenit ad Cerebrum aut nocumentum, quod ipſum comitatur, comitatur nervos etiam. *Nervi igitur* variè læduntur. Augmentatur eorum latitudo. Tam *convulſionem*, quàm *motum convulſivum in Epilepſia* comprehendimus, quoniam abſque his verè comitialis affectus non gignitur. Multoties fit Epilepſia abſque Spaſmo ſenſato. Sed loquor de his, qui talem morbum legitimè incurrunt.

Convulſio, quæ citò fit & citò deſinit, ex inanitione provenire nequit, ſed Epileptica convulſio citò fit & citò deſinit. Ergo non eſt ex inanitione. Statuunt igitur & rectè cum Galeno & Avicenna ipſo, convulſionem, quæ aſſociatur Epilepſiæ, fieri ex repletione, quod tamen de legitima Epilepſia intelligendum eſt. Quod verò objiciunt Hollerius ac Rondeletius de vehementiori motu, qui
" in Epilepticis apparet, an non ſciunt motum illum non ex *influente*
" *virtute animali*, ſed à *muſculis præter naturam contractis produci?* Dum ſcilicet nervi, qui in muſculos inſeruntur, motum ſuimet principii, quod in Epilepſia, ad id, quod morbificum eſt, expellendum, multifariam movetur, inſequi coguntur.

Motricem facultatem cum expultrice naturali concurrere putat Hier. Mercurialis l. de Morb. Puer: cap. de Epil. quia Galenus docet muſculos non moveri, niſi à voluntaria facultate. Ex altera parte ſunt quàm plures Galeni autoritates, ut 6. Aph. 39. tùm l. 3. de loc. affect. cap. 6, tùm præſertim l. 2. de Sympt. cauſ. 1. Dum convulſionem ſolius morbi opus eſſe ſcribit: cui ſententiæ adhærent Avicenna & Averroes 3. Coll. 4. Innuent & hi omnes, hujuſmodi convulſionis motus à nulla alia vi effici poſſe, præterquam ab expultrice facultate naturali. Hieronymus Mercurialis controverſiam conciliare cupiens, ait convulſionem cum motu manifeſto eſſe epilepſiam,

lepsiam, putat unà cum virtutē expultrice omninò etiā operari facultatem motricem. Ego autem cum Galeno ipso, bonaq; Medicorum parte ad motum Epilepticum edendum nihil motricē conferre arbitror, ob occlusionem ventricolorum, ê quibus actiones tàm sensibilis, quàm motrix in alia corporis membra descendânt. Nunc refutantur. Inprimis enim quod afferunt ex Galeno, musculos à naturâ constitutos esse, ut secundùm voluntatis jussum corpus, membraq; moveant, id non præstat, quo minus musculi movere unquam possint, nisi animali ciente virtute, cùm & in *febrium rigoribus* membra interdum violenter moveantur, concutianturq;, dùm pro insita facultate ad acrioris humoris expulsionem resurgunt, nulla ad hoc faciendum delapsa ê Cerebro movente. Galenus verò cùm dicit musculos non nisi à facultate voluntariâ moveri, de motu intelligit, qui secundum naturæ limites fit, naturali nempè; ad eum enim edendum necessariò vis animalis requiritur, cujus etiam motus gratia universum corpus musculis natura cinxit. Epilepticorum certè motus non voluntatis jussu fit, sed præter naturam est omninò, dùm *musculi cæterarum* partium, quibus alligantur, *motum insequuntur*. Galenus quidem musculos in convulsione eodem modo moveri ait, quo etiam naturaliter moventur, iisdem nempè musculis ad propria capita revulsis, sed non propterea asserendum est, ad motum convulsionis animalem facultatem influere, ut in motu musculorum secundum naturam accidit. Hic enim absq; animali ciente ac impellente virtute fieri non potest, convulsio autem est motus involuntarius. Ex superioribus locis Galeni nihil effici potest. Sed objicitur, Cerebrum non sentire, ergò nec ejus virtutem expultricem comitari posse. Ego Galenum secutus, tàm motus, quàm sensus initium " â Cerebri substantiâ manare dicam. Ille 7. de Plac. Hipp. & Plat. " ait tunicas nervorum à tunicis Cerebri oriri, medullam à medulla. Si membranas tantum incideris, intactâ medullâ, pars in quam nervus inseritur, nihilominus sentiet atq; movebitur. Si verò mox medullam discindas, utraque privabitur. Ergò Cerebrum erit utriusq; efficiens causa, nam habitus privatione dignoscitur. Si tristis aliqua sensatio in Cerebri corpore ab aliquibus persentiatur, hoc

hoc ego fieri dicam,meritô non medullaris ſubſtantiæ Cerebri,quæ ſenſu omninò caret, ſed venularum, arteriarumq;, quibus circumtexitur. V.Vidius Junior ait epilepſia Cerebrum irritari aut ratione *meningum* aut ratione exortus nervorum. Ego verò nec ratione meningum, quoniam ſi de meningibus ſimpliciter illud intelligit, ſequeretur,*in omni phrenitide*,pſeudodelirio & capitis etiam dolore comitiales caſus adeſſet, non ratione nervorum exortus, quia licet principia nervorum irritentur unà cum Cerebro ipſo, nō proptereà dicendum, Cerebrum Epilepſiam pati, quoniam à nervis irritatis in conſenſum trahatur, nam ſecus ſe res habet: fit enim hæc paſſio, dùm Cerebri facultas ad rem infenſam expellendam movetur, quem motum inſequuntur nervi etiam, quippe qui à Cerebro ſpinali mediante medulla naſcuntur,nec non & alia ſubjecta membra omnia. Si quis ergò dixerit,irritamentum hoc ſecundùm Cebri ſubſtantiam fieri, multò magis abſurda loquetur, quod nullum vel exilem,obtuſumq; habet ſenſum, præterquam quod in Lethargo & apoplexia ſemper epilepſia adeſſet. Illud etiam mihi non arridet, ſi quiſpiam ſecundùm ventriculos irritamentum in Cerebro fieri contendet. Quandoquidem ventriculi dupliciter à nobis conſiderari poſſunt, aut ſecundùm cavitates, aut ſecundum parietes. Si primo modo conſiderantur,nō video,quàm vim expellendi habeat illorum cavitas, ſecundo modo, cùm ventriculorum parietes ejusdem ſint cum Cerebro ſubſtantiæ, eos quoq; ſenſus expertes eſſe, dicere par eſt. Archangelus & Columbus tradunt Cerebri ventriculos teneri meninge cingi,quæ ſenſu edmodùm exquiſito prædita eſt. Ante hos id docuit Galenus l. de uſ: part, 8. c. 8. Inde etiam fit *ſternutatio*. Membranula igitur aliquâ ex cauſa contractâ, *contrahuntur* etiam nervi & muſculi ipſi, ut fiat univerſalis omnium partium concuſſio. Sic ergò intelligendus eſt Galenus, cùm dicit, epilepſiam fieri, quando inſita Cerebri virtus ad rem infenſam expellendam inſurgit. Objicitur: *Cerebro non affecto* ut obſtructis arteriis carotidibus fieri *epilepſiam*, ita docet Hipp. 6. Epid. 8. l. 4. de liat. rat. ac l. de flatibus, item Galenus ac Avicenna. Reſpondetur negando, dicat quicquid velit Thomas Eraſtus cum Peripat li. 4. diſputat: in Paracelſ: Nam epilepſia gignitur, cùm inſita

insita Cerebri excretrix facultas adversus rem noxiam pugnat, in qua pugna Cerebrum, ut fortius ad rem infensam à se propellendam insurgat in seipsum contrahitur, ex cujus quidem Cerebri contractione fit ventriculorum *occlusio* & consequenter sensus motusq; voluntarii, ut principii similiter functionum animalium abolitio. Facultas rationalis in Cerebro residens à Medicis dicitur duplex, sentiens atq; movens, illa vel interior, vel exterior, ab hac non unæ motionum species perficientur. Hujus causa gemina est nimirum imaginatio & appetitus, quibus obediunt nervi mirabili *fædere naturæ*, qui à Spiritu compelluntur. Sæpè Cerebrum inde læditur, quare multi post tot paroxysmos stupidi sunt & sæpè obliviosi, Cerebro nimis humido.

Rectè sentit *Hic Autor*, *animalem motricem facultatem*, uti loquitur, *intercipi.* Quanto autem in errore versatur *Hieronymus Mercurialis*, cui visum est, *motricem animalem* ad *naturalem facultatem expultricem* se applicare? Hujus autoris sententiam similibus verbis exprimit *Sennertus*, sed nomen celat. Præclarè igitur *Vincentius Alsarius à Cruce* philosophatur: *In Epilepsia amittitur sensus, ergò multò magis perditur motus animalis.* Argutè refellit rationem, quâ *Sennertus* quoque utitur, *Spiritus*, inquit *Vincentius Alsarius à Cruce*, *ita perturbari non possunt, ut ii ob id rerum species recipere nequeant.* Verè etiam affirmat, *convulsivos motus ab Epilepsia sejugari non posse, esse inibi convulsionem, motusq; convulsivos.* Hos ait *ab influente virtute animali non intendi, febriumq; rigores nec eâ nec cerebro affecto fieri.* Ita quoque sentire *Galenum*, *Avicennam* & *Averrhoem.* Quædam falsa tamen adspergit. Motus Convulsivos censet *ex cerebri multifariam motione pendere.* Ac *nervorum principium* & *nervos* ipsos tàm graviter affligi arbitratur. Persuasum, ut credit, esse debet, *sternutationem*, à læsa *membranula ventriculorum* Cerebri originem suam trahere. Si aliqua quidem pars ad *Cerebrum* pertinens, vehementiùs dolet, *Epilepsia* oriri potest, ast nec illud membrum nec *Cerebri membranæ* aut *ventriculi*, ut quidem *Sennertus* loquitur, concutiuntur. Nec inde intelligendũ est, Cerebrũ esse *sedem*, ut loquitur *D.D Sennertus*, ac *subjectum Epilepsiæ.* Ipse, ut quondam *Fernelius*, *Cerebri meninges* notavi ex parte vitiatas. De illarum quoque *ovium Epilepti-*

carum Cerebri sæpius dictum est, quæ liquorem aquæ exhibent, jam patefacta. Atq; illos *Cerebri ventriculos* simili humore repletos aut alio modo affectos, apertis defunctorū capitibus, adinvenére multi Medicorum, ut *Smetius*, *Coiter*, *Thevertus*, *Salmuth*, *Riverius*, *Glandorpius*, *Bontius*, *Falcoburgius* teste D. D. *Bartholino*, *Borellus*, *Rhodius*, *Peter Pauu*. Vis expultrix Naturalis ab ejusmodi vitiis *Cerebri* & *meningum* ac etiam à sero innatante æquè lacessi potest, ac à dolore & à malis cæterarum partium, ut *Uteri Materni*. Eo laborante, *Vincentius Alsarius à Cruce Spinalem Medullam*, quæ juxtà est, priùs affligi opinatur. *Per Coxam*, inquit *Thomas Grosfius*, *& lumbos in caput aura tendit. Unde Paulus tali morbo molestatam fuisse mulierem, dum utero gerebat, affirmat, quæ postea edito fætu quievit, dum cauterium membro infixerimus, ex quo Aura & flatus elevabantur, si mulier Epilepsia corripiatur, dum deponit fætum, liberari à morbo, fætu excluso.* Id quod ex recentioribus *Joh. Rhodius* experimēto confirmat, Patavii, Cent.1. obs. 60. *inquiens*, nobilis matronæ, dum utero gereret, post sextum septimumve mensem epilepticis urgebatur insultibus. Partum enixa, valetudine integerrima vitam egit. *Et ante hunc Fernelius*, *non paucas*, inquit, *mulieres novi*, *quæ quoties utero gestant, crebrò Epilepsiâ corruunt, expeditæ verè nunquam.* Est proprietas Naturæ. Vis expultrix Naturalis à fœtu, ceu à re alienâ irritatur, quemadmodum supra ostendi, nonnullas, non omnes tamē parturientes hoc morbo tentari solitas fuisse. *Thomas Grosf. fætu excluso* existimat *unà simul excludi & removeri causam materialis morbi, vaporem scilicet sanguinis menstrui.* Vaporem quoque *Sennertus* eo nomine dicit. Nec dolente *stomacho Epilepsia* ob *nervos sextæ conjugationis* oritur, ut quidem retur *Vincentius Alsarius à Cruce*, *stomacho*, l.4. c.11. inquiens, *facilè Cerebrum compatitur nervorum communione. Exemplum verò patientis Epilepsiam per hujusmodi consensum proponit haud uno in loco Galenus, nimirum cujusdam Grammatici, qui quoties vel nimis doceret, aut cogitaret, aut inediam sustineret aut irasceretur, comitiali Symptomate corripiebatur, nempe oris ventriculi vitio. Si ego alium Grammaticum, hoc est, in literis humanioribus perquàm versatum, qui si fortè fortuna irascitur, aut si inediam tolerat, brevibus quibusdam*

busdam comitialibus accessionibus, cum modicâ circa os spuma, collabitur. Quorundam hominum vis expultrix Naturalis est naturâ nimis mobilis ac aliquanto concitatior. Pari ratione *Felix Platerus l. obs.* meminit *cujusdam*, ut vocat, *doctorandi*, qui hoc morbo tentabatur, cùm orationem duntaxat de scripto recitaret publicè. Ac â *stomachi*, *intestinorumq́; vermibus* eadem vis naturalis toties dicta expultrix offenditur, non vaporibus vermium, sed morsu eorum. Exempla exhibet *D.D.Thomas Bartholin.* Cent.6. Obs.20. ac apud eũ Cent.4. Obs.7. *D. Joel. Langelotius. Anno cIↃ IↃc XXII*, inquit cent.1. obs.59. Johannes Rhodius, *mense Decembri Adrianus Spigelius Chir. Prof. domi suæ catellum Milesium, quem in deliciis habebat, epilepsiâ confectum aperuit. Intestina vermibus cucurbitinis ac tæniis scatebant. Hanc affectionem in canibus etiam observavit Marcellus Donatus Medic. Histor. l. 2. c. 4.* Simili ratione morsus aliarum bestiolarum & punctiones hunc morbum faciunt. *Nobilis Venetus*, inquit cent. 1. observ.50. Johannes Rhodius, *dum præscinderet ungves, læso nervo successit inflammatio, convulsio, & interitus. Nervo manus punctiuncula tacto Prevotius interitum animadvertit. Eodem fato Henricus ab Urso, quùm inter medendum digito suo scalpellum impegisset, irritis omnibus auxiliis occubuit.* Non vapores de dolente membro sursum levantur. Eos autem censeo cum sanguine ferri ac referri. Atque vincula quidem artubus injecta tùm non sunt incommoda. Rectè *Thomas Grossius* & *Vincentius Alsarius â Cruce* statuunt eos, quos cieat *Coriandrum* aut *Apium*, vapores, cum sanguine in Cerebrum pertendere. Quidam per veneficia Epilepticus aliquando factus erat. Besticla subter cutem deprehendebatur, in vasculis sanguinis inclusa, cum sursum & deorsum reperet. Ab ea etiam *facultas naturalis Expultrix* incitabatur. Nec verò non erant, qui vaporem crassiorem inibi cogi arbitrabantur. Summa, omnis dolor hunc morbum facere potest, hoc est, quod *Posidonius* apud *Ætium* scribat, *ab omni parte hunc affectum suscitari posse.* Nullum certè membrum non ita irritari potest.

Itaq; veteres autores imitatur *Helmontius l. de Lithiasi c.9.* Spasmus est accidens spiritus sensitivi, quod manifestant inprimis nervorũ puncturæ vel tendinum, itemq; febres, sumta venena laxantia, ictus serpentum atq; alia his paria. Nec interim contra arguit, quod ictus capitis etiam Spasmum inferat: cùm non minor capiti, quam intestino, in torminibus, sit authoritas pro fabrica spasmi. Tàm scilicet spasmus, â capite oriundus, quàm â vitâ sensitivâ, virus perhorescente, natus est clientum musculorum. In ictu capitis, quid statim veneno, latus contractum contaminavit? Quidve confestim omnes illius lateris nervos inanivit, aut replevit, nonne Cerebrum sternutando quatit? Membrana pulmonem ambiens, in asthmate contrahitur sicco? Corrugatur, contrahiturq; plena, in pleuritide atq; hactenus sponte â costis se avellit? Conrrahiturq; nõ infrequenter Mediastinum? Etiam Diaphragma notabili pressuræ anxietate augustatur? Cui hactenus nomen deest, licet affectus is palpitationi cordis frequens. Splenis quoq; obtusi quandoq; dolores, contracti visceris sunt indices. Contrahitur quoq; stomachus singultu, vomitu & doloribus stomachicis. Sunt nimirùm in his membranis contracturæ interpolatæ, quotiens infestans causa occasionalis movetur, recurritvè. Intestina quoq; cutis venæ arteriæ, nervi se contrahunt. Nonne etiam contracta vesica expertes sæpè fefellit Lithotomos: Contrahuntur sic parastata vasa in gonorrhoeâ, spermatis stimulo excitata. Pudendum quoq; contractum intrò, sic subinde evanescit, ut absq; præputio exstet nihil. Sic & sui sunt musculorum crampi. Sicq: parturiens per intervalla suas, & immanes contracturas patitur, quoties uterus â tergo se corrugat, ut latentem expellat sarcinam. Os pectoris quoque ad pubem, spontaneâ sui contracturâ, exitum venienti pandit fætui, atroci dolore. Vidi et hystericis tendines loco natali ligamenti, sponte desiliisse, contractoq; immani dolore, itemq; ad pristinum locum rediisse. Nephritidi quoq; familiare & ureteres contrahi ferocissimo dolore, nîl urgente fortassis præterquam teneriore sabulo. Insolentis semper ratus sum ignorantiæ, ventos (juxta Scholas) in nervis ac tendinibus oriri vel deforis, in nervis concipi, crampi (ob id enim flatulenti) autores, imò & inde tolli ferè ad arbitrium

bitrium

bitrium. Spiritus enim ſenſitivus, doloris horrens, venas, arterias, tendines atq; membranas furiosè contrahit. Doloris namque proprium eſt, convellere ac contrahere. Ita quidem ut os ſuprà pubem & in lumbis, contrahatur ſpontè in parturiente, quã-quam nullo ductore aut matore muſculo. Quippè dolor, propriâ ſui naturâ, eſt contractivus membrorum. Idq; motu naturali & nequaquam arbitrali, quod potiſſimum in labris vulnerum ſpectatur. Quippè quæ indolentia ſunt, quamdiu flaccida labra habent, nec contracta. Scholæ autem in naturâ doloris, contracturas, ut etiam animam ſenſitivam præteriêre transcurrendo ad ventos, decubitum humorum excrementitiorum, acrimoniam, conſonantiam & deuteropathiam partium. Nec dextera pars gutturis affligitur, dolente ſiniſtra ejus parte. Sufficit ergò hactenùs, quod omnis dolor contracturæ autor, præſupponat exoſum hoſpitem. Sunt nempè contracturæ etiam indolentes (ut ante de Scroto) quæq; non tàm â dolore, quàm â merâ moleſtiâ, ortum trahunt. Verùm contracturæ dolentes fiunt â cauſis hoſtilibus. Sic nempè dolent, quæ ſpiritum dictum propter animam, ſenſitivam acredine, ponticitate aut gradibus caloris vel frigoris iciunt. A venenis autem ut talibus, immanis conſurgit dolor, quod in peſte ordinarium & quia â venenis, ſæpè absq; acrimoniâ tantus ſurgit dolor, deſignatur veritas. Nimirùm quod â judicio animæ ſenſitivæ dolor emanet.

Idem *Helmontius* aliorum Medicorum ductu, auſpicioque *Cerebrum* negat *vaporibus* patere, quemadmodum *L.qui ignota Actio Regiminis inſcribitur:* Alibi verò Scholæ, dum notarent ab heſternâ crapulâ, manè vertigines obortas, maluerunt per anonymos tubos & gulam, rectà è ſtomacho in Cerebrum deferri morborum materiam, ſpecie vaporum. Ac poſtquam præfocatus ex utero Syncopizatos vel epilepticis inſultibus vel tremoribꝰ cardiacis extinctos, ad libidinem diſſecuiſſent, nullumq; vitæ prædonem in viis inveniſſent, cui homicidii reatus imputaretur, ad cœcos vapores ventosq; halitus in cor & caput delatos, ſe retulerunt. Oſtendi alibi, ne aqueos quidem halitus ferri poſſe ad planum Cerebri,

multoq; minus in ejusdem ſinus. Vana ergò in his morbis culpa vaporum ac reatus eſto. *Ac libro de Cauterio*: Sic in epilepticis citra ſpem ſanationisPatavini Hetruſci & Montispeſſulani candens ferrum usq; ad Cranii ſuturam adigunt, promittuntq́; fumos epilepticos ê Cerebro iſthac ceſſuros, non ut paroyxſmi durationem ſaltem minuerent, verùm ut ſæpè de cætero ſuſpenderent. Sed hæc ægri tolerant, ſpe ſurda valetudinis, ac ſine exemplo.

Mox hic autor, tàm ingenio, quàm ſermone turbulent⁹ veris falſa confundit. Namq; *l. ignota actio Regiminis ad hunc modum*: Deinde neq; vapores feruntur ê ſtomacho ad cor ac caput, per arterias & nervos os ſtomachi cingèntes. Cùm ipſæ Scholæ fateantur, nervorum officium non eſſe, trahere ab exteris. Arterias quidem trahere aërem volunt, ad cordis refrigerium & fuliginum expulſionem. *Atq; tract: de morb: Sede in animâ ſenſitivâ*: Etſi in capite aut pedibus putetur nidus occaſionalis, nunquam tamen recedit Paroxyſmus epilepticus, qui poſt ſe non relinquat ſitim, eoq́; ſigno prodat ſtabulum ſuum fixaſſe in ſtomacho, animamq́; ſenſitivam feriri, eâ potiſſimum parte, quâ ſiticuloſam poteſtatem plantavit. *Quid, quæſo, autor ex his colligere poteſt, & efficere?* Pergit *L. de ſede Animæ*: In hominis medio corporis trunco eſt ſtomachus, qui nedum ſaccus vel pera eſt aut ciborum olla, ſed in ſtomacho, præſertim ejus orificio, tanquam centrali puncto atq; radice, ſtabilitur evidentiſſimè principium vitæ, digeſtionis ciborum & diſpoſitionis eorundem ad vitam. Quicquid enim Phyſici de corde, magni momenti pendere unquam, id totum velint, nolint ſtomacho commune facere. L. de Lithiaſi c. 9. Quemedmodum & *l. qui Jus Duumviratus*. Nunc ſat eſt, repetiiſſe, unam in homine eſſe animam in ſtomacho, tanquam lecto ſuo, unde vitales univerſim poteſtates deſumendæ ſunt. Ac l. qui *Pylorus Rector*, item l. qui *Jus Duumviratus*, inſcribitur, *Incubum ſtomacho* cenſet oriri. *Libro etiam*, qui *Ignota actio Regiminis* inſcribitur, *diſſerit ita*: In arthriticis præcedit ſtomachi indiſpoſitio cum febricula antequam ullum ſignum in artubus eluceſcat. Sic in ſyncope, morte repentina, Epilepſia, verigine, Apoplexia &c. ſcena peragitur circa orificium

ſtoma-

ſtomachi, ut hactenus nomen cordis meruerit, & remediis ſtomachicis repente oblatis, plerunq; reſtituantur.

Idem autor quidem *Cephalica* medicamenta tanti non facit, aſt Cerebrum excrementa concipere & etiam ea in reliquem corpus diffundere arbitratur. Quàm perſpicuè Libro, *qui Demens Idea* dicitur, vera falſis miſcentur: Nulla ſimplicia, quomodo libet ſumta, materialiter applicantur Cerebro. Falſum eſt ideò, quicquid de pilulis Caphalicis, Lucis &c. Scholæ venditant. Siquidem nec pillulæ ê capite quicquam eliciunt, nec aliquid caput dat, quod non habet præter mucum, quem ad ſuam pelvim neq; alio mittit. Veluti etiam *Libro,* qui *de imagine fermenti* inſcribitur: Certum eſt, non ipſum ungventum, ſed ejus ſaltem odores intrò ſerpere & agere. Sic namq; epilepticus odore cadit, imò Cerebrum in epilepſia, quod non audit, non ſentit, nec ſi in ignē ceciderit, ſe retrahit, ſolis patet odoribus. *Ac tandem Libro de Lithiaſi c. 2.* Os Ethmoidēs & Spongioſum ait in fronte oppilari ac ſternutationem fieri per os Ethmoides.

A tantis peccatis ſe avertere non valuit *Helmontius.* Correctio igitur ſemper eſt adhibenda. Superiora proxima rurſus videamus. Admodùm facilè *Facultas Naturalis expultrix* ſurgere poteſt, quæ *Vim Animalem* quaſi profligat. Unde & *Facultas Vitalis* redditur debilior. Et hæc eſt cauſa, quod quæ proſunt, eadem noceant ſæpè. Dolore irritatur *facultas expultrix Naturalis*, eodem *Animalis* rurſus excitatur, urgente *Epilepſiâ. Odoramenta* nunc faciunt eundem morbum, nunc eum pellunt. Quidam Epilepticus odore *olei ſuccini* in eum rurſus recidebat, ac ſtatim reſipiſcebat balſamo ſvavis odoris. *Symphonia* eſt remedio. *Facultas Animalis* rurſus quaſi expergiſcitur. *Riolanus pater*, inquit cent.2.obſ. 78.D.D. Bartholinus, *ſæpè ſe expertum affirmat Epilepticos reſurgere, ſi ter in aurem vulgati verſiculi inſuſurrentur*:

Gaſpar fert myrrham, thus Melchior, Balthaſar aurum,
Hæc tria qui ſecum portabit nomina Regum,
Solvitur à morbo, Chriſti pietate, caduco.

Non

Non verbis, sed solo halitu oris in aurem immisso experimentum succedere expertus est Cl. Walæus, memini enim illum maximâ vi in sinistram aurem Epilepticæ puellæ inflavisse, nulloq; prolato verbo, imò ne sono quidem, ægram dictum factum excitasse. Posse tamen & verba certo rythmo inclusa simile quid sine superstitione ulla præstare, demonstravi in commentariis de Paralyticis, & quantum Musica in curandis affectibus valeat. Vicissim scire convenit, nonnullos Epilepticos improbis *clamoribus* ad se rediisse. Inde *Auribus*, inquit l.7. c.38. Vincentius Alsarius à Cruce, *strepitus, oculis magna luminaria offerri nonnulli imperant.* Ast filius *Joh. Matth. de Gradi* clangore & alius puer mihi notus subito conspectu luminis cadebat. Quare cautione quâdam adhibitâ, hi ægri in luce sunt habendi. Eâdem ratione *frictiones corporis* nunc commodæ sunt, nunc noxiæ, ut odor *rutæ*, quam tantoperè collaudant *Dioscorides*, & ex recentioribus *Valleriola*, quemadmodum Jacobus Sylvius *Ambram* & *Hyssopum* Trallianus. Est igitur, quatenus his & aliis remediis dari queat locus.

Cauteria & *vesicatoria* laudibus efferunt tùm veteres, *Hippocr: Ætius, Actuarius, Albucasis*, C. *Celsus*, tùm juniores, *Rondeletius, Hollerius, Mercurialis, Aur. Severinus, Vincentius Alsarius à Cruce, Thomas Grossius*, ac imprimis *Johannes Petrus Merenda.* At aliquantò cunctantius *Ludovicus Mercatus* lib.2. de Puer. curat. cap.12. & controv. Med.87. *Joh. Baptista Sylvaticus* assentiuntur. Nec *cauteriis* aut *vesicatoriis*, sicut rectè *lib. de Cauteriis* judicat *Helmontius*, vapores epileptici, aut, ut vocant, maligni emittuntur. Ea tamen aliquando auxiliantur, infestante jam *Epilepsiæ* morbo, non item, si ea tantùm timetur, nam inde moventur dolores, unde is nasci potest.

Idem ferè judicium de *purgantibus Medicinis* ferendum est. Quis non iis utitur? At valentiora teste *Ludovico Septalio* nocent, non quòd ea, ut judicat hic autor, & *Thomas Erastus, solvant*, ita loquuntur, *naturam*, sed quòd *naturalem expultricem facultatem* stimulent ad motum. Ea & illitu & odoratu sunt efficacia; Quin & visu, ut talia *l. de Osse Cribriformi* & *lib. de Catarrhis* dissertavi. *Viso Antimonii infuso*, inquit Cent.5. Obs.64. D.D. Bartholinus, *patiens dictum factum nausea orta rogat, ut amoveatur medicamentum, statimq; tanta humorum colluvies ἄνω & κάτω expurgatur. Sæpè enim ad medica-*

mento-

mentorum præſentiam ægris alvus concitatur, ſive atomis per aerem diffuſis corpusq; intrantibus, ſive terrore & medicaminis averſione. Hiſtorias quorundam, quibus ſolo odore purgantium alvus turbatur, vide apud Th. Eraſtum diſp. de propr. Med. c. 60. Multi & hîc vim *imaginationis* meritò mirantur. Sola, *inquit l. de viribus Imag. Quæſt. 8. Fienus*, imaginatione & terrore ex viſione Epileptici cadentis conceptis, nonnulli feruntur in Epilepſiam incidiſſe. Nimia imaginatione de peſte, etiam per ſomnum plurimi in peſtem incidunt. Alii diuturna rerum triſtium meditatione in lipothymiam, melancholiam, marcorem & phthiſin incidunt. Imaginatione rei fætidæ vel naturæ contrariæ, ex ſola relatione, vel oblatione concepta, plurimi vomituriunt & ſanguinem è naribus emitttunt: imaginatione pharmaci nonnulli purgantur. *Hæc ille.* Tàm occultè moventur facultates animæ. *Reverenda Monaca* (ita refert cent. 2. curat. 100. Amatus Luſitanus) *apud S. Sixti, cùm fratrem ſuum emortuum ſubitò acciperet, illicò humi cecidit, & tanquam mortua per horam integram manſit, quæ poſtea utcunq; revocata, comitiali morbo cruciari cœpit.* Nec mirum fuiſſet, ſi mors ſubſecuta fuiſſet. Audiri ob id *Diomides Amicus libr. de morbis Sporadibus* & *Dominicus Terillus Tract. de cauſis mortis repentinæ cap. 7.* queunt. Quod ad *Epilepſiam* attinet, rurſus præſtò eſt *Helmontius l. quo confirmatur morborum ſedes in anima ſenſitivâ:* Vidi ſæpiùs mulieres, quibus metus ſubitaneus, alias quoque, quibus inſignis mœror, epilepſiam ſuſcitaverat. *Ac l. Ortus Imaginis morboſæ:* Pavor amisſi vel amittendi honoris, ſi per diem unum duraverit, Epilepſiam fecit ſubinde. *Itemq; l. de Lithiaſi:* Facultas ſenſitivæ animæ inchoat agere, dum per ſenſibilia irritatur, paciturque! Siquidem Spiritum vitalem, totumq; corpus concutit, ac demum vitalem ſupellectilem prodiga disſipat, ſibiq; morbos parit, ac necem accelerat. Ut etiam hinc verificetur proverbium, quod nemo magis lædatur, quàm â ſemetipſo. Adeoque â conceptis ſenſibilibus, (uti anima ſenſitiva merus actus eſt,) ſemel ſtimulata (eſt namque tota irrationalis, brutalis, iraſcibilis ac concupiſcibilis) in furias tranſilit & Symptomaticè ſive furioſè concutit. Senſibilia ergo læſionum atque morborum occaſiones ſunt, Anima verò ſenſitiva eaſdem occaſiones perſentiens, nec ferre vo-

lens, ſuos variè concitat miniſtros, impresſisque ideis â ſcopo alienat. Unde dein varia morborum ſemina ac proles. Unde facilè dignoſcitur, quod ſenſus fiat per judicium animæ ſenſitivæ. *Hæc ille.* Profectò *imaginationem* & ipſius mortis cauſam, *Johanne Rhodio cent.1. obſ.65.* enarrante, notat *Dionyſius Fontanus*, *qui de morborum Internorum curat. l.1. c.25. narrat, in fuga Allemannica prope* Regium *Provinciæ repertos quadraginta circiter milites ſine ullo vulnere, ſolo timore peremptos. Aſt hoc vero ſimilius, quod à viris fide dignis accepimus, ruſticos venetorum allectos militiæ adhuc tirones in bello Fori Julii edito prælii ſigno examinatos. Nimirum animà timore concuſsâ, ſanguis repentè confluit ad cor, inibiq; inculcatur, unde calore ſuffocato mors facilis.* S*tudioſum quoque ab imaginatione morbi pariter extinctum refert Thomas Campanella Med. lib.6. cap.1. Artic.11. Militem ſupplicii terrore fermè oppreſſum Gulielmus Fabricius Hild. de Lithoto: cap.11. refert.* Multos ſcio ſi taciti reputant, quàm indignisſimè ſecum agatur, in *Epilepſiam* cadere. Quâ ratione igitur *Vincentius Alſarius à* Cruce, *levis iracundia*, l.7. cap.45. inquit, *non inutilis fortaſſe, quando nativus ab ira calor excitatur?* Eam ipſe autem lib. *de catarrho* damnat. Ac laudat *Galenum*, qui l.1. de Sanitate tuenda cap.8. *teſtatur*, *ſe quotannis ægros non paucos perſanaſſe, ſolis animi motibus ad debitum motum revocatis.* Talia ſunt in promptu ac ſuperius etiam â *Johanne Baptiſta Montano in* Conſ. firmata.

Nunc interiora videamus. Facultates, ut uſitato, receptoq; vocabulo vocant, *Animales*, nõ ſolùm ſomno, ſed etiam quorundã morborũ magnitudine tolluntur, ut *Syncope*, *Apoplexiâ*, *Caro* & tandem *Epilepſiâ*. Vis *vitalis* autem & *naturalis* adhuc ſuperſtes eſt, alterâ cum altera ſocietatem ſummam habente. Quamobrem nonnulli, ut *Caſpar Hofm: com. in l. Gal. de uſ. part. c.16.* vitalem facultatem appellârunt *naturalem nobilitatam* aut *vegetativam exaltatam.* Ex utraq; efflorеſcit quaſi *facultas expultrix*: *Vitalis* in Sanguine ineſt, ab ea jam turbatâ *ſudores, profluvia varia, inflammationes* partium cientur. Naturalis in omnibus viſceribus & membris deprehenditur. Eæ

nec

nec solidæ partes carent, nec illæ, quæ semper immotæ sunt, quemadmodum *Hepar, Lien, Stomachus, Matrix.* Quin interdum *stomachus* teste *Galeno l. de Sympt. differ. c. 4.* libidine vomendi vehementiùs agitatur. Atque *Singultus* autore *Fernelio* tres menses duravit. Similem nonnulli vocitant *Spasmum Stomachi*, uti etiam *Spasmum Matricis*; si ea à partu sæpè ad tactum usque, manu ad ventrem admotâ, tantoperè commovetur. Tandem *eâdem expultrice Naturali facultate* gaudent *musculi*, voluntarii motus organa. Cujus vi concitatiore artus agitantur, nunc invitâ *Animali facultate* ac renitẽte, *Convulsionem* dicis, nunc eâ ceu fugatâ, unde *motus convulsivus* existit, & ipsa etiam *Epilepsia.* Quæ autem partes nec concavæ sunt & ad alia membra penitus annexæ, eæ semper permanent immobiles. Harum quidem vis ex occulto surgit, ac aliorum nonnunquam quoque dissitorum membrorum *facultatem expultricem* solicitat, incitatque & inclamat quasi tacita. Hæc *Facultas Naturalis Expultrix* toto corpore diffusa, arctissimo tamen intimæ societatis vinculo cohæret, ut tota tandem concitari queat. Ex illis musculosis partibus si hæc tandem surgit, cunctum quatit corpus. Si *Thomam Erastum*, quem forsitan imitatus est *Harveus*, item *Helmontius*, suprà audimus, *sensus* bipartita est divisio. Hic vel *animalis* est, & fit ope Spiritus animalis, vel *naturalis*, quo nullum pænè membrum deficitur. Est & occultus. Non semper vel frigida vel calida vel acria offendunt Facultates Animæ, sed & alia, quorum his verbis penitus exprimi haud potest. Et quàm multi certo odore examinantur, quo eodem reficiuntur alii? *Facultas vitalis* in Sanguine residens, ex abdito sentit adversum. Quare illa turbatur, & mox deficit potestas Animalis. Cor cujusdam animalis jam eviseratum, dilaceratumque si acu pungitur, illa ejus portio, ut dixi sæpiùs, se contrahit. Hoc viscus si, vivente homine, ab humoribus transmittendis affligitur, *Facultas Expultrix Naturalis* etiam in musculosis partibus concitari potest, ut *Epilepsia* inde nascatur. Hæc *Naturalis Expultrix* & *Expultrix* illa *vitalis* omninò conspirant. Erumpentibus *variolis* aut *Morbillis*, quorum materiam versat in Sanguine *Facultas Vitalis*, etiam surgit aliquando *Expultrix Naturalis Musculorum.* Irritatur quoque tunc *facultas Naturalis expultrix stomachi*,

hinc vomitiones, unà quoque *expultrix Naturalis tunicæ interiorum Narium* sæpè irritatur, hinc sternutamenta provocantur. Dentitione Puer sæpè fit epilepticus & *facultas stomachi expultrix* simul movetur. Turbatur & *Massa sanguinea*, hinc *vigiliæ* & *febres*. Interdum alio dolente ob nervos membro, *Epilepsia* instat, sanguisque eo ipso tempore est commotior. Peritè igitur hoc *libr.1. Observ.11.* *Nicolaus Tulpius scriptum reliquit: summè admirabamur, nunquam ipsi intervenisse novum Epilepticum Insultum: quin evidenter ipsum præsagierint vel comitatæ temporum arteriæ: vel floridus manuum ac malarum robor. Accenso sanguine, mirum haud fuit, motas fuisse temporum arterias, tinctam manus ac faciei cutem.* Si nervus est sauciatus, dolor de *sensu Animali* nascitur & inde *Epilepsia*, *cerebro* inoffenso. Nec ejus *ventriculi* tunc obturantur nec vellicantur *Membranæ*, secus vult *Sennertus*. Est illa genuina Epilepsia ac germana, imò interdum gravior eâ, quam ajunt per *Idiopathiam cerebri* invadere. Hanc & similibus *Cephalicis Antepilepticisq;* depellimus, ut *aquâ cerasorum nigrorum*, quâ perluitur lingua. Quidam aquâ gelidâ & simplici ad id utebatur, & idem efficiebat. Nec mirum. Ejus algore *Facultas Animalis* expergiscitur, uti earum rerum, quæ admoventur naribus, vel fædiore odore vel jucundiore. Epileptici quidē interdū longinquitate morbi istius evadūt stupidi, deliri ac obliviosi, Sanguis quoq; tanto & tā crebro agitatu redditur vitiosus. Inde & illa *facultas animalis* infringi potest. Quin *cerebrum* tantâ capitis concussione affligitur. Nonnunquam ejus partes ipsæ sunt per se vitiatæ. Ex eo tamē effici non potest, Cerebrum, *Epilepsiâ* semper ægrotare. Fabula est, vapores de læso nervo surgere. Si cranium, ictu illato, effractum est, fitq; cariosum, vapores inde ferunt itidem *cerebrum* ferire. Cur ii, patente osse, non sursum naturali suâ levitate feruntur? Nec *Principium Nervorum*, ut sibi privatim persuadet *Sennertus*, convellitur comprimiturque ac rursus diducitur. Hi faciunt dolorem, non seipsos movent, ingruente *Epilepsiâ*. Multis locis magni sunt nervorum plexus, quanta eorum inibi, ut sub alis deprehendetur palpitatio? Quàm graviter *Laryngis* caput, quod multos nactum est nervos, quàm graviter

Epi-

Epilepsiâ lien concutietur, cujus nervi teste *Glissonio* tàm multi sunt, quàm validi? Nonnunquam quidem Epileptici *nervos* sentiunt fieri debiliores. Satis autem argumentati non erit, eorum *principium*, *Spinalem Medullam conglobatam* & *cerebrum* & *totum genus*, ut loquitur Sennertus, *Nervosum* fuisse concussum? Quàm multi consurgunt ceu sanissimi, peræquè valent nervis & articulis? Capite quàm incolumi sunt? Ac admodùm solerti homines ingenio interdum hoc morbi genere conflictati fuerunt, ut *Julius Cæsar*, *Plotinus*, *Franciscus Petrarcha*. Eodem nomine & *Hercules*, *Cambyses*, *Caligula*, *Drusus*, *Carolus V*, & alii commemorantur. Pueri etiam ingenio præstantes in hunc morbum facilè cadunt. Illius autem rei causam *Vincentius Alsarius à Cruce* populari communique illi intelligentiæ congruenter exponit, ad veritatem parùm aut potius minimè, unaquæque pars lib.2. cap.31. *inquiens*, in nostro corpore, quò exactiorem sensum obtinet, eò magis à sensibili & re præter naturam afficitur, læsionem enim sensus acumine faciliùs persentit. Quamobrem cum omnes, qui ingenii subtilitate aliis præstant, ob subtilem Cerebri substantiam, exactam admodùm habeant illius membri, aut partium ejus sentiendi vim & facultatem, verisimile fit, eos futuros magis Epilepsiæ obnoxios, utpote quorum *expultrix Cerebri Virtus* vel ex leviori causa ad contra pugnandum irritatur, quod sanè haud contigit iis, qui tardo præditi sunt intellectu, in quibus propter *Cerebri* crassitudinem ægrè suscitatur facultas. Hæc enim videtur esse causa, quamobrem Florentini perspicacissimi ingenii viri, inter alios Italiæ populos, comitiali morbo maximè laborare cernuntur. *Hæc autor.*

Ab aliis illud cælum eâ de causa laudatur. Tale & sanguis ipse magnam partem ad ingenium *Hippocrate* autore & teste *Aristotele* conferunt. Ego ab alio principio exorsus sum dicere. Ob id *Sedes*, ut quidē loquitur *Sennertus*, & *Subjectum Epilepsiæ* non est *Cerebrum* nec *Genus*, ut vocat *Sennertus*, *Nervosum*, sed *Musculosum*. Eo *Facultas illa Naturalis Expultrix* continetur, est ibi spectatior, est valentior. Fabricâq; Musculorum ad motionem tàm aptorum quasi abutitur. Quemadmodum Vis *Vitalis* cuncto sanguine, ita toto

 gene-

genere *Musculoso*, *illa facultas* est dispersa. Ejus ingenium diximus esse, ut semel irritata, nunc sponte quiescat, nunc surgat rursus, utque etiam nunc in vitiato musculo quasi sopiatur, in sano & eo penitus diverso hunc aut similem faciat morbum. Quapropter *Sennertus* frustrà *Cerebrum* accusat, quod nunc dextrum, nunc sinistrum ab humore vel à vapore lædi arbitratur. *Iram* sæpè excipit *Paralysis*; non semper, ut l.2. Obs.20. censet *Tulpius*, humore obrutum est *Cerebrum*. Ipse *Sennertus* biliosam & vaporosam *Paralysin* commemorare, necesse habet. Simili ratione *terror* facit *Paralysin*, item *Aphoniam*. Anno 1619, inquit Cent.2. obs.29. Johannes Rhodius, *Gaspari Bauhino rusticus quidam fuit oblatus, cui à spectro, ut ferebatur, perterrito, sensibus illæsis & inoffenso linguæ motu, deperditus erat sermonis usus.* Galenus *l.2. de præsag. ex insomn. refert, cuidam, cum inter dormiendum crus alterum sibi factum lapideum visum foret, præter omnium opinionem crus illud paralysi obtorpuisse.* Compari modo nuper Illustrissima quædam princeps somniavit, se de alto cadere, offendique inde dextrum latus corporis, Expergita brachium illius lateris movere non valuit. Ac etiamnum vivit Paralytica. Simile fatum quidam passus est, sed antè multò de illius *sinistri* femoris torpore querebatur, nunquam verò de *Capitis* aut *Cerebri* gravedine. Hic si dextro Capitis latere fortè fortunà sauciatus fuisset, facilè in *paralysin* illæsi lateris recidere potuisset, ut ille, qui diu fuit calculosus ac tentatus quoque stupore cruris sinistri. *Helmontius libro de Conceptis* & aliis locis facit mentionem *Ideæ* & *Imaginationem*: Repentinus, inquam, terror & mœror sæpè aliquos morte improvisâ extinxére, aliis quoq; saltem Syncopen fecere. Plerisq; muliebribus profluvium suscitârunt, in vitam durabile. Sin autem vis ideæ non ferocient in cruorem, huncq; ideo non ut exosum, proscripserit: sed penes se, in hypochondrio custodiverit: sigillat ibidem morbum comitialem. Mœror lentus verò, quiq; per intervalla, solatio tantillo interruptus, Ideam cudit, undè melancholia hypochondriaca in mulieribus, in viris autem

tem Icterus: si in cruore sigillentur Ideæ: sin autem in viscere Lienis ipso, Asthma & præfocationem molitur. Sin mœror cum Idea desperationis connectitur, Paralysin aut contracturam parat præsertim virginibus. Sed mœror lentus cum præmeditatâ irâ vel ꝑ odio, jungatur, singultum, cordis tremorem vel menstrui suppressionem contumacem edit. Imò si ejusmodi passiones fortes fuerint, caducum faciunt, & abortum vel præfocant gestantes Uterum. Si violentus terror vel timor irruat: cuduntnr Ideæ Epilepticæ, quæ in vitam perennant. *Similiter libro, qui tumulus pestis inscritur;* venena cætera sensibili aliquo signo produntur. Sola verò pestis insensili contagio communicatur, perinde atq; humani pedis vestium, sui odorem servat. Ecce ut imago tristitiæ repentinæ, appetitum sternat: rei nauseosæ creat vomitum: imago condolentiæ, pariat lacrymas: imago lentæ tristitiæ suspiria suscitet: imago pavoris generat epilepsiam atq; subinde Paralysin. *Ac quoque L. de Lithiasi c. 9.* Velocitas insperati casus terrorem in cerebro ac medullis parit, id est, in spiritu, horum incola & sationis illius autore. Itaq; ob suum terrorem, contrahitur medullæ debilius latus. Est nimirùm paralysis, productum illius contracturæ. Estq; in omnibus semper unum latus altero debilius. Idcirco mulieres, quæ ut timidi plerunq; sunt animi, per terrorem corruunt frequenter in Paralysin absq; apoplexia. Id enim proprietatis terror habet, ut poros confestim claudat, si subitaneus fuerit. Steterentq; comæ, vox faucibuus hæsit. Quia naturale est, ut venienti hosti janua claudatur. Etenim in ictu calvariæ resolvitur latus suppositum, oppositumq; contrahitur, contrahiturq; oppositum, quia irritatum. *Hactenus Autor.*

Hæc & similia perquàm difficilia sunt ad judicandum. Latentes illas causas alio loco exponemus. Non omnia sunt hujus disputationis & temporis. Contra *Sennertum* hîc palàm facio, *Cerebrum* uti *Epilepsiâ* ac *sternutatione* non moveri, ita utrumq; malum aliter curari oportere. Quâ de viâ medendi & de ipsis remediis adversus *Epilepsiam* valentibus & volumen meum est. Revertamur igitur ad Facultatem *Naturalem* & *Vitalem*. Quam ac *Lunæ* adolescentis virtutem nescio,

quâ

quâ contagione diximus ex tanto intervallo cohærrere. Quanquam illud Sidus terram pænè contigit, ut nunc Solis lumine collustratum tantô majorum virium esse videatur, quâ viâ philosophatur *Vincentius Alsarius â Cruce*, cujus verba *l. de Arthritide* ponentur. Eadem vivendi, alendiq; vis, & cum *Animali Facultate* in ipso corpore habet communionem. Illa si sangvinem concitatiùs movet, mens inquietatur, uti revertente febri, aut motâ inflammatione vel membranarum *Cerebri* vel membranæ Diaphragmatis aut *pleuræ faucium* ac quoq; *Artuum*. Hæc *Vis Naturalis* sæpè usq; ad præsentissimum vitæ periculum excludit sangvinem. Est rationis expers, ruit in pernitiem. Mortem igitur variis modis affert. Adeò illa compesci non potest, semel commotior. Attamen in eandem aliquid juris habet Facultas illa Animalis. Quàm inutilis, *test. C. Celso*, est post cibum aut contentio aut cogitatio animi. Eo non tranquillato, corpus nunquam pulchrè alitur. Boni igitur Medici officium est, ad animum aliquando curationem dirigere.

Hujus affectus quantam vim habeant, iterum, iterumque reputemus. Adversis & terrentibus sub aspectum venientibus, statim *facultas sentiens, intelligens*, & hinc *Motrix Animalis* turbantur & facultas illa, quæ in *massa Sangvinea* inest, ac hinc rursus *Motrix vis Animalis*, quam *Sennertus* ait, *omnibus totius corporis musculis insitam esse.* Refugiente Sangvine, ipsi *pili* capitis subriguntur, ac ejus cæteriq; corporis *cutis* tota inhorrescit. Tunc in tunicis *Musculorum Vis Naturalis expultrix* simul irritatur. Dicto citius, artus magis, magisq; tremunt, usq; hic morbus occupet corpus. Eodem ferè momento temporis *facies* nunc rubescit sangvinis multitudine, nunc ejus pernuriâ exalbescit. Tàm mirò societatis vinculo & tanta cognatione *illæ facultates animæ* inter se continentur. Homo irâ accensus cõprimit digitos, quatit caput, stridet dentibus, oculos vibrat, stat rigidior, omnes contendit musculos. Sunt insignia quasi *Epilepsiæ*, in quam is quoq; recidit sæpè. Nõnulli ad primum loci præcipitis conspectum, ad olfactum cujusdã rei, ad tristem nuntium cadunt in *Epilepsiam*, nonnunquam in *Syncopen*, ceu tacti fulmine. *Vis illa agitatrix vitalis sanguinis* se inhibet.

hibet. Eadem quoq; currentem ſangvinem incitat, homine res rubri coloris preſſiùs intuente. Autor eſt *Cælius Aurelianus*. Idem horrendas fabulas referri vetat, ſi quis eſt imbecillis ſtomacho. Et hoc eſt, quod *Eraſmus Roterodamus l. de lingva* ſalsè tangat eos, qui doctrinam artis Anatomicæ profeſſi, res cogitatu fœdas in ipſo cætu epulantium enarrant. Qui videt, audit aut olfacit vomiturientem, vomit ipſe. Idem, qui inanit alvum, urinam reddere, neceſse habet. Idq; callidè intellexit ille Regis Barbari miniſter maximus, qui vetuit, referente *Adamo Oleario* ſimul mingi, cùm Rex alvum exonerari juſſiſſet. *Sennertus* in lib. Inſtit. *convulſionis* naturam exequens, *actionum* quidem *Sympathiam* memorat, ſed aliâ ratione. *Fœdus Naturæ Vinc. Alſ. â Cruce* peritiùs dicebat. Ubi Calculus urget *Renem dextrum, ſiniſter Ren* nihil humoris reddit. At interdum vis expultrix Naturalis ad ſtomachum pertinens, fit inquietior, hinc illæ vomitiones. Similesq; non ſolùm *Capitis*, ſed etiam aliarum *partium vulneribus* illatis, cientur. Aſt ſummo ſtomacho dolente & *Cor* aliquando afficitur, eâdem illius membri facultate jam provocatâ. Inflammatos oculos qui intuetur fixius, in ſimilem morbum cadit vi *imaginationis*, ut nobiliſſimi Medici ſtatuunt *Vop: Fort: Plempius, J.C. Baricellus, Chriſt â Vega,* quorum verba C. *de catarrho oculorum* ſunt adſcripta. Admodum Phyſicè illud *Perſii* Sat. 6.

Nec tamen ſollers turdorum noſſe ſalivam:

Interpretatur *Iſaacus Caſaubonus*, ſaliva inquiens, pro guſtu & ſapore frequens latinis ex ratione Phyſicâ; nam quando anima movetur, appetitu aliquid edendi, propter partium Sympathiam ſtatim ſaliva in ore naſcitur: tanq: ſupplente pro ſuâ virili natura defectum rei optatæ: quod etiam in aliis affectibus ſimili ratione poteſt obſervari.

Similia inde affert *Helmontius*. Ut oſcitatio, *inquit ille libr. de Febribus cap. 11.* febres multas comitatur, ita ſanè oſcitanter cuncta tradidere. Cujus ergò etiam notandum, inſulſam cauſam oſcitationi dari â Galeno. Scilicet quòd fuligenes congeſtæ muſculos mandibulæ ſuſcitant, ut explodantur. Inprimis plurimæ fuligines inflarent illos muſculos, quibus multa eſt oſcitandi neceſſitas & frequentia. Cur in febribus illæ fuligines magis

Oo obviæ,

obviæ, quàm in podagra & apoplexia? Certè nulla est functionum nostri corporis, quæ magis ad exemplum movetur, quàm oscitatio. Oscitantem namque facilè sequimur, etiam nolentes ac inviti. Non igitur oscitatio â fuligine, sed ab illâ facultate & parte, quæ imaginationi paret. Etenim Scholæ mecum admittunt os stomachi â conspectu facillimè moveri. Quoniam plurimi nauseant & vomunt promtissimè, conspectis aut imaginatis sordibus: visoq́; acerbi pomi esu, os multis saliva liquescit. Os stomachi ergò potissimum ad imaginationem movetur. Somnus verò item, sopor, coma, catochus, catalepsis, vertigo, ejusq́; generis accidentia ab ore stomachi promanant, prout alibi de Duumviratu. *Atq; Libro, qui Tumulus pestis inscribitur:* Non frustra alibi de morbis scribens, demonstravi, lætitiam, metum, iram, odium, cæterasq́; passiones atq́; perturbationes, non secus atq; terror pestem, actualem sui imaginem propriam atq; singularem, in nobis generare. Hæc *autor.* Quidam, quem novi, sternutantem salutavit, mox ipse jam sternuens, *morbo hoc Comitiali* implicabatur, cui erat obnoxius. Illa tamen vis *naturalis expultrix,* quam nacta est interior narium tunica, & *naturalem totius corporis facultatem expultricem,* tanquam summâ propinquitate sociatam incitare potuit.

Hisce omnibus aliquid luminis adhibet *Felix Platerus,* qui hanc *feliciter* movet quæstionem: *an una facultas expultrix irritata alias quoq; excitet? Mirum, quod facultatum tantus sit consensus, ut non solùm irritatis naribus, sequatur sternutatio, verùm etiam si oris ventriculi morsus ex humore parvo, â medicamento, aliavê causâ subitò oriatur & quædam cardialgia, sternutatio illud nitatur expellere, ut singultus hoc aliàs facere solet. Quod frequenter in meipso experior.*

Strenutatio, ut principiò jeci, aliquam similitudinem ad *morbum Comitialem,* cùm quo maximè confertur ab *Avicennâ,* habere dicitur. Verè an secus, tandem ad hoc tempus. Necessarium enim fuit, ipsius *Epilepsiæ* naturam priùs reddere. Venia autem prolixo animo, ut spero, dabitur, quod in eâ re tàm multus fuerim. Hæc semper exercuit ingenia. *Comes Montanus* hanc simi-

ſimilitudinem intelligit induci non oportere. *Similitudo epilepſiæ,* inquit ille, *& ſternutationis claudicat in multis. Epilepſia & Sternutatio toto genere differunt, cùm illud fiat à facultate irritatâ, hæc à morbo.* Nunc & *Thomas Eraſtus Diſput: Quarta* verum ex parte conſequitur, quid, quod, *inquiens*, ſternutationem omnes cenſuerunt adeò eſſe Epilepſiæ ſimilem, finitimamq; affectionem, ut permulti non ſint cunctati affirmare, nihil aliud eſſe levem Epilepſiam, quàm fortem ſternutationem. Equidem ſicut Cerebrum, quod in naribus vel inſtrumento odoratus vel ſi ita libet in Cerebri prioribus ventriculis acre, mordaxq; ineſt, impetu quodam excutere in ſternutationibus tentat, ita in Epilepſiâ quod noxium, mordax aut naturæ ejus inimicum in omnibus ventriculis continetur. Fit quoq; in ſternutationibus aliqua convulſionis velut ſpecies in facie, ut hac quoq; in parte ad eam proximè accedat. Cæterùm *in ſternutatione obſtructio nulla eſt: ergò nec in Epilepſiâ* obturatio tanta comminiſcenda eſt. Neq; opus eſt, ut in Epilepſiâ putemus membra ſpiritu animali magis privari, quàm in ſternutatione ſpoliari contingit. *Hactenus Autor.* Rem tangit *Autor*, pervidere autem non potuit, Vulgi opinione oppreſſus. Illam tàm vanam tàm ſeriò *Quæſt:5.c.de Epil:* exponit *D.D.D.Sennertus.* Cujus verba ex ordine ſubjungantur

Cerebri membranæ, ubi à meteria mordaci *& maligna vellicantur ac moleſtantur, illud quod moleſtum eſt, excutere conantur. Atq; hoc modo vis expultrix cerebri primò quidem movetur: eadem tamen animalem facultatem, quæ ſubjecto illi ſimul ineſt, in conſenſum trahit, eamq; ad expulſionem laceſſit. Hinc fit, ut potentia illa Cerebrum vehementius dilatet & comprimat, ac iſta compreſſione, quod ſibi moleſtum eſt, excutere conetur, quod in ſternutatione fieri videmus.*

Memorat *hic autor, Sennertus,* vim *expultricem Cerebri naturalem*, mox quoq; *animalem Cerebri facultatem motricem.* Verùm *Cerebro* non eſt muſculus, nec ullus hinc motus, qui ab arbitrio hominis proficiſcitur. Quo igitur pacto *autor Cerebro eam facultatem animalem* attribuat, non reperio. Idem certè *expultricem facultatem naturalem* & *animalem* exiſtimat conſpirare ad eji-

ciendum id, quod creat molestiam. Hæc omnia me tacente, corruunt, tàm infirma sunt. Dein sociatas illas facultates autor eam appellat *potentiam*, *quæ Cerebrum vehementiùs dilatet*, *quod in sternutatione fieri videmus.* Nulla in corpore humano potentia tanta esse potest, ut *Cerebrum* vel naturâ, vel vi morborum, ut hic loquitur, *dilatare* possit. *Stomachi* quidem & *Matricis* tunicæ à partu & à cibo etiamnum distentæ, se contrahere queunt, ut quoq; tremere videantur. At *Cerebrum* nec ad hoc *motus naturalis* genus est idoneum; semper enim quiescit; nec vel *Epilepsiâ* vel *Sternutatione* urgente, se aperit & vicissim corrugat. Et quæ vis caloris inesse potest *Cerebro*, ut vult *Clementius Clementinus*? Sternutatio, *inquit ille*, *provenit â fortitudine expulsivæ & à calore, qui dilatat meatus, & in ventositatem convertit humiditates ventriculorum Cerebri. Ideò faciliùs sternutamus, quando intuimur Solem, & fortiùs, quando olfacimus elleborum vel euphorbium.* Quo, quæso, pacto *Cerebri calor humiditates ventriculorum Cerebri in ventositatem convertere* poterit? Cerebrum â plerisq; omnibus frigidum viscus habetur. Nec facilè humor assumit naturam flatus. Nec reliqua magis probantur, quæ *autor* subjungit: *Sternutatio fermè confert surdis & convalescentibus, sed in principio febrium nocet, nam attrahit humores ad caput. Facilè autem sedatur, si intervallum fricetur, quod in radice nasi utriq; oculorum interjacet, aut frons aut collum fricetur vel olfaciet oleum rosatum, & spongiam aut naribus attrahat aquam rosatam aceto mixtam.* Quâ ratatione *sternutationem* credit autor *conferre surdis*, quâ ipse *humores* statuit *ad caput attrahi?* De reliquis *l. de osse Cribrif:* & l. 5. *de Cat*: c. 1. sententiam tulimus. In hoc laudandus est autor, quod *fortitudinem expulsivæ* memoret, quàm verò non in *ventriculis Cerebri*, sed in *tunicis Narium interioribus inesse putato.*

Nunc *Sennertus* hæc subnectit: *Imò simul facultatem moventem in nervoso & musculoso genere in consensum trahit. Atq; hoc modo â facultate expultrice quidem initium motus est, motus tamen vehementiam juvat vis animalis. Aliter enim se habet expulsio* in parte, *quæ motu destituitur, aliter in eâ parte, quæ ad motum apta est, variantq; symptomata secundùm partes subjectas: id quod & in sternutatione*

tatione, quæ magnam cum epilepsiâ convenientiam habet, videre est, ut & in singultu.

Si aliter, ut loquitur *autor, se habet, expulsio in parte, quæ motu destituitur, aliter in ea parte, quæ ad motum apta est,* certè *cerebrum* nec *epilepsiâ* nec *sternutatione* agitabitur. Illud namque naturaliter non movetur, quâ de re inter autores hâc tempestate constat. Nec id ad motum quoque per se aptum est. Difflueret ipsum, quippe tàm molle, tàm loculatum; *Ventriculi* isti seu cavitates corruerent, distraherentur *nervi*. Sensibilibus *cerebri* partibus ut tunicis, *Durâ Meninge* aut *pericranio*, vehementer indolentibus, oritur aliquando *Epilepsia*; Illis ipsis verò immotis nec concussis membranis. Primùm *facultas Naturalis Expultrix* ad propulsandas injurias incitatur, dein ei statim societate illâ summâ succurrit *facultas naturalis expultrix* earum partium, quæ operâ *musculorum* ad voluntatem hominis moventur. Minimè *cerebrum Epilepsiâ* vehementiùs agitatum, ut sentit, loquiturque *Sennertus, in consensum trahit animalem facultatem in nervoso & musculoso genere*; hæc enim ab *expultrice naturali* surgente potius quasi fugatur. Utq; *vis sentiendi* tùm plerunque tollitur, ita etiam omni ex parte intermoritur *Facultas Motrix Animalis. Vis expultrix naturalis in sensibilibus cerebri partibus irritata*, incitat collocatam in membris ad arbitrium mobilibus *facultatem expultricem naturalem.* Quâ de causa *sternutatio*, *magnam cum epilepsia convenientiam* meo judicio *non habet*, ita contrà nunc dico. Sternutando afficitur thorax, cujus motus est *animalis*, aut si vis, *mixtus*, accessione autem *epilepsiæ* statim læsi membri *facultas naturalis expultrix* irritata commovet eandem aliarum partium *facultatem expultricem naturalem.*

Tandem *Sennertus* hisce verbis utitur: *Quanquam enim princeps & prima causa sternutationis sit vis expultrix Cerebri; irritatur tamen eadem & in consensum trahit vim motricem capitis & thoracis, Cerebrumq; irritatum in expulsione ista à motrice functione corporis adjuvatur, musculiq; capitis & pectoris contrahuntur, ut felicius ac potentius id, quod molestum est, à Cerebro expellere possit.* Ac idem *in Institut. Medic.* ad hunc modum: *Sternutatio quanquam inprimis & principaliter ad naturalem facultatem Cerebri, expultricem puta, pertinet,*

tinet, tamen præter Cerebri motum ſecundariò & thoracis motus concurrit, qui Cerebri motum adjuvat.

Illud primo loco poſitum prorſus inficior ac contrà proclamo: *Princeps & prima cauſa ſternutationis* neutiquam *eſt vis expultrix Cerebri*. Cùm ſternutamentum movetur, ſola *expultrix vis naturalis tunicæ narium* vel à rebus *internis* ut à vapore ſanguinis & ab affluentibus humoribus, vel ab iis, quæ admoventur Naribus, malè afficitur. Inde & eadem *expultrix vis naturalis Thoracis*, ceu vicini membri ac in eandem utilitatem conſpirantis incitatur. In Naribus enim ille *canalis* eſt fabricatus, quo *aer* commeat. Hunc ut *pulmones* capiant, *thorax* dilatatur. Si *narium tunica* injurias *aeris* ſentit, eum homo mox operâ thoracis efflat. Ubi verò acrior pulvis piperis aut Zingiberis in *nares* conjicitur, illa *tunica* vehementiùs laceſſitur, ut protinus ſurgat *facultas Thoracis naturalis*, majorique vi illos contrahat *muſculos*. *Facultas thoracis motrix Animalis* tunc nondum abacta eſt, attamen valentior impetuoſiorq; eſt *facultas expultrix naturalis Thoracis*, contrahentibus ſe *muſculis intercoſtalibus*. Et hoc eſt, quod ſubitas magnasque *ſternutationes* ægrè cohibeamus. Homo *Epilepſiæ* obnoxius ſi crebrius, vehementiusque ſternutat, *vis expultrix naturalis* aliarum partium & tandem totius corporis interdum irritatur, ut ſuperveniat *Epilepſia*, quâ non ſolum *facultas ſentiendi*, ſed *vis animalis motrix omnium partium* ac etiam thoracis fugatur. Quo fit, ut non ſine periculo vitæ interrumpatur ſpiritus. Deinceps eam *Cerebri* (ut vocant) *expultricem vim Sennertus* ait in *conſenſum trahere vim motricem Capitis*. Quod mihi æquè diſplicet. *Muta* quaſi quædam *ſternutatio* eſt, quâ *Narium tunica* vel ab internis vel externis rebus non ſatis laceſſitur. Homo quidem ad *ſternutationem* ſe componit, in quam ſe intelligit provocari. Ea verò haud ſubſequitur. Senſus iſtius verminationis in illa ipſa *tunicâ Narium* percipitur, non in *Cerebro*, nec in Capite. Cujus præcordia ſunt probè percuſſa, is verè non ſternuit. An fracta inde eſt vis, ut vocatur, expultrix Cerebri? Ac caput ſemper movetur, prout movetur thorax, cui inſidet. Quare hoc leviſſimè aut potius nihil agitatur, eo homine *ſternuente*, qui de induſtria cohibet pectus. Scio nonnullos flatum illum dunta-

xat ex pectore exurgentem, ore patulo, ſine ullo ſonitu,ſine ſtridore,ſine concusſione capitis,ſternutando diſpellere. Qui verò ſternuit liberè, nec hoc modo conſuevit *expultricem* vim *naturalem* ac eam in *thoracis muſculorum* partibus reſidentem tanto niſu *motricis animalis* ejuſdem *thoracis* inhibere, is non capiti modò, ſed ventri quoq; & intraneis motum incutit. Multi autorum, hinc *Sennertus* quoq;,ipſius matricis abſceſsũ *l.4.Prax.* ſentiunt ſternutando rumpi. Natium certè, *capitis & thoracis muſculi* aliquo confinio cohærent, provocatâ ſternutatione. Minimè autem vis *expultrix cerebri* (ut vocat *Sennertus*) *in conſenſum* quoque *trahit facultatem motricem* natium aut femorum. Ac quo pacto etiam vel *Clunium* vel *Capitis* motrix *poteſtas Animalis expultrici facultati Cerebri* tanto adjumento fore putatur? Longè aliâ ratione *muſculus capitis*, aliâq; ſe contrahet *Cerebrum.* Quo modo igitur hoc viſcus *tàm feliciter,tàm potenter id, quod moleſtum eſt, tunc expellet?* Alvumque exonerantes & parturientes fæminæ quantâ vi contrahunt *muſculos?* Hæ atque ſaturi nitentes etiam *Cerebrum* ſimul inanient? Aſt meâ ſententiâ illud,moto inde ſanguine,potius replent. De hoc aliàs ac etiam *cap. de Catarrho Auri:* Quo modo, quæſo, vel capitis vel pectoris vel utriusque muſculorum contractio uſque in *Cerebrum* ita penetrare poterit, ut ejus quoque commotionem, quæ fingitur, intendat? Horum contra doctrinam in judicando prudentisſimus quiſque nunc exardeſcet, at ſine omni iracundiâ. Priores enim ſi verum non deſeruiſſent,nos illud nunc conſequi haud poſſemus. Nec *Salinatori* ſuccenſebat *Maximus*,qui *Tarentum* recepit, quod ille amiſerat antè. Veri ſtudium poteſt eſſe ſine ſtomacho.

Nunc refert, hîc tandem diſpicere, quônam modo *Epilepſiæ ſternutationem*, itemque *ſingultum* comparare liceat. Quemadmodum *morbus ille Comitialis*, irritatâ membrorum *facultate naturali expultrice*, hominem opprimit, ita *expultrice naturali tunicæ narium incitatâ* cietur *ſternutatio.*

Atque ut *Epilepſiâ* opprimente, unius membri *facultas naturalis expultrix irritata* eandem aliarum partium vim commovet, ita vis *expultrix naturalis tunicæ Narium quoque thoracis vim facultatem expultricem naturalem* incitat, ut inde tàm ſonora fiat *ſternutatio.*

tatio. Porrò, quemadmodum *Morbo Comitiali* instante, totius corporis *facultas expultrix naturalis* tandem surgit, ita eadem vel nimiis *singultibus* vel *sternutamentis* vehementioribus incitatur, ut ipsa interdum subsequatur *epilepsia.* Hisce tàm levibus similitudinibus ille morbus (*Comitialis*, *Singultus* & *Sternutatio* cohærent, haudquaquam, ut *Sennerto* quidem videtur, *Cerebri concussione* conveniunt. Tàm rectè *Martinus Schoockius*, *Vir omni laude præstans* suprà pronuntiabat, *neutiquam Epilepsiæ adæquari posse sternutationem.* Quam meam sententiam hoc loco exposui, pluribusque etiam illustrabo. Omnia nunc conquiri non potuerunt. Ac ipsa *Morbi Comitialis*, *Convulsionis* & *sternutationis* cognitio admodùm difficilis, ac ardua, imò desperata tùm à vetustioribus, à *Galeno* ipso, ut *Jacchino* ferè placet, ab *Avicenna*, ab *Averroe*, tùm à junioribus, à *Cratone*, ab *Hofmanno* & ab aliis semper habita fuit.

NUnc ad ordinem institutum & ad ipsum *Narium Catarrhum* revertimur, quanquam ab eo haud digressi videbimur, cùm ad illum ipsum omninò pertineat *sternutatio*; Unde hæc movebatur quæstio. Ad eum, inquam, ordinem, quo objicientibus respondebatur.

Illud verò est novissimum, quod opponitur. Narium mucus cruentus haud satis signi est aut argumenti, cunctam pituitam ex *Narium tunica* emanare. Nam supernè ex *cerebro* syncera potest provenire pituita, cui ex *arteriis narium* sanguinis guttulæ dehinc immisceri queunt.

Verùm superior muci pars non semper albicat, nec sanguinea semper est inferior. Tanta, ne multa, muci & sanguinis confusio non foret, si hi humores tàm diversis viis concurrerent. Sæpè cunctus narium humor est cruentus, qui in linteolis consideratus, nihil aliud est, quàm pituita. Similis aut magis sincerus interdum & ore redditur. Qui tamen *Cerebro* neutiquam submovetur. Quam meam sententiam *Vincentius Alsarius à Cruce* imprudens probat, à sanguine, l.5. de Epilepsia cap.4. *inquiens*, syncero extra venas effuso gigni aliquando posse Epilepticam Passionem præter Avicennam scriptum quoque reliquit Hippocrates 1. Pror.38, neque id pulso negaret Galenus. Sed hoc fieri nonnisi rarò crediderim, quoniam

niam ſanguis non ita frequenter ê venis egreditur, ac in Cerebri ventres egreditur, graviora potius ſymptomata invehit, nimirum omnimodum ſenſuum, motusque principium, animales ſpiritus omnino corrumpens. Sanguis enim ſtatim ac ê venis egreditur, amplius in ſui naturâ non permanet. *Hæc ille.* Omnis certè cruentus *catarrhus* aut erit *apoplexia* aut *Carus.* Morbo *Arquato* urgente, pituita narium flaveſcit ad electrum. Hujus verò coloris non Cerebrum, ſed eſt ſerum maſſæ ſanguineæ. Atque ille cruentus humor ſi *Oſſis cribriformis foraminibus* cadit, ejuſdem tàm ſanguinei coloris erit *Cerebrum.* Idem verò humor ſi de *Narium arteriis* venit, intelligendum eſt, per eaſdem etiam ipſam pituitam non ſanguine confuſam, ſed ſynceram aliquando edi poſſe. Taliſque ſæpè ſubvenit, muco cruento & inſtar cruſtæ aridiore jam protracto. Quapropter hic ſubſequens albidus pituitæ liquor nullo modo nullaq; viâ à *Cerebro* potuit ejici. Quæ vaſcula illum cruorem reddunt, eadem & aliquando puram putam pituitam. Hæc ſunt, quæ video objici poſſe. Adverſus illa nos hactenus.

Sed jam etiam aliquid de curatione dicendum eſſe videtur. *Hippocrates libro ſecundo Progn.* hoc prædicit: κορύζας ἐπὶ πᾶσι τοῖσι περὶ τὸν πνεύμονα νοσήμασι προγεγονέναι ἢ ἐπιγενέσθαι, κακόν: h. e. *Gravedines per omnes morbos, qui in pulmone ſint, prævenire aut ſupervenire, malum.* Hoc effatum *Galenus* interpretatur *hiſce:* Gravedines & deſtilationes ſemper non bona indicia eſſe cenſendum eſt, provenientes quidem eò, quod malis repleant humoribus pulmonem: procedente verò morbo ſi exiſtunt, quia magnam pulmonis affectionem & ab ipſa caput eſſe affectum ſignificent. Atq; *recentiores* in hunc modum: *in capite ſuam ſedem ac ſuum focum habet coryza, & per conſenſum pulmo interdum ſubminiſtrat pabulum malâ,* (quam ſuprà quoq; dixit Sennertus,) *evaporatione: quod ſuperiore prognoſtico obſervatum, morbis pulmonum coryzam magno cum ægrotantium malo ſupervenire. Arguit hæc aut vehementiam affectus, quod nimirum à pulmonis evaporatione calidâ caput quoque ſit repletum, ſiquidem & Galenus tales exhalationes, quæ dolorem capitis & vertiginem creant, de pulmonibus quoque in caput ſubire docet, aut tàm cerebri, quàm pulmonis cachexiam & infelicem concoctionem pravita-*

temque alimenti, quod hepar per venæ cavæ propagines utrique visceri subministrat.

Pluris iterum sit majestas veri, quàm dignitas autorum. Profectò plurima hîc sunt inania. Hæc primus noto, non ut illorum ex erroribus gloriam consequar, mihique plaudam, sed ut dicenda ne celem, repertis novis viis *catarrhorum*. Vetustiores, horumque interpretes periculum multò gravius fore pronuntiabant, ubi ægri sunt *pulmones*, & ita fumant, ut inde *Coryza* concitetur. Ast *pulmonis vaporem* usq; ad *Cerebrum* haud sublevari posse, nunc in aperto est. Quid? *Coryza*, ubi urget *Catarrhus pectoris*, minimè inter mala indicia est, sive præcurrat illa, sive postveniat. Contrà magis pernitiosum est, ubi diuturnam, vehementemque *coryzam* excipit morbus, seu, ut loqueris, *Catarrhus pulmonum*. Nec mirum. Levior *catarrhus*, teste *Hippocrate*, uti & *C. Celso*, est *Coryza*, narium membranâ ad id fictâ, ut humores excludantur. Viaque horum est brevior. Igitur plus creatur periculi, ubi humor tandem confertur in *pulmones*. Ast superveniens *Coryza* eos ita afflictos potius allevat. Idque ita esse, compertum est sæpiùs. Quidam duodequinquaginta annos natus, iter unius diei, summâ hyeme, tempestate perfrigidâ conficit. Peregrè commoratur tres dies, quos impendit conviviis. Manè languet vehementer, redormit quidem, at summa cutis per intervalla subinde inhorrescit. Mox se committit viæ ac quanto maximo cursu poterat, rediit domum. Deinceps *victus ratione, ductione alvi* ac *sudationibus* curat valetudinem. Queritur semper de gravedine pectoris, tussit vehementiùs, rejicit humorem albidi coloris. Latera *thoracis* haud dolebant, nec calor tantoperè infestabat. At Spirandi difficultas erat stridula. Æger rei medicæ peritus medentem edocebat, dextrúm *pulmonem* humore onustum esse. Dulciculæ potiones offeruntur: at æger ab iis abhorrebat. Inter alia remedia jam paranda tandem cruentum mucum extussiebat. Itaque properabatur ad detractionem sanguinis. Hæc ægrum nec liberat morbo nec levat. Quin is & interiorum narium æstuantium verminatione graviter vexabatur. Hæ intus pænè coalescebant. Quare cunctus animæ meatus vehementer impediebatur. Hunc nares occlusæ an pulmones facerent

rent ſonantiorē, in ambiguo habebatur. Tandem ingens vis cruenti muci emungendo multos dies reddebatur. Quàm copioſus erat, tàm fœdus aſpectu. E diverſo pectoris humor ſubitò minuebatur, ac qui tusſi rejiciebatur, erat naturalis coloris. Quis non intelligit, humorem de *dextro* in *ſiniſtrum cordis ventriculum*, ac tandem *in adſcendentem ramum Aortæ* raptum fuiſſe, ut in illud *Narium* emiſſarium pervenire potuerit? Quidam quoque *podagræ* obnoxius, *eryſipelate* pedis dextri opprimebatur, poſtmodum tentabatur eodem, quem modò dixi, pectoris morbo. Tusſis erat diuturna, difficultas ſpiritus quoq; ingens & ſonora, mucus cruentus. Viribus admodum detritis, tandem accedebat ſimilis *Coryza*, quæ miſerum à tanto periculo vindicabat.

CATARRHUS PULMONUM.

ARGUMENTUM.

Pulmonis Catarrhus iterum dicitur, non verò *Branchus*. Est *tertius*, duce Hippocrate, *Catarrhus Cerebri*. Ex alio genere est. Non est *conspicuus*. Decurrit *gutturis* fistulâ. Nunc *Peripnevmonia* est, nunc *pleuritis*, hoc est, vel dextri vel sinistri pulmonis inflammatio. Utrumque morbum *tussis*, *raucitas*, *Empyema*, & tandem *Phthisis* sequuntur, intercurrente *febre*. *Hippocratis* doctrinam exponunt *Theodorus Zvingerus* & *Johannes Baptista Montanus*. Dicitur & *Capitis catarrhus in ventrem superiorem*, qui testibus, *Galeno* & *Philotheo*, est *thorax*, sedes pulmonum. Hic *catarrhus*, si humor obsidet totum pulmonem, *Peripnevmonia*, si ejus alterutram partem, *Pleuritis* vocitatur. πλευρὰ dicitur cujuslibet rei latus. πλευρία & πλευραὶ differunt. Quid *Pneumonia* sit, quid *Peripneumonia*, quid *Pleuripnevmonia*, quid *Pleuritis vera*, quid *notha*, exponitur. Ad hunc *Catarrhum* & *Angina* refertur. Prædicti *tres catarrhi* & *hic* sunt partium inflammationes. Quidam ab *Hippocrate* deficientes, negant *Anginam* muci descensu nasci posse. Stridula *difficultas Spiritus* & *pulsuum inæqualitas* non sunt notæ humoris fistulâ gutturis in *pulmones* fluentis. Nec *Asthma* hoc pacto oritur. Idque docuerunt quidam *Galenicorum*, quos imitatur *Helmontius*. *Montanus* tale quid videns, noluit tamen *Hippocratem* deserere. Vera falsis confundens, tradit, hunc capitis *Catarrhum* partim per *asperæ arteriæ canalem* & ejus per ramos, partim per *venas* in pulmones ferri. Signa humoris per *asperam arteriam* influentis haud sunt *tussicula sicca*, *difficultas anhelitus*, *pectoris dolor in profundo*, *pallor faciei*, *spumosæ Urinæ*. Qui humores vitiant *pulmones*, illi non sunt *cerebri*, sed *Massæ Sanguineæ*. Commodè *Montanus* memorat *Cachexiam*. Nec *pulsus parvus*, *mollis*, *imbe-*

cillis

cillis & *inaequalis* est signum humoris *de capite* stillantis, ac per *vasa arteriosa* coëuntis in pulmones. *Catarrhorum* curatio vetus est & nova. Differunt omninò. *Opium* non est frigidum. *Philonium* constat ex pluribus calidis, quàm *Diaspermaton.* *Philonium* ob eam rem haud reprobandum. *Saccharum rosaceum, succus myrtillorum, Syrupus de jujubis, de violis, de siliquis non hac faciunt, ne catarrhus facilè distillet ad venas illas.* *Bolus armenus* in majus laudatur. *Incidentia* medicamenta possunt *Cerebrum* & *pulmones* violare. Natura jure princeps in agendo existimatur. *Gargarismata* magis conveniunt, quàm *Masticatoria* & *caputpurgia.* *Masticatoriis* allectus humor non potest in pulmones tàm facilè confluere. *Capitis corroborantia* sunt superflua, *balnea* etiam ac *lotiones Capitis.* *Calida corroborantia Capitis* possunt nocere *naturali calidae temperaturae Capitis.* *Theriaca recens* non est *corroborans pectorale.* *Cauterium verticis* propter *commissuram suturae Coronalis & Sagittalis* non convenit. Per omnia adhibetur *correctio*, repertis illis novis itineribus *Catarrhorum.*

✠

NUnc studio *Hippocraticae* custodiendae numerationis *Catarrhorum*, rursus scripta duplicare videbor. Qui enim autore *Hippocrate* sequitur *catarrhus*, est ille, ad quem quoq; spectat *Branchus*, quo de satis verborum fuit. Sed hunc *pulmonis Catarrhum* hoc loco haud tacendum, ita exponam, ut nec dicta geminem nec verba. Nec superior tractatus scribenda penitùs consumpsit. Quare tantum fastidium haud creabitur. *Hippocrates libro de Glandulis* tandem ab alio *Catarrhorum* genere orditur. *verba recognosce:* De capite fluxiones secretione contingunt, per aures secùndum naturam, per oculòs, per nares. *Aliae per palatum in fauces, in gulam.* Καὶ ἄλλοι δ᾽ ὑπερῴης ἐς φάρυγγα, ἐς στόμαχον. Quèmadmodum & *libro de locis in homine:* at verò fluxiones ex capite septem sunt. Quaedam siquidem in-

nares, quædam in aures, quædam etiam in oculos decumbit. Atq; hæ quidem ex capite fluxiones, oculis ſunt conſpicuæ. Ubi verò *in thoracem* (ἐς τὸν κίθαρον) *obfrigus defluxerit*, bilis exiſtit. Quod ideò ferè contingit, quod ad guttur facilè defluat, cùm minimè ſit contectum. *Quin etiam cùm in thoracem fluxio decubuerit, ſuppurati & tabidi fiunt.* Καὶ ἔμπυοι γίνονται, ὅταν ἐς τὸν κίθαρον ῥέῃ, καὶ φθισιῶντες.. *Ac paulò poſt*: At cùm in thoracem fluxio decubuerit, bilisq; fuerit, quod hinc manifeſtum eſt, dolor lateris mollitudinem prehendit & claviculam, quæ ei è regione reſpondet, *febris* adeſt, *linguaq;* ſuperiore parte ex viridi palleſcit & concreta excreantur. In hoc morbo periculum ſeptimo aut nono die exſtat. Ubi utraq; latera doluerunt, reliquaq; ſimiliter ut in priore ſe habuerunt, hæc quidem *pulmonis inflamatio* eſt, illa verò pleuritis; eamq; ob cauſam oriuntur. Cùm *de capite per guttur & arterias aſperas* in pulmonem fluxio incubuerit (ὅταν ἐς τὸν πνεύμονα ῥεύσῃ ἐκ τῆς κεφαλῆς διὰ τοῦ βρόγχου καὶ τῶν ἀρτηριῶν) is nimirùm ſuâ naturâ rarus & ſiccus, cùm exiſtet, quicquid humoris poteſt, in ſe attrahit. & ubi influxerit, major redditur, & ſi quidem in totum fluxerit, fibræ majores redditæ utrumq; latus attingunt, *pulmonisq; inflammationem* faciunt, cùm verè alterum tantùm, lateralis fit morbus, pleuritis dictus. Pulmonis inflammatio longè periculi plenior eſt. Niſi *febris* ſeptimo die dimiſerit, moritur. Quod ſi nono die, duobus interpoſitis diebus corripiat, hic etiam ut plurimùm, aut moritur, aut *ſuppuratus* evadit, Si verò duodecimo die, ſuppuratus fit. *Purulenti* quin etiam fiunt, cùm minùs excreant, quàm ad pulmonem defluat. Quod enim in pulmone colligitur & defluit in pus vertitur. Pus autem in pulmone & thorace collectum, ulcerat & putrefacit. Et ubi ulcus exicatum fuerit, ab ulcerata parte & ab eo, quod per ſputum repurgatur, defluit. Ac ſimul quidem *caput concuſſum*, magis fluit, (ἅμα μὲν ἡ κεφαλὴ μᾶλλον ῥεῖ σειομένη) ſimulq; ex ulcerato thorace & pulmone magis fluit & *ulcera motu ipſo reſiccantur*, ut etiamſi quod à capite defluit, ceſſet, id tamen quod ab ipſis ulceribus procedit, ad morbum faciendum ſatis eſſe poſſit. Fit etiam ab ulcere purulentus & le-

vior

vior hic morbus eſt. At verò *tabes* fit (φθίσις δὲ γίνεται) cùm ad eundem locum, velut in purulento, fluxio fertur, per guttur & aſperas arterias, aortas appellatas (διὰ τοῦ βρόγχου καὶ τῶν ἀορτέων) quæ pulmonem & guttur contingunt. Defluit autem in pulmonem ſenſim aſſiduè, nec copioſam in pulmone humiditatem facit. Dum enim reſiccatur quod *defluit in gutture concreſcens*, nimirùm cùm non eluitur, ſed ſenſim influit & detinetur, *tuſſim* inducit. *Supperatos* hac ratione dignoſcas. Dolor lateris adeſt, difficultas reſpirandi. Quod ſi nondum pus eruperit, in lateris mollitudine concuſſum, velut in utre ſtrepitum edit. At ſi horum nihil adfuerit ſuppuratio tamen adſit, ex his ſignis conjecturam facias. Magna ſpirandi difficultas adeſt, ſubraucum loquitur, *pedes & genu intumeſcunt*, thorax & incurvatur & membrorum ſolutio oritur, *ſudore* etiam totum corpus perfunditur, nunc frigido, nunc calido, ungves circumtenduntur & venter incaleſcit. *In eandemq́; partem libro de Glandulis, ſed brevius:* Aliis per palatum ad fauces multa & frequens fluxio, *morbus tabificos* facit. Pituitâ enim pulmones implentur, indeq; pus gignitur, quod pulmones exedit, neq; ægroti facilè evadunt.

Theodorus Zvvingerus Hippocratem hâc viâ *interpretatur:* Partes catarrhis tentantur vel levius, ut oculi, aures & nares vel gravius & quidem per *palatum* vel ventriculus vel fauces in trachæam, ubi morbi oriuntur *tabifici*. Ratio: pituita enim ad pulmones delapſa, ibi putreſcens, ſubſtantiam pulmonum arrodit, *inflammat & ſuppurare* facit. Ac rurſus *eundem Hippòcratem, ſed libro de locis in homine ad hunc modum*: fluxiones Capitis ſunt vel manifeſtæ, in Nares, Aures, & Oculos, vel non manifeſtæ & hæ per poſteriores vias vel anteriores, ut vel in Gulam vel in thoracem per aſperam arteriam, hinc *Pleuritis* ſive *Peripnevmonia*. Comitatur autem *febris* & ſubſequitur interdum *Empyema* & *Phthyſis*. Atq; *libro de Flatibus*: Catarrhus fluit in partes *ventris* vel *ſuperioris*, ut in oculos, nares & aures vel medii & vel *in fauces*, hinc Angina *exulceratio*, *Aſperitas*. Ratio. Aër enim, qui vocis inſtrumentum eſt & inſpirando & expirando, ad faucium catarrho irrigatatum latera allidens raucam, minimeq; ſonoram vocem efficit. Vel in

pulmo-

pulmones & thoracem, excitat verò vel *Branchum*: Ratio: quandoquidem pituita acribus & ſalſis humoribus commixta, in loca inſolita incumbens, ſuâ inſolentiâ facilè exulcerat. Ergò Branchum, non raucedinem ſimplicem, ſed cum exulceratione junctam intelligit. Vel *Tuſſim*, quando pituita aëri per inſpirationem exitum molienti deſuper illabens occurrit.

Johannes Baptiſta Montanus quoq; *Hippocraticam Catarrhorum diviſionem* c. 8, Lectione XLVIII. aliter exponit, ſed expreſſius, *inquiens*, inlibello de glandulis & in alio libello de locis in homine: in utroq; illorum ſub nomine Catarrhi omnem deſtillationem â capite appellat ad ſubjectas partes decumbentem, & ſeptem ſpecies ponit, quas declarabimus. Appellat duos ventres inferiores thoracem & ventriculum, ſi breviorem viam, vellemus, omnis Catarrhus deſcendit à Cerebro vel per propria foramina vel ad oculos, nares & aures, vel per *vias amplas*: cùm per *communes* has & *vias latas* deſcenderit, hoc eſt, per *duos canales amplos* vel per alterã illorum, id eſt, per *canalem alteræ aſperæ* vel per oeſophagum & per unum ad pectus. *Et paulò poſt*: ſunt illi *duo canales communes*, cùm decurrit ad fauces, & aggreditur viam alicujus canalium.. *Hic Autor* hunc *catarrhum* vocitat *Catarrhum* per *Canalem*, indicando *Guttur*.

Thoracem hoc loco memorat *Hippocrates*, quem & vocitat *ventrem ſuperiorem*, quemadmoum 7. Libr. Aph: 38. Κατάῤῥοι ἐς τὴν ἄνω κοιλίην ἐκπυΐσκονται ἐν ἡμέρῃσιν εἴκοσιν. *Deſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurantur intra viginti dies.* Ad hæc *Galenus*: ventrem ſuperiorem nunc nominat, qui à thorace præfinitur, quem pulmo obtinet atq; ideò à capite diſtillatio fertur, per aſperam arteriam. Ac *Philotheus*: Κοιλίαν δὲ τὴν ἄνω, θώρακα, παραβάλλων πρὸς τὴν κοιλίαν. Quod convertit in Latinam ſermonem *Ludovicus Coradus*: *Ventrem autem ſuperiorem vocat thoracem, comparans ventriculo.* Inde *Johanes Lygæus* illum *thoracem* interpretatur, *in quo pulmo continetur.* Nam *Ariſtoteles* & eo duce alii *thoracem* vocant totam illam cavitatem, qua cor, pulmo, diaphragma, ſtomachus & inteſtina continentur. Ac *Hippocrates* quoq; illam ſedem ſtomachi appellat *ventrem ſuperiorem.* Quâ de

de re sermo mox instituetur. Satis hîc est, scire, τὸν κίθωρον significare illum superiorem *ventrem*, in quo *pulmones* sunt collocati, non eum aliquantò *inferiorem*, cui subest *stomachus*, receptaculum cibi & potus.

Tradit quoq; hoc loco *Hippocrates*, talem *Capitis Catarrhum*, quo humor ἐς τὸν κίθωρον fertur, facere *pulmonis inflammationem* seu *Peripneumoniam*. Cumq; pulmo sit divisus, *Hippocrates* ait eum nunc dextrum, nunc sinistrum, nunc utrumq; *pulmonem* illo modo laborare posse. Id quod probè examinat *Vincentius Baronius libro de Pleuripneumonia.* Atq; *Julius Cæsar Benedictus à Guelfalione Pleuritidem* inde contendit autore *Hippocrate* non illius *Pleuræ* dictæ membranæ, sed ipsius *pulmonis* vel dextri vel sinistri inflammationem esse. Nec inepta de hoc est censio, *Hippocratis*, verbis adeò usq; significantibus. Idem quidem *Hippocrates* dicto *libro de locis in homine* paulò post ita loquitur: Πλευρῖτις ξηρὴ ἄνευ ῥόου γίνεται, ὅταν ὁ πλεύμων λίην ξηρανθῇ ὑπὸ δίψης ἀναγκαίης ὁ γὰρ πλεύμων, ἅτε ξηρὸς ἐὼν, ἐπὴν τι μᾶλλον ξηρανθῇ τῆς φύσιος, ἰσχνὸς γίνεται καὶ ἀκρατὴς γενόμενος κλιθεὶς ἐς τὸ πλευρὸν ὑπ᾽ ἀκρασίης, ψαύει τοῦ πλευροῦ· Καὶ ἐπὴν θίγῃ ὑγροῦ ἐόντος ἅπτεται, καὶ πλευρῖτιν ποιέει. Hoc est: *Lateralis morbus siccus seu Pleuritis sicca citra fluxionem oritur, cùm ex vehementi siti pulmo admodum resiccatus fuerit. Pulmo enim cùm siccus existat, ubi amplius, quàm pro natura resicatus fuerit, gracilis evadit & impotens redditus ad latus præ impotentia inclinatur, ipsumq; confingat, eoq; contacto, cùm humidum existat, ei adhærescit & morbum lateralem seu pleuritidem facit.* πλευρῖτις & ab *Aretæo* dicitur *pleuræ*, illius tunicæ imflammatio, uti & à *Polluce*. Admodum clarè *autor definitionum medicarum*: πλευρῖτις ἐστὶν ὀδύνη πλευροῦ καὶ ὑπεζωκότος, διατείνουσα μέχρι κλειδὸς καὶ ἀκρωμίου, καὶ ὠμοπλάτης· σὺν ὀξεῖ, καὶ ἀδιαλείπτῳ πυρετῷ, μετ᾽ ὀδύνης νυγματώδους ὁμοῦ καὶ φρίκης καὶ δυσπνοίας, καὶ βηχός. *Pleurites est dolor lateris, membranæq; succingentis ad jugula usq;, summum humerum & scapulas exporectus, cum febre acutá & continuâ, simulq; cum dolore pungente, horrore, spirandi difficultate & tussi.* Cæterum πλευρῖτις & πλευρέων πόνοι 3. Aph: 23. differunt: τοῦ δὲ χειμῶνος πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, πόνοι στηθέων

καὶ πλευρέων. Ac πλευρὰν dicimus cujuslibet rei latus. *Vetus glossarium*: πλευρὸν, latus. *Pollux*: ἡ περὶ τὰς πλευρὰς νόσος, πλευρῖτις. Ἀλλὰ τὰ μὲν ὑπὸ μασχάλην, πλευρὰ ὀνομάζεται. Τὰ τὰ ὀστᾶ, πλευραί. Rursus *Pollux* de partibus navis loquens: ὀνομάσαις δ' ἂν τοῖχον εὐώνυμον καὶ δεξιὸν καὶ σελίδα καὶ πλευράν. Dicuntur & πλευρὰ τῶν στασίμων ὀργάνων Iterum *Pollux* & quidem capite *de Geometriâ*: μέτρα, πλευρά. Item de partibus corporis equi; ὁ κῶλη ὑγρὰ μηροὶ ἰνώδες, πλευραὶ βαθεῖαι, περιμήκεις πρὸς τὸν γαστέρα καὶ ὀγκωδέστεραι. *Tibiæ flexibiles, femora nervosa, densa latera juxta ventrem longa & tumentia.* Ac *Capite de nominibus in terrâ nutritarum carnium*: Κωλῆνες ἑφθοὶ, ἀκροκώλια δίεφθα. Καὶ τὰ κρέα, πλευρία, πλευραί. Pernæ coctæ, percocti armi. & carnes, *latera*, *costæ*. Quare & πνεύμωνος πλευρὸν quibusdam dici posse videtur. Hinc & idem *Glossarium*: *Pulmonis* valitudo πλευρῖτις. Dici potest, ἀπὸ τῆς πλευρᾶς, à latere scilicet pulmonis. Quanquam *Isidorus ita*: Pleuritis est dolor lateris acutus cum febre & sputo sangvinolento. Latus enim Græcè πλευρὰ dicitur. Unde pleuritica passio nomen accipit. *Hic & hoc aspergit*: costæ, quod ab ipsis interiora custodiantur. Latus quia jacentibus nobis latet. Est enim læva pars corporis, dextro autem lateri habilior motus est, lævo fortior & oneri ferendo accommodatior. Und & læva nuncupata, quod aptior sit ad levandum aliquid & portandum. Ipsa enim gestat clypeum, ensem, pharetram & reliqua onera, ut expedita sit dextra ad agendum. *Hæc ille*. Certè à *Gallis* latus dicitur *le costè*: hinc & *coste à coste*.

Dein & illud pensiore examine trutines volo: Ait *Hippocrates*: Cerebri humorem ἐς τὸν πνεύμονα διὰ τῆς βρόγχου καὶ τῶν ἀρτηριῶν, item διὰ τῶν ἀορτέων manare. Hac viâ aut alterutra pars *pulmonis* aut utraq; quàm facillimè inflammari posse videtur. Quo pacto autem ille Cerebri humor *pulmonem* isto itinere transeat ita, ut eo illæso, sola *membrana costarum* afficiatur, erit explicatu admodùm difficile. An intelligendum sit, humorem illum hac viâ decurrentem, primùm *pulmones* inflammare, interdum etiam simul *tunicam costarum*, sed leviter? Qui morbus & hac viâ ortus erit *pleuri-*

pleuripneumonia, quo verbo utitur *Vincentius Baronius.* Nunc *Hippocrates* hoc loco pronuntiat, *caput concussum plus pituitæ in thoracem regerere.* Quàm facilè igitur *Peripneumonia* & *Pleuritis* exiſtere poterunt? Utraq; tamen paſſio eſt tàm plena periculi. Nam illa *pleuritis* autore *Hippocrate* eſt ea, quâ vel *dexter* vel *ſiniſter pulmo* inflammatur, ſecus quidem ſentiente turbâ juniorum Medicorum. Quæ diſſenſio fefellit *D.D.Sennertum. De loco affe ἔto*,inquit hic, *in pleuritide antiqui & recentiores decitârunt, an ſcilicet in pleuritide ſola pleura aut muſculi intercoſtales an verò ſimul etiam pulmones afficiantur? membranam equidem coſtas ſuccingentem inflammari in pleuritide, utpote quæ à parte affectâ nomen habet, dubium nullum eſt.* Imò dubitatur, an membrana coſtas ſuccingens,illâ *pleuritide* ortâ, inflammetur. Nam *Hippocrates* ait *pleuritide pulmonem* vel *dextrum* vel *ſiniſtrum* ſimili ratione lædi. Quam *Hippocratis* ſententiam *Julius Cæſar Benedictus* rationibus firmat, quas ipſas diſputatione quadam eruditâ, magis magisq; ſtabilit *Chriſtophorus Schrödterus*, ingenio præpotens, cultor medicæ ſcientiæ, artibus præſtans ac diligentiâ. *Vetus Gloſſarium* quidem vulgariter reddit: *Lateris dolor*, πλευρῖτις. Contra autem: *Lateris dolor*, περιπλευμονία. *Pulmonis valetudo*, πλευρῖτις. Pleuritis duce *Hippocrate* eſt πλευμονία ſeu πνευμονία: Utrumq; dicitur: uti etiam περιπνευμονία & περιπλευμονία. Unde apud *Marcellum* c. 33. *de agarico, prodeſt & jecinoris tumoribus & quos Græci περιπλευμονιακοὺς appellant.* Itaq; πνευμονία erit pleuritis, quâ alterutrum *latus pulmonis* impulſore *Hippocratre* afficitur,capitis humore per *aſperam arteriam* influente. Verùm cùm hæc via ſit commentitia, res ad hunc modum explicari poteſt. *Peripnevmonia* eſt utriusp; pulmonis inflammatio, & aliquando utriusq; membranæ, quæ *pleura* vocitatur. Præpoſitio περὶ talem inflammationem indicat, quæ ex utraq; fit parte pulmonis. *Pnevmoniâ* alteruter *pulmo* hoc modo æger eſt. *Pleuripnevmoniâ* pariter membrana *Pleura* dicta afficitur. Hæc erit vel dextri vel ſiniſtri *pulmonis, membranæq; pleuriticæ* inflammatio. *Pleuritis vera* eſt ille morbus, quo membrana, quæ cognominatur *pleura*, inflammatur ſola, & aliquando muſculi intercoſtales interni, & externi *nothâ Pleuri-*

tide. Alia *notha Pleuritis* eſt ille laterum dolor, qui ex tenui & ut vocant *flatulentâ materiâ pendet. Humor verò nunquam per aſperam arteriam* & ejus per ramos influit, ſed ſemper per Sangvinis vaſa, quæ ad pulmones pertinent & ad illam tunicam, quæ pleura nominatur. Habes, Lector, hîc meam ſententiam.

Hic Catarrhus variè cognominatur, ab Hippocrate, ut: *καταῤῥȣς ἐς φάρυγγα, καταῤῥȣς ἐς τὸν κίθαρον δ' ὑπερῴης, καταῤῥȣς ἐς τὸν πνεύμονα διὰ τȣ̃ βρόγχȣ καὶ τῶν ἀρτηριῶν* aut *διὰ τῶν ἀορθτέων, καταῤῥȣς ἐς τὴν ἄνω κοιλίην, θώρακα,* â junioribus *Catarrhus pectoris, Catarrhus pulmonum, Catarrhus thoracis, Catarrhus Trachææ* ſeu *aſperæ Arteriæ,* hoc eſt, *Gutturis,* â Joh: Baptipſta Montano *Catarrhus per alium amplum canalem,* hoc eſt, *per Guttur.*

Dehinc *Hippocrates* hoc loco edocet, *Cerebri humore* ita in *pulmones* prolabente & alios morbos ſubnaſci, ut *Empyema* & *Tabē* ſeu *Phthiſin. Tusſim* quoq; ſupervenire, urgere ſimul *febrem.* Ac in *Coacis* & *Aſthmatis* ac *Anginæ* meminit: Τὰ πολλὰ ἐπὶ καταῤῥοις ἰσχυροῖς ἢ συνάγχαις ἢ ἄσθμασιν ἢ πλευρίτισιν, ἢ ἑτέροις γίνεται νοσήμασιν. Ex his intelligi datur, hunc *quartum Cerebri Catarrhum* nihil aliud eſſe, quàm *Inflammationem pulmonis,* veluti *Oculorum Catarrhus* ſeu *Ophthalmia* fuit inflammatio, *Otaglia* illa ſeu *Aurium Catarrhus* ſimiliter & ex parte etiam *Coryza.* Inflammati pulmones ſæpè ſuppurant, ac quoq; exulcerantur, hinc illud *Empyema,* illud *ulcus* ac *tabes* corporis. Aliquando pulmones craſſo humore Cerebri *Hippocrates* retur ita repleri, ut fauces *difficultate ſpiritus* jam jam ſtrangulentur. De eo nonnulli dubitant, an hic Cerebri *Catarrhus Anginam* queat excitare. Hæc quoq; ſuperiùs fuerunt diſputata. Nonnulli ab *Hippocrate* defecerunt. Quo de genere etiam eſt *Johannes Baptiſta Montanus.* Multi, *inquit hic,* credunt, quando fiunt anginæ in faucibus, quod ſit propter deſtillationem â Cerebro. Sed aliud eſt iter, cùm fiunt inflammationes ad fauces. *Et ſtatim*: Si humor per venas tranſiens, non omnes, ſed aliquas intrinſecas & extrinſicas occupat, ſi per intrinſecas ad fauces deſcenderit, affectus facit diverſos pro diverſitate locorũ, ſi enim ad amygdalas devenerit, *αὐλάδας,* ſi ad gargarionem

rionem σαφύλην, si ad locum, qui est intermedius inter gargarionem & amygdalas, παρίσθμια facit, si ad musculos laryngis anginæ omnes species, ita quod hujusmodi species nunquam fiunt per foramina capitis, sed per venas extra emittitur. *Idem Montanus* autem vestigiis *Hippocratis* insistens, credit, hunc *Cerebri catarrhum gutturis* viâ in *Cerebrum* ferri: Vos autem habere debetis signa distinguentia, quia maxima differentia est, si ad asperam arteriam vel ad œsophagum descendat, atque diversa cura indiget: si ad canalem asperæ arteriæ, primò erit *difficultas anhelitus*, quia branchi humoribus viscidis implentur, & spiritus liberè non transit & cantus percipitur in anhelitu, quia transiens aer per catarrhum in branchis existentem, cum sonitu exite, sicut aer cum transit impetuosè per aquam, & hoc est maximum signum. Præterea nunquam potest esse materia in pulmone vel in branchis, sine maxima *pulsuum inæqualitate*, quia ultra authoritatem Galeni in 4. de præsagiis ex pulsu in cap: de affectu pulmonis, ubi hæc omnia videbitis: ratio etiam dictat, quam assignat Gal: in 1. & 2. de caus. puls: & sumpta est â natura rei, inquit ibi, quia natura oneratur à multitudine materiæ, quod ei accidat sicut bajulo, cum pondus maximum super humeris habet, in portatione ipsâ facit maximam inæqualitatem: quandoque citò ambulat, quia vellet deponere onus, sed sæpè sistit, ut recipiat vires, ita qui prius currebat iterum, rursus firmatur & facit omnes diversitates in ambulatione, ut modum inveniat, quo minus molestetur, ita & natura: quærit enim omnem modum expulsionis, quandoque facit celeriter pulsum, ut expellat malos humores, posteà sistit, movetur iterum, rursus sistit; & hæc est ratio, cur *pulsus inæqualis* fiat â multitudine materiæ aggravantis. Si hoc modo contingat in omnibus, ubi in pulmone aggregata erit materia, fiet maxima inæqualitas. Exemplo hominis habentis multitudinem materiæ in pede: illa enim sufficit facere inæqualitatem in pulsu, propter consensum quid faciet, cum in pulmone est? quî dat aerem cordi pro refrigeratione. Hic cum plenus est malis vaporibus & humoribus, quærit enim cor expellere vapores illos malos & facit varium motum, quem sequitur motus arteriæ, ideò fiunt in pulsu maximæ inæqualitates.

Et exemplicavit Galenus de Antipatro Medico, cui prænuntiavit mortem futuram propter inæqualitatem, cùm etiam ſanus eſſet. Eſt etiam pulſus gravis: & propterea ſequitur tremor cordis & lypothymia aliquando, quia cum catarrhus deſcendat per *arterias*, & communicetur *cordi* per ipſas, inducit tremorem, propter frigiditatem júnctam cordi. Et ſi invaleſcit, lipothymiam & athrophiam & tabem tandem cauſabit ob maximam refrigerationem corporis. Et hæc ſigna indicant catarrhum deſcendere per aſperas arterias. *Hactenus Autor.*

Stridula *difficultas Spiritus* & *pulſuum inæqualitas* non dico dubia, ſed prorſus nulla ſigna ſunt, quæ doceant, *Cerebri humorem* non aliâ viâ, quàm *gutturis* tramite in *pulmonum* intima manare. Quanquam illud l. de præſag: ex pulſ: pronuntiat *Galenus: fluxionum omnium in pulmonem communis eſt pulſus inæqualitas.* Nunc itinera delabentis humoris indagantur. *Montanus* monſtrat *guttur*, cujus fiſtulâ liquor pituitæ decurrat. Ejusque rei augurium ait eſſe *difficultatem ſpirandi.* At hæc eadem hominem vexabit, Sanguine vitioſo ex dextro cordis ſinu in pulmones copioſiùs, quàm naturaliter oportet, influente. Quapropter hoc ſigno non viam coeuntis humoris, ſed ejus plenos pulmones intelligimus. Atque ſi de alio ſigno, de *pulſus inæqualitate* examen habemus, ad rem quoque minimè facit. Talis quippè *pulſuum inæqualitas* itidem notari poteſt, ſi humor â vaſe *dextri ſinus cordis* proficiſcitur. Hinc quoque *tremor cordis*, *palpitatio*, *lipothymia* peræquè oriri queunt. Hiſce malis etiam urgetur ille, qui *Aſthmate* laborat, quod ſanguis ab imo corpore manans, excitare poteſt. Guttur eſt via; ejus ſignum itaque erit vitium gutturis aut raucitas aut ulcus. Ubi enim decurrens humor eſt valdè acer, gutturis tunica interior ad hunc modum affici poteſt. Verùm eidem tunicæ ſunt vaſa ſanguinis, de quo ſæpè exit talis humor, quo vel nimiùm ſiccatur vel etiam ulceratur. Ulcera *Laryngis* memorant *Solenander*, *Johannes Baptiſta Sylvaticus*, *Marcellus Donatus*, *Tulpius.*

Ante me fuerunt, qui *Aſthma*, cujus modo memini, credidére non ſemper de *cerebri humore per guttur fluente* naſci. Ego autem
!! contendo id nunquam factum fuiſſe nec fieri. Hoc itaque inter me

me & illos intereſt, quorum veſtigiis latenter inſiſtit *Helmontius.* Hic *volumine*, quod *cuſtos Errans* inſcribitur, etiam *Aſthma* negat de *Capite* & *Cerebro* naſci. Equidem, *inquit*, magnoperè ſaltem demiror Scholarum per tot ſecula ſomnolentiam. Quod quia cernerent mucum ſtillare per nares, idcircò repentè ſtatuto indubio decreverint, eundem nihil aliud, præter Cerebri excrementum eſſe. Neque enim ſemel obiter inquiſiverunt, ſi ſit excrementum Cerebri, ergò debet eſſe reſiduum ultimæ digeſtionis. Quando ſcilicet ſanguis, poſtquam factus eſt humor alimentarius, diſtributusque roris more per æqualem Cerebri maſſam, ibidem non quidem conſumeretur, jam prius licet asſimilatus ſubſtantiæ Cerebri ac per inſenſilem tranſpiratum, abſque omni ſui reſiduo expulſus per poros abiret: ſed labe prorſus heteroclita, poſtquam mucilaginis ſpermaticæ (iisdem nempe nutrimur, quibus conſtamus) ſortem induiſſet, quaſi revocatusque tandem ê longinquis heterogeneitatis anfractibus, collectus mucus in abacum propè nares expelleretur. Etenim qui tantoperè de uſibus partium, ſibi odaxiſmum beneplaciti riſus concitarunt, ne ſemel quidem attigerunt, quæ tanta abuſus cauſa, in hac digeſtione eſſet. Quoniam ſi excrementum ſit ſuperflua pars digeſtionis. Cur ſenex plus ſanguinis (quia plus excrementi emungit) quàm dum eſſet juvenis, conſumeret in ſuo Cerebro? Ergonè ſanguis jam ſemicoctus ac vitalis, in ſimilarem ſpermatis ſubſtantiam, tum demum corrumpitur? Indeque revocatus â diſſitis, undecunque Cerebri, minimisque reliquiarum atomis colligitur? Eſtque alienata ſanguinis corruptio, ſimul cum ſanitatis fruitione? Quidni idem contigit reliquis viſceribus, quod capiti? Quid ſi Unciæ tres dietim emungantur muci, an fortaſſis ſanguinis boni decuplum (puta uncias quadraginta pro Cerebro, totidemq; pro reliquis ad minimum partibus) remanſit, ut ibidem roris modo conſpergitur? Quo enim privilegio, quave neceſſitate exlex Cerebrum gaudet viſcus adeò nobile, ut citra noxam, tantam toleret Oeconomiæ quotidianam ſtragem? Quid Cerebrum eò compuliſſet, quod dum viliores partes ſuum ritè conficiunt alimentum, probeque abſq; ullâ reſiduitate, totum in aëra diſpergunt: ſolum verò miſerumq; cere-

brum

brum tàm copiosa muci alluvione, suum alienasset, vividumque alimentum? Ergò siquidem Cerebrum teneatur legibus solidiorum & viscerum cunctorum, quas præscribit Arcteus: Cerebri non erit mucus nec aliud edet loco excrementi, quàm quod diaphæresin, totum aliorum more exhalat. Similiterque & spinalis medulla suum pariter haberet mucum eumque dum evacuari niteretur, id fieri deberet vel supernè per quartum Cerebri sinulum vel deorsum cadens (ut corpus alioqui fluidum vitâ orbatum, natum est decidere semper) oppilaret nervorum movētium commune principiū. Totus liquor alimentarius tandem sequestratur ê toto corpore per insensilem transpirationem absque ullo sui residuo. Oculi sani nulla habent excrementa aut sordes, nec aures. Custodis utriusque necessitas magni fuit ad detergendum inspiratas sordes. Quocirca tùm limine laryngis, quam ante olfactus organum exudare debuit mucus, qui sordes illas oppositas exciperet. Mucus inquam fuit necessarius, & non aqua, quia mox guttatim in fundum properet. Debebant autem partes internæ madere, ne continuo aeris inspiratu dehiscerent. Jecircò continuum madorem vis quædam distributiva, qualis est, quæ salivam dispensat, adesse debuit. Madorem inquam moderatum ac lentum ê massâ laticis mutuatum esse oportuit in sanis. Lacessita illa vis parit mucum secundum suam indignationem. Arrepto scilicet furore in suo muco parit salsum, mordax, acre, virulentum in quali & quanto modū excedens: hinc namq; *laryngis erosiones atq; inde tabes, cruenta sputa.* Has itaq; suspicatus sum ex læsione asperæ arteriæ prosilire.

Ac *idem libro de asthmate & tussi* dicta pluribus exponit, quæ omnia repetere, consilium non est. Multa sumpsit de scriptis recentiorum, ut vocat, *Galenicorum.* Ea verò aliter atque aliter pertractat. Ante *Helmontium* multi, ut modò ostendi, *Galenicorum* & *Anginam* de Cerebri humore creari negarunt. Unde & prædictus *Helmontius*: est salivatio copiosa in anginâ feroci, exquisitisque amygdalorum gutturis inflammationibus. Certè ista spissior continuaq; mucago non ê cerebro defluit, faucium jam obstructo meatu multoque minus ê stomacho vacuo ascendit & sub faucium jam obstipatione. Jtaque linguæ & faucibus ordinarium salivæ esto, cujus materia ê latice petitur, quem juxta sui fermenti varietatem diversis larvis commutat.

Ante

Ante *Helmontium* & suprà dictus *Johannes Baptista Montanus* probè intelligebat, humorem conceptaculis sanguinis in *pulmones* invehi posse. Ita & ipsius *Hippocratis* dogmata tulerunt. Synanchus, *inquit ille l. de vict. ratione in morbis acutis*, seu angina fit, cum hyeme vereque fluxio multa & viscosa à capite ad jugulares defluxerit venas. *Unde Galenus comment. fluxionum, quæ ex capite deferuntur, quædam substantiâ tenues existunt, aliæ ex crassis viscosisq; humoribus constant. Quæ igitur tenues sunt, hæ latis penetratis venis in angustioribus detinentur, tales autem sunt, quæ in pharynge sunt.* Verùm uterque aliud aliis locis tradebat. Utrumque igitur nec in hoc deserere volebat *Montanus*. Quare vera falsis miscens fingit, Cerebri humorem & supernè per *gutturis cannam* & per *venam cavam* variè in *pulmones* ferri. Cumque ad *guttur* annectatur *gula*, ait & *stomachi catarrhum* jungi posse. *Cunctam illam historiam huic sermoni inseram:* Et ut hoc commodius faciatis, exemplum particulare afferam & manendo in principiis jam fundatis, proponatur nobis *juvenis annos natus XXV. calidæ & siccæ temperaturæ.* Iste habet *caliditatem ventriculi & cerebri* à natura sua, sed propter ætatem & temperaturam devenit in omne deliquium sex rerum naturalium, ebrietatibus, venere & nimiis exercitationibus corporis. Et ob talem temperaturam inceperit habere ista symptomata: levem primò *tussiculam* & *siccam*, *difficultatem* quandam *anhelitus*: præthereà *dolorem* habebat in *profundo pectoris* & nesciat dicere locum. Prætereà dolor augetur, cum *defatigatur*, ut habeat majorem *difficultatem anhelitus*, & omni levi labore defatigatur, ut cogatur sedere: fit *pallidus* & in *facie* veluti *tumescens: albas, tenues, spumosas habeat urinas, pulsum inæqualem, mollem, imbecillem* & *parvum* habeat, prætereà levem quandam *febriculam*, quam vix ipse nec medicus potest dignoscere, & circa *collum* percipiantur *glandulæ tumefactæ*, ac percipiatur, quod *cervix* sit veluti *ligata* & non possit eam movere: prætereà patiatur *nauseam*, *prostrationem appetitus* & abhorreat carnes & unctuosas res, & ex quocunque levi cibo impleatur. Habeat sitim, sed extinguatur, cùm biberit, & inflatur. *Qui viderit hunc juvenem*, judicabit *catarrho laborare*, sed scire naturam ejus & rectam curationem habere & distinguere materiam *catarrhi*, hoc opus, hic labor est.

Notetis igitur vos, meministis accidentia, temperaturam, & ætatem juvenis. Hæc docebunt vos facere colloquia & hæc sunt vestra, reliqua fortunæ. Debetis igitur primò considerare in isto juvene istum *catarrhum* non esse *simplicem*, sed *multiplicem*, non tamen variari secundum materiam, cùm una sit, nec secundum causas efficientes, quoniam eædem sunt: *variatur* autem *secundum loca*, quia diximus distinctionem fluxionis versari circa tria, circa locorum varietatem, materierum & causarum efficientium. Cùm igitur hîc eædem sint causæ naturales, eædem efficientes, ergò secundum *locorum diversitatem* diversificantur. Habet ergo juvenis iste destillationem *catarrhi*, quæ fluit *per venas à capite ad partes thoracis*, & hoc indicat *tussicula illa sicca*, quia materia illa non divertit ad *pulmonem*, nec ad *bronchos*, ut excernatur per *tussim*, sed *venas tantùm*, nec expuitur, quia nondum concreta, nec præparata est: & quoniam partes pectoris læsæ sunt à *defluxu materiæ*, per consensum etiam *pulmo* læditur, & ideò quærit expellere nocumentum illud & fit *tussis illa sicca*. Habet *difficultatem anhelitus*, quia *venæ thoracis* oppletæ sunt & non potest fieri liber motus *thoracis*, tùm etiam, quia dolet, se non potest erigere, quantum opus est. In *profundo* est dolor, quia venæ sunt in *profundo*, nec in quo loco sit dolor percipitur, quia materia non est in uno certo loco, sed in *venis* percipitur dolor, cùm movetur, quia ex *motu* calescit materia, ex calefactione turgescit & augetur dolor & *difficultas anhelitus*, quia ex dolore & inflatione venarum natura minus potest dilatare pectus. Defatigatur ab omni levi causâ, quia defatigatur anhelitus, & humor pituitosus transiens ad *venas pectoris refrigerat, calorem innatum* & cruditates fiunt: ideò *livor* apparet, & tumor præterea in *facie* cernitur & *pallidus* est, quoniam dispositio hæc ad *cachexiam* tendit, quia abundat crudis humoribus: albas, tenues & spumosas habet urinas. *Albas* quidem & *tenues ob cruditatem*, & obstructionem in partibus corporis existentem, quo fit, ut serum sanguinis & bilis implicentur & commisceatur cum humore *pituitoso* & viscido: sed cùm fit posteà concoctio, crassæ & albæ fiunt: *spumosæ* verò *fiunt* ob *descensum pituitæ à capite per venas* decurrentem, *quoniam urinæ indicant, quæ apparent in venis*. *Pulsus mollis* & *imbecillis* est.

Mol-

Mollis quidem ob admistionem *multæ pituitæ*, propter quam *mollescunt arteriæ.* *Imbecillis* verò ob duas causas, tùm quia non potest arteria rectè dilatari ob mollitiem, tùm quia ob *frigiditatem* multam, *calor naturalis* obruitur, & spiritus crassefiunt ob admistionem pituitæ: ideo virtus, quæ in spiritibus & calore innato consistit, debilis est. *Parvus* verò est, quia diminuta est necessitas. Virtus debilitata & instrumentum ob acquisitam mollitiem tantùm inobediens.

Johannes Baptista Montanus Catarrhum hunc proponit *secundum loca variari*, quasi expertus, *tussiculam siccam*, *difficultatem anhelitus*, *pectoris dolorem* & eum quidem *in profundo*, *pallorem faciei*, *spumosas urinas* esse signa ad eum *Catarrhum*, qui per *venas capitis* in *pulmones* delabatur. De *difficultate spirandi*, deq; *pulsus inæqualitate* satis verborum suprà factum est. Pulsus vermiculantes, ut vocant, in alvi æquè ac in matricis fluxibus, ut *l. de præs. ex pulsibus*, *ac l. de caus. pul.* tradit *Galenus*, deprehenduntur. *Spumosa urina* est perspicuè fallax signum; nullo modo poterit testari, humorem de capite detrudi. Verba iterum, iterumque expendamus: *spumosæ verò fiunt urinæ ob descensum pituitæ à capite per venas decurrentis*, *quoniam urinæ indicant*, *quæ apparent in venis.* Nos quoque sanguinem tradimus de *venis Cerebri* & *Capitis* in *dextrum cordis sinum* ac hinc in *pulmones* posse ita refluere, ut eorum morbus tandem contrahatur. Ast haud promptum est, quô tandem isto descensu sanguis evadat *spumosus*, scire. Iste quoque motus, quo sanguis *jugularibus venis* remeat supernè in *Cor*, est naturalis. Nam sanguis, naturâ auspice, tendit *venis* ad Cor, & ab eo *per arterias* rursus diffunditur. Quâ ratione Sanguis semper foret spumosus, spumosa quoque inde urina. At vehementius, inquis, sanguis capitis tùm ad cor ruit. Quare ob eum impetum sanguis efficitur spumosus & mox urina. Verùm si urina à sanguine redditur spumosa, similiter affecta erunt reliqua *sanguinis purgamenta*, *saliva* illa multa, *mucus*, *sordes aurium*, *lachrymæ*, *sudor.* Nam si arteriæ manus illo descensu pituitosi, ut vocant, sanguinis *mollescunt*, si quoque eadem de causa extinguitur propè *calor insitus*, certè *cuncta massa sanguinea* antè erit vitiosè affecta. Jure igitur autor ita non ratiocinatur: *qui viderit hunc juvenem*, *judicabit*, *Ca-*

tarrho laborare. Veriùs affirmat, *cachexiam* esse, qua sanguis vitiosus à *capite* per *venas jugulares* in *cordis sinum dextrum* , & mox in *pulmones* ita fluit, ut eorum quoque creet ægritudinem. A vitio sanguinis & ejus ab itu in *pulmones* oriuntur *difficultas anhelitus*, *tussicula*, (ab humore pulmonis facilè irritari potest Laryngis tunica) *dolor pectoris*, *faciei pallor*. Quin *spumosa urina* non modò fallax signum est, sed commentitium & prorsus nullum. *Urina alba* autem & simul *tenuis* omninò vitium *massæ sanguineæ* ostendit.

Prædictus *Montanus*, hisce positis, ad reliqua proficiscitur: Ostendimus nunc simplicem esse morbum, quantum ad materiam & causas efficientes: quantum verò *ad loca* , *ad quæ fluebat*, *esse varium*. Ac varietatem inceperamus distinguere. Et dicebamus unam speciem destillationis esse, per *venas intrinsecas à capite* ad partes intimas, sicut hîc ad *pectus*, propter quam patiebatur *tussiculam* siccam & difficultatem anhelitus & maximè cùm *moveretur* quod affligeretur. Et cur in intimis partibus doleret, ratione ostendemus. Diximus prætereà, quare *urinas albas, tenues spumosas haberet* & *tumorem ad lividitatem in facie*. De pulsu inceperamus loqui, cur esset inæqualis & fuimus intercepti ab hora. Nunc igitur reddenda est ratio. *Pulsus* autem *parvus*, *mollis*, *imbecillis*, *inæqualis* indicat *pituitam destillare à capite per vasa arteriosa*, parvus quidem pulsus est, quia diminutus est usus: quoniam tres causæ contentivæ concurrunt in pulsu. Virtus movens, necessitas, quare moveatur & instrumentum. Ubi hæc tria valida fuerunt, pulsus fiet magnus, cùm verò deficiunt, fiunt aliæ pulsuum differentiæ. Fit igitur parvus, quia deficiunt conditiones, cur dilatetur. Et primò non adest necessitas tanta, quia, cum descendat humor pituitosus frigidus per venas, necessariò *refrigeratur sanguis*, *spiritus & calor naturalis*. Ex quo igitur cessat necessitas eventationis, pulsus fit minor seipso. Prætereà instrumentum non est ita temperatum, sicut esse debet, quia ut debitè dilatari possit, nec adeò molle nec adeò tensum esse debet: utrumque enim est ineptum. Si autem memoriâ tenetis, quæ diximus ex Galeno in 4. de causis puls: quod *humores descendentes per venas frigidi*, *mollem faciunt arteriam:* ideò instrumentum redditum est ineptum, quæ est secunda causa necessariò con-

c. r-

currens. Tertia etiam neceſſaria eſt,ſcilicet virtus movens. Cùm autem calor & ſpiritus ſunt refrigerati & innatus calor ſit ipſamet virtus teſte Hippocrate, vel proximum virtutis inſtrumentum, ubi langveſcit calor, virtus etiam langvida redditur. Cùm ergò hæc tria facta ſint inepta, non eſt mirum, ſi parvus ſit redditus. Quod etiam *imbecillus* ſit, patet, quia imbecillis eſt virtus movens, quæ cùm valida eſt, facit pulſum vehementem: ideò imbecillior fit in pulſatione ne tactui validè reſiſtit. Apparet præterea imbecillitas magna, ſeu inæqualitas, & hoc proprium humidi aggravantis virtutem & tantò inæqualior redditur, quantò materia in partibus pectoris & pulmonis cordi vicinioribus erit: quoniam cor à fumis & vaporibus longè magis afficitur & aggravatur, & cùm expellere conatur excrementa, illa nocumenta inæquales motus faciunt: & quoniam arteria motum cordis ſequitur, pulſus etiam inæqualis redditur. Cùm ergò *per venas in caſu noſtro materia pituitoſa declinet ad partes pectoris,* quæ gravis & corpulenta eſt, ideò inæqualitas percipitur, quæ tamen non apparet tanta, cùm bilioſus humor diffunditur per venas. Præterea habet frequentiam, quoniam neceſſarium eſt, ubi pulſus minor ſeipſo redditur & imbecillior, ut ratione imbecillitatis & mollitiei non poſſit dilatari usq; ad neceſſitatem: tum virtus langvida, quod non poteſt cum velocitate ſupplere, ſupplet cum frequentia. Et ſicut aliâs diximus, frequentia poſteà nunquam ſeparatur, & quanto virtus langvidior efficitur, tantò frequentia augetur. Habet præterea juvenis iſte *febriculam* adeò *occultam*, ut vix ab ægro & â medico percipiatur. Hæc autem *febricula* oritur *propter obſtructionem*, & propter *putredinem* conſequentem obſtructiones ipſas in partibus pectoris vicinis cordi. Et quia tardè ac lentè putreſcit, quoniam humor ſegnis eſt: ideò *febris latica* ſeu *typodes* fit, quæ adeò *hecticæ* aſſimilatur, ut diſtingivi non poſſit, niſi à pulſus inæqualitate. A modo autem dignoſci poteſt: in hectica enim, quatenus eſt hectica pulſus æqualis, quia non virtus aggravatur â multitudine humoris. Præterea non tantùm in iſto juvene ad *partes pectoris* decumbit, prout indicant ſigna propria: verùm etiam ad alias partes, prout ſigna atteſtantur. Potiſſimùm autem ad *glandulas colli per venas extrinſecas:*

ideò intumeſcunt. Et quia *muſculi* replentur humore â capite defluente, ideò motum edunt difficilem. Hæc duo ſymptomata indicant eandem materiam, quæ ad pectus per *intrinſecas venas* defluit, per *extrinſecas* ad collum deſcendere: deinde alia pars ad *ventriculum* decumbit. Quo de Catarrho mox dicitur. Intereà dicendum eſt, *Cerebrum* & *ventriculum* incidiſſe in *frigidam intemperiem.* Caſus admodum difficilis eſt, & multum temporis conteretur & non erit tutum, quia incidit in deteriores ægritudines, tùm quia humor & pituitoſus ille eſt, qui cauſat hujusmodi Symptomata: pituitoſus quidem prout accidentia indicant: multus verò, quia per *venas intrinſecas* & *extrinſecas* tranſit & per *Canales amplos*, qui ſunt guttur & gula.

Ait *noſter autor pulſum parvum, mollem, imbecillum & inæqualem indicare, pituitam deſtillare à capite per vaſa arterioſa.* Hoc eſt perſpicuè falſum. Pulſus namq; *parvus, mollis, imbecillus* & *inæqualis* eſſe poteſt, ſangvine capitis per *venas* refluente. Ipſe autor quoq; memorat *venas.* Si ſangvis, ut vocat *pituitoſus* & frigidus per truncum *Aortæ* deſcendentem (illudq; *autor* dat aliquando fieri) in cor fluit & hinc ab eo diditur, pulſus itidem erit *parvus, mollis, imbecillus & inæqualis.* Ejusmodi pulſus eſt nota *refrigerati ſangvinis, ſpiritus* & *caloris.* In eo aſſentietur autor & quoq; aſſeret, humores frigidos adſcendentes per *deſcendentem truncum venæ cavæ* reddere *mollem arteriam* & inde quoq; *pulſum.* Quid multa? Non frigidus *Capitis Cerebriq;* *Catarrhus,* ſed illa *cachexia,* quâ frigidi humores redundant, talem *pulſum* facere poteſt, ſive vitioſus ſangvis in cor ſupernè influat, ſive infernè. A *cachexiâ* quoq; originem trahit illa *febricula.* Non unicè pendet ex *obſtructione pulmonum.* Magis magisq; indies vitiatur *maſſa ſangvinea* & quoque *pulmo.* Tandem autor ſangvinem capitis prodit per *venas intrinſecas* ad pulmones, ad *glandulas verò colli,* & ad *muſculos* per *venas extrinſecas* ferri. In eo nihil ferè delinquitur. At mox ſubjicit; illum *catarrhum per canales amplos,* ſimul fluere & quidem per *guttur* in *pulmones.* Hic eſt ille error à me toties damnatus. Hic quàm vetus fuit, tàm certus nunc eſt, tàm perſpicuus. Palàm eſt,

nec

nec cibum nec potum ſpiritali hâc fiſtula, ut vocat *Lactantius*, unquam decurrere, ſive vigilet homo ſive dormiat. Patet quidem *Guttur*, non verò liquoribus potus aut pituitæ, ſed aëri, qui alit animam.

Nec illa *hirudo*, cujus mentionem habet *Cent: 1. Obſ: 24. Borellus*, aliter quàm ſerpendo in *guttur* aut gulam venit. Non longa eſt hiſtoria. Propoſitus fuit illi Medico æger curandus, hæmoptoide magna, ſatis longo tempore detentus, ſine dolore ullo tamen capitis vel pectoris, qui morbus nullis unquam remediis levari potuit, conquerebatur autem æger tantummodù de fruſtulo quaſi carneo gutturi inhærente. Tandem morbus ille pertinaciſſimus ſubitò & mirè curatus fuit; nam cùm æger iter facturus, equum ferocem, concendiſſet, tuſſi tanta correptus fuit, ut ejus violentia hirudinem vivam foras ejecit. Unde ſubitò levamen accepit, nec ampliùs hæmoptoidem paſſus eſt. Hirudines ſub equorum lingvis obſervantur. Nec illud Hippocratem fefellit: 2. Prædict: Quo autem pacto in guttur irrepſerit hirudo? Non dubito quin nocturno aquæ potu, urgente ſiti, cùm aqua deglutita fuerit & ibi ſangvinis ſugendi gratiâ remanſerit. De hac re vide etiam Avicennam l. 3. fen. 9. c. 5. *Hæc ille.* Hæſit ad ſummam gulæ, aut ad aliam partem ſangvinis magis plenam. Illam beſtiolam vehementior tuſſis & illo loco movere potuit. Sæpè Laryngis caput vitiosè affectum aggravat gulam aut intrà tumet, ut ægrè devoretur cibus, *gulâ* nihil laborante. Hujusq; invaletudine viciſſim afficitur *guttur*. Communionem harum partium dixi ſæpiùs. Trachæa *inquit part. 1. c. 48. J. B. Corteſius*, conſtat duplici ſubſtantiâ variorum circulorum in modū efformata, nempe ex cartilagine & membrana ad invicem compoſita, ut poſt cartilagineum circulum, alter ſubſequatur membraneus ac â Larynge per cervicem & latus Oeſophagi tanquam Canalis quidam ſatis amplus ad jugulum usq; extendatur. Ac Cap. 49. Illius Arteriæ partes reliquæ, ſunt ex membranâ conſtitutæ, ita, ut ex cartilaginibus & membranis circularibus tota ipſius ſubſtantia compoſita ſit. *Hactenus ille.* Verùm & *gulæ* tunica tunicam *Laryngis* proximè contingit. Ita Oeſophagus, *inquit lib. 2. pag. 2. cap. 1. Sennertus*, inflammatus, calidam intempe-

temperiem arteriæ asperæ communicare potest. *Atq; l. 3. p. 1. S. 1. c. 1, Et quia propter vicinitatem interdum trachea simul afficitur, ex voce nonnunquam etiam de intemperie oesophagi judicari potest. Quin tussis eodem teste â stomacho interdum nascitur.* Idem alios secutus ait tussim à *Lumbricis stomachi* cieri posse. Qua de re verba quondam fecimus. Nunc super eâdem institutum *l. 7. de morbo comitiali c. 37.* sermonem *Vincentii Alsarii â Cruce* referimus: Inter signa Epilepsiæ â lumbricis provenientis inanem & aridam tussim connumeravi, idq; de sententia omnium ferè practicantium, qui symptoma hoc in pueris â lumbricis infestatis observarunt, quod signum similiter apud mulieres adeò efficax est, ut aliquæ hoc tantũ modò apparente, illicò ad remedia adversus illa animalia confugiant. Galenus tamen 6. Epid. sect. 2. com. 17. &. 42. oppositam penitus habet sententiam, apertissimè negans, illam inde posse tussim excitari ac promoveri, addens eos, qui hoc asserunt, id non posse, aut ratione aut experimento comprobare. Ratio certè videtur stare pro Galeno, quia impossibile videtur esse, quod lumbrici possint excitare tussim, cùm hi in partibus naturalibus, non spiritualibus detineantur Utrùm verò etiam in pectore abtq; pulmonibus ipsi gigni possint vermes, â quibus tussis fiat, ut inter Arabes putavit Alzaravius, alibi erit discutiendum. Nunc etenim sermo est de lumbricis intestinorum. Quare si tussis aliquando adest, fieri potest, ut cum vermibus conjungatur destillatio vel aliqua alia causa ad promovendam tussim idonea, quæ illis incognita fuit in causâ, ut crederent hanc tussim â vermibus pendere. Quod si â lumbricis depravatũ tussis motum quispiam fieri contendat, quando id veteres ac recentiores Medici constanter affirmant, dixerim, ego hoc provenire, quia dum sursum lumbrici repunt aut præcordia compungunt aut halitus acriores eorum agitatione elevantur & utroq; modo inanem tussiculam excitare valent per mediam gulam, quæ continuitatem cum intestinis habet, & conjuncta est tracheæ, quàm ideò in consensum trahit. Ita aliqui probant cibos nimiùm adstringentes, nimiùm acerbos & acres, dùm in stomachum per oesephagum feruntur, communicare qualitates proprias ipsismet vitiis spiritalibus atq; ita tussim generare. *Hæc autor.*

Quæ

Quæ *hic* noviſſimè ponit,ea probantur maximè. Si acriores,magisq; alieni humores ſtomacho continentur,tuſſis naſci poteſt,item tabes&alia mala,quæ *cephalicos,*ut vocant*Catarrhos,*ſequũtur marceſcente inde ſtomacho. Hi verò humores nec de capite fluxerunt, nec de cerebro. Alias eorum vias C.*de Catarrho*, ut dicitur, *ſtomachico* demonſtramus. Lumbricos tuſſim,ſurſum rependo facere, aliàs oſtenſum fuit. *Alſarius à Cruce* quidem etiam,ut *Sennertus* dicunt, crepantq; ſemper flatus. Hepate inflammato, *inquit l.3.p.6. S.1.c.4. hic,*tuſſis per intervalla affligit arida ob vapores, qui ab hepate inflammato ad pulmones elevantur, & quod fervor hepatis diaphragmati moleſtus eſt, & tumor ejus diaphragma comprimit, quàm moleſtiam Natura ab organis reſpirationis propellere nititur. *Hæc ille.* Scire convenit, ſangvinem, inflammatis viſceribus, *Hepate, Liene & Renibus*, in pulmones ita per intervalla exæſtuare, ut inde infeſtet tuſſis. Et *phrenitide* urgente,homo interdum tuſſit, item aggravante *Lethargo. Qui Lethargo oppreſſi ſunt,*inquit l.1.part. 2. c.20. Sennertus, *nonnihil tusſiunt ob pituitæ defluxum ad laryngem & pulmones.* Eadem ratione tùm vetuſtiſſimi autores, ut *Hippocrates*, *Galenus* & reliqui, tùm etiam juniores, *Johannes de Concoregio*, *Benedict: Vict. Favent: Amatus Luſitanus*, *Pareda, Jachinus*, *Septalius*, *Caſtellus J. B.Corteſius*,Anginam,Aſthma,Peripneumoniam aliquando oriri arbitrantur. Quos omnes *l.3. de Catarhis S.1. c.6.* erroris convicimus ac quoq; condemnavimus omninò. Eadem de cauſa tuſſitur, invaleſcente febri. Sangvis & cum eo humores, tum temporis ruunt in pulmones. Exiens liquor vehementiùs glutinis in ritum lenteſcit. Convenientiùs itaq; *l. de rat. Vict: in morb: acut: Hippocrates*; Ex multa & crebra reſpiratione ſputum maximè glutinoſum citra coctionem redditum, egreſſum fieri prohibet. Quin etiam cartilaginoſis aſperæ arteriæ corporibus adhæreſcentes, ſtertorem inducit, cumq; ad hoc devenerit, tùm plerunq; mortem infert. *Hactenus autor.* Finitis febribus, talis humor etiam ſummâ difficultate & quaſi *trochleis* protrahendus videtur. *Throchlearum* verbo utitur *Quintilianus*, Jam tuſſire, *l.1.c.3.* *inquiens*, & expuere crebrò & ab imo pulmone pituitam *trochleis*

adducere, etsi non utiq; voces sunt vitia, quia tamen propter vocem accidunt, potissimum hyic loco subjiciuntur.

Revertor ad *D.D. Sennertum*, qui *Lethargum* quoq; credit *inflammatione pulmonum* aut *Empyemate* finiri. Nam illud dictum, *Hippocratis* fertur, quod tàm multi tantâ curâ exponere laborant, quemadmodum & *Jacobus Lavellius lib. de Pulsibus & Vinc: Alf: à Cruce.* Insuper, *inquit hic*, tradit Hippocrates de Morb: 3. & 4. Coac: prænot: Aphor: 28. quicunq; servantur ê Lethargicis, ut plurimùm suppurati fiunt. Hollerius & Jacotius interpretantur, suppuratione in thorace materiæ decubitu ac defusione in thoracem ipsum, unde suppurati fiunt. Hieronymus Mercurialis aliter explicat, & per suppuratas existimat Hippocratem, eo in loco intelligere, eos, quibus materia putrefacta per aures & per nares evacuatur. Nec insolitum subjungit esse eidem Hippocrati hujusmodi universalibus locutionibus uti quemadmodum quando abscessus appellat quaslibet permutationes materiæ à loco ad locum. Pro hac sua roboranda opinione duo supponit: primùm intelligi illud non posse de materiâ in Cerebro existente, quia purescit quidem hæc materia, sed minimè in tumorem elevatur, ut liceat dicere, ejusmodi tumorem suppurari. Secundo neq; de illis posse intelligi, quibus intra thoracem pus colligitur, quoniam vix fieri potest, ut materia, quæ in Cerebro Lethargum facit, in pectus transmittatur, ac ibi in pus vertatur. Aversus primùm fortassè pugnant Arabes, qui de Apostemate propriè dicto intelligunt, non autem de solâ in Cerebro repletione ab humore pituisoso genita. Secundùm apertè satis refellitur experimento. Unde Hollerius ad jam adductum Hippocratis locum: vidi, inquit, unum aut alterum, qui eâ ratione convaluerit, suppurato videlicet thorace. Duretus vult Lethargum mutari in Peripneumoniam, & hanc in suppurationem, quod tamen meo judicio obscuriorem reddit Hippocratis Aphorismum, quia cum tres morbi admodùm periculosi se consequantur, nemo fortassè ê Lethargicis hoc pacto unquam evaderet. Quare rectiùs censet Jacotius ipse, qui alium evadendi locum modum excogitavit, nempè diffusionem materiæ ad primum spatium intercostale ac primas thoracis partes, quæ sine anhelitus difficul-

tate

tate aut lateris dolore per purulenta ſputa expurgari poteſt. *Hæc ille.*

Eſto: *Lethargus* deſinit aliquando in *Empyema*, in *Peripneumoniam*, ac in quidvis generis ejusdem. Aſt ille humor non *Cerebro* ſubmotus fuit, nec inde per tramitem *trachææ* influxit in cavum pectoris. Iſtiusmodi quidem opinione ſemper falſus fuit modò dictus *Vincentius Aſarius à Cruce.* Unde & hoc *l. 3. de Lethargo c. 2.* ſcriptum reliquit: Aliud Baſilare eſt, quod in baſi capitis ſitum ſit, à Græcis os Sphænoides dictum, ſeu Cuneiforme, non quia Cunei formam habeat, ſed quia inter oſſa capitis & ſuperioris mandibulæ veluti cuneus quidam inſeritur, ab Arabibus Os Colatorii appellatur, quod huic glans pituitaria adjaceat, quæ Cerebri excrementa carne ſuâ bibulâ & poroſâ ad modum ſpongiæ, quæ poſtmodum per oſſis hujus foramina in palatum ſenſim deponit *Et c.3. eodem libro*: Infundibulum vocatur, eò, quòd per ipſum veluti per manicam vocatam Hippocratis Cerebri transcolantur humiditates & ideò huic pelvi ſubſternitur glans pituitaria, quæ ut diximus, carne ſuâ poroſa ſpongiæ inſtar Cerebri pituitoſa excrementa excipit, & per Cunei foramina ſenſim in palatum deſtillat. *Rurſus c. 2 libro dicto:* Dura Mater eſt foraminibus multis pervia, quibus Cerebri nervos, arterias, venas, infundibulum & dorſalem medullam transmittit. *Hic ſimili ratione* Os aliud *Colatorium* ut vocatur, depingit, aut ſi mollius accipis, fingit *Johannes Baptiſta Corteſius*, adſunt, *inquiens Pract: Med: Part: 1. c. 44.* & oſſa ethmoidea ſeu perforata, quæ pluribus foraminibus cribri in modum perforata ſunt: adeſt membrana oſſa prædicta tegens, quæ & ipſa foraminibus correſpontentibus illis, quæ oſſa ſunt, pervia, quæ etiam per totam cavitatem extenditur, neq; perforata eſt. *Hæc ille.*

Cranium quidem eò loci in morem Cribri eſt perforatum, at neutiquam vel dura meninx vel tenuis. De utrâq; fibræ tantùm trahuntur, ut *libro de Oſſe Cribriformi* palàm fecimus. Illud autem perſpicuè falſum eſt, *foraminibus Oſſis Cribriformis* eo loco reſpondere *duræ, tenuisq; meningis* foramina. Nec *foraminibus Oſſis Cuneiformis* ſimilia ſunt *duræ tenuisq; meningis foramina*; neutra enim extant. Per illa Cranii foramina egrediuntur vaſa, quæ

 iſtis

iſtis membranis involvuntur. Aſt in hoc optimè ſapit *Corteſius*, dum abnuit, de *Cerebri* vaſculis cum venire ſangvinem, qui naribus ubertim redditur aliquando. Membrana utraq;, *inquit* Part. 1. Prax, c.45. *laudatus autor*, involvens Cerebrum pluribus venis & arteriis eſt præditum, venæ etiam quàm plures in internâ narium capacitate reperiuntur, â quibus ſangvis prodire poteſt. Eſt igitur difficultas Capivacii, qvàm movet. Sed ſi rem probè perpendamus, videbimus pari eſſe æſtimandam, quia etſi veriſſimum ſit adeſſe in iiſdem locis plures venas & arterias, quæ poſſunt in prædictum Symptoma incurrere: nihilominus ſangvis ab iis emanans non poteſt ad nares ferri. Quia vel exit ab ipſis vel non: ſi exit vel fertur ad ſinum tertium duræ membranæ, qui ſecundum ſuturæ ſagitalis longitudinem extenſus eſt, & in ipsâ inſculptus & maximè excavatus, vel extra prædictarum partium regionem ſpargitur. Si primo modo hujusmodi canalis terminatur ad venas, quæ ad narium internam capacitatem ſunt diſtributæ, inde per eas ad nares fertur: ſi verò ſecundo modo ſangvis fluat, dico, quod grumeſcat ſtatim: nam Galenus ſcribit, ubiq; ſangvinem extra propria conceptacula ſive in corpore ſit, ſive extra corpus, ſtatim grumeſcere. *Hæc hic.*

Compari modo *pituita Cerebri* minus fluida reddetur, ſi quam emittant vaſa ſangvinis ad Cerebrum pertinentia. Ac ipſe *Corteſius* de *Cauteriis* infrà diſſerens, profitetur, illum humorem nunc inter Cranium & duram meningem, nunc inter hanc & tenuem tunicam contineri. Hic igitur inibi gelatus, nunquam naribus rejicietur. Cæterùm in eo eſt palàm falſus, quod *ſinum Falciformem* exiſtimet nares proximè contingere, ut ſangvis inde inſtar rivi queat profluere.

Tandem *idem autor Corteſius* perſequitur *ſigna*, quibus retur ipſe noſci, quòd humor *de Cerebro* veniat in *trachæam* & in *pectus*, ut inde *tusſis* etiam fiat, item *raucitas*. Non habuiſtis, *inquit hic* Parte 1. *Pract.* 21. *c.* 48. ſigna, quæ oſtendunt materiam deſcendere ad aſperam arteriam, niſi tusſim, quæ ſanè non poteſt demonſtrationem facere materiæ deſcendentis â capite, ſed benè, quando

mate-

materia à capite in arteriam aſperam deſcendit, tusſim excitari ſcimus. Cognoſcitur autem ex Avicennæ opinione fen.X.3.c.3. tract.3. qui mihi videtur afferre quinque ſigna.

Primum eſt, quòd ſenſibiliter ægrotus percipit deſcendere materiam ad pectus.

Secundò ſentit veluti diſtenſionem quandam circa caput aſperæ arteriæ.

Tertium eſt gravitas quædam laryngis.

Adhæc ad nares percipitur difficultas reſpirandi cum quadam, ut ajunt Barbaro-Latini, raſcatione.

Demum adeſt quædam titillatio circa palatum, fauces & laryngem. *Hactenus Corteſius.*

Avicenna, quem hîc nominat *Corteſius*, eſt Sectator Græcorum, quorum princeps habetur *Hippocrates*. Hîc de *Catarrhorum* viis ita judicavit, ut infans ruditas iſtius ſæculi tulit. Humores in nares, in os, in fauces, in pectus, in ſtomachum, in artus ſe fundunt, haud aliundè igitur, quam à capite, quod quippe editiore ſede collocatum eſt. Humoris quoque natura & ingenium eſt, ſupernè influere. Cumq; guttur ſit apertum, tantò faciliùs, tantoque plus humoris de Cerebro in pulmones, inque pectus feretur. Prætereà pulmo eſt rarius viſcus, ob id non modò ad trahendos, ſed etiam ad imbibendos humores, *Galeno l. de cur. rat. per Sangv. miſs.* ſimiliter judicante, erit idoneus. Hippocrates ita, ſi Diis placet, philoſophatus, mihi non humanum corpus vivum nec exanime ſed ad ſimulachrum hominis fictum aliquod ex ære aut ex luto corpus contemplari videtur. Ejuſmodi ſtatuæ capiti penitus inani ſi aquam infundis, illius liquor per ea, quæ extant, foramina haud impeditum reperit exitum. Illiusque ſtatuæ caput, non verò hominis etiamnum viventis, ſi concutitur, plus illius, quem accepit antè, humoris reddet. Idem *Hippocrates* humorem continuò intelligit intimo Cerebro agi, cùm linguam hominis videt *ſuperiore parte ex viridi palleſcere & concreta exſcreari*. Idq; autem incommodi plerisq; accidit febricitantibus. Tandē ipſe *Hipp:* præ ſe fert, & fatetur, illos, quos vocat *Catarrhos cephalicos*, eſſe inflāmationes. Quo modo inflāmationis materia iis foraminib9, illisq; itineribꝰ ac meatibus de-

currere poterit? *Idemq;* autor *pedes* & *genua* ſcribit tandẽ *intumeſcere, incurvari thoracem, paralyſin ſubſequi, ſudore totum corpus perfundi.* Permanet in eâdem tamen ſemper opinione, horum malorum omnium caput & fontem eſſe caput corporis. Illa quoque quinque ſigna, ad ea ut tandem veniam, ad *Hippocratem* omninò referenda ſunt; quàm vana autem ſint ad unum omnia, noli quærere.

Primò; humor ex *membranâ pituitaria poſteriori* exiens, ſæpè hæret ad ſummam gulam, homine ſubinde excreante. Siq; hæc pituita glutiendo devoratur, ea non gutture ac pulmonibus, ſed gulâ ac ſtomacho concipitur. Nec eſt Cerebri humor, quòd de eo nunquam venit, ſed humor capitis eâ ratione vocari poteſt, quòd illius ad ſtructuram & *Maxilla Superior* ſpectat.

Secundò; iſta *diſtenſio circa caput aſperæ arteriæ* teſtatur, de illa parte humores interdum uberius ſtillare, ac nunc quoque urgere.

Tertiò, illa gravitas Laryngis oritur ab humore, non quem Cerebrum mittit, ſed quem illa pars *Laryngis* aut membrana pituitaria poſterior ſenſim reddit.

Quartò, Narium interiorum tunica humorem ſimili pacto emittit, qui occludit aliquando iter Spiritus commeantis. Hinc illa, ut dicit, *Raſcatio* deprehendi poteſt. *Galenus l.4. de loc. aff. c.8. difficultatem reſpirandi* ceu ſignum ad hunc modum memorat: ſi quis per bonam valetudinem, quùm ſolitas actiones facere poteſt, ſic difficulter ſpirare inceperit, augeaturque accidens, neque inter reſpirandum ſtertere videatur, crudi tuberculi ortum ſuſpicari oportet. Si verò ſtertendo ſtrepitum fecerit, lentorum, craſſorumque humorum pertinaciter impactorum multitudinem, pulmonis bronchia moleſtare indicium eſt. Quod ſi ilicò ab anguſtiæ ſenſu quis difficulter ſpiraverit, *fluxionem vel â cerebro* vel â vicinis ſedibus in pulmonem irruentem oſtendit. *Hactenus autor.* Nonne hoc ſigni tàm incertum eſt, quàm commune? Nonne quilibet humor eam difficultatem ſpirandi facere poteſt, ſive infernè is ſive supernè influat?

Quintò, *illa titillatio circa palatum fauces, & laryngem* oritur ab eodem humore, qui ſudoris in modum exit paulatim & cogitur.

Ad

Ad *Prognostica* spectat *Hippocratis* Aph: 40.Sect: 2. *raucedines in valdè senibus non curantur*; refragantur aut cunctantius assentiuntur *Brassavolus*, *Fonseca*, *Hollerius* & alii, quos *L.4.de Cat*: nominatim appellavi. Fateor, *inquit Pulverinus*, me pluries antiquos tusses in senibus curâsse. Ac *Cardanus in com*: *Aphor:* multi decrepiti æstatis beneficio, mutatione regionis, cum victus ratione salubri citra concoctionem sanantur.

Nunc, hisce signis missis, rursus videamus *Montanum:* Ad *curam* & prius ad *Indicationes*. Habet juvenis iste destillationem â capite & *caput mandans* excrementa, *totum etiam corpus mandat* & lapsum est â temperamento proprio. Quia mandat, duæ indicationes sumuntur & duo debetis facere: primo *excrementa* in *toto & in capite* redundantia *evacuare:* secundò *caput corroborare*. Sed totum *corpus* primò evacuabitis, secundò *caput*, tertio *corroborabitis*. Evacuabitis autem totum per *sanguinis missionem* primò, per *pharmacum* secundò, quia cum pituita per *venas* defluat, opus est *phlebotomia*, tùm ratione *evacuationis*, tum etiam ratione *aversionis* propter periculum rupturæ venæ. Et quia humores etiam sunt *extra venas*, ut pituita in *ventriculo* est, & quia *caput excrementosum* est, post universalem evacuationem *caput evacuabitis* cum illis instrumentis, quæ id commodè possunt efficere. Quæ tria sunt *caputpurgia*, *masticatoria*, illi per nares, hæc per palatum evacuant. Tertium instrumentum sunt *gargarismata*. Quantum verò attinet ad secundam indicationem, quæ se tenet respectu mandantis, quæ est *corroborare* caput corroboratione propriè dicta, quia duæ sunt corroborationes, *una impropria* & ampliori significato sic dicta, quæ est membri constrictio, ne recipiat, alia est propria & hæc est reductio membri ad proprium habitum, cum fuerit ab ipso lapsum & caloris innati ac spirituum, humorum & solidorum reparatio. Cùm ergo *caput* sit lapsum *per frigidum & humidum*, indiget corroboratione propriè dicta, hoc est, reductione ad propriam temperiem. Et quia temperatura frigida & humida est, per calidum & siccum fieri debet: quia curatio omnis fit per contrarium. Evacuato capite & toto corpore, caput corroboratur cum *calidis & siccis*. Recipiens membrum variè curatur. Primùm est corroboratio

ratio membri impropriè dicta, quæ cum adstringentibus & repellentibus completur. Secundum instrumentum est *aversio.* Hæc perpetua est in omni casu: corroboratio verò non est perpetua. Est igitur semper ab eversione incipiendum & materiam ducere per regionem, per quam commodè ducere potest. Sed quia in casu proposito variæ sunt viæ, per quas fluit destillatio, variæ sunt etiam *aversiones:* materia enim, quæ per *venas* defluit, optimè per oppositas venas avertitur, quæ per *canales amplos*, per alios distantes. Quantum verò attinet ad repercusſionem, ut ad adstrictionem membri, non est æqualiter facienda. Et quia pars materiæ ad *venas*, pars ad *ventriculum*, altera pars ad *pectus* defluit, si de ea loquamur, quæ ad *venas* defluit, non est repellenda, quoniam fluxio hæc non est vera expulsio præter naturam & per consequens non indiget repellentibus, nisi peccaret in malitia vel in multitudine, sed id rarissimè contingit: ideò non est repellenda, sed divertenda, & evacuanda vel derivanda. Locus autem affectus non est tangendus, quia loca destinata sunt superfluitatibus. Quantum verò ad materias, quæ per venas pectoris defluunt, repercusſionem earum quærere debetis non quidem cum exterius repellentibus autore Galeno 5. Meth. Med. Quantum verò ad *repellentia* per interius exhibenda, non debetis esse prompti ad quodlibet repercutiens. *Opiata* cavete, ut *Philonium*, quoniam ita *refrigeratis* partes illas, ut fierent habiles ad perpetuas fluxiones, & nunquam catarrhos tolletis. Ideò repellentia nec multùm *frigida*, ut *opium*, nec multum adstringentia esse debent, qualia sunt ea omnia, quæ exasperant, sicut esset electuarium ex succo rosarum, balaustiorum, vel mespeli, vel ex sumach, vel aliquâ re tali maximè adstringenti, quia exacerbarent, & exasperarent arterias, & tusses provocarent, & sputum sanguinis causarent. Debent ergo corroborantia esse moderatè frigida cum aliquali caliditate, sicut est illud Galeni, quo in destillationibus utebatur. *Theriaca nova* vel *diaspermaton*, in cujus compositione sunt multa calida, vel si non vultis ista, cum moderatè exiccantibus procedere debetis, ut est *saccharum rosaceum*, quo & phthisici curantur.

Sunt

Sunt etiam alia multa, quæ in primo gradu ſunt talia, ſicut eſt *ſuccus mirtyllorum*, *Syrupus de jujubis*, qui leniter adſtringit ſine exaſperatione, *Syrupus* etiam *violaceus* compoſitus cum nucibus aptisſimus eſt ad corroborandum, ſyrupus de *ſiliquis* adſtringit ſine exaſperatione: *& hæc faciunt, ne catarrhus facilè deſtillet ad venas illas.* Prætereà ſaccharum roſaceum cum bolo armeno orientali. Hic lenit & corroborat ſine exaſperatione, & ſine adſtrictione validâ. Non omnia exiccantia ſunt adſtringentia. *Bolus armenus* validisſimè exiccat & non adſtringit, ideo convenit *aſthmaticis* propter plurimos humores deſcendentes, ſi adſtringeret, non conveniret. Adhæc conveniunt in deſcenſu Catarrhi ad pectus, ne recipiat talem deſtillationem, ſive per venas intrinſecas ſive per venas extrinſecas deſtillet, & tandem *omnia frigida in primo*, quæ non excedunt primum gradum adſtrictionis. Et ſi habueritis medicinam in quarto exiccantem, modo non calefaciat nec adſtringat validâ adſtrictione, conveniret, ideò laus *boli Armeni.* Ac licet non habeamus deſcriptionem à Galeno, habemus tamen terram Synopicam. Nunc accedendum ad particularem curam, ad quam neceſſaria vobis ſunt inſtrumenta, quæ tria ſunt in genere. *Primum* eſt, *rectam* in *victu* conſtituere *rationem*. *Secundum* eſt, medicamenta eligere vel propter *evacuationem* aut humorum *præparationem*. Quia deſtillatio fluit per *venas* maximâ ex parte, *Sanguinis misſio* convenit non ſolùm ratione ægritudinis præſentis, ſed etiam propter futuram, dicebat Galenus in libello de Phlebotomia, propter periculum rupturæ venæ in pectore. Sed ante phlebotomiam eſt *purgandum*, quia materiæ craſſæ & frigidæ per venas defluunt. Debetis ergò primò evacuare, deinde biduò aut triduò cum ſyrupis procedere: poſteà jubere, ut vena ſecetur *cephalica*, quoniam fluxio à capite eſt, quia ut aliàs diximus ex Gal: præceptis, aut materia fluit aut fluxura eſt aut jam fluxa eſt, cum fluit, tribus indigemus, evacuatione, derivatione & averſione, & tunc eligere debemus venam, quæ posſit hæc tria facere. Hæc autem eſt vena, quæ locum medium obtinet. Cùm verò fluxura eſt, averſione tantùm indigemus, & tunc venam eligimus maximè remotam. Cum autem fluxa eſt, duobus indigemus, evacuatione & derivatione. Averſionem autem

non quærimus, quia jam fluxa eſt. Tertium inſtrumentum eſt, ſi opus ſit de chirurgo optimè exercitato providere. Evacuatio primùm fiat totius corporis, dein capitis quod totius evacuationem ſcire debetis, quod materia craſſa & viſcida & cruda non eſt movenda nec evacuanda, niſi fuerit *præparata*. Et quoniam craſſa *frigida* eſt & *viſcida*, quatenus *craſſa*, *incidenda* eſt, quatenus *viſcida* abſtergenda, quatenus *cruda* & *frigida*, concoquenda. Quæ incidunt & abſtergunt, eſt *oxymel ſ. Syrupus acetoſus*, ex *ſaccharo* & *aceto cõpoſitus*, *ſirupus acetoſus* ex *duabus radicibꝰ* & ex *quinq; radicibus*. *Oxymel Juliani compoſitum*, *ſyrupus de betonica*, *de ſtœchade* ſ. & C. Sed quia hic juvenis eſt *calidus*, non tranſeatis *oxymel* ſ. & ad ſummum *ſyrupum de betonica*. Reliqui nimis calidi ſunt in hac ætate. Decocta erunt ex betonica & ſalvia & ſi timeritis *caliditatem hepatis*, *endiviam* & *borraginem* accipietis. Dein totum corpus purgandum. Hæc quò ad univerſalem evacuationem. Quantum verò ad particularem, habemus membrum mandans & recipiens. Pro mandante ſunt *maſticatoria*, *caputpurgia* & *gargariſmata*. Alia ſunt quæ in *aure* ponuntur. Sed evacuatio illa non eſt conveniens. Verum *gargariſmata* ſunt renuenda, quia ad *partes pectoris trahunt* materiam & vos non debetis ad eam partem trahere, ne cogatis derivare ad aſperam arteriam. *Caputpurgia* fiunt ex cyclamine &c: *maſticatoria* ſunt tria, & debetis facere pulveres & cum *cera componere*, *aliter diluerentur per guttur & facere excoriationem*: cera autem adhæret propter viſciditatem & diu tenetur in ore. Pro evacuatione membra recipientium, jam ventriculum evacuaſtis. Quoad pectus omnia provocantia tuſſim, quia per *tuſſim pectoris excrementa excernuntur*, idonea erunt. *Syrupus de farfara*, & *de hyſſopo* convenientisſimi ſunt cum decocto *ſeminum citri*, *quia à pulmone per vias urinæ evacuant & alia*. Pro evacuatione verò loci affecti, adenum ſcilicet colli mollientia & reſolventia conveniunt, ſicut eſt ol: chamæm. anch: & empl: de melil: Diachylon ſine gum. Quantum verò attinet ad corroborationem membrorum & quidem caput, conſiderare debetis, quod *frigidum & humidum* eſt non quidem ex *ſui naturâ*, *ſed ex malo regimine*, cùm id prius *calidum & ſiccum* erat,

ideò

ideò cum *validè exiccantibus & calefacientibus* corroborabitis: primoque *pulvisculos* ponetis *suprà capitis commissuram* ex *mace, caryophyllis, majorana, ex seminibus ocymi, ex cinamomo, Zingibere confectos*, qui exiccant cum odore & calefaciunt. Poteritis facere cerata, dropaces, sinapismos, lixivia diversa ad calefaciendum & exiccandum. Conficietis etiam sapones ex caryophyllis. Præterea balnea *calida & sicca, destillantia in caput* convenirent. Nec adversatur nobis Galeni sententia, quia loquitur ipse de capitibus calidis, hic juvenis autem videtur *incidisse intemperaturam frigidam* & *humidam*: ideo conveniunt. Nunc tandem quoad corroborationem *pectoris, theriaca nova, Mithridatium novum, Diaspermaton, bolus Armena*, saccharum rosatum. Quæ totum corroborant, sunt theriacæ magnæ, qualis est illa *antiqua, Mithridatium* antiquum, Dianusch. & diambra &c:

Si rem examine pensiore trutinas, nec *caput* nec *Cerebrum* est *membrum mandans*, sed *massa Sanguinea*, cujus è fonte, *corde*, sanguis ad caput & ad cerebrum per *arterias* meat, ab eoq; remeat per *venas* rursus. Nec pituita in Cerebro extra venas fluitat, ut opinatur *autor*, qui eà de causa *caput* vocitat *excrementosum*. Est geminus error autoris, istum in cerebro residem humorem à cerebri venis imbibi, inque *pulmones* convehi, existimantis. Cæterùm inter me & hunc *autorem* convenit, *sanguinis missionem* & *purgationem* prodesse, nocere autem *repellentia*. Deinceps *autor Opium* reprobat, cùm sit frigidum. Quo nomine & *Philonium* parùm utile putatur. At in eam compositionem multa calida medicamenta adduntur, ut *Pyrethrum, piper, crocus, spica Indica, euphorbium, Zedoaria, cassia lignea* & istud genus alia. Magis probatur autori *Diaspermaton*, cùm tamen isti compositioni tàm multa calida non fuerint admixta. Nec *Opium* est frigidæ naturæ, veluti hic error nunc est publicus. Quin exploratum multis & compertum est, illum succum non leviter calefacere. Præterea ait *saccharum rosaceum, succum mirtyllorum, syrupum de jujubis, syrupum de siliquis* fluxiones inhibere. Verba recognoscamus. *Et hæc faciunt, ne catarrhus facilè destillet ad venas illas.* Quo nomine *Bolum Armenum* pluribus laudibus effert. Nullo modo istius generis medicamenta illud commodi afferunt,

ut *Catarrhum* prolabi non ſinant. Non me fugit, quod Galenus *l. 9. de Simpl. Med. facult.* ſcriptum reliquit: *terra ex Armenia eos magnificè juvat, quibus ex capite in thoracem defluxio decumbit.* Talia ubi aſſumuntur, iſtorum vis, non in *Cerebrum*, non in *caput* rapitur. Si ea ex ſtomacho in venas meat, quo pacto in ipſas Cerebri venas perveniet? Quâ ratione humores Cerebri ſuſpendet? *Bolo Armeno* quàm multi hodiè utuntur, rati, humores fluentes tenues inde haud leviter ſpiſſari.

Prætereà hic *bolus* trahæam exaſperare putatur; valet, *inquit Joh. Bapt. Corteſius libr. 1. Pract. cap. 48.* præſens medicamentum & præcipuè ubi ſimul cum tuſſi adeſt raucedo & eſt Benedicti Victorii medicamentum:

℞. Diatragacanthi frigidi.
Diacodii cum ſaccharo.
Diapenidii ſine ſpecieb. a. ℥j.

Addit Benedictus ʒj. boli armeni ſ. p. In hoc tamen caſu placet, ut abſtineatis à bolo, quia venit humectandum ac leniendum, quod eſt *exaſperatum*, proinde accipite Syrupi violati ad ℥ij. & efficite ad formam Loch ſeu Julapii fluidi. *Hæc ille.* Quo nomine nec *ſuffitus* conveniunt. Quanquam *Corteſius* ita: ſunt ſuffitus quidam, qui conſueverunt aliquod ferre juvamentum, ut eſt ille factus ex foliis ungulæ caballinæ. *Hic autor* meliore jure *Crocum* laudat cum *Cardano*, qui eum cognominat *animam pulmonum.* Et hanc quoq; ille magni facit compoſitionem.

℞. penidior. ℥ij.
Diatragac. frig. ʒjß.
uvarum paſſar. ℥ß.
ſem. malvæ
Goſſipii a. ʒj.

Cum Syrupo Adianthi F. Loch. *Hæc ille.* Nec inutile erit *Loch* illud ad *Catarrhum ſalſum*, quod in *Diſpenſ: Valerii Cordi* extat. Sed quærit Superior autor, *Corteſius*, quânam viâ talia medicamenta in Laryngem & in pulmones perveniant? Ad quod reſpondere videtur, hæc omnia, inquiens, per fruſtula exigua in ore & ſub lingua poſita liqueſcunt & per *tranſudationem gulæ* ad aſperam

ram

ram arteriam transfunduntur, quamvis etiam per ſuperiora ad epiglottidem aliqua portio percoletur. *Hæc ille.* Hujus *tranſudationis* naturam proprietatemq́uè *l. 5. de Catarrhis cap. de Brancho* expoſui. Inibiq́ue poſui verba *Baronii*, qui illam membranæ *Laryngis* & *Gulæ* ſocietatem probè expendit.

Deinceps *idem autor* humorem prius *præparari*, quàm expurgari præcipit. Ad id quoque tradit utilem eſſe *Syrupum acetoſum*, *ex duabus radicibus*, *Oxymel.* Hiſce nihil proficitur. Humor & in Cerebro ineſt & in pulmonibus. Quare hæc medicamenta *incidentia* & molle *Cerebrum*, mollesq́ue *pulmones* violare poterunt. Nec credendum eſt, talia medicamenta humores propriâ vi incidere, quaſi ſopitâ naturâ, quæ tamen princeps in agendo exiſtimatur. Rectè ſentit de iis, quæ *auribus* inſtillantur. De Medicamento *trium piperum* ſententia *c. de cat. ſtomachi* fertur. Quod ad *gargariſmata* attinet, ea magis commoda erunt. Hæc rigant ſummum guttur, quod ſæpè quaſi areſcit, pulmonibus laborantibus. Minimè humores alliciunt ad *pulmones* & *Laryngis* fiſtulam. Nihil eò pervenire poteſt. *Maſticatoria* & *Caputpurgia caput* privatim non purgant. Ex proximis vaſculis trahunt liquorem & eum quidem tenuiorem. Quapropter iis adhibitis, *Maſſa ſanguinea* redditur magis ſpiſſa. Dicet aliquis, quod ſimilibus remediis uſus fuerit *Hippocrates.* Verùm ſemper jus, fasq́; erit, ea mutare, novare, ac etiam omittere. Præclarè *Corn. Celſus* l. 3. c. 1. *alterum illud ignorari non oportet, quod non omnibus ægris eadem auxilia conveniunt. Oportet itaq́; ubi aliquid non reſpondit, non tanti putare auctorem, quanti ægrum.* Inſuper *caputpurgium* vocat *prrivatam capitis purgationem.* Vanus eſt ille metus, ne allectus humor ex ore confertim eat in pulmones & transeundo exedat tunicam *Laryngis.* Tandem *autor* Caput valdè exiccantibus, calefacientibusq́ue rebus *corroborat*, *ponendo pulviſculos ſuprà commiſſuram ex mace, caryophyllis, majorana, ex ſeminibus Ocymi, ex cinamomo, zingibere confectos.* Inſuper convenire cenſet *balnea calida & ſicca, deſtillantia in caput.* Verùm cuncta hæc medicina erit dubia. Fuit enim (ſunt ipſius verba) *juvenis annos natus XXV calidæ & ſiccæ temperaturæ. Et conſiderare debetis, quod caput frigidum & humidum eſt, non quidem ex ſui natura, ſed ex malo regimne,*

 cùm

cùm id prius calidum & ſiccum erat, ideò validè exiccantibus & calefacientibus corroborandum. Hæc *validè exiccantia* & *calefacientia* quo modo humores Cerebri frigidos ita conſument, ut *naturali calidæ & ſiccæ temperaturæ Capitis* nihil unquam nocere queant? Ob *Opium* recens admixtum *Theriaca* medicamentum *corroborans pectorale* exiſtimatur. Quâ ratione *Opium corroborat* pectus? Cur non & *Cerebrum?* Cur non cunctum corpus? *Montanus* quoque *Veſicatoriorum* & *Cauteriorum* mentionem habuit. Illa *commiſſura Suturæ Coronalis* & *Sagittalis* magnas ſemper fecit errores. *Fontanellam Verticis* multi jam dudum abdicarunt. Nec reliqua cauteria efficacia videntur. Unde & *Helmontius ſermone de Aſthmate* & *tuſſi*, in quibuſdam, *inquiens*, tàm balnea quàm cauteria opem dedere, non quod cauſam effectricem, quàm productam, id eſt, Laticem minuant. Adeoque remedium palliativum & ad poſterius applicatum eſt. Denique tota mali ſcaturigo hujus in inſons caput humanum, in catarrhos depluos è capite relegata fuit. Cujus cauſam ſi erraverint, conſequenter debuére & in remediis aberrâſſe. *Hæc ille.* Jam verò *Joh. Baptiſta Corteſius Part. 1. Pract. Med. cap. 48.* aliam rationem afferre videtur: Capiti applicari conſueverunt ad ejus corroborationem, ut irrigationes ſupra ſuturam coronalem, pulveres emplaſtra, cerata, cucufæ, Setacea, cauteria. Quando materia aliqua excrementoſa in capite reperitur, ſive fiat in capite ſive aliunde proficiſcatur, cùm non ſit in una ipſius parte, non poterit ea ad unum locum protrudi: nam ſi ipſa continetur inter cranium & membranam craſſam atque tenuem aut etiam ſub tenui & in ſubſtantiæ Cerebri ſuperficie ſive tenuis fuerit, à natura protrudetur *ad propinquiorem cutem & præſertim ad eam, quæ eſt per cauterium debilitata*, quemadmodum uti ſynciput ferro candenti perforatur, tunc ad illum locum peccans materia propellitur. Neque hæc materia poterit unquam deorſum ad caput ferri, quemadmodum è contra quando materia eſt in ſubſtantia Cerebri aut ipſius cavitatibus, facilius per cavitates ad ſpinæ latera deorſum propellitur per commodiorem locum, cum verò cutis eò loci fuerit perforata, facilè per locum hunc expurgabitur, quamobrem falſum eſt in craſſâ ma-

sâ materia esse affigendum cauterium in cervice, in sincipite verò in tenui, nam non oportet perforare, nisi habitâ consideratione loci, in quo materia continetur. *Hæc autor.*

Si humor hæret inter Cranium & membranam crassam aut inter tenuem, is non statim se conferet in cutem Verticis per cauteria sauciatam. Cur is non defluet ad oculos? Si in Cerebro est collectus, non viam semper affectabit ad cauterium Cervicis. Sanguinis quoque conceptacula sunt vel interna vel externa. Humores quidem ad partes debilitatas tendunt, sed non semper. Natura, rectrix ac agitatrix sanguinis, quidem invitatur ac admonetur.
Ast ea remedia quàm sæpè respuit, aut non
patitur?

CATARRHUS STOMACHI.

ARGUMENTUM.

Catarrhus stomachicus est numerô quintus. Ab *Hippocrate* & à *Galeno* vocatur καλάῤῥος ἐς σόμαχον, καλάῤῥος ἐς τὴν κοιλίην, ἐς τὴν κάτω κοιλίην, & ἐς γαςέρα. Eundem memorant *Galenus*, *Polybus*, *Ætius*, *Philotheus*, *Avicenna*, *Rhases*, *Alsabaravius*, *Haly*, *Serapio*, *Janus Damascenus*, *Marcellus*. Recentiores, ut *Nicolaus Nicoli*, *Bellocatus* & *Francanzanus catarrhum stomachicum*, *Fluxum Cerebralem*, ut *Savonarola*, *Diarrhœam cerebralem* vocitant plerique, *Cerebellarem* verò *Valescus de Taranta*, nonnulli *capitalem* aut *cephalicam*, quidam *pituitosam*, ac quoque *catarrhalem*. *Catarrhalis* quoque interdum dicitur ratione illius *Catarrhi*, qui de toto corpore venire proditur. Nulla *Diarrhœa* jure hæc sortitur cognomina. Quibus viis humor Cerebri defluit, illæ sunt *Gula* seu *Oesophagus* & *Fauces*. *Faucium* verbum *Græcâ*, *Arabicâ*, *Latinâ* & denique *patriâ* linguâ est ambiguum. Illa etiam *Catarrhi* itinera nominantur *colatoria palati*, ad quod spectat *Gargareo*. Nonnulli viam hujus *Catarrhi* prolabentis censent esse *continuitatem membranarum* Cerebri, ac *stomachi*. Hinc ille *stomachicus catarrhus Aphthosus* existere putatur. Tandem *venæ* & *arteriæ* habentur viæ, quibus humor *Catarrhi stomachici* labitur. Eas memorat *Galenus*, hinc recentiores. Quæ in stomachum fluxit materia, illa rursus *venas* intrare posse perhibetur. Insuper *Adrianus Spigelius* capitis pituitam ex ventriculo transudare posse arbitratur. Quæ *Cerebralis* hujus *Diarrhœæ* viæ omnes sunt falsæ, ineptè fictæ ac prorsus nullæ. Nihil in stomachum labitur, nisi glutiendo. Illaque devorandi facultas non est naturalis, *Gulæ* non attribuit musculos *Leonhardus Fuchsius*, contra verò alii, ut *Archangelus Piccolhominus*. Res experimentis satis pernoscitur. *Vincentius*

Vincentius Baronius verum attingit. Homo dormiens glutit sæpius. *Spigelius* refellitur. *Cerebri humor venis* aut *arteriis* non fertur in stomachum. Quæ pituita in stomachum per arterias infunditur, non *cerebri*, sed *massæ sanguineæ* humor est. *Catarrhus stomachicus* est nullus, nulla est *Diarrhœa Cerebralis* aut *Catarrhalis.* Medicamenta, quæ ad illam prædicantur, exercent ægros, nihil juvant. Viæ humoris *Diarrhœam* facientis sunt *Ductus Cholodochus*, *Pancreaticus Ductus*, & *arteriæ intestinorum*. *Diarrhœæ* causa nunquam est *Cerebrum*. Oris humidum, quod reddunt *Ductus Salivales*, non potest, nisi glutiendo venire in stomachum. *C. Plinius* memorat pituitam *Gulæ*. *Gulæ* verbum an significet guttur? *Gula* madet humore. Ad *Diarrhœæ* causas & cibaria omninò spectant, nec non *Aer. Auster, pluvia, nebula*, *pori cutis Diarrhœam* creare queunt. Hisce non *Cerebrum* afficitur, sed *massa Sanguinea*, uude tandem oritur *Diarrhœa*. *Aer* & gulâ & poris Cutis hauritur. In Cerebrum haud trahitur. *D. D. Sennertus* ab *hecticâ* cerebri intemperie (ita vocat ille) tradit oriri hanc, quam fingunt, *cerebralem Diarrhœam*. Id explicari non potest. Refutatur *Sennertus*. *Differentiæ* enarrantur, Cerebri humor nonnunquam in *Guttur* fluere creditur. *Catarrhus* vel ἐς τὴν κάτω κοιλίην vel ἐς τὴν ἄνω κοιλίην fieri fingitur. Verbi *Faucium* ambiguitas est multorum errorum mater. Nec *pectoralis Catarrhus* hoc modo existit, nec ullus est *Branchus cerebralis*. Nec humores *cerebri* vel acres vel mitiores diversa faciunt *Cerebralis Diarrhœæ* genera. Nec hâc ratione nascitur *Dysenteria*. Falsus ob id est *Hippocrates*, item *Galenus* ac cuncta cohors recentiorum Autorum. Nec *Diarrhœa* facilè â multitudine *Salivæ* orietur. *Signa Diarrhœæ cerebralis Diagnostica* non dico fallacia, sed nulla sunt & prorsus falsa, ut *spumosa alvi excrementa*, *capitis imbecillitas*, *dolor capitis*, ejusdem *gravitas*, *Catarrhus*. Prætereà eam ajunt â *somno invalescere*, tales ægros esse *somniculosos* ac *dormientes* sæpiùs *glutire*. Tandem eandem *cerebralem Diarrhœam* esse *periodicam*, ita vocant, *nocturnam* quoque, ac *diuturnam*, itemque sine *siti*. Nec ille *Hippocratis Aphorismus* (6. lib: Aph: 32.) est verus,

Vu Idq;

Idq; animadvertit *Sanctorius.* Multi *balbi* laborant duritiâ alvi. *Tussis* & *Raucitas* nulla sunt documenta hujus *Diarrhœæ catarrhalis*, ut nec *dejectiones alvinæ*, vel *nausea*, vel *vomitiones*, contrà *Vinc: Alsarius à Cruce* disputat. Quantum ad *Prognostica*, hic *catarrhus stomachicus* nunc levis, imò salutaris, nunc gravissimus morbus putatur & propè mortiferus. Erit quoque interdum *vomitus cerebralis*, *cerebralis Nausea*, ac *alvi contractio* quoque *cerebralis*. Sunt figmenta, quemadmodum & *cerebralis Lienteria*, *cerebralis Dysenteria*, *cerebralis Hectica* seu *Atrophia*, cujus meminit *Serapio* vel *Janus Damascenus*, quem sequitur *Bertrucius*. *Indicationes* prodit *Hippocrates*, item *Galenus* & *Ætius*. *Easdem* pluribus persequuntur juniores. Est inveteratus error. Inventa *caput* & *cerebrum* curari non sinunt. Remedia alvum contrahentia, principiò reprobantur. *Venter superior* est *thorax* & quoque, sed alia ratione, *stomachus*. Utrumq; ajunt purgari. De eo dubitat *A. M. Brassavolus*. *Agaricus* & *pectus* purgare dicitur. *Cathartica* sunt aliquando ῥυπτικά. *Ptarmica* etiam sunt ῥυπτικά. Quæ *pectus purgant*, ea ait *Joh. Guinth. Andernacus* valentissima esse debere. Ob id *Agarico* locus non erit. *Hippocrates* & *Galenus catharticis lenioribus* utuntur. Quidam *Agaricum* reprobant, aliis reclamantibus. *Rhabarbarum* est commoda medicina. *Elect. Diaphæn. Pil. Lucis* & aliis *catharticis* ipsum Cerebrum credunt quasi privatim purgari. In *cathartica* inutiliter illa *Cephalica*, ac ut vocant, *Cerebralia* adduntur. Quacunque oriente *Diarrhœâ*, ad stomachum & intestina dirigatur curatio, nunquam ad *Cerebrum*. *Leniter purgantia* non sunt aliena, nec *clysteres* nec *vomitus*, non autem à somno. *Sennertus* vapores à vomitionibus motos censet, strictâ per fasciam *Suturâ Coronali* arceri. Ei assensus haud commodatur. *Sanguinis missio* non ratione humoris vel in *Cerebro* collecti vel de eo stillantis, sed ratione *plethoræ* est utilis, urgente *Diarrhœâ*. Nec *cucurbitulæ* penitùs reprobantur. Cauterium *Avicenna* utile judicat, attestante *Zacuto*. Quidam recentiorum *cauterium vertici* ratione Capitis & ratione stomachi aliud *Pedibus* infigendum curant. Est error decumanus. Eadem

de

de *Setaceo, Vesicatoriis, Rasurâ capitis, Frictionibus, Saccellatione, Suffimigiis, Lotionibus capitis, Lixiviis, Unguentis, Emplastris, Odoramentis*, & tandem reliquis *Cephalicis*, & ut vocant, *Cerebralibus* medicamentis est censio. Illæ compositiones sunt idoneæ, ut *Theriaca, Mithrid: Aur: Alex: Conf. de Calamintha: Diacymin. Diatr: pip:* Hujus meminit *Galenus*, hinc *Barth. Montag. Zoroaster Tinellus.* Diuretica damnat *Diocles*, non item *Octavius Horatianus*, hinc recentiores. *Opiata* auxiliantur. Quid sit *Diaspermaton Galeni*, detegit *Mercurialis.* Ex *opio* confecta *Collyria* prosunt. *Opiata* ore continentur utiliter. Quacunque quis arripitur *Diarrhœâ*, nec *ptarmicis*, nec *masticatoriis*, nec *gargarismis* levatur. *Sennerto* frustrâ suspecta sunt *Masticatoria.* Illa remediorum genera omnia sunt æquè supervacua. Genus *Diætæ* exponitur. *Olera* nocent. Eorum esu *M. T. Cicero* arripitur *Diarrhœâ. Erasistratus* non auditur, digestibiles cibos culpans. *Vinum subausterum* convenit & *aqua chalybeata. Supinus cubitus* nihil nocet. Nulla *Diarrhœa* curatur *vigiliis. Ira* nihil prodest. *Exercitatio corporis* est utilis, ast certâ ratione. Remedia ad regionem *stomachi* & ad *duodecimam vertebram dorsi* admoventur.

✠

EX ordine nunc venit ille ἐς τὸν στόμαχον κατάῤῥους, venit & ex debito, ejus mentione, *libris de Catarrhis*, tàm sæpè illatâ. Hunc itaq; reddo & destinati servans & diligens illius *Hippocraticæ* enumerationis. Constantia promissi æquè valet ac studium ordinis. Si ab hoc *Catarrhi* genere tacitus recederem, certè partem incepti desererem nec efficerem conata. Simul quoque haud custodirem illum ordinem, illamque recensionem, quâ *hic* ἐς στόμαχον *Catarrhus* est numero *Quintus.*

Hippocr: L. de *Gland:* ait *Catar:* ex Cerebro δι' ὑπερώης in Laryngem & δι' ὑπερώης ἐς τὸν στόμαχον præcipitare. Ac l. *de locis in homine* ita loquitur: ὅταν ἐς τὴν κίθαρον: ὁπόταν διὰ τοῦ οἰσοφάγου ἐς τὴν κοι-

κοιλίην ῥέυσῃ. At initio eum *catarrhum* omittit. Sed quo consilio, inquit *Zvingerus, incertum. Eum verò in ipsa cura docet.*

Nunc *Hip:* l.de *Carnibus:* ἀποτήκη ὁ ἐγκέφαλος ἐς τὴν ἄλλην κοιλίην. Nec non & l.de *Sacro Morbo:* ἐπικατέλθῃ τὸ φλέγμα ἐς τὴν κοιλίην. L.1.& 4.de *Morbis:* ἢ ἐς τὸ σῶμα κατελθεῖν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, καὶ ἐς τὴν κοιλίην ἀφικέσθαι. Similiter *Galenus in 6. Aph.2. Hipp.* δι᾽ ὑπερώας κάτω ῥέπῃ τὸ περίττωμα, καλεῖσθαι τὰ ὑποκείμενα, φάρυγγα καὶ τραχεῖαν ἀρτηρίαν καὶ πνεύμονα καὶ στόμαχον καὶ γαστέρα. Libro *de Symptomat. causis tertio, capite quarto:* Καταφέρεται τὲ καὶ εἰς τὴν γαστέρα τὸ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥεύμα καὶ εἰς τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν. Libro de Sanitate tuenda sexto, capite nono: τὸν εἰς τὲ τὸ στόμα φορὰν τῶν περιττωμάτων ὑποδέχεται στόμαχός τε καὶ ἡ τραχεῖα ἀρτηρία. *Libro* denique *Septimo Aphoris.*30. ac libro *Sexto Aphor.*32. Ut & libro *de Locis affectis, l.7. Meth. Med. cap.*11. *&* 12. Libro *secundo de arte curativâ ad Glauconem.*

Eundemque *Catarrhum* enarrat *Polybus. Ætius* quoque *tetrabibl.*3. *Serm.* cap.14. ad *hunc modum:* capite ex intemperie affecto multa supervacanea excrementa generantur. Delationem autem ad os stomachus excipit atque aspera arteria. Quum verò ad stomachum fluxus deferatur, & frigidus existat, ad frigidam intemperiem corpora perducit, calidus contrà in calidam: hic exulcerat quoque temporis progressu: in principio verò appetitui nocet & concoctioni. Si igitur frigidus fuerit defluxus, tardas concoctiones & cruditates efficit: si verò corruptus, incorruptionem adiget cibus, unde nidorosæ aut fædidæ aut acidæ eructationes producentur, aut etiam alterius cujusdam, quæ nominari non potest aut etiam nomen habentis qualitatis. Ubi verò altiùs descenderit nocumentum, etiam intestinum jejunum afficit & ad colum usque pertingit atque ad venarum mesenterii vasa, per quæ ad hepar ipsum alimenti distributio contingit. Et quibusdam quidem dejectio appetitus accidit: aliquibus verò appetitiones rerum præter naturam, quas appellant caninas aut etiam ciborum vitiosorum concupiscentiæ. Hæc ex *Galeno Ætius. Philotheus* ita loquitur. παραβάλλον πρὸς τὴν κοιλίαν.

Ex *Arabibus* eundem *Catarrhum* plures commemorant, ut *Avicenna*: Catarrhus spargitur ad stomachum & quandoque ulcerat

rat ea & multoties commovetur eo appetitus caninus & dolores ſtomachi & fluxus ventris & raſura inteſtinorum, quum eſt ſalſus aut acetoſus & generatur ex eo etiam colica & propriè mucoſa, quæ cruda eſt. *Abub: Rhaſes l. 2. Diviſ:* c. 67: Et quandoque fit fluxus ventris & à re effuſâ ex capite ad ſtomachum. *Alſaharavius* c. 7: Si fluxus proveniens ex Cerebro cauſatur ex humoribus deſcendentibus à Cerebro ad inteſtina, qui eum incitant ad exitum. *Haly l. 7. Pract: c. 15.* Diarrhoca ex ſuperfluitatibus à Cerebro ad ſtomachum defluentibus accidit & ad inteſtina. *Ac libro nono Theoricæ:* Quædam à Cerebro defluunt ad ſtomachum, cum debilitatum fuerit malæ complexionis cauſa calidæ aut frigidæ: multiplicanturq; in eo ſupperfluitates & deſcendunt: aliæ ad palatum, decurruntque à palato ad ſtomachum. *Serapio* tract: 3. cap. 21. Diaria eſt & accidit, quando in corpore eſt repletio multa. Dein eſt materia alia, quæ funditur ad concavitatem ventris, quàm multi Medicorum modernorum non cognoſcunt: & eſt illa, quam dicemus nunc. Deſcendunt enim interiori parte Cerebri rami ad mundificandum ſuperfluitatetes Cerebri. Nam ex iis ſunt, quæ deſcendunt ad duas nares & ex iis ſunt, quæ deſcendunt ad epiglottum. Dum ergò Cerebrum permanet ſalvum, tunc ſuperfluitates, quæ naſcantur in eo, ſunt paucæ: & non ſentitur eorum evacuatio. Cùm ergò læditur, generantur ex eo ſuperfluitates multæ, quandoq; ergò deſcendunt ad nares: quandoq; ad epiglottum & fortaſſe ad ſtomachum & ventrem. Et ex iis utriſq; ad inteſtina, & humectatur ſuperfluitas & diſſolvit virtutem in ſpatio temporis. *Iisdem verbis* utitur *Janus Damaſcenus.* Ex Latinis *Marcellus, phlegma frigidum,* inquit, *deſcendit de* Cerebro *in Stomachum.* Hos ſequuntur *juniores*, ut *Nicolaus Nicoli Florent*: & ex illo genere, pleriq; omnes. Fluxus *Cerebralis, Johan: Michael Savonarola* inquit, eſt Fluxus cauſatus & decurſu multæ humiditatis à Cerebro ad ſtomachum, & de ſtomacho ad inteſtina.

Hippocrates & *Galenus* hiſce locis vocitabant κατάῤῥουν ἐς τὸν στόμαχον, κατάῤῥουν ἐς τὴν κοιλίην, κατάῤῥουν ἐς τὴν ἄλλην κοίλιην, κατάῤῥουν εἰς τὴν γαστέρα. Unde & apud *Trincavellum Bellocatus* & *Francanzanus* nominant *Catarrhum ſtomachicum*, *Arabes* autem

uti *Avicenna*, *Rhaſes*, *Alſaharavius*, *Haly* & *Serapio Diarrhoeam*, ac illorum interpretes barbarè *Diariam*, ac nunc *Cerebellarem*, ut *Valeſcus de Taranta*, nunc *Cerebralem* cognominabant, ut modo dictus *Johan: Michael Savonarola*, *Joh: Matth: de Gradi*, *Galeatius de Sancta Saphiâ*, *Rondeletius*, *Clementius Clementinus*, *Montuus*, *Herc: Saxonia*, *Platerus*, *Foreſtus*, *Hollerius*, *Corteſius*, *Sebaſtianus Naſius*, *Caſpar Wolphius*, *Joh: Marquardus*. *Ludovicus Mercatus* appellat *Capitalem Diarrhoeam*, *Cephalicam Riolanus* ac quoq; *Nocturnam*, *Pituitoſum* fluxum *Joh: Daniel Mylius*, *Hofmannus* & *Cerebralem & Catarrhalem*. Appellatur, inquit l.3. c.14. *Hieronymus Capivaccius* profluvium *Cerebrale* & *Catarrhale*. Hunc imitatur *Doct: Dan: Sennertus*, eſt, inquiens, *Diarrhaea â Cerebro. Eſt alvi fluxus, ut vocant, Cerebralis vel Catarrhalis.* Verùm non deerunt, qui minus commodè *Catarrhalem* nominari cenſent. Nam *Avicenna* verbis interpretis ita loquitur, *Et quandoq; fluxus ventris ſtomachicus eſt, catarrhus in ſtomacho propter illud, quod ipſe comprehendit ex humoribus malis effuſis ad ipſum ex corpore.* Idq; *Jacobus de Partibus* exponit hunc in modum: *Ait, quod fluxus ventris à ſtomacho procedens quandoq; eſt catarrhus, vel fit ex catarrho recepto in ſtomacho propter effuſionem malorum humorum de corpore ad ipſum Cerebro vel hepate corrumpentium cibos in ipſo receptos. Et nomen Catarrhi non hîc accipitur propriè pro deſcenſu humorum â Capite in ſtomachum aut pectus, ſed pro curſu humorum de membris in membra maximè in ſtomachum.* Nec ferè aliâ mente opinionis *Clementius Clementinus c. de fluxuum cognione*: Fluxus Cerebralis fit ex catarrho â debili Cerebro genito, qui per ſtomachum in viſcera fluit, & corrumpit nuttimentra, quæ ſecum per ſeceſſum educit. Catarrhus autem quandoq; eſt phlegmaticus, quandoq; cholericus ſalſus, acutus, virulentus vel lubricus. Et fluxus catarrhalis non ſemper proficiſcitur à capite, ſed aliunde poteſt emanare ex fiſtulis & apoſtematibus intrinſecis: nam quandoq; ante eorum maturationem fluit humor virulentus, & poſt aperſtionem ſanies, quæ faciunt fluxum. Ex his intelligitur, verbum *Catarrhi* eſſe incertum. Quamobrem & *Catarrhalis* alvi fluxus poterit eſſe ille, quo humor non de *Cerebro*, ſed etiam de aliis membris fluit in ſtomachum. Si

me

me audis, utrumq; cognomen & *Catarrhale* & *Cerebellare* ſeu *Cerebrale* æternâ oblivione obruendum erit. Tàm multa, quæ hîc propriè ſcire covenit, libris de *Catarrhis* ſuperioribus præcerpſi.

Hippocrates & *Galenus* humorem ἀπὸ τῆς κεφαλῆς & ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου δι᾽ ὑπορρώης & διὰ τοῦ οἰσοφάγου in ſtomachum fluere proponunt. *Arabes œſophagum* nominant *Meri*, unde recentiores, ut *Bertrucius* Septima Diarrhoea, inquit, eſt *Catarrhus deſcendens à capite ad ſtomachum per Mery id eſt, œſophagum.* Plures verbo *Faucium* utuntur. Cùm verò, *inquit Alex: Benedictus*, Catarrhus per *fauces* in ſtomachum & inteſtina noctu præſertim defluxerit, magnis fluxionibus tentantur. *Similiterq; Peter Foreſtus:* cùm Catarrhus per *fauces* in ſtomachum & inteſtina noctu præſertim defluxerit, magnis fluxionibus tentantur. Cauſa ejus eſt materia deſcendens â Cerebro in ſtomachum prolabens ſuâ gravitate & continuo fluore talem fluxum gignens. *Sic & Rondeletius, Piſo Sennertus* & alii.

Verbum *Faucium, Pharyngis* quoq; & illud, quo hîc utuntur *Arabes*, quàm ambiguum ſit, *libro primo de catarrhis* oſtendi. Illud *Serapionis* & *Jani Damaſceni interpres* reddit nomine *Epiglottidis, cùm*, inquiens, *Cerebrum læditur, generantur in eo ſuperfluitates multæ, quandoq; ergò deſcendunt ad nares, quandoq; ad Epiglotum & ex epigloto fortaſſis ad pectus & pulmonem & fortaſſe ad ſtomachum & ventrem.* Nicolaus Leonicenus l. 3. *de Plinii & Medicorum erroribus* c. 15. *epiglottidem* interpretatur caput *Laryngis.* Sed hinc non patet via in *ſtomachum.* Ille *autor* quoq; adverſus quosdam oſtendit, guttur eſſe anterius, poſteriorem vero gulam. Tàm multipliciter neſcio quo fato erratum fuit. Mox *idem* ambiguam vocem *Pharyngis* enodat, redarguens *Avicennam*, qui *gutturis* partes non peritè perſequitur. Et hoc eſt, quod omni propè ſæculo latuit natura *Catarrhorum.* Ac illud *Verbum Arabicum* quoq; & *gulam* denotat, & *guttur.* Atq; neſcio quô modô & patrii ſermonis verba hîc uſurpari ſolita, æquè ſint incerta, quibus viæ *catarrhorum* diſtingvendæ ſunt. *Johannes Dryander* & *Fabianus Scheunerus* libros vernaculâ lingvâ de *Catarrho* condiderunt eo conſilio, ut vulgus eum & curare poſſet faciliùs & dignoſcere. *Il-*

lius

lius verba hæc ſunt. Es ſind dreyerley Flüſſe von dem Haupt herabflieſſend; Einer durch die Naſen/ und derſelbige heiſt Coriza, der Ander durch den Halß hinab auff die Lungen und Bruſt/ und heiſt Catarrhus, der Dritte inwendig durch den Rachen des Munds/ und heiſt Branchus. *Scheuneri* verba ponantur: Wir ſehen auch/ Wenn ſie aus den Ventriculis Cerebri in Hals und aſperam arteriam fallen/ wie Heiſſerkeit/ und da ſie auff die Lungen und Bruſt kommen/Huſten/Keichen/ ſchweren Athem/und offtmals Schwindſucht und die Darre gebähren. Wir ſpüren desgleichen/ wann ſie von dannen herabwerts in den Magen fallen/ wie ſie cruditates oder Undaungen/Vomitus, Würgen und Brechen/ wenn ſie aber in die Därme kommen/Bauchflüſſe erregen/ und wann ſie von dannen in die Leber gezogen werden/wie ſie dieſelbe auch und ihre enge uñ Adern verſtopffen/ daß unterZeiten Febres, bißweilen Geelſucht/ ja auch Waſſerſucht darauff erfolgen. Illis verbis: Rachen & Hals: nunc gulam tantùm, nunc tantùm gutturis fiſtulam, nunc utramq; Germanicè dictitamus. Quàm confusè ergò & patriâ lingvâ exponitur! Dryander: Der ander durch den Hals hinab auf die Lungen und Bruſt/ und heiſt Catarrhus, der dritte inwendig in den Rachen des Mundes/ und heiſt Branchus. Viciſſim verò *Scheunerus*: wenn aus den Ventriculis Cerebri in Hals und aſperam arteriam fallen/ die Heiſſerkeit erfolge.Hos imitatur c. *de catarr: Dn.D.D. Sennertus, in ſpecie catarrhus,* inquiens *eſt defluxio humoris â capite in palatam os ac pulmones. Branchus verò eſt excrementorum ê capite in fauces deſtillatio cum vocis obſcuritate & raucedine.* Aſt ille *catarrhus* facit raucitatem,qui in plumones fertur. Nam transeundo lædit vocis Inſtrumentum, *Laryngem.* Quâ de re hîc retexere, non laboro. Certè illa Germanica vox, Hals oppido quàm par eſt illi dubio verbo *Faucium,* quo D.D. *Sennertus* rurſus l. 3. part. 2. Sent. 2. c. 6. utitur, in alvi fluxu, *inquiens,* Cerebrali vel Catarrhali materia ê Cerebro imbecillo, pituita multa, ſeu inſpida, ſeu ſalſa abundante per *Fauces* in ſtomachum & inteſtina defluit.

Tàm celebrata vulgi ſermonibus, quàm vetus eſt perſvaſio, Cerebri humorem *gulæ* tramite decurrere in *ſtomachum.* Quo nomine multi autorum *colatorium Palati* commemorant, ut *Bartholomæus*

lomæus Montagnana. Pituita inquit *Heurnius in l. 7. Aphor. 30.* *fluit facilè in ventriculum in choanam.* Quam viam *Catarrhi Zoroaster Tinellus* vocat patentem, & meatus oris *Bartholomæus Paschettus, ejus verba hæc sunt:* Oſſa Ithmoidea & ſpongioſa à Galeno l. 3 de locis affectis c. 10. dicuntur Colatoria. Alios etiam natura in Cerebro canales conſtituit, qui ab ejus medio ac centro ad pelvim in baſi conſtitutam, quæ eſt cavitas quædam vulgo lacuna dicta feruntur, per quos Cerebrum præſertim ſecundum ejus partem mediam, atq; ſecundùm ventriculos medios ſcilicet ſecundum & tertium ab excrementis emundatur. Qui excrementitius humor ſolet ſcreatu rejici, ſed aliquando ita ad os & ad fauces magna copia prolabitur, ut ad œſophagum, inde ad ventriculum, ad guttur, inde ad aſperam arteriam ſæpè non levis portio permeet. *Duo* enim ſunt *meatus in ore,* qui humorem ipſum fluentem ſuſcipere apti ſunt, *gula,* quæ *Meri* Arabibus, *Oeſophagus* Græcis dicitur, quæ cibum & potum ab ore ad ventriculum defert : aſpera arteria, quæ aërem ab ore ad pulmonem & à pulmone ſpiritum ad os ducit. Gula non niſi oris apertione reſeratur, aſperæ verò arteriæ caput, etſi ſatis anguſtum, ſemper ad apertum manet.

Galenus & Gurgulionis mentionem l. 2. de arte Curat: c. 2. habet. Verba ejus accipe: Καὶ ὅτι θώρακα μὲν καὶ πνεύμονα διὰ βηχῶν ἐκκαθαίρειν. Γαστέρα τε καὶ στόμαχον, δι' ἐμέτων. Ἔντερα δὲ, ταῖς κάτω διαχωρήσεσιν. ὥσπερ οὖν καὶ σπλῆνα καὶ νεφροὺς μὲν, ταῖς δι' οὔρων μήτραν δὲ ταῖς διὰ τῶν καταμηνίων. Ἐγκέφαλον δὲ καὶ μήνιγγας ταῖς δι' ὑπερώας γαργαρεῶνος καὶ ῥινῶν καὶ ὤτων. Hoc eſt: *Cerebrum autem & ejus membranas per palatum & gargareonem & nares & aures purgari.* Ex recentioribus *Bartholomæus Montagnana* ob id etiam *Gargareonem* ſæpiùs commemorat. *Idemquè conſilio* XXIV. ac CXXIX. humorem Cerebri per *communitatem* & per *colligantiam* (ſunt ejus verba) *in ſtomachum* ferri affirmat: Ac *Conſilio* CXXVII. ita loquitur: Modus, quo hæc materia tale fecit nocumentum in meri, hoc eſt, in gula, quia cùm materiæ iſtæ multiplicatæ deſcendunt, aut propelluntur ad *lacunam Cerebri in loco oſſis Baſilaris,* tunc partim per venas, partim verò per *modum ſtillicidii* transeuntes *per rete mirabile* recipiuntur in *concavum pa-*

Xx *lati*

lati & deinde per *panniculum* iſtum videntur inferiùs per loca *uvulæ* & iſta eſt vera cauſa, quare primum nocumentum in hoc viro præſentatum fuit in *uvula* ejus in tantum, quod elongata, mollificata vel apoſtemata fuit. *Hæc ille.* Carolus *Piſo* quoq; eundem humorem continuitate membranarum C*erebri* & *Stomachi* decurrere arbitratur.

Hacq; ratione *aphthæ* ſerpere creduntur. Quam in partem *Amatus Luſitanus Centuria tertia curationi LXVI.* ita diſſerit: Conſtantinus natione Germanus, vir multarum lingvarum peritiſſimus, temperatura biliosus, ætatis ſuæ anno ſexageſimo, quum ab ejus capite humor acris ad eos deflueret, in eo ulcera, quæ *aphtas* Græci dicunt, paſſus eſt. Contra quæ quum remediis uteretur & ſyrupum roſarum ſimplicem cum de endivia paratum biberet, prædictus acer humor ad inteſtina lapſus eſt, unde dyſenteria orta fuit, multum quippe egerebat maximo ſub umbilicum dolore: egeſtiones primò meræ erant bilioſæ, poſtea virides, ſangvinis mixtæ, parum vel nihil febriebat, d. multùm ſitiebat, vires conſtabant, ſed pulſus intus retracti percipiebantur. *Et centuria prima curatione nonageſima ſecundâ* ad hunc modum: Catharina filia magnifici & generoſi Johannis Gondulani, patritii Racuſini pulcherrima virgo ætatis ſeptendecim annorum: quum à teneris annis apud Monachas D. Bartholomæi ageret, non ea intentione, ut ipſa monacha futura eſſet, ſed pater illi maritum virum probum affectans, interim apud illas commorari ſtatuit. Hæc igitur quum apud illas ageret circa os ventriculi eroſiones perſentire cœpit, non & tamen ut ex illis ingens perciperet nocumentum: grandior tandem facta ægrius eroſiones ferebat, quia magis ingravaſcebant, & caliditatem ingentem circa ipſum vuntriculum cum morſibus illis patriebatur. Mala igitur qualitate per tàm longum tempus in ventriculo impreſſa neceſſarium erat inde alias per *communionem* quandam oriri: veluti fuit *à capite deſtillationem* in ſtomachũ ipſum unde dolores intentiores facti ſunt, & ad pectoris regionem, unde tuſſis ſicca & ingens oriebatur: demum, ut paucis concludam, ob impreſſam malam intemperiem in ipſo ventriculo, ob otium. *Hæc ille. Ludovicus Duretus:* *illud Hippocratis ora aphthoſa gravidis, nil præ ſe ferunt*

boni

boni. *Etiamne alvi feruntur liquidis alvis*, fere simili ratione exponit: ora apthosa non qualia esse solent ora infantium nuper natorum ex acriore lacte nutricis,non enim malignæ sunt illæ aphthæ, sed qualia edit sævi catarrhi teritas prolabentis in fauces, & inde prorepentis partim ad alvum, partim ad ipsos pulmones. Hinc venit tussis ferina tabifica: illinc perturbatio alvi apthosæ. Impotentiam coquendi & continendi affert Catarrhi prolapsus in alvum, & ipsa quoq; alvus ophthosæ. Quæ res adduxit Hippocratem, ut postquam scripsisset, ora quibusdam fuisse aphthosa, subjecerit: *κοιλίαι ταραχώδεες*, id est, alvi turbatæ: quòd scilicet illæ cum morsu ferrentur liberaliter liquidis excrementis. Quem locum enarrans Galenus 3. Epidem: part. 3. hæc scripsit: *prolabentis in fauces ê capite, pravi humoris, id, quod in pulmones delabitur, tabificas infert affectiones, quod verò in alvum defertur, postquam in fundum subierit, perturbationem movet cum morsu prægrandem: quod sanè ostendit illud ipsum* alvi turbatæ. *Nam idem humor in transitu, appetendi vim labefactat, unde ipsa venit* *ἀποσιτία, id est, cibi fastidium.* Prorepit autem catarrhus per *continuitatem interioris tunicæ, quæ communis est ipsi alvo cum faucibus.* Sed alvus aphthosa impotentiam habet continendi ea, quæ assumuntur: proritationem verò transmittendi ea, quæ prolabuntur ferina ê capite. *Hactenus autor.* Atq; *Gabelchoverus* quoq; refert, quendam dolore dentium fuisse oppressum, postmodum ipsi, ut autoris verbis utar, *oris, faucium & œsophagi interiora* fuisse excoriata. Simili itaq; ratione *catarrhum* prolapsum fuisse opinatur.

Adhæc *Galenus* etiam *Venis* tradit hunc *stomachi catarrhum* fieri. Fiunt, *inquit hic In Aphor. Hipp. comment: 7. Aphor. 30.* aliquando alvi excrementa *spumosa*, spirituoso humore ex capite ad ventriculum defluente. Fiunt & *vasis*, quæ ad ipsum perveniunt, illum effundentibus. Si verò, quod à capite defluit ad asperas pulmonis arterias, ut nonnulli volunt permeet ad inferiora: primùm ad ventriculos Cordis ipsum pervenire oportebit: post hoc duorum alterum eveniet, aut primum per *cavam venam ad gibba hepatis*, deinde illinc ad *cavam* & ita per *portas* ad intestinorum involucra: aut primam ad magnam, deinde sic ad illam, quæ est in

mesenterio. Sed quo modo adhuc spumosum remaneret & sangvini commistum & tot cum eo venas pertransiens. *Supra* & *Bartholomæus Mantagnana* & *Colatoria* & *venas* dicebat, ac *consilio* XLII. c. III. hisce verbis utebatur: materiæ multæ â capite ipsius effunduntur & per se etiam defluunt per arterias & venas interiores & profundiores, adhuc etiam non rarò cadit à capite materia per foramen Colatorii, quod est in concavo palati. *Hæc hic. Johannes de Tornamira* quoq; *venarum meminit:* In Diarrhœa â Cerebro per viam Catarrhi materia descendit à capite ad stomachum per poros & meatus extra ipsas venas: talis fluxus est de materiâ phlegmatica, quæ descendens ad stomachum commovet chilositatem & humores existentes in concavo stomachi & facit eos fluere ad inferius. Similiter talis materia reumatica descendens corrumpit aliqualiter cibum in stomacho: ex ista causa duplici fluxus ventris per viam Catarrhi â capite durat quibusdam diebus ter vel quater in die, & egesta sunt aliqualiter spumosa cum gravitate capitis. Aliquando talis fluxus ventris per *viam catarrhi* â capite fit materia contenta intra *venas & arterias* capitis, & tunc est materia commixta cholerica & phlegmatica & talis materia venit per venas capitis ad inferius & commovet humores in venis subjacentibus & facit eos fluere ad hepar, & per consequens ad intestina, talis est major post somnum, & non possunt bene dormire, somniant mala. In principio egesta fuerunt, quasi spumosa textu dicto. In Septimo aphorismo. Iste fluxus de possibili subsequitur ad primum & & durat. *Victor Trincavellus l.5. Sect.3. c.4.* hisce: A capite nonnunquam defluens salsa pituita aut per *venas* aut per *œsophagum* & ventriculum in intestina & non raro profluvia alvi concitat. *Johannes Baptista Montanus* sæpiusculè: ubi per canales marteria fluxerit ad ventriculum, vel per asperam arteriam, necessariò isti tabescunt, similiter si per *vanas*, & ratio est, quia si ad ventriculum transierit, fiunt cruditates & obstructiones & cibus non concoquitur, secundò non distribuitur, quia cum crudus sit, venas obstruit mesaraicas & si distribuitur, non est bonum nutrimentum. Et si per *venas* ventriculi, nauseam facit vomitus, si in intestina eadem feratur materia, fluxiones ventris efficit: si ad partes infimas inte-

inteſtinorum, hæmorrhoides intumeſcunt, humor ad ventriculum decumbit, prout nauſea atteſtatur, & cauſa hujus pituita eſt, à Cerebro deſcendens ad ventriculum, quæ pertranſiens adhæret faucibus, quia viſcida eſt.

Jacobus Sylvius in curat. Morbor. ita: Fluor alvi à catarrho vel acri & purgente & ſalſo vel vitreo vel acido vel dulci ex Cerebro mente, nunc per œſophagum in ventriculum nunc per *Meſaraum* in inteſtina, nunc in utraque, qui vim retentricem vel qualitate vel quantitate moleſtat, aut lubricam & ad continendam ineptam reddit. *Ac quoque Jacobus Bordingius*: Si per *venas* Catarrhi fluxio uſq; ad meſenterii venas, fiunt diarrhœæ. *Pluribusq; verbis Johannes Crato in Analog.* Cùm ad palatum fluit, multitudo ſputi moleſta eſt, non rarò etiam nauſea, quia catarrhi materia inficit ita initium œſophagi, ut quaſi bolum in faucibus habere videamus. Per œſophagum verò cùm delabitur, conſequitur nauſea & ventriculi imbecilitas, cruditas, καρδιαλγία. Si tranſit ventriculum, fiunt obſtructiones in meſaraicis vel aucto catarrho lienteria ſeu levitas inteſtinorum conſequitur. Vel ſi acutus, dyſenteriam. Cum ad hepar, hydrops & Icterus. Si per *venas* feratur, ſi per intrinſecas ad fauces, juvat venæ ſectio, quæ indicat materiam per venas, non per foramina ferri. Si per extrinſecas, parotides, ſi ad pulmones, Aſthma & tabes. Si per venas ad infimas inteſtinorum partes deſcendit, ſæpè per hæmorrhoides exitum molitur. *Rodericus à Fonſeca:* caput magnas habet *venas*, per quas ad inteſtina ſua deponere poteſt excrementa. *Sic & Johannes Viſcerus 7. Aph. 30. Johannis Marquardi* verba hæc ſunt: Quædam eſt Cerebralis, quædam ab ore, quandoq; humiditates per *venas* deſcendunt, ut tractis, quia lingua multùm humectatur.

Gulielmus Rondeletius & hoc adjicit: Non ſunt audiendi, qui putant omnem articularem morbum fieri per defluxionem à capite vel per ſpinalem medullam. Nam illa quæ eſt in capite collecta, videtur eſſe illa, quæ in Cerebri ventriculis colligitur & per infundibulum expurgatur, vel per os vertebrarum vel per mediam ſubſtantiam ſpinalis medullæ. Talis defluxio intra venas non fit. Non poteſt enim illa materia, quæ à venis in partes externas deſcendit,

rursum subire venas & ingredi, nisi illa, quæ in ventriculum defluxerit, quæ per intestina descendit, & venis Mesaraicis trahitur. Sed illa si trahitur, rursus coquitur vel per ventrem effluens, facit fluxum cerebralem. *Hunc autorem* eo nomine laudat *Peter Forestus l. 29. obs. 3.* Ita quoque fert opinio *Fernelii*, quemadmodum *cap. de Arthrit.* demonstrabitur.

Insuper alias novas vias excogitat *Adrianus Spigelius lib. 8. de corporis fabrica c. 8.* Aphorismus est quinquagesimus quartus ultimæ sectionis, in quo Hippocrates, *quibus*, inquit, *inter ventriculum & septum transversum pituita concluditur, doloremq́ infert, utpote quæ ad alterutram cavitatem exitum non habet, iis per venas ad vesicam conversa pituitâ, morbus solvitur.* Controversia est, quid per cavitatem illam intelligat, quam inter ventriculum & septum transversum conclusam ait. Marinus antiquus Medicus & qui dudum ante Galeni tempora floruit & aphorismos commentariis illustravit, statuit, cavitatem hanc inter carnosam septi transversi partem & peritonæum esse, quo septum inferiore sui parte tegitur. Negat enim fieri posse, ut inter ventriculum & Diaphragma humor concludatur, cùm necessariò defluat & in abdominis cavitatem effundatur. Sed impropria nimis hæc loquendi ratio foret, si pro peritonæo ventriculum Hippocrates dixisset, qui aliàs ab omni verborum abusu mirificè abstinuit. Hanc cum Galenus advertisset, aliud spatium ostendit, illud nempe, quod ut ipse loquitur, infra septum transversum est, sed intrà eam membranæ abdominis interioris partem, quæ ad epigastrium attinet. Sed cùm & sic impropria quædam dicendi ratio, illam ego meritò cavitatem statuerim, quæ ad sinistrum orificium ventriculi, sub diaphragmate, membranis inclusa occurrit, in qua aquam, flatus & pituitam coacervari, sæpè numerò observavimus. *Viæ* autem, *per quas pituita ad hanc cavitatem pervenit*, pori sunt & insensiles illi meatus membranarum ventriculi, per quod transudat, cùm totum corpus sit transpirabile. Quæ sane viæ pluribus à me excogitatæ parebunt, nostroque effictæ Cerebro, cùm nec ipse negem primâ fronte vix credibile quid videri: at iis, qui in Naturæ operibus, tùm eorum, qui ex morbis obierunt, dissectionibus diligenter versati sunt, nihil

nihil omninò, quod mentem in admirationem posſit trahere, digni æſtimabitur. Quin imò hoc loco exoptem, omnes, qui Medicinæ navant operam, hanc ut corporis tranſpirationem benè animo comprehendant ſuo, cùm ex hac multarum gravisſimarum quæſtionum ſolutiones promptisſimè petantur. Cæterum abundat in Ventriculo *pituita* vel ob *deſtillationem à capite*, vel propter crudos humores ex crasſis cibis genitos, quo pacto memini à me curatum, qui ab eſu anguillæ in hunc affectum incidit, & alium quendam, qui admodùm huic malo oportunus erat, ſi quando crudos cibos vel deguſtaverat. Collecta autem ſic pituita dolores concitat, quod ſiniſtrum ventriculi oriſicium, tùm frigiditate pituitæ, tùm flatibus inde obortis, afficiatur. Dolor autem hic nonnunquam eò exacerbari conſuevit, ut ægri animi deliquio corripiantur. *Tenetur* autem *concluſa*, quod neque ad medii ventris cavitatem, ob ſolidiorem diaphragmatis ſubſtantiam: neque ad imi, ob dictam membranam, tranſudare queat. Hos enim ventres per ὑδετέρην κοιλίαν intelligit, quanquam non deſint, qui credant, thoracem & ventriculum denotaſſe, qui tamen errant, cum hos frequenter ſic & thoracem τὴν ἄνω, at imum ventrem, τὴν κάτω appellitet. Accidit, quod expreſsè in aphoriſmo ventriculum γαςέρα vocet. Quod ſi tandem inquirat, *per quos ductus* pituita hæc in *veſicam transfluat*, illi reſpondet, *venas* eſſe ex Hippocratis ſententia: intelligi autem *venam cavam* & *Arteriam Magnam*, in cujus ramos illi cavitati vicinos, attenuata à noſtro calore pituita rapitur & poſtea *per emulgentes propagines in renes tranſmittitur*, à quibus ad veſicam tandem derivatur, cùm via ſit eò rectisſima. Quo loco nota, non ſolùm divinisſimo Hippocrati hanc, de qua diximus, tranſpirationem corporum, fuiſſe cognitisſimam, ut ex diverſis ipſius oraculis, præcipuè libro de alimento patet, ſed & eandem hîc ad uſum revocatam, cùm dicat, pituitam hanc in venis ex illo ſpatio rapi, inde ad urinæ vias tranſmitti. *Hactenus Autor.*

Hæc omnia ad judicandum facillima erunt. Si enim non ante ſumptis opinionibus æſtimantur, inania ſunt & abſurda. Talia vetus ruditas finxit nec repudiare ſuſtinuit credula inſequens ætas. Ego nunc primus negavi, *cerebrum* ex ſe illam pituitam effundere.

Qua-

Quapropter ea nec inde ad *palatum*, & ad *gulæ iter* promovebitur: Memorant quoque *Caput*. Quo igitur pacto humor suprà Cranium existens, ad inferiora oris serpet? Fingamus verò, *Capitis, cerebriq́ humorem* ex facili in *Infundibulum* & *Glandulam pituitariam* confluere. Quo modo & quâ viâ is in spacium *palati fauciumq́* detrudi poterit? Illa portio *Ossis Sphænoidis* est interjecta, quæ aut cava est aut densa. Eademq́ue deorsum versum, quà respicit fauces, membranâ obtenditur. Foramina hujus ossis, hujusque membranæ sunt commētitia, per quæ humor excidere credebatnr. Sunt igitur, qui eum *continuitate membranarum, cerebri & faucium* devolvi volunt. Quâ opinione *Bartholomæus Montagnana* & *Ludovicus Duretus* hîc trahuntur. *Paræus* ait *Meninges cerebri* & *palati gulæq́ membranas* in summo *faucium* adunari. Ipse *Galenus* quoque tunicas *oculi*, *auris*, *liuguæ* de *meningibus cerebri* nasci. Similemq́ue originem ducunt Tunica *Pleura*, & *Peritonæum*, si *Archangelum Piccolhominum*, *Bauhinum*, *Spigelium* audimus. Verùm hi *Riolano* ista subtilitate propè ineptire videntur. *Galenus* partium exortum vocat quamlibet validiorem adhæsionem. Eamq́ue *Vesalius in Exam: Fallopii* ait *principium*, ut *eo verbo utor, abusivè* nominari. Tunica *oculi Alba* seu *Adnata* oritur de *Pericranio*, de *dura cerebri meninge* & eâ jam ad nervos *opticos* exporrectâ ducit similem originem *Tunica Crassa* & *Cornea*, ac de tenui *cerebri meninge* tandem *tunica uvea*. Unde verò reliquæ *oculorum* tunicæ, *Reticularis*, *cristallina* & *Vitrea*? Natura eas fabricatur. Altera membrana alteram in tàm magno & perpetuo confinio sæpè contingit. Non verò ob id altera alterius origo est existimanda. Nec ad quam membranam altera validius annectitur, per eam hæc humorem sumit. Quid? Illa ipsa cohærentia affluentem humorem tàm facilè non admittet. Ac *meninges cerebri* & *membrana palati*, *membrana faucium* toto genere, natura & formâ differunt. *Gula*, inquit *Caspar Bauhinus*, *tunicis tribus donatur & duabus propriis, prima à ligamentis vertebrarum enata, quæ duarum propriarum involucrum existit. Altera, quæ externa dici solet, carnosa admodùm, crassaq́ ac si musculus esset perforatus, â secunda cartilagine Laryngis ortum ducit, & tantum transversis fibris donatur, ut his alimenta ab interioris tunicæ fibris attracta, promptius in ventriculum*

lum detrudantur. Tertia est interna & dissimilaris substantiæ, cujus intimæ superficiei veluti velum, quod læve & lubricum est, subtenditur, fibris rectis & tenuissimis donatum. Hæc hic. *Meninges cerebri* autem nec rectas nec transversas *fibras* nactæ fuerunt.

Præterea humorem *Aphtharum* de Cerebro ajunt fluere, ac sensim repere ad spatium *oris* interius, ad *labia*, ad *gulam* denique, ad *stomachum* usque & ad *intestina*, ut alvus inde sit citatior. Fortè credunt & *Cerebrum* aut ejus *meninges* ipsas iisdem *aphthis* & ulceribus ante obsideri. Nolo hisce affaniis diutius immorari. Harum pustularum humorem *Massa sanguinea exterminat* sic, ut iis non solum *os* & *fauces* sed etiam *gula* & *intestina* tandem fædentur.

Paschettus illum *cerebri* humorem hoc loco confitetur unà in *guttur* conferri. Sequitur veterem opinionem. Ac *Galenus* illa Hippocratica effata: 4 Aph: 33. *Si à febre habito tumore non existente in faucibus, strangulatio repentè supervenerit, lethale* ac l. Porrhet: *Fauces dolentes, tenues, cum quadam difficultate strangulantes, velociter exitum afferentes:* interpretatur *hisce:* nunc verò dolentes non dixit, sive quia ex iis, quæ dixerat anteà, poterat subintelligi, sive quia etiã absque dolore aliquando dictam putavit in præcedente sermone fieri posse strangulationem. Et si omninò potest esse sine dolore strangulatio, ex talibus causis erit. *Possibile est, multitudine humiditatis pituitosæ præsertim, madefaciente tunicam gutturis interiorem, fieri absque dolore tumorem.*

Verùm tunica *gutturis* interior humorem, quo madet nunc leviter, nunc vehementiùs, non à cerebro accipit, sed eum ex se fundit. Insuper compertum habeo, glutiendo nihil cibi vel potus intrare Laryngem. *Potus*, inquit Hippocrates libro quarto de morbis, *non ad pulmonem, sed ad ventriculum fertur, quod ei propè adjunctæ hominis gula, quæ semper hiat & ad quam tendit simulq; pulmonis fistulæ tanq: hederæ folium ita incumbit, ut si ad eum feratur, in devorando minimè in se demittat.*

Idem *Paschettus* & hoc addit: *Gula non nisi oris apertione reseratur, asperæ verò arteriæ caput, etsi satis, semper adapertum manet.* Laryngis fistula patet, sed non cibo, non potui, non illi pituitæ, sed aeri. *Gula* autem ferè causa est. *Larynx* suo corpore ita incum-

bit in summum orificium *Gulæ*, ut eam leviter arctare videatur. Hæc aperto ore haud *referatur*; eo verbo utitur *Paschettus*. Hæc reseratur, clauso ore, & ut ostendit *Piccolhominus*, immotâ linguâ. *Gulam* aperiunt *Musculi*, qui arbitratu hominis nituntur. Dentitione urgente, quàm multum *saliva*, ore aperto, decurrit? Cur *Gula*, tunc opinione *Paschetti*, reserata, eam non receptat? Sunt, qui *facultatem glutiendi* rentur esse *naturalem*, aut ex *parte naturalem*. Certè *Leonhardus Fuchsius gulæ* haud attribuit *Musculos*. Nam l. 3. Parad. cap. 12. ita disputat: Gulæ quam Græci οἰσοφάγον, Arabes Meri vocant, latenter musculos inesse innuit Avicenna fen. 1. Can. 1. Doct: 6. & Fen. 16 can: 3. tract: 1. cap. 1. Fen. 9 can. 5. cap. 8. Ex quibus omnibus Avicenna locis à nobis jam citatis manifestissimè colligitur, eundem voluisse, Meri habere lacertos, hoc est, musculos, in ea enim significatione interpres utitur atque ita moveri ipsum non modo ex vi suâ naturali, sed etiam animali seu voluntaria, quæ per musculos ceu instrumenta operatur. Errorem hunc Avicennæ, statuentis meri intrinsecos habere musculos, sequitur Jacobus Forliviensis. Falsoque ait intrinsecos musculos gulæ in Angina affici. Sequutus est & hunc errorem Alexander Benedictus, dum lib. 5. suæ Anatomes cap. 18 musculos gulæ haud aliter quàm epiglottidi & tracheæ arteriæ tribuit. Verùm â veritate aberrasse omnes satis constat, si modum deglutionis probè expendimus: is enim cùm plenè naturalis sit, hoc est, virtute villorum, qui deglutionis tempore in se contrahuntur & hoc cessante relaxantur, factus, fieri non potest, ut ex naturali & animali seu voluntario compositus sit. Cùm itaq; voluntarius non sit, nulli ad eum efficiendum musculi necessarii sunt, sed villis seu fibris tantùm, quas ἶνας Græci vocant, per quas facultas attractiva naturalis suam actionem exercet, opus erit. Testis satis locuples existit Galenus, qui libro 3. de facult: Natural: deglutionem per facultatem ventris attractricem, ope fibrarum seu villorum fieri monstrat. Ex illis verbis Galeni evidentissimum fit, motum deglutionis non per musculos, sed villos potiùs fieri atque naturalem & minimè voluntarium esse. Id quod Galenus etiam docet lib. 1. de motu musculorum. *Quodsi etiam stomachus seu os ventris, quem Oesophagum, hoc est gulam vocabant veteres, musculus*

est

est & musculi officia animalibus ministrat, erit utiq; & hic musculus, neq; in tendonem desinens neque os simul movens. Jam dictis accedit, quod Galenus nusquam in suis Annalibus neque etiam in aliis, ubi de musculorum varietate agit, musculorum gulæ mentionem fecit. Quare nullo pacto intrinsecos gulæ musculos admittant studiosi. De extrinsecis verò nihil digladiamus, si qui enim sunt extrinsecus ipsam contingentes, duo quidem in parte anteriore versus guttur, duo in posteriore versus colli vertebras sunt, neutrum verò par motibus gulæ in deglutiendo famulatur, sed alterum quod contingit anterius, modum præstat cartilagini, quæ scutiformis nominatur, alterum autem ad colli facit flexiones, ut ex Anatomicis Galeni latius patere potest.

Ac nunc aliquantò scientius lib. 3. de Plinii & Medicorum erroribus XXVI. *Nicolaus Leonicenus :* Primùm manifestat errorem *Avicennæ*, dein interpretatur *Galenum* & *Aliabbatem* nec non & *Mundinum*, *Jacobum Forliviensem* verò & *Alex: Benedictum* refellens. Tandem *hæc subjicit*: duæ virtutes ad eundem motum peragendum possunt conjungi: quemadmodum ad levandam alvum inferiorem simul agunt & vis naturalis expulsiva intestinorum & vis animalis musculorum, qui in parte ventris superiore collocantur: quas duas virtutes nos etiam opus deglutitionis adjuvare concedimus & tamen negamus meri habere musculos, sicuti neque intestina habent præter ultimum Rectum nominatum, quod in ultima sui parte, quæ sedes appellatur, musculum habet, qui prohibet, ne nobis invitis exeant excrementa alvi inferioris. Quare Galenus libro sexto de membris passis, sive de interioribus, ut nunc scribitur, dixit dejectionem alvi partim esse naturalem, partim animalem & tamen motum, quo alimentum, chylus videlicet à ventriculo fertur ad intestinum jejunum, & ab illo ad tenue, dixit esse merè naturalem, quoniam in hoc virtus motiva animalis non operatur, quum hæc intestina non habeant musculos: sic & nos motum cibi ab orificio gulæ usque ad fundum ventriculi, eadem ratione dicimus esse tantummodo naturalem & vim animalem nullum in hoc habere locum, sed tantùm in admovendo cibum ad gulæ orificium. Ad hoc enim & motus linguæ & musculi duo in faucibus collocati operan-

rantur atque eatenus deglutio potest dici motus animalis, quia hac operatione non præcedente, non posset cibus postmodum vi naturali attractivâ meri, ad inferiora descendere: & hoc est, quòd puto voluisse Avicennam dicere, quum dixit Fen. prima primi, capite de operationibus: & similiter transglutiendi operatio duabus completur virtutibus, una est attractiva naturalis, & altera est attractiva voluntaria: & prima quidem suam complet operationem per villum, qui secundum longitudinem protenditur, qui est in ore stomachi & œsophago & secundæ completur per villum lacerti transglutiendi. Et non movetur aliquod istorum membrorum, quæ sunt via cibi per lacertos, nisi duo extrema, scilicet caput & est meri & inferius & est ficteris. *Hæc ille.* Musculus *Sphincter* hoc loco intelligendus est, quo anus contrahitur. *Plinius Val:* videtur vocare *caput intestini*, ut *Plautus* inferiorem *gutturem*, hoc est, *gulam*, scitè sanè; ut enim summa gula ad voluntatem dilatatur, ita extremum intestinum similiter adducitur, ac quoque duorum musculorum operâ, prout collibitum est, aperitur. Hos musculos mirè ad utrumque aptos absque dubio nactus fuerat is, qui nunc raucisonos, nunc admodùm canoros crepitus ventris & suo arbitratu & quoque nutu Domini edere poterat, cujus in aula versabatur, omnibus jucundus. Eâque arte an bono naturæ sat bonam sibi finxerat fortunam.

Cæterùm *Riolanus* superiorem *autorem, Fuchsium*, interpretari videtur. Interna tunica membranosa est, ori, palato, & laryngi communis, externa carnosa & rubicunda, variis fibris conspergitur, quarum ope coarctatur, motumque peculiarem habet, musculis penè consimilem, ideoque Galenus lib. 1. de motu muscul. cap. 3. & post cum Avicenna cap. de gula affirmant, veteres medicos œsophagum pro musculo accepisse, quia totus carnosus est; ideò musculi officio fungitur. *Hæc ille.* *Musculos Gulæ Carpus, Mundinus, Gabriel de Zerbis, Curtius, Nic. Massa, Vesalius, Valvarda, Cor: Stephanus, Vassæus* tantâ curâ non exequuntur, quantâ *Archangelus Piccolh: Anat. Prælect. lect. 4.* *Musculi*, inquit hic, *deglutitorii sunt octo seu quatuor paria. Horum finis est, ut deglutiendi instrumentũ in latera, idque deorsum ducant. Deglutitorios musculos, alios esse à gustatoriis & lin-*

& linguæ, hinc dignoſcitur, quod lingua immobili perſiſtente, deglutio fiat. Et quoque *Realdus Columbus,* Veſalium redarguens, *Bauhinus, Riolanus, Veslingius, Blaſius.* Admodùm peritè *Adrianus Spigelius : Uſus œſophagi eſt, ut infundibuli loco ſerviat, per quod cibus ac potus in ore nonnihil confectus, ad ventriculum tranſmittatur. Sed præter hanc & Actionem habet, cum cibum excipiat per dilatationem membranæ propriæ interioris & exceptum detrudat in ventriculum per conſtrictionem externæ tunicæ propriæ & muſculorum, quos pharyngis vocamus.* Ac hanc poteſtatem penitus *voluntariam Felix Platerus* judicat hoc exemplo : Eos, qui aquis immerſi moriuntur, non quod aquam affatim & nimiùm bibant, uti vulgò creditur, ſed quia ſuffocantur, extingui, ſic probatur. Quod aqua non niſi per deglutitionem ventriculum noſtrum ſubire posſit, deglutio autem, cùm *motus ſit ex arbitrio noſtro pendens,* cohiberi, ne fiat æquè in aqua atque extra eam me ad eam tunc impelli posſit, etſi fortè aliquid deglutiatur, in hac necesſitate & agitatione, tamen parum illud eſſe liquet, quod patientem tàm citò interimere minimè valeret, ſicuti in ſuffocatorum in aquis ventriculis obſervatum à me aliquoties fuit, in quibus paululum aquæ fuit inventum, eamque aquam, quæ inverſo corpore ab illis, qui ex aquis extrahuntur, deſtillat, à veſtibus potius defluere certum eſt. Quamobrem quod aeris per reſpirationem ab aqua intercedente, attractio impedita ſit, & cum aer attrahi deberet, aqua illius loco in aſperam arteriam illabatur, cauſa ſuffocationis illius, illaq; mortis exiſtit. Ac *illo experimento Excell. D. D. Nic: Tulpius l.1. Obſ. Med. c.42.* Poſt vomitum, vertiginem ac ſpaſmum cynicum reſolvebantur, ſub autumni finem mulieri quinquagenariæ, tàm pertinaciter muſculi deglutitionis : ut gula proptereà flacceſcente, ne guttulam quidem deinceps potuerit tranſmittere: licet nec dolor nec tumor, nedum ulla ipſam urgeret anguſtia. Quod reſolutæ gulæ impedimentum ablaturi Medici, intruſere faucibus plumam acribus medicamentis imbutam ex ſententia Ætii. Sed illa non elicuit adeò pituitam muſculis impactam, ut potius conjecerit ægram in præſens ſuffocationis periculum. Integra enim deglutitio quantum deprimit gulam, tantum elevat invicem caput aſperæ arteriæ & di-

latando ipsius rimam efficit, ut obadsumptum cibũ non angustius, sed liberius trahatur spiritus. In resoluta autem gula, contra quam fiat, mirum profectò non est, ægram hanc propemodùm fuisse suffocatam à pluma obturante non minus laryngem, quàm gulam. Quarum profectò partium angustia in causa fuit, quò minùs deinceps voluerit admittere salutarem illum tubulum, quem in simili necessitate describit Hieronymus Capivaccius lib.1. cap.54. Cujus ope, licuisset fortassis, per os, jurulenta ventriculo infundere, eâq; ratione vitam, si non integrè, aliquandiu saltem ipsi prorogare. Quo auxilio obstinatè repudiato, Vires medicamentis & clysteribus nutritivis servavimus, at septimo die diem suum obiit. *Idem & hoc refert:* Inter œsophagum ac asperam arteriam existit tumor qui coarctat & mox occludit gulam, ut homo moriatur, denegato alimentis omni transitu. *Simile quid Johannes Rhodius Obs.Med. Cent.2:* Adolescentulo octenni per febrem ardentem abolita deglutitio ab œsophagi angustia, quæ tanta, præsente Johanne Prevotio, ut gula cadavere aperto aquam non admitteret.

Verùm in hæc diverti. Sermonis hæc summa est, tolli aut impediri potestatem *glutiendi*, musculis *gulæ* leviter vel graviter laborantibus. Hos nisi homo movet, nihil vel cibi potusque vel pituitæ spissioris aut tenuioris devorari potest. Quâ ratione *Vincentius Baronius* adducitur, ut *Cerebri Catarrhum* neget in *gulam* & *stomachum* ferri posse. *Antequam,* inquit ille *lib.1.de Pleuripneum.* cap.18. *videamus, num per asperam arteriam fiat hujusmodi delatio, disquirendum est prius, an per alium ductum fieri possit, hoc est, per gulam, venas & arterias, atque per nervos vel spinalem medullam. Per gulam enim non videtur, quoniam per hanc non nisi, quæ nostro arbitratu deglutimus, ventriculum ingrediuntur.* Qui quoq; de Cerebro in *gulam* & *stomachum* existimant duci pituitam, iidem quidem *catarrhosos* confitentur sæpius glutire, ut *Johannes Matth.de Gradi, Bertrucius, Joh.Mich. Savonarola, Joh.Bapt.Montanus, Crato, Thomas Erastus.* Id quoque ajunt *Christophorus à Vega, Forestus, Jacobus Fontanus, Vincentius Alsarius à Cruce* sæpiùs in dormiendo fieri. Quemadmodum nos somno pleni, brachia jactamus & pedes, ita eodem ligati, etiam *oris* humores, nisu *musculorum gulæ* devoramus. Sæpè eve-

evenit,ut lenta *pituita* ê *membranâ pituitaria posteriori* pendeat eo tempore,quo salivâ scatet os,dentibus dolentibus. Vulgus jurat, eum humorem de Cerebro venire ac inhærere instar boli. Hunc igitur cùm homo devorare nititur, subinde glutit, semperque salivam imbibit. Si hæc in ore clauso manet,nec glutit homo,eam *gula* haud admittit. Quare homo hunc *Catarrhum*, quo *humor Cerebri* in *gulam* & *stomachum* stillare dicitur, sponte suâ arcere poterit, dum modò abstineat glutire. Itaque Cerebri humor sive per *Ossis foramina*,ceu per *colatoria*,sive per *continuitatem Meningum cerebri & Membranarum faucium* in spatium oris coeat,inibi stabit,nisi expuatur,nec unquam eum *gula* excipiet,nisi hanc homo vel vigilans vel dormiens nisu musculorum dilatet. Homo paralysi opressus, liquida ægriùs devorat: eaq; si ore tenentur diutius,faciunt tussim, Laryngi illapsa. Admonendus est inde æger, ut glutire nitatur. Semper tamen frustula jam manducata facilius gulâ concipiuntur, quippe quæ salivæ liquore subacta & nonnihil conglobata. Liquidiùs *Guiliel.Fabritius Hildanus* cent.V.obs.34.judicat,quàm libr.2. part.1.Sect.1.cap.3.Quæst. D.*D.Sennertus*.Trajicit cibum potumque operâ musculorum gula summa, cæterum ejus corpus, cui insunt fibræ, assumit ac quoque detrudit. Nihil verò glutiendo capi potest,nisi summa gula, motu voluntario dilatetur.

Quod ad *alteram Catarrhalis* seu *Cerebralis Diarrhœæ viam* attinet, quam *venæ* opinione *Galeni* faciunt,iis quidam ê recentioribus & *arterias* annumerant, ut *Johannes de Tornamira* & *Bartholomæus Montagnana*. Dein eo loco *Galenus* prodit, nonnullis placere,humorem prius in *cor* & *pulmones* fluere, quibus is reddatur spumosus. Verùm plurimi, *eodem Galeno* autore,humorem *Cerebri* per *venas* & *arterias* quasi recto tramite ad *hepar*, ad *venas* Portæ, hinc ad *Mesenterium*, ac ad ipsa tandem *intestina* tendere affirmant, ut *Johannes de Tornamira, Sylvius, Fonseca, Viscerus, Bordingius, Marquardus*,quorum verba superius posita fuerunt.Sunt quoque de grege recentiorum, qui Cerebri humorem stomacho vel per *colatoria* vel per *vasa* illapsum,rursus *venas intestinorum* ac *Mesenterii* subire ac inde iter parare & præcipuè ad *hepar*, illudque vitiare,ut suprà *Crato* edisserebat,ac quoque *Montanus*. Unde D.*Sennertus*,

nertus, si in ventriculum, inquit cap. de Catarrho, *materia Catarrhi fluit, ἀπεψίαν, lienteriam, vomitum facit, si ex intestinis in hepar se insinuet, obstructiones hujus, aliorumq; viscerum efficit.* At hisce autoribus similis haud est *Rondeletius*, qui illam pituitam, si venis *Mesaraicis* concipitur, asseverat rursus coqui, digeriq;. Tandem in peculiari opinione hîc versatur *Adr: Spigelius*, qui eam *pituitam, quæ aliquando ob destillationem à Capite in ventriculo abundat*, per *ventriculi tunicas* existimat sensim transudare posse, mox *talẽ in illâ cavitate collectam, rapi in Venam Cavam & Arteriam magnam*, & tandem *per emulgentes propagines in Renes transmitti.* Eamque *transudationem*, ut vocat, fieri credit, autoritate *Hippocratis* motus, qui cunctum *corpus transfluxile* esse pronuntiat, & ut hisce verbis hodiè utuntur Medici, *transpirabile.*

Verùm ego illud *Hippocratis* dogma, quo nititur *Spigelius*, libro de *Catarrhis tertio* satis exposuisse videbor. Arteriæ quippe humorem emittunt paulatim & vaporem, utriusque portionem revehunt venæ. Idq; fit indesinenter. Eâ ratione corpus & quidem ob humorem erit *confluxile*, & propter vaporem *transpirabile.* Si pituita ex *ventriculo*, ut *Spigelii* verbis utar, *per poros & insensiles meatus membranarum stomachi* transudet, & reliqui liquores *ventriculo intestinisq;* contenti, in similem modum sudoris exire poterunt. Haustus potus, ex cibo confectus chilus, & purgamenta alvi ipsa, nonnunquam sunt magis tenuia, quâm pituita. Ac *intestinorum stomachiq; tunica* est eodem genere, eâdem quoq; naturâ, similique crustâ intus obtenditur. Nunc cur nec *urinæ liquor*, ceu sudor per illam *vesicam* se effundit, cujus tunica est multò tenuior, quàm membrana stomachi? Cur *aqua Pericardii* non exudat? Cur non *humor aqueus Oculorum?*

Cæterùm non sum opinionis ambiguus, *sanguinem Capitis, cerebriq; venis jugularibus internis* ac *externis* ad *Cor* reportari. Verùm is æquè ac ille, qui ab imo corpore manat, in *Cor* evomitur, confunditur inibi ac mox in pulmones missitatur ac rursus in Cor, quo is ubi digreditur, ejus portio altera sursum pellitur, altera deorsum, micante Aortâ. Hujus *trunci descendentis ramis* ille sanguis in *hepar*, in *lienem*, in *Mesenterii* venas, denique in *intestina* ferri

potest,

potest. Si verò hic *pituitam* secum vehit, ac eam in intestina indit, non eam *Capitis* aut *Cerebri pituitam* possumus judicare. Est potius humor *massæ sanguineæ*, ac si qua *spuma* notatur, est spuma massæ sanguineæ, aut quidvis potius quàm *spuma cerebri*. Ea quoque ab aeris hausti multitudine oriri potest. *Arteriæ* intestinis ex massâ sanguineâ invehunt victum, ejus reliquias in eandem reducunt *venæ*. Istas verò *arterias* præter liquorem *alimoniæ* ministratæ etiam vitiosos humores in spatium intestinorum sæpiùs effundere, jam dudum palàm fecit idem *Spigelius*. Ea est natura ingenii humani, ut nunc acrius veriusque judicet, nunc hebetiùs.

Meritò in eos aliquantò gravius consulitur, quibus persuasum est, pituitam *Oesophagi fistulâ* decurrentem, vitiare stomachum ac intestina, illorum ingredi *venas* & *arterias*, his pertendere ad *hepar*, & illud, ut *Sennertus* sentit, obstruere. Sanguis, quem *arteriæ* in *intestina* supernè convehunt, *hepar* transeundo facilius offendere posse videtur. Inter *Cratonem* & *Rondeletium* nonnihil discrepat. Hic enim eam pituitam, quæ *venas Mesaraicas* intrat, coqui arbitratur. Nec mirum, nihil concinens hîc dici, rebus omnibus tàm commentitiis, tàm exsortibus veri. Nullus est *Catarrhus stomachicus*, nulla est *Diarrhœa Cerebralis* aut *Catarrhalis*. Quasi parùm multi sint morbi, quibus genus humanum exercetur. Medici & mente fingunt morbos, qui nusquam sunt. Cùm verò adversus hanc Diarrhœam parent excogitenque remedia, horum multitudine ac acerbitate mortales indignissimè excruciantur.

Hisce abjudicatis, nunc nostra super hoc censio fortè desiderabitur. Oppidò multæ, fateor, & perquàm variæ existunt *Diarrhœæ*. Eæ tamen ad unam omnes, etiam pituitosæ ac illæ si Diis placet, *cerebrales* nasci possunt, *cerebro* humorem haud exhibente. Exploratum fuit omnibus, bilem in ventrem confluere, ut ex Græcis *Galeno* lib.5. de.us: Part: cap.4. *Avicennæ* ex Arabibus, ex recentioribus *Mundino*. Hâc ætate & mitior humor ex *Pancreate* in stomachum fluere putatur. Dn. D. *Franciscum Deleboe Sylvium* audire, necesse est.

Simili planè modo fermentatorum in ventriculo alimentorum partem puriorem, fluidiorem, sanguinique producendo

magis utilem Christi nomine notum opinamur secerni intestinis ab eorundem parte impuriore viscidiore, hominique minus utili in alvinas feces facessente. Ut autem cui hoc muneris asscribendum sit, pateat, notandum, instituto acurato omnium tam in brutis quam hominibus per anatomen observabilium examine, hactenus duos duntaxat animadversos loco huic usui conveniente ad intestina delatos liquores, Bilem & succum pancreaticum, quorum alterutri vel utrique hanc chyli ab alvinis fæcibus secretionem omninò acceptam putamus referendam. Effunditur enim ut plurimum per communem ductum sive exitum uterque liquor præfatus in cavitatem intestinorum & quidem quatuor circiter transversorum digitorum spatio sub pyloro, unde commodissimè præterlabentibus alimentis fermentalis admisceri potest ac debet uterque liquor. Pancreaticus succus cum in peculiari vesica vel cavitate non asservetur, nec in suo ante paucos demum annos à Wirsungo primum observato ductu à nobis aut aliis, quod sciámus, benè dispositis & sanis omnibus unquam fuerit repertus, non dubitamus asseverare ipsum continuò per ductum suum deferri ad intestina mutuato à Pancreate, in quo præparatur, pancreatici nomine. Bilis autem utpote vesiculâ propriâ epatis cavo insitâ conclusa nec nisi in ægris effusa tota, innotuit jampridem omnibus. Hæc quoniam non è corpore, sed in corpus exoneratur necessariam utilemque sui productionem & coacervationem ostendit. Effundi autem ad intestina in sano homine bilem suspicamur, quoties alimenta debitè fermentata, è ventriculo propelluntur in ac per intestina & quidem motu ipsorum peristaltico in brutorum viventium sectionibus non semel oculis à Nobis & aliis usurpato tractu scilicet in consensum folliculo bilario utpote àb eadem causa, de qua suo loco & tempore, mota. Pancreaticum succum naturalem nihil vel parum à saliva differre putamus uti docebimus pluribus, quando ex professo de glandularum agemus usu. Bilem autem si quis terminis descriptam cupiat chymicis, & analysi chymicæ respondentibus, arbitramur ad ejus constitutionem concurrere multum salis lixiviosi retorridi atque ideò subpinguis accedente insuper pauco oleo, pauco spiritu volatili, paucaque aqua. Retorridum vocamus salem lixiviosum,

ſum, qualem calcinatio aut reverberatio exhibet diutina. Salis autem lixivioſi in bile dominantis ope fermentatorum alimentorum comes viſciditas ab oleo copioſiore cum arido ſpiritu pauco, terrâque paucâ permiſto pendens immutatur & frangitur, unde partes eorundem chyloſæ à cæteris ſecedentes ab allabente perpetuò ſucco pancreatico amplius diluuntur, dum bilis pars bona cum alvinis permanet fæcibus illasque & ſuo inficit colore & nitroſo imprægnat ſale. Eandem viſciditatem deſtruit ſpiritus acidus copioſior aquâ præſertim dilutus & olei vim frangens ac obliterans. Secretus hic ab alvinis fæcibus chylus per carneam & ſpongioſam inteſtinorum cruſtam veluti per pannum laneum,tranſcolatur quaſi, exprimiturque in venas lacteas, memorato inteſtinorum motu periſtaltico. *Et rurſus:* continetur naturaliter & quidem ſemper in tenuibus inteſtinis, ad quæ defertur bilis,humor pituitoſus, quantum conjicere valemus partim ex continuò deglutitæ ſalivæ,partim ex aſſumptorum alimentorum,partim ex ſucci Pancreatici reliquiis poſt bilis admiſtionem ortus. *Hactenus Autor.*

Ita eſt. Evenire poteſt, ut ductus illi Salivales plus humoris reddant,adhærente ad ſumma faucium pituitâ, ceu *bolo*. Quare & homo eum autumat de *Cerebro* venire. Hunc verò in *ſtomachum* detrudere cupiens,ſæpius glutit. Quo fit,ut redundans illa *ſaliva* ſimul devoretur. Unde *Diarrhœa* poteſt increſcere. Maximæ autem viæ humorum, unde naſcantur *Diarrhœæ*, ſunt *Ductus cholodochus*, *meatus Pancreaticus* & *Inteſtinorum ſtomachiq́ꝫ arteriæ*,quibus omnes omnium *Diarrhœarum* humores inferri queunt. Quemadmodum n. ductus *cholodochus* plus bilis,quàm oportet, plus illius mitioris humoris,quàm convenit naturaliter,ille *meatus Pancreaticus* reddit,ita quævis humorũ genera in inteſtina interdũ effundere queunt *arteriæ*. Si igitur alvus cita humorem album & *ſpumoſum* excludit,haud *Cerebroſa*, haud *Capitalis* ſeu *Cephalica*, haud *Catarrhalis*, ſed *maſſæ ſanguineæ Diarrhœæ* eſt exiſtimanda. Quanquam eam & humor *Pancreaticus* augere poterit. Hæ ſunt veræ viæ *Diarrhœæ pituitoſæ*, veluti & *bilioſæ*, vitiato maximè ductu *cholodocho*. Nec paucus eſt humor, quem *ductus Salivales* reddunt. Hic non Cerebri eſt, ſed maſſæ ſanguineæ. Anicula ſi ex lino ducit filum & ſalivâ deficitur,

petit potum, non queritur de ſicco Cerebro. Cuncta maſſa ſanguinea eſt minuta.

CAUSÆ.

Cauſas hujus *ſtomachici*, ut vocant, *Catarrhi* ajunt eſſe quoque ſtomachum & quidem eo nomine, quòd non benè digerat cibos, unde vitioſi humores *ſanguineæ maſſæ* admixti, etiam ad *Cerebrum* ferantur, ac quòd ab eo mox talis redundantia remittatur in eundem ſtomachum & inteſtina, unde tanta tandem exiſtat egeries. Hoc veterum errore tàm manifeſto, huc uſque detenti fuimus & involuti. Nihil, nihil, inquam, humoris ex *Cerebro* decidit in *gulam*, vel imprudente homine vel capiente ſomnum, vel vigilante. Quem humorem quoque dant *ductus ſalivales*, is aut exſpuitur aut non niſi *glutiendo* in ſtomachum transfunditur, quemadmodum & ille, quo ſumma gula, fauciumque muſculi madent, ſudantque. Si media gula humorem intus emittit, is quidem in ſtomachum tandem labitur. Talis interdum eſt lentior, multoque ægrius abſcedit. Cujus mentionem & *Plinius* lib. XXIV cap. XV facere videtur. chamædrys carpitur prægnans ſucco. In petroſis adverſus ſerpentium venena potu, illituque efficacisſima: item ſtomacho, tusſi vetuſtæ, *pituitæ* in *gula cohæreſcenti*, *ruptis*. Verùm autor nomine *gulæ* fortè deſignat pituitam *gutturis* ac *thoracis*. *Dioſcorides* certè & *autor libri de ſimpli: Medic:* illam herbam tradunt tusſim ſedare. Atque *gula* interdum *guttur* & *guttur* vicisſim ſignificat *gulam*, ut *libro primo Sectione primâ capite Sexto* oſtenſum fuit. Ac inſuper *Plautus* in Curcul: naſo odos obſecutus eſt meo, da vicisſim meo *gutturi gaudium*: *& jam:* vineam pro aurea ſtatuâ ſtatuam, quæ tuo *gutturi ſit monimentum*. In *milite Glorioſo:* quia enim obſorbui, nam nimis calebat, *amburebat gutturem*. *Trinum:* poſtquam thermopotaſti *gutturem*. *Seneca lib. 3. Natural: Quæſt:* omnem quicunque parum moderato *gutture* traxit, haud aliter titubat, quàm ſi mera vina bibiſſet. Ac *libro ſecundo Epiſt: 15.* ſi multum potionis alterius *jejuno gutture ingeſſerunt*. Dein *guttur* quoque eſt πρόλοβος avium. Aves, *inquit C. Plinius libro XI Cap. 37.* geminos ſinus habent. Quædam unum, quo merguntur recentia, ut guttur, alterum, in quem eo dimittuntur con-

concoctione maturata. *Libro decimo capite 13.* gutture harenâ repleto, stabilitæ volant. Abjiciunt cùm attigerint ê *gutture arenam.* Tandem *guttur* dixi esse aliquando primorem *colli partem.* Hinc *guttur inflatum* vocatur. *C. Celsus lib.3.cap.32:* exulcerandus est ferro candenti, uno loco *sub mento, altero in gutture.* Ac *libro quarto cap.1.* cum cibum potionemq; assumimus, arteriam claudit. Ipsa autem arteria, dura & cartilaginosa *in gutture assurgit.* Eundemque locum & *gula* denotat. *Gellius lib. 1. cap. 14:* Tum Fabricium planas manus ab auribus ad oculos & infra, deinceps ad nares & ad os & ad *gulam atque inde porro ad ventrem imum deduxisse & legatis ita respondisse.* Tandem idem valet quod *guttur*, via animæ. *Plautus in Aulularia:* Ibo hinc intrò atq; illi socienno tuo jam *interstringam gulam.*

Verùm enim verò ut ut ista se habent, in mediâ interiore *gulâ* in modum sudoris aliquando exit humor, qui pertinaciter intus adhærescit. Hic interdum exscreando producitur, sæpius verò, ut dixi, in stomachum delabitur. Aliâ ratione nihil supernè in *stomachum* ferri potest. Jam dudum verò eas vias monstravimus, quibus humores in eum ê *ventre*, quem vulgus *inferiorem* vocat, concurrunt, ut *Ductum cholodochum, Pancreaticum* & tandem *Arterias. Gula* quoq; humore naturaliter madet. Et ille interdum cumulatior esse potest. Si *salivâ* vehementius scatet os, ea etiam glutiendo in stomachum pervenire potest. Quid tandem de *cibis* dicam? Hi aut multitudine aut acredine stomachum ac intestina proritant sic, ut dolore oriente plures humores irruant, quibus alvus continuò fundatur. Quid de injuriis *aeris*, cujus portio & stomacho receptatur? Ac hac ratione forsitan *Hippocratis Aphorismus 17. Sect:3.* est interpretandus. Quotidianæ tempestates, aquiloniæ cogunt corpora, firmantque, mobiliora item, expeditioraque & coloratiora & auditu valentiora reddunt, alvum siccant, oculos mordent & si pectus dolor aliquis priùs habuerit, exasperant: contrà, austrinæ eadem solvunt & humectant, auditum hebetant, caput gravant, vertiginem oculis, tarditatem & languorem corporibus afferunt, *alvum humectant.* Atq; *idem Hippocrates l. de aere aq: & locis tex:2* hoc quoque addit: *Hyeme frigida, homines capita humida & pituita redundantia habere æquum est & pituita ex capite defluente, eorum alvus*

crebrò exturbare : τοῦ τε χειμῶνος ψυχροῦ, τοὺς τε ἀνθρώπους τὰς κεφαλὰς ὑγρὰς ἔχειν καὶ φλεγματώδεας, τάς τε κοιλίας αὐτέων πυκνὰ ἐκταράσσεσθαι ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τοῦ φλέγματος ἐπικαταῤῥέοντος. Adhæc *Ludovicus Septalius* com.in l. de aer.aq.& locis: Eadem propemodum ratio eſt, quam hîc tradidit Hippocrates, cur qui in locis meridionalibus ventos excipientibus degunt, facilè alvi profluvio capiantur, quæ à Galeno propoſita eſt 6 Sect. Aph. 34. cùm quærit, cur balbi alvi profluvio facilè corripiantur: dicebat enim, quod cùm caput eorum maximè repletum ſit pituita, cùm hæc ad palatum defluit, balbutiem invehit, cùm verò ad ventrẽ, alvi profluviũ. Cum igitur hos capita, imò & univerſa corpora humida dixerimus, quid mirum, ſi hac eadem ratione crebro alvi profluvio corripiantur. Rurſus *Hipp: 3. Aph. 16. Morbi in pluviarum multitudine, magnâ ex parte fiunt febres longæ, alvi profluvia &c.* Idq; *Galenus* hiſce *Interpretis* verbis exponit: Neque extra rationem eſt, quod alvi profluvia in temporibus pluvioſis eveniant, cùm humorum ſuperabundantia per alvum expurgetur. Angina autem fit nonnunquam ſuperfluitatum multitudine ad fauces collecta, fit etiam magnâ ex parte fluctionibus ex capite firmatis in faucibus. Quod autem in pluvioſis temporibus fluxiones, ſed maximè ex capite venientes ſuperabundent, manifeſtum & dictum eſt à me ſæpiùs. *Unde Foreſius in eam diſſerit ſententiam*: Oriuntur fluxus ventris, quia multiplicantur dicti humores in capite & conſequenter ad ſtomachum & inteſtina deſcendentes, fluxum ventris efficiunt. Si verò maneant hujuſmodi materiæ phlegmaticæ in capite, hinc illæ Apoplexiæ & Epilepſiæ. *Anton. Muſa Braſſ: ferè ſimiliter*: In pluvioſis temporibus fluctiones fieri edocet, ſed illas præſertim, quæ ex capite deſcendunt. Si enim ex capite ad fauces, guttur aut alias hujus generis partes deſcendant, illarum partium morbi generantur. At ſi ad ventriculum & inteſtina, alvi profluvia fiunt. C. Celſus κοιλίης ῥύσιες interpretatur alvi dejectiones, quod melius videtur, quàm interpretari profluvia, quæ ſunt vel dyſenteria, vel diarrhœa vel lienteria. At hîc alvus ſaltem mollior redditur. *Hæc ille.* Latenter *Philotheus* & *Oribaſius*. Lienteria, *inquit hic*, hoc eſt lævitas inteſtinorum ex glutinoſo humore & hyeme contrahitur. Coxendix ex

pitui-

pituita fit, quum descendit per recta ossa in commissuras & fit ibidem conglutinatio. Idque ex hyeme est. *Et paulò ante:* natura australium calida est & humida & dissolvunt corpora; sicut marmora videmus resudare in tali aere & cætera, quæ in terra sunt.

Nunc *Avicenna* reliquas *Diarrhœæ* causas persequitur. Factus autem à Cerebro est ille, qui fit propter catarrhum descendentem ex eo ad stomachum & ad intestina & corrumpit cibum & facit ipsum descendere & descendit ipsemet cum eo propter suam lubricitatem & expulsionem expulsivè. *Hunc Jacobus de Partibus interpretatur hisce:* Ait, quod illa solutio ventris à Cerebro fieri dicitur, quam Catarrhus generat de Cerebro descendens in stomachum & intestina. Nam Catarrhus iste descendere facit à stomacho cibos ante sui digestionem, & corrumpit eos & cum eis descendit propter suam lubricitatem, quâ stomachum lubricat & intestina, si fuerit catarrhus humidus phlegmaticus vel propter ipsius mordacitatem, si fuerit acutus, unde stimulatur expulsiva virtus ad expulsionem phlegmatis gravantis vel humoris pungentis stomachi totius & intestinorum.

Pergitque *Avicenna*: Et quandoque fluxus ventris stomachicus est catarrhus in stomacho propter illud, quod ipse comprehendit ex humoribus malis effusis ad ipsum ex corpore: quare corrumpunt cibum, quamvis sit bonæ substantiæ. *Adhæc iterum Jacobus de Partibus* dicit, quod solutio ventris quandoque provenit à malis humoribus effusis ad stomachum, non quod corrumpat cibos, qui in eo sunt, & compellant stomachum ad hos expellendum, imò propterea quod in malo humore ad stomachum effuso est aliqua virtus odiosa stomacho vel abominabilis, sicut combustio vel putrefactio: propter quam stomachus hunc extra se expellit, & quæ sunt cum eo de cibis & potibus: aut est in humore effuso ad stomachum virtus solutiva, sicut in cholera: vel lubricativa, sicut in phlegmate, vel abrasiva, sicut in adusta cholera nigra vel plurimùm acida effusa ad os stomachi de partibus splenis: unde accidit fluxus ventris stomachicus. *Hactenus* Autor. Verùm hic humor non à *cerebro* proficiscitur, sed aliunde confluit in stomachum. Frustrà est *Johannes Stöckerus*, qui hisce verbis utitur: *Aliquando fluxus à cere-*

à cerebro ad stomachum suâ gravitate vel levitate vel acuitate causat fluxum ventris. . Et hoc est, quod nonnulli *Dysenteriam* à Cerebro oriri arbitrentur. Quâ opinione & *Caspar Hofmannus*, quem tanti facio, trahitur. Illam verò protinus coarguam.

Aliquantò rectius sentiunt *Johannes Lygæus*, *Christophorus à Vega*, *Benedictus Victorius*, *Hieremias Thriverus*, *Rodericus à Fonseca*. Alvi profluvia, *inquit Jacobus Hollerius*, aut per infirmitatem partium nutritioni inservientium aut obstructione mesaræi, hepatis aut lienis, aut confluente in ventrem undiquaque *sero*, quod multum eo tempore gignitur & exitu per cutis spiracula prohibetur, præsertim in balbis & acidum ructantibus.

Johannes Heurnius venas quoque dicit: Ideo κοιλίης ῥύσιες, quod copiosè ichores tunc proveniunt vel alvinæ venulæ ab infarctu laborant, putredineque succos contaminant. Unde fluxus universales, qui toto genere manant venoso. A provisione totius, tandem cùm pravitas excrementorum se remiserit, dentur talia, quæ intestina roborant, ut panis biscoctus.

Ac rursus *Hollerius cap. 24. de alvi fluxionibus:* Fluxiones alvi partim vitio ventriculi & intestinorum, partim vitio materiæ excitari solent. Ea verò materia vel in ventre est concepta vel aliunde translata, ut à Cerebro in fluxu Cerebrali. Ejusmodi fluxus solet evenire *otiosis*, iis, qui somno nimiùm indulgent, quique humidiore sunt cerebro, modò juncta frigiditate, aliquando etiam caliditate. Humida aeris constitutione Austrina & maximè cum sequuntur Aquilones, qui per Austros & cælum pluvium collectam materiam exprimunt in ventrem. *Caspar Wolphius* quoque plures *causas* enarrat, at simul in eum rapitur errorem: Cerebralis fluxus evenire solet *otiosis*, *intemperatis*, iis, qui somno nimium indulgent, hiq; humidiori sunt Cerebro, modò junctâ frigiditate, aliquando & caliditate, humidâ aeris constitutione austrina & maximè cum sequuntur Aquilones, qui per austros & cœlum pluvium collectam materiam exprimunt in ventrem. *Itemq; Caspar Hoffmannus*, *serum*, inquiens, (quod facit diarrhœam) *aliunde etiam quam à cerebro esse, nihil prohibet.* Ac *D.D. Sennertus l.2. Instit. p.3. Sect.2. cap.1.* Diarrhœa causa est humorum copia, cruditas, interdum quoque gravitas, naturam

turam ad expellendum ſtimulans, ſive humor ille in toto, ſive in aliqua parte, etiam Cerebro ac præcipuè in ventriculo & meſenterio cumulatus ſit. Accedunt aliæ cauſæ vitium ſtomachi & hepatis, cibus & potus vitioſus, aeris intemperies, omiſſa corporis exercitatio, cutis in toto corpore adſtrictio. Ac *Gulielmus Rondeletius:* Cauſa etiam eſt conſtipatio cutis & conſtrictio partium externarum, ad quam ſequitur expresſio recrementorum ad inteſtina & ventriculum. Et *hic autor* opinione vulgi ſimul tradit Cerebrum pituitam ſuam in gulam & ſtomachum ſæpiùs evomere.

Summa; Quemadmodum *Galenus* & *Avicenna*, ita & reliqui è recentioribus multas *Diarrhœæ* cauſas agnoſcunt, at iidem *Diarrhœam* quoque à *cerebro* interdum oriri arbitrantur, ut hi, quos modò dixi, *Hollerius*, *Heurnius*, *Wolphius* & *Sennertus*. Hiſce verò omnibus repugno ac prorſus omninò nego, *Diarrhœam* à *cerebro* & maximè eo, quo vult *Sennertus*, modò concitari. Credunt ii *aeris* injuriis, ejus caloribus aut frigoribus, tempeſtate *Auſtrina* aut *Autumnali* cutem capitis ac cerebrum ipſum ita affici, ut inde multum humoris in *ſtomachum* concurrat. Quâ ex opinione *Carolus Piſò* hoc ſcriptum reliquit, Quotusquiſque, Sect. 4. cap. 1. *inquiens*, eſt, qui medio, certè præcipiti autumno, quo tempore primo lapſa cadunt folia, ſi modò negligentior fuerit in corporis cultu & ambientis injuria minimè ſe vindicaverit, non experiatur alvum liquidioribus ſolito ſibi fluere excrementis, iisq́ue reverà ex prædominio aqueis, ſed bilioſis aut lutoſis & plures quandoq́ue dies? Nam depluvii aquæ è capite in ventriculum & vomitu vi naturæ rejectatæ ex ſuperioribus obſervationibus exempla repetere licet & ſupervacaneus, ſit particularis de eodem argumento tractatus. Anno certè præſente, ut ſuperiore, ſub Auguſti finem cùm jam calor & frigus diverſis eodem die alternarent horis, obſervavi non paucos è ſtudioſis & præſertim eos, qui libris asſidui plus olei in animi elucubrationibus, quàm vini in commeſſationibus impendiſſent, cùm fortè prima noctis vigilia in tegendo corpore fuiſſent minus cauti, hujuſmodi laboraſſe diarrhoeis, per quas fluerent quatuor aut ſeptem dies Hippocrati dicta ὑδατόχλωρα ὑποχωρήματα ſed in quibuſdam tantillo affuſa cruore. Mihi ſanè cùm medio alioqui Au-

tumno id contigiſſet olim ſæpiuſculè, præter conſuetudinem jam eodem ineunte & in omnibus tempeſtatum anni ſuperioris mutationibus contigit, ut ſaltem unum diem alvus flueret liquidis id genus excrementis, quibus non ita poſt dolores nephritici ſucceſſére. Anno autem præſente ſub finem Septembris contrà nephriticis doloribus pertinacibus admodum diarrhœa profuſa ſatis ſucceſſit, duravitque duos Septenarios, eaque ſeroſa ferè, ideoque cum euphoria conjuncta.

Hæ *Diarrhœæ* haud à *capite*, haud à *cerebro* originem duxerunt ſuam, ſed à *maſſa ſanguinea*, de hac *arteriæ* vitioſum ſanguinem ſumunt, ac aut pituitam illam aut bilem in ſpatium *Inteſtinorum* conferunt. Nec *caput* modò, ſed etiam cæterum corpus *aeri* eſt expoſitum. Quapropter ſanguis ex ſingulis membrorum partibus motatur. Et hoc erat, quod *Diarrhœam Piſonis* finiret dolor *nephriticus*, & hunc viciſſim *Diarrhœa*. *Libro tertio de Catarrhis*, obſtructis *renum* meatibus, oſtendi alvum fluxiſſe. Nunc ſimile quid affert *Johannes Rhodius*, *lotio*, inquiens, *à caruncula urethera poſt gonorrhœam ſuppreſſo Diarrhœa ſucceſſit in generoſo Polono*, *cui Benedictus Sylvaticus aderat*. Atque *libro quarto de Catarrhis* dixi *catarrhis* urgeri facilè poſſe eum, quem alvus aſtricta exercet. Conceptacula Sanguinis facilè humores nunc in *inteſtina*, nunc in *Renum* meatus queunt convehere. Contractâ alvo, humores in *membranas pituitarias* conferri queunt. Aut fætidi vapores per venas in *maſſam ſanguineam* ſe inſinuare poterunt, ut materia *catarrhorum* inde agitetur. Quàm ineptâ opinione multi attinentur, ut quoque *Thomas Eraſtus?* *Non nego*, inquit hic conſ. 10. *interim ventriculum adjuvare hanc tanti humoris generationem atque Cerebrum ex ſublatis infernè vaporibus eoſdem augere. Nam ut de humida terra plures adſcendunt in cœlum halitus, quàm de arida & ſicca, ita ex corpore nimis humido plures quoque ad Cerebrum tolluntur flatus. Argumento eſt, quod augentur Catarrhi, quoties alvi fluxiones vel ſpontè ſupprimuntur vel arte cohibentur.* Quid? flatus ventris fætidus in *cerebrum* arcem *Pallados* penetrare dicitur. Quà è nota eſt *Gabriel Ayala*, Medicus ille Poeta, hos verſus *ipſe de incommodis ex alvi fæcibus diutius ſuppreſſis inſcripſit:*

Ut

Ut ſtes incolumis, *ſordes ſubducere ventris*
Nitere & id propriâ ſponte vel arte face.
Namq; hominem peſtes invadant mille neceſſe eſt,
Si faciant longam dejiciendo moram.
Hinc *vapor* in mentis ſedem, vitæq; theatrum,
Non ſecus ac virus, certa pericla trahit.
Ac producuntur *crebri variiq; catarrhi*,
Morbiq; Herculei, mania, coma, ſtupor.

Veteres *Poetæ* aerem celſisſimi Cœli, quòd hic teſte *Sabino* propter altitudinem corrumpi non poſſet, ænigmaticè vocabant *Palladem* & *ſemper virginem*. Hanc quoque ob id de *Jovis* Cerebro, ceu editisſimâ corporis parte fingebant enatam. Quàm fædus erit aer corporeæ Arcis *Pallados*, in quam imi ventris ſpiritus erumpere poſſe creduntur?

Compari modo ineptiunt ii, qui perſuaſum habent, auſtrinâ tempeſtate aerē *foraminibus Osſis cribriformis hauriri*, qui, ubi refrigeravit Cerebrum, per *foramina Osſis cuneiformis* in gulam detrudatur, ut *catarrhus cerebri* inde factus excitet *hanc Diarrhœam*, cognomento *Cerebralem*. Spirando, ne multa, in *pulmones* trahitur aer, quanquam is ſe & in *gulam* inſinuare queat, uti jam dudum oſtendit *Caſpar Hofmannus*. Unde id & *Helmontius* quidem probat, aſt falſa ſemper veris miſcet, *Libro*, cujus titulus *eſt cuſtos errans*, hæc diſſerens: Aer poſtquam per pulmonem in thoracem deductus eſt, ipſumque ſeptum tranſverſum (quod Diaphragma nominatur) deorſum in formam circularem detrudit, ejus poros penetrat, tranſcolatque bibitum aerem Diaphragma ideò. Quod ſat docent odores aliquot naribus hauſti, ac tandem per ructum redditi. Sic namque fumus carbonum vomitum citat, citiusque ſtomachum, quàm cor affectat. Imò odor cadaveris longè poſt ſentitur circa ſtomachum. Sic & prægnans fœtum mortuum geſtans, ipſum cadaver olet anhelitu. Odor enim ille per uterum atque diaphragma tranſiens, docet anhelitum, non ſoli cordis refrigerio, ſed toti inſervire. Sic quoque ex tabaci fumo ſtomachum flavedine tinctum propter fuligines oſtenderunt alii. Ita & laxantium perceptorum

 odo-

odores, licet ipsa pharmaca saccharo & aromate palliata sint, horret stomachus; quia odoratu suo eosdem odores percipit. Ergo si odor, etiam aer ad stomachum rectè pergit. Pestis ipsa per inspiratum anhelitum introducta, plerunque circa stomachum cuditur: iccircò vomitus, dolor capitis, sopor &c. stomachum affectum incusant & ostendunt.

Apparet certè, *aeris* portionem in gulam penetrare, etiamsi ea tantoperè non pateat, gutturis corpore incumbente. Hic quoque aer venis stomachi & intestinorum jam conceptus, *Massam sanguineam* ita turbare poterit, ut aut *catarrhus* concitetur, aut alvus fiat magis fusa. Minimè autem *aer cerebrum* intrat. Et nuperrimè, ut res experimentis cognosceretur sæpiùs, aer, folle ad nares admoto, detractâque Cranii patellâ, sursum agebatur, at nullus ejus transitus ullo modo deprehendi poterat, inspectante hominum coronâ. Cerebri humorem *Crato* suprà dicebat aliquando tàm acrem esse, ut crearet *Dysenteriam*. Talis absque dubio molliculum & lacteolum *cerebrum* antè exulceravit. *Sennertus* nescio quam *hecticam Cerebri intemperiem* memorat, ex eaq; hanc *Diarrhœam* censet pendere tàm diuturnam. Credit autor ipsum *cerebrum*, ceu adipem liquari ac cum reliquis humoribus instar ceræ tabescentibus, in stomachum & in intestina effundi. Fortè & de *cerebro* statuet nasci illam *Diarrhœam*, quam vocant, *colliquativam*. Antiquitas præter casus & vitia teste C. *Plinio* enumeravit trecentos morbos. Atq; laudem fuerunt omni sæculo adepti, qui novos insuper invenerunt, aut memorârunt diligentiùs, ut *Johannes Baptista de Cavigiolis*, *Baptista Codronchius*, *Franc. Glissonius*, ac illi, qui de *Scorbuto* tàm multa prodidére. Ego ut spero, gratiam inibo, qui inveteratum morbum novis inventis tollo, expelloque numero morborum. *Cerebralis Diarrhœa* nunc est figmentum, est *chimæra* ac quidem sine capite & sine cerebro. Ut *cerebrum* non pituitâ stillat, ita nec eum humorem missitat in stomachum. Nullus itaque in posterum agnoscet hanc *Diarrhœam cerebralem*, nisi cerebrosus, nisi contentiosus, nisi dogmatibus veterum inconsultè addictus.

DIFFE-

DIFFERENTIÆ.

Ajunt humores interdum & in *Laryngem* & in *Gulam* deduci. Καλάῤῥους ἐς τὴν ἄνω κοιλίην quid ſit & quid περὶ τὰ ἄνω, *libro primo de Catarrhis Sectione primâ cap.3.* definitum fuit. Περὶ τὰ ἄνω eſt *caput*. Ἡ ἄνω καὶ κάτω κοιλίη eſt thorax & infimus venter, quamvis *hic*, inquit *Duretus*, *rurſum dicatur purgari per ſupera, vomendo, ſicut per infera, dejiciendo*, ut pluribus infrà dicetur. Quidam de induſtria φάρυγγος voce uſi fuerunt, cùm ea *Gulam* ac Laryngem & ſpatium oris denotet, quemadmodum id quoque ductu auſpicioq; aliorum l.2.p.1.c.20. *D.D.Sennertus* oſtendit, at multò plenius, multoq; evidentius *Dn.Joh. Conradus Dieterichius*, ὁ φάρυγξ, *inquiens*, & ἡ φάρυγξ de rebus diverſis ſecundum grammaticos, qui τὸν & τὴν φάρυγγα ita diſcernunt, ut maſculinum, guttur, fœmininum verò fauces denotet. Id adeò ſtrictè obſervarunt Artemidorus & Dioſcorides, ut cum in Prorreth. l.1.ſect.3. num.12. invenirent ſcriptum: τὰ ἐν φάρυγγι ἰσχνῷ ἀλγήματα, illud ἰσχνῷ in ἰσχνῇ mutarent, quia de faucibus ſermo, ut Galenus d.l.refert. At id diſcrimen tanti non eſt, ut ei confidamus, quod rectè notant Obſopæus in Porreth.pag.638.& Hoffmannus 2.Inſtit.Med.96. p.189. quamvis in genere maſculino pro gutture, in fœminino pro faucibus ſemper uſu venire velint Fuchſius in 2.aph.15.pag.90.& Heurn.in Prognoſt. pag.326. Antiquisſimi Græci ſummam gulæ, qua ad radices linguæ & tonſillæ conjungitur, φάρυγγα, Latini fauces: at eaq; parte ad pulmones deſcendentibus in eodem canali iidem λάρυγγα Latini guttur appellarunt. Veruntamen poſteriores, non certis earum partium ob conjunctionem appellationibus ſunt uſi, promiſcuè φάρυγγα & λάρυγγα eandem in homine partem appellantes, Plinius 11.37. pag.172. Summum gulæ Fauces vocantur, extremum ſtomachus. In plurali uſurpatur Latinis niſi quod Ovidius in Ibin etiam faux dixit in hoc diſticho:

> Utq; Syracuſio præſtricta fauce Poetæ,
> Sic animæ laqueo ſit via clauſa tuæ.

Nudè poſitum hoc nomen libr.III. 5. notat faucium aſperitatem, provenientem ab Aquiloniæ tempeſtatis aſperitate.

Si aquilonia prævalet tempeſtas tuſſes & faucium aſpredines fiunt III,5. Celſus: Ex tempeſtatibus Aquilo fauces exaſperat. Q. Serenus:

Ægreſcunt teneræ fauces cum frigoris atri
Vis ſubiit, vel cum ventis agitabilis aer
Vertitur atque ipſas flatus gravis inficit undas.

In aph.15. lib.2. per morbum faucium intelligit parotidas pituitoſas aut cum phlegmone fauces obſidentur vel aphthis. *Hæc ille.* Ob eam rem quoque *Nic. Leonicenus* legi poteſt. *Oribaſius*, vocabulum *fauces*, *inquit*, *indubiè labia, palatum* & *uvam ſignificat.* Nonnunquam autem verbo φάρυγγος nîl aliud quàm *gula* indicatur, quâ delabitur cibus. Non ſine cauſa *libro primo de catarrhis* in illis verbis explicandis, quibus viæ *catarrhorum* produntur, fuimus tàm multi. *Græca* quoque, ut modò meminimus, *Arabica* & *Germanica* Halß und Rachen/quibus utuntur *Dryander* & *Scheunerus*, ſunt oppidò ambigua.

Hipp: l.1. de Morbis hos duos *catarrhos hiſce verbis diſcernit*. Purulenti quoq; etiam fiunt, ſi pituita ê capite in latus defluat, illicq; adhæreſcens putreſcit. Et partim quidem à ſuperioribus in ſuperiorem ventrem præcipuè confluit & in pus vertitur, ad id, quod jam intus eſt, accedens. Partim verò ad inferiorem ventrem defluit, ab eoque interdum alvus turbatur & hominem perimit. Hanc fluxionem caput excitat, nimirum cùm cavum exiſtat & ſuperiore parte locatum. Cùm enim ab alvo concalefactum fuerit, tenuisſimam pituitam è corpore ad ſe trahit, quam in ſe coacervatam, rurſus confertam & craſſam, velut dictum eſt, reddit, partim in ſuperiorem ventrem, partim verò in inferiorem defluit. *Hippocratem Galenus* & *Avicenna* imitantur, & hos ex junioribus *Janus Cornarius*, cujus verba lib.1. *S.1. cap.10 de Catarrhis* inſerta fuerunt. Verùm cùm humor ore contentus & in *guttur* & in *gulam* fluat, *ſtomachicus catarrhus* nunquam erit ſine *thoracico*, nec hic viciſſim ſine illo. Unde *Vincentius Alſarius à Cruce*, hæc *eadem deſtillatio*, inquit, *non modò in ſtomachum, verum etiam in thoracem deſcendit, unde raucedo.* Inque rem hanc præſentem quoque *Johannis Baptiſtæ Montani* Verba ſpectant. *Altera pars materiæ ad ventriculum, altera ad Pectus defluit.* Ipſe mox & ad *ventriculum* & ad *pectus* parat remedia. Fortè illorum

rum ſententia hæc eſt, ſi plus humoris in gulam & ſtomachum manat, *ſtomachicum*, ſin verò plus in guttur & pulmones, *thoracicum* eſſe *Catarrhum*. Iidem verò dabunt, non aliquando hos *catarrhos*, ſed ſemper jungi, alterutrum verò interdum urgere vehementius. Jam verò ſatis ſuperq; compertum eſt, nihil illius humoris ne tantulum quidem *Larynge* hauriri. Similiterque exploratnm nunc eſt, oris humorem, qui *Cerebro* lapſus ſit, vel ſalivam ipſam minimè in *gulam* ſponte ſuâ fluere, ſed homo ejusmodi liquorem ſemper glutiendo devorare neceſſe habet. Si humor de *cerebro* in os interius flueret, plus ejus in guttur ſemper, quàm in gulam ferretur. Nam hæc non niſi glutiendo aperitur, illud autem aeri patet, patebit igitur & illapſæ tenuiori pituitæ. Veterum ergò dogmata ſunt plena obſcuritatum.

D. D. Hofmannus diverſitatem humoris influentis intuens, famoſisſima, *inquit*, Diarrhœæ ſpecies eſt cerebralis ſeu Catarrhalis, quæ duplex eſt, 6 Aphor: 2. aut enim blenna ſeu mucus ἄπαυσ- deſcendit, qui poſteà cum ſtridore & ſpumâ exit 7 Aphor: 20. aut ſerum quàm diu nec acre, quo facto facilè in dyſenteriam degenerat. Interim hoc ſerum aliundè etiam quàm à cerebro eſſe, nîl prohibet. An poſterior hæc eſt Diarrhœa ſeroſa Caroli Piſonis. *Hæc ille*. *Galenus* 6. Aphor: 2. ejus *ſalſæ cerebralis Diarrhœæ* hiſce meminiſſe videtur: *ventris profluvia fieri eſt neceſſarium, quando quod deſtillat, ſalſum quodammodo fuerit*. Ad hæc *Antonius Muſa Braſſavolus:* lege inquit, ſalſius. Nam Græcè eſt ἁλμυρότερον. Itaq; dicere oportet, quoniam inteſtinorũ difficultates non facit ſimpliciter ſalſa, ſed illa, quæ magis ſalſa eſt, id eſt, intensè ſalſa. *Hæc autor*. Et hoc eſt, quod ipſe Hippocrates *lib: de aere, loc: & aq:* Catarrho in *ſtomachum* labente tradat nunc oriri *Lienterias*, nunc *dyſenterias : verba interpretis hæc ſunt*: Ubi ab imbribus vernis & ab auſtro terra humectata fuerit, & plenior æſtus derepentè ſupervenerit, tùm â terrâ madidâ & calidâ exiſtente, tùm â Sole adurente, ardorem conduplicari, neceſſe eſt, hominum ventribus minimè conſiſtentibus, neque reſiccato cerebro. Neque enim ubi ver tale extiterit, fieri poteſt, quin corpus & caro nimio humore diffluant, ita ut omnibus ac maximè pituitoſis, acutiſſimæ febres immineant. Mulieribus verò & naturis

maxi-

maximè humidis inteſtinorum difficultates contingere par eſt: *μάλιστα τὲ τοῖσιν φλεγματίησι καὶ δυσεντερίας εἰκὸς ἐστὶν γίνεσθαι καὶ τῇσι γυναιξὶν.* At ſi hyems quidem auſtrina, ver verò aquilonum, abortus fiunt. At hæc quidem mulieribus, reliquis verò contingunt inteſtinorum difficultates, *δυσεντερίας.* Pituitoſis itaque inteſtinorum difficultates fieri par eſt ac mulieribus pituita à cerebro defluente propter naturæ humiditatem. *τοῖσι μὲν οὖν φλεγματίησι τὰς δυσεντερίας εἰκὸς γίγνεσθαι. Καὶ τῇσι γυναιξὶν φλέγματος ἐπικαταρρυέντος ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου διὰ τὴν ὑγρότητα τῆς φύσιος.* Mox ait vere Cerebrum diſſolvi, *καὶ λιεντερίαι ἐπιγίγνονται.* Atque *Galenus* eodem loco, hoc eſt, *6 Aph: com:2. ἀπεψίας, διαῤῥοίας καὶ δυσεντερίας* eadem ratione memorat. Unde & *Arabes* hoc placitum hauſerunt, *Avicenna* & *Haly*. Plurimùm, *inquit hic*, in cerebro ſuperfluitates adunantur variè, quas ipſum ad ſtomachum expellit. Et ſuperfluitas hæc aliquando ſalſa eſt aut pungens, facitque ſanguis ſolutionem & *dyſenteriam eò, quod ſtomachi excoriationem ac inteſtinorum faciat.*

Si portio humoris, quemadmodum placet omnibus, ſimul in guttur & pulmones fertur, nonne is tunicam *Laryngis* excoriabit? nonne exulcerabit pulmones? Nonne homo tunc raucus erit? Nonne *phthiſi* prius, quàm *dyſenteria* laborabit ac quoque morietur? Ac cerebrum ipſum quo modo ſalvum permanere poterit, ſi ex ſe tàm acrem mittit humorem? Nonne illius humoris tranſitu palalatum & os ulceribus erit plenum? Quanta vis erit illius ſalſuginis? Similem ferè ajunt ore percipi, urgente eâ diarrhœâ, quæ à multitudine *ſalivæ* influentis contrahitur.

Hujus mentionem infert *Nicolaus Nic: Florent:* Fluxus facti ab ore & partibus ejus cauſæ eſt humiditas ab illis partibus ad ſtomachum deſcendens ad inteſtina, quæ aliquando ſuâ multitudine gravat expulſivam & cogit eam ad expellendum & aliquando relaxat & lubricam facit ſtomachi & inteſtinorum ſuperficiem, unde laxatur virtus eorum retentiva, quam ſequitur fluxus. Et aliquando eſt habens acuitatem vel baurachitatem, qua ſtimulat expulſivam ad expellendum, ſicut accidit habentibus alcola & aliquando ſentientibus *ſalſedinem* in ore ipſorum. Et quandoque eſt prohibens cibi digeſtio-

gestionem & corrumpens ipsam. Quare cogitur expulsiva ad expellendum ipsum aut causa ejus est dolor proprius oris ex ulcere vel pustulis illarum vel solutione continuitatis, quàm inducunt dentes in principio originis eorum. Quare multiplicantur vigiliæ, unde accidit cibi indigestio vel corruptio, ut dixit Gal: in com: Aph: suprad. *Cùm verò dentes producunt* &c. unde sequitur fluxus ventris. Et dixit Galenus ibidem, quod hic fluxus maximè contingit apud productionem dentium caninorum. Et signa fluxus facti ab ore sunt ulcera reperta in ore aut quod pueri tunc dentes producunt & quod punguntur ab eis ipsorum gingivæ ploratu. *Ludovicus Mercatus* quoque: Prodit etiam Diarrhœa ex oris seu linguæ affectionibus, primùm in pueris, cum dentire incipiunt, secundum verò in blesis, ut 7 Aphor: 30, docens eo loco Gal: utrumque contingere ob cerebrum nimiâ humiditate luxurians, quapropter facile erit, causas per signa venari. *Item Johannes Marquardus*: Quædam Diarrhœæ ab ore, ut in faucibus, quando dentes crescunt, quandoque humiditates per venas descendunt, ut traulis, quia lingua multum humectatur. Ac *Johannes Hieronymus Pulverinus*: Vitio oris fluxus ventris provenit, ut in pueris dentire incipientibus accidit, potissimum dum hi caninos edunt dentes, ut ex eodem Hippocr: 3. Aph: 15. habemus. Dein Diarrhœa vitio linguæ generatur, ut in balbis conspicitur, autore Hippocrate, quia tales notante Galeno aut cerebrum habent humidius aut linguam aut utrumque. Humidiore autem lingua existente & ventriculum talem esse par est, ut qui alteram tunicam communem cum lingua habet, imbecillemque ob humiditatem. Nec non *Jacobus Fontanus*: In dentitione dolor communicatur cerebro, hinc Diarrhœa.

Infantes dentientes si salivam illam tàm multam devorant, non negaverim, *Diarrhœam* quandā levem inde interdum concitari posse. At illorum os & labia eo humore semper madent sic, ut is decurrat, ac ex ore quoque pendeat spissior. Quare is non ex facili fluit in *gulam*. Nec hinc tanta *diarrhœa* est timenda. Nec si qua Diarrhœa inde glutiendo oriatur, illa vel existimanda est *Cerebralis* vel cognominanda. Dentitione diversæ facultates animæ concitantur, ut cap: de Catar: Narium ostendi. Quare cave putes tantam

sali-

ſalivæ vim cerebro ipſo tùm temporis depelli. In parte verum aſſequitur *Helmontius*, Contueor, *lib. qui Cauterium inſcribitur, inquiens*, hornotinum infantulum, jam dentientem ac pati febrim, ſpumam oris, atque indeſinentem ſalivam. Ac tandem adeſſe tormina & ſeceſſus ex viridi flaventibus. Saltem dens ille eſt capitis pars: quapropter diarrhœa erit catarrhus capitis. Aſt quis eſt dentis erupturi vel tumidæ gingivæ conſenſus cum inteſtino? quæve poteſtas ejus gignendi, immittendi catarrhi, è ſtomacho infantuli ad caput? Atque inde in Ileon? quo jure ſtillatus è ſtomacho vapor, fiet æruginoſa bilis in capite? Fortenè ab vitæ initio jam bilis officina migravit ad caput? Cur fabricat infantuli ſtomachus catarrhum propter dentis dolorem? cur mittitur in inteſtinum & non ad dentem dolentem? An nondum cernit Lector, diarrhœam non eſſe Catarrhum? Sed indignatum Archeum ubilibet, in inteſtino promptum eſſe, ad tranſmutandum alimentarium cremorem in excrementa, quæ à Scholis putantur bilis, pituita &c. Si itaque diarrhœa non ſit catarrhus, poſſitque Archeus indignatus tranſmutare quidlibet in infeſtum liquorem, ſi modò gingiva affligatur. *Hic* & adverſus *Galenum* diſputat, qui *Hippocratem* interpretans ait *pueris profluvia caninis dentibus erumpentibus contingere, quoniam alimentum non benè coquitur neque diſtribuitur.*

Nunc ajunt ipſam *Diarrhœam Cerebralem viis* differre, humore vel per *gulam* & quidem aut per *colatoria* aut per *continuitatem membranarum Cerebri* & *Faucium* vel per *venas* ac *arterias* decurrente. Prima *via* tùm ratione *Colatorii*, tùm ratione illius *continuitatis membranarum* eſt invia, eſt nulla, commentitia eſt. Nec cerebrum creat privatum humorem, quem vaſa ſanguinis in ſtomachum convehant. Pituita ineſt in ſanguine, hic certâ ratione commune pabulum eſt membrorum corporis. Quare & hæ *differentiæ* ſunt tollendæ.

SIGNA DIAGNOSTICA.

Serapio & *Janus Damaſcenus* hanc *Cerebralem Diarrhœam* ajunt à *modernis Medicis non cognoſci*. Verùm pervulgatus eſt ille *aphoriſmus Hippocratis*: Ὁκόσοισι ἀφρώδεα τὰ διαχωρήματα ἐν

τῆσι

τῆσι διαῤῥοίῃσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ταῦτα καταῤῥέει. *Quibus per diarrhœas spumosa sunt alvi excrementa, iis à capite fit defluxio.* Aut ita: *quibus alvi profluviis excrementa spumosa sunt, his ex capite pituita defluit.* Ad hæc *Galenus*: est hujus pituitæ causa contentiva flatuosus spiritus, dum humori commiscetur, *vehementem habens motum & inæqualem. Sic & in his, quæ elixantur, apparet spuma. In mari etiam violentia ventis agitato.* In eandem rem *Philotheus*: ἄφρος δὲ ὑγροῦ καὶ πνεύματος σύγκειται. Ἐὰν οὖν ἐν ταῖς διαῤῥοίαις φανῇ, εἰκότως ἀπὸ τῆς κεφαλῆς καταῤῥεῖ. Καὶ γὰρ ὁ ἐγκέφαλος, τούτων τῶν δύο εὐπορεῖ, τοῦ μὲν κατ' οὐσίαν, τοῦ δὲ κατὰ κρᾶσιν. Κατ' οὐσίαν μὲν ὅτι ὑγρός ἐστιν, κατὰ κρᾶσιν δὲ, ὅτι ψυχρός ἐστιν· ἡ δὲ ψυχρὰ κρᾶσις πνεύματος ἐστὶν γεννητική, id est, spuma ex humiditate & flatu componitur. Si igitur in profluviis appareat, consentaneum est, à capite profluere, etenim Cerebrum his duobus abundat, eo humido quidem per substantiam, hoc flatu verò per temperaturam. Per substantiam quidem, quoniam humidum est, per temperaturam verò quoniam frigidum est. Frigida autem temperatura flatuum est generativa.

Ex junioribus *Foresius comment. in Aph. ad hunc modum*: Ratio est, quia phlegma per viam longinquam descendens, ut à capite ad ventriculum & intestina, ventositatibus & aeri immiscetur, & quia pars phlegmatis ventositatis partibus & aeri circumvolvitur, spumosa fiunt excrementa. *Ita & Johannes Lygæus com. in Aph.* alvi excrementa multas *ampullas* habent, ex commixtione humiditatis & flatus, ut in mari fit, quando commovetur. A capite defluxio cùm sit humor flatuosus, minimè mirum, si in ejus à capite in ventriculum motu spumosa fiat. *Hæc ille. Concinit* cuncta turba. Ex qua sunt *Nicol. Nicol. Florent. Joh. Mich. Savonarola, Arnoldus Villanovanus. Christophorus à Vega, Valescus de Taranta, Bertrucius, Vid: Vidius, Joh Hier. Pulverinus, Fuchsius, Fel. Platerus, Rondeletius, Forestus, Riolanus, Hier. Montuus, Roder: à Fonseca, Herc. Saxonia, Joh. Viscerus, Prosp. Martianus, Alexander* Alexius, *Scheuncrus, Sennertus.*

Peter *Salius Diversus Annot. in Lib.* Altomarii diversus esse videtur. Altomarius docens, quibus signis deprehendatur fluxio al-

vi à Cerebro dependere, ait, hujus esse indicium spumosa excrementa. Sed sciatur, hoc indicium fallax esse, nec id affectum hunc certò indicare posse, tùm quia excrementa possunt esse spumosa aliâ de causâ, quam ob fluxionem à Cerebro pendentem, ut docet Galenus l. 7. Aph. com. 30. tùm etiam quia non semper distillante materia à Cerebro fiunt spumosa excrementa, sed solum, quando spirituosus humor ex capite ad ventriculum defluit, ut eodem comment. habet Galenus. Si enim pituita viscidior & tenax, crassaque, non autem spirituosa, descendat, nullo pacto excrementa spirituosa erunt. *Hæc ille.* Quemadmodum & *Alexander Massarias cap. de Diarrhœa:* Diarrhœam, quæ fit ex Cerebro, moderni vocant fluxum Cerebralem, ut Altimarius & alii volunt, præcipuum signum est, quod spumosa erunt excrementa, quod quidem indicium meâ sententiâ est admodum fallax, partim, quod excrementa possunt fieri spumosa propter aliam causam, quàm propter fluxionem à Cerebro orientem: partim quia non perpetuò fluente materiâ ex capite, spumosa evadunt excrementa, sed solùm quotiescunque humor spirituosus ad ventriculum defluit, ut diffusè Galenus docet 7. vel 2. Aph. 30. Etenim si fortè pituita viscida, tenax & crassa, non autem spirituosa descendat, nullo modo excrementa spumosa apparebunt.

Aliâ ratione *Emanuel Stupanus rem expendit:* Fit spuma, dum flatuosus spirituosus pituitæ lentæ commixtus, *vehementi* & *inæquali suo* motu & calore, ipse partim dirumpitur, partim pituitam in multas & parvas partes frangit: id quod externis quoque in rebus conspicitur evidentissimè, apparet namque spuma & in iis, quæ elixantur & in mari, violentis ventis agitato. Porrò tametsi spumosæ διαχωρήσεις suam originem ex *ventriculo* & fortassis aliunde quoque trahunt, omnium *frequentissimè* tamen *proficiscuntur eadem ex cerebro*, viscere quippe ad vaporosam pituitam generandam accommodatissimo, quæ ipsa suo è capite in ventriculum descensu alternatur & spumosa redditur unico solo motu. *Ut & Hollerius comm. in Aph.* Unde autem hæc spumosa pituita in intestina excidat, an à Cerebro an à ventriculo, præter partium malè affectarum signa, id inquirendum ex ipsius spumosæ dejectio-

nis

nis formâ. Quæ enim â cerebro manat, lenta eſt, viſcida, craſſa compacta, *magnas habens bullas*, quod illi accidit non ſolùm ob eam agitationem quam patitur in *Cerebro aſſiduo motu contractionis* & *dilatationis* cordis more, ex ſe & ſuâ ſponte citato, ſed & ob vehementem motum, quem illi viæ longitudo parit. Quæ verò à *ventriculo* multò tenuior, liquidior, minus flatulenta, *nullas* aut niſi *parvas* aut *exiguas bullas habens. Deinceps in Schol.* Sed hoc non eſt neceſſarium, ut Galenus monet. Nam cum cauſæ continentes ſpumæ ſint ſpiritus humori mixtus & *motus* inæqualitas, unde frangitur humor in multas partes, ſive ob multitudinem caloris, ut in iis, quæ elixantur, ſive agitationem, ut in mari, poteſt à venis proximis aut ventriculo, acto fervore aut agitatione humor cum ſpiritu mixtus excrementa reddere ſpumoſa. Et in dyſenteriis materia commota & calore æſtuante agitata videmus ſpumoſas dejectiones fieri. Item *Johannes Viſcerus*: Sic & lotia viſcida vehementer mota ſpumeſcunt valdè: nam motu in multas partes franguntur & comminuuntur, calorque partes illas in vapores attenuatas vertit in flatus, qui aquæ viſciditate concluſi non poſſunt erumpere & foràs exire. Si urinam ſpumoſam mingunt, *quibus phlegma è cerebro cum impetu in venas detruditur*, veluti & *alvi dejectiones* ſpumeſcunt, quare dicunt Medici, urinas ſpumoſas dolorem capitis præſentem aut futurum ſignificare, ſpumoſus ſiquidem ſanguis in Cerebrum evaporat, ſi calor accedat. Aliæ quoque ſunt ſpumoſæ dejectiones, quæ admixtam habent ſpumam plurimam in ventre ac inteſtinis genitam aut à *venis* in ventrem demiſſam: & ſic in *colicâ* ſpumeſcunt dejectiones ob agitationem phlegmatis flatuoſi. In dyſenteriis quoque materia â calore æſtuante agitata ſpumoſæ dejectiones fiunt. Idem contigit in *febribus* à calore intenſo per ebullitionem aut colliquationem. Excitari quoque ſpuma poteſt à pinguibus atque viſcidis alimentis. Spumam à Cerebro delabi conjiciendum, ſi adſint *ſigna malè affecti Cerebri*, ſi dejectio ipſa alba, lentaque fuerit, *multasq; & magnas habent bullas. Itemq; Rodericus à Fonſeca*: Caput verò *magnas habet venas*, per quas ad inteſtina ſua deponere poteſt excrementa. Cæterùm tùm ob calorem tùm ob acrem, & *pulmo* & caput ad ſpumam gignendam vim habent. Spu-

ma fit vel à calore colliquante & ebullitionem faciente, ſicuti in *ollâ ebulliente* vel fit ob flatum, qui pituitæ miſcetur. Inter cætera autem membra caput pituitâ abundat, & illa quidèm tenui & flatu quoque multò ob *reſpirationem trahentibus naribus*, quare ex capite, ore & pulmone ſaliva multa exit. Licet autem ex quacunque parte corporis excrementum alvi ſpumoſum produci poſſit, ut in *colliquante febre* & *colica paſſione*, non perinde falſum ſcribit Hippocrates, quia *utplurimum ſpumoſa dejectio ex capite eſt*, raró autem aliter contingit, quoad veritatem Aphoriſmi ſufficit. Et *Diarrhœa diuturna* hic indicatur, quæ à Cerebro oritur.

Antonius M. Braſſavolus admodum prolixus eſt: *primò Galenus docet, Aphoriſmi ſententiam indiſtinctam eſſe; nam & ſi alvi profluvium ſpumoſum ſit, ſtatim inferre non debemus, quod ex capite ad ventriculum defluente, excrementa ſpumoſa fieri, tamen & fiunt excrementa ſpumoſa, vaſis, quæ ad ventriculum perveniunt, illum effundentibus.* Alter contextus, habet ἀποκαταῤῥέει, at ſenſus eſt, iis ex capite pituita defluit. Nam â longinquo loco defluere oportet, ſi ſpumoſa eſſe debeat, ut ex *vehementi motu & impetuoſo, longâ viâ bullæ* fiant, vel quia neceſſario pituita flatui mixta eſt. *Sed de re ipſa, an hoc ſit certum ſignum* vel incertum. Dicimus, omninò in alvi defluxibus à capite provenientibus ſemper vidimus excrementa ſpumoſa & cauſam eſſe *putamus pituitæ naturam, quæ ex capite ad ventriculum, deinde ad inteſtina tranſmittitur, quæ facilè in flatum pro ſui parte vertatur.* Immò hoc fiat in viâ, poſteà deſcendens cum mixtione pituitæ ſimul & flatus bullæ fiunt, quæ multæ ſimul collectæ, ſpuma ſunt. Tamen ſi flatus in ventriculo ſit, aut in inteſtinis, profluvium ſpumoſum eſſe poteſt, & tamen à capite non prodibit, propterea, quando cognoſcere volueris an *à capite prodeat*, præter hoc ſignum, etiam conſidera, an *doleat vel doluerit* prius caput & profluente humore minuatur aut ceſſet. *Benedictus Victorius & aliud ſignum ſuperaddit:* Quod ſpuma propter frigiditatem fiat indicium eſt ventus in ipſis aquis ſpumam concitans, pariter & ſpuma, quæ in ventriculo ex defluente à capite pituita exoritur ob frigiditatem fieri opus eſt ob id Gal: verbum Prognoſticorum comm. 47. inquientis, ſcreatio ſpumans ex aerea & pituitoſa ſubſtantia pariter

ter permiſta eſt. Ex his enim quælibet ſpuma conſiſtit. Ex his igitur rationi convenit, ut ſuperfluitates primæ concoctionis in ventriculo ſpumantes fartæ ex aerea & pituitoſa ſubſtantia pariter permiſta à capite defluente valida exiſtente ventriculi facultate expultrice per inteſtina meantes excernuntur ſpumoſæ, à quibus præſagire convenit caput id, cujus ſunt excrementa ſpumoſa, frigidum eſſe, & humidum facilè in morbis caſurum occaſionem ſui ortus ab humore frigido & humido habentibus uti eſt apoplexia, epilepſia, lethargus, paralyſis & hujuſmodi. Altero verò modo ſpumoſa excrementa fiunt ob cauſam generationis ſpumæ contentivam in ventriculo decumbentem, quæ eſt ſpiritus flatuoſus, qui pituitæ in ventriculo genitæ (unius locus generationis eſt ventriculus, ut ait Galenus in libro de atra bile) permiſcetur ſuoque motu vehementi & inæquali diſrumpitur, & pituitam frangit, in multasque & exiguas partes ipſam dividens ampullasque plurimas progignens, ſpumam efficit, & tunc excrementa ſpumoſa prodito more excernuntur. Et ſcire debes, quod citra cauſam contentivam hujuſmodi ſpumæ, quæ eſt ſpiritus flatuoſus pituitæ commiſtus in ventriculo, ejuſdem tamen plures ſunt præcedentes cauſæ uti ventriculi vis concoctiva, imbecillis & plenitudo ejus ex multa pituita ex qua ventriculi debili calore exiſtente enaſcitur multus ſpiritus flatuoſus qui pituitæ illi permiſtus, in ventriculo vehementi & violento motu eum exagitans ſpuma inde gignitur veluti à cauſa ſuæ generationis contentiva. Propterea excrementa quæ ſecundum hunc modum in alvi profluviis ſpumoſa ſupervenerint, jure merito indicabunt ſupra *ventriculum frigidum & humidum*, *ipſumque propenſiorem fore in morbos ortum à pituita vel à ſpiritu flatuoſo obtinentes* ſicuti eſt *imbecillitas concoctivæ facultatis ventriculi*, *dolor ejuſdem* præ ſe ferens ponderis ſpeciem, & dolor extenſivus, & frequentes ructus acidi, & ſimiles. Et non te latere volo, excrementa ſpumoſa in alvi profluviis inſpecta non perpetuò indicare ſupra pituitam à capite defluere; quoniam interdum indicia ſunt eorum morborum, *quæ ſoli attinent ventriculo*, ſed in hoc intellectu vera eſt aphoriſmi præſentis ſententia, videlicet quod ubi in alvi profluviis ſpumoſa apparuerint excrementa exiſtentibus *ſignis frigidæ & humidæ*

ſupra

ſupra modum temperantiæ cerebri, ut eſt Galeni doctrina ſecundo artis medicinalis, dubio procul ſignificatur pituitam à capite defluere, ſicuti ſi cum eiſdem excrementis ſpumeis frigidæ & humidæ ventriculi temperaturæ indicia extiterint tunc pituitam ei permiſto ſpiritu flatuoſo in ventriculo decumbere indicabunt.

Mox & pergit: Nempe nonnulli fuere, qui excrementa in alvi fluxibus inſpecta aſſeverant ſpumoſa ideò apparere, quoniam *vaſa, quæ ad ventriculum perveniunt, humorem ſpirituoſum in ipſum* effundunt intelligentes per humorem ſpirituoſum pituitam plenam ſpiritu flatuoſo, quæ permiſta ſuperfluitatibus primæ concoctionis, eas ſpumeas reddit; quæ inteſtina permeantes ſpumoſæ excernuntur, ajunt enim *pulmonem* vaſculum eſſe pituita plenum, aliturque ſpumeo humore, ut ait Gal: 5. Aphor: comment: 39. Ob quam rem non mirum eſt, ſi pulmo in ventriculum humorem ſpumeum effundit & perinde excrementa ſpumoſa excernantur. Horum mentem Galenus non acceptat in hujus aphoriſmi commentatione, duabus motus rationibus. Prima ratio eſt, quoniam ſi ê pulmone in ventriculum pituita atque ideò excrementa exernantur ſpumoſa, pariter & à capite, ſi pituita in pulmonem deflueret, excrementa dejicerentur ſpumoſa, quod haud quaquam contingit, ut experientia dictat. Secunda ratio eſt: quia via eſt nimis longa. *Hæc ille. Franciſcus Valleſius* etiam *de ſpuma pulmonum maximè judicat:* Duo membra, ſunt omnium maximè parata ad generandum ſpumam, pulmo & cerebrum, quia ambo habent multum humoris & multum flatus introrſum & extrorſum agitati ob communem reſpirationem. Habent etiam multumcalorem, pulmo ob viciniam cordis, cerebrum ob magnas arterias quas accipit, ambo ob aſſiduum motum: cum ergo ſpumoſæ dejectiones fiunt, ex modô exeuntium conjectamus, à pulmone aut capite in ventrem veniſſe. Sed *pulmoni non eſt ad ventrem via*, ſuper eſt, *à capite* fieri. Dices, non omnes deſtillationes à capite ſunt ſpumoſæ. Concedo, ſed neque id affirmat Hippocr. ſed ſpumoſas eſſe à capite. Addes, poſſunt aliunde ſpumoſæ fieri. *Non nego, ſed erit id perrarum, à capite plerunque tales fiunt. Quare conſtat & ſententiam Aphoriſticam eſſe veram, & Galenum tam immeritò vituperaſſe.*

Sunt

Sunt recrementa alvi aliquando *ſpumoſa*; an verò *ventriculus* ſpumam tranſmiſerit vel *effecerit*, an *invexerint arteriæ*, conſtare non arbitror. Quare ſupervacuum erit, ſtercora contemplari. Quanquam *Benedicto Victorio*, *Clementio Clementino*, *Hugoni*, *Ligæo*, *Heurnio* illud *Hippocrates* quoque *libro ſecundo Aphoriſ: 15* præcipere videtur. Atque *idem lib:2. de morbis Vulgar: ſect:3. tex:2.* hiſce verbis utitur: *ventres turbati tenuibus, aquoſis non biloſis cum multâ ſpuma, habebunt aliquando hypoſtaſin repoſita, ex quibus ſanè, quod ſub dio reponebatur, ſimile erat.* Unde *Georgius Moralis* cum ait aliis exemplo eſſe poſſe. *Quis ſane mentis non admiretur atque imitetur virum maximum philoſophum atque ſua tempeſtate nobiliſſimum inſpicientem, non tantum recenter factas dejectiones domi in pelvi, verùm etiam ſæpè ſæpius externas in ſterquiliniis, ut inde pro ſalute ægrotantium aliquid poſſet exhaurire? Dignoſcebat verò, malum eſſe ejuſdem formæ in dejectionibus perſeverantiam.* Quemadmodũ ille *Petro Foreſto* fuit: Quidã, *inquit hic, monachus ſenior diarrhœa laborabat, ad hunc acceſſi. Cùm autem ſpumoſa & pituitoſa in hoc ſene eſſent excrementa, facilè percepimus, diarrhœam hanc ex defluxu à capite ortam eſſe juxta Aphor. 30. l. 7.* Hunc imitatur D. *Sennertus*, *excrementa*, inquiens, *ſunt ſpumoſa & pituitoſa. Johannes Viſcerus alba* vocat, *Ludovicus Mercatus* quoque *albicantia*: Dum à capite decidit, majori ex parte *albicantia* refert excrementa, quod contingit capite præ imbecillitate nequeunte conficere alimentum aut præ diſtemperie corrumpente, ſalſuginoſumque efficiente, quod tranſmittit per ventriculum ad inteſtina, deferendo pariter ſecum ventriculi excrementa & alimenta. *Hæc ille.* Quapropter alvi purgamenta diligenter inſpiciendo internoſci perhibentur.

Nec eſt, quod mireris, hunc *aphoriſmum* & reliqua ea ſcita ac inſtituta ab *Hippocrate* profecta fuiſſe, eo quippe ſæculo tàm rudi, & mox inſequente tàm credulo. Et hoc eſt, quod illis nugis nugas jungat *Galenus*, iſtius rei rationem de *elixis* & de *tempeſtate maris* ſumens. Quam neſcio quo fato nec hujus ætatis autores reprobant, *Johannes Lygæus*, *A. M. Braſſavolus*, *Benedictus Victorius*, *Jacobus Hollerius*, *Emanuel Stupanus*. Nonnulli, ut *Rodericus à Fonſeca* adjiciunt, ut ſpumam & bullas in *ollâ* ad ignem admotâ notari, ita ſi-

mile quid tùm fieri, ubi purgamenta alvi egeruntur *spumosa*. Quæ est illa imago rei? Nec assa nec elixa caro inest in corpore. Nec sanguis ritu *maris* æstuat. Febrium quidem calore, ceu flatuoso, ita loquuntur, spiritu vehementius agitatur. *Harveus* invenit sanguinem spumosum in corde ejus, qui vehementiâ *iræ* extinctus fuerat. Quapropter propius vero erit, *febribus* non *catarrhis* illa alvi excrementa sæpius fore *spumosa*. Idque quidam hic confiteri necesse habent, ut *Johannes Viscerus* & *Rodericus à Fonseca*, qui ob id *Febrem colliquativam* memoravit. *Philotheus* Cerebrum ait suâ temperie frigidâ & humidâ illas inutiles cibi reliquias efficere *spumosas*. At plures corporis partes dictâ temperie sunt præditæ. Quamobrem illæ quoque simile *spumæ* genus excitare poterunt. Quare *Foresius*, *Lygæus*, *Rodericus â Fonseca* & alii pituitæ Cerebri humidæ, frigidæque ac illi jam Faucibus illabenti aerem spirando tractum immisceri volunt, quo illa fiat *flatuosa*, ut loquuntur, & alvi excrementa inde *spumosa*. Verùm hic explicatus vanis nititur dogmatibus. Nec Cerebrum stillat pituitâ nec ullum recipit anhelitum. Quare nec *spirituosa*, ut vocitatur, *pituita Cerebri* ad *stomachum* pervenire poterit. Si itaque & in hoc *Peter Salius Diversus* & *Alexander Massarias* à reliquis autoribus dissentire sustinuissent, rem potuissent plenius feliciusque expedire. Cœterum & alii autores ut *Jacobus Hollerius*, *Emanuel Stupanus* & *Benedictus Victorius* partes, ut *ventriculum*, nominatim appellant, quæ alvi purgamenta etiam *spumosa* efficere videntur. Ast iidem id oppidò quàm verò fieri contendunt. *Omnium frequentissimè tamen* (sunt verba *Emanuelis Stupani*) *spumosæ* Διαχωρήσεις *proficiscuntur ex Cerebro*. Ut plurimùm, *inquit Rodericus à Fonseca*, spumosa dejectio ex capite est rarò autem aliter contingit, quod veritatem Aphorismi sufficit. Ex eademque opinione hic quoque *Franciscus Valesius: dejectiones posse aliunde spumosas fieri non nego, sed erit id perrarum, à capite plerunque tales fiunt. Quare constat & sententiam Aphoristicam esse veram & Galenum eam immeritò vituperasse.* Deinceps nonnulli *spumam Cerebri* & *stomachi* discernunt. *Spumosa cerebri pituita*, inquit *Hollerius*, *magnas habet bullas ventriculi pituita spumosa nullas aut nisi parvas aut exiguas bullas habet.* Unde *Lygæus ampullas* nominat, ac *Arnoldus Villanovanus* excre-

crementa illa alvi non solùm *spumosa*, sed etiam *ampullosa*. Si adsint, inquit *Johannes Viscerus*, *signa malè affecti cerebri, dejectio multas & magnas habet bullas*. Atque autores illas *bullas* opinantur ob magnitudinem viæ, quâ *cerebri pituita* tandem labitur in *stomachum*, tàm grandes evadere, ut *Galenus* ipse, *Lygæus*, *A. Musa Brassavolus*, *Hollerius*. *Hic* etiim illam pituitam reciproco motu Cerebri, quo illud subinde dilatatur, constringiturque, magis spumosam reddi ponit. Verùm hæc placita veterum judico inania, falsa & explosa. Cerebrum illâ ratione haud agitatur. Atque ita esse, monstravi sæpiùs. Disputata huic sermoni inserere, nimis longum erit. Meoque labore ac argumentationibus compertum est, nullam pituitam de *cerebro* stillantem, recto gulæ tramite decurrere. Nec illum liquorem, ceu aquam, quæ de summo tecti fusa spumescit humi, in stomacho *bullulas* excitare, credi par est. Sunt, qui difficultate rei forsitan moti, ut ex parte *Benedictus Victorius*, ajunt, in ventriculo inesse *spiritum flatuosum*, quo Cerebri pituita reddatur *spumosa*. *Ant. Musa Brassavolus* illam pituitam Cerebri ad stomachum & ad intestina perlatam eâ censet naturâ esse, ut inibi spumescat facilè. Pluresque, ut idem *Benedictus Victorius*, *spumam* excrementorum alvi negant à *pulmonibus* excitari posse. Duæ partes, inquit Rodericus à Fonseca, *in corpore nostro aptissimæ sunt ad gignendum spiritum, pulmo & caput, sed in pulmone, qui flatus continentur, non habent manifestam nec facilem viam ad alvum.* Ac ex eadem nota *Franciscus Vallesius*: *cùm ergo spumosæ dejectiones fiunt, ex modo exeuntium conjectamus, à pulmone aut capite in ventrem venisse, sed pulmoni non est ad ventrem via, superest, à capite fieri.* Verùm autores duas *vias* agnoscunt, per quas spumosam *cerebri pituitam* in stomachum ferri censent, *Gulæ fistulam* & *venas*. *Illam* verbo *faucium* multi denotant, *Bertrucius* vocat *Mery*, id est, *Oesophagum*. Item *Nicolaus Nicol. Florent.* ejus verba infra ponentur. *Has*, ut & *arterias* multi memorant. Sic urinam, inquit *Johannes Viscerus*, spumosam mingunt, quibus phlegma à Cerebro cum impetu in *venas* detruditur, veluti & alvi dejectiones spumescunt. Ac *Rodericus à Fonseca* admodum clarè *hisce*: *Caput*

verò magnas habet venas, per quas ad intestina sua deponere potest excrementa. Quo pacto *Pulmoni*, ut loquitur *Vallesius*, *non est ad ventrem via*, humoribus de capite per *venas* in alvum usque fluentibus? Nec vetustissimi Autorum, *Hippocrates* & *Galenus* sanguinem & cum eo pituitam negabunt è pulmonibus tùm *venæ cavæ* ramis, tùm *Aortâ* ac ejus fistulis magis gracilibus in alvum duci posse. Si *pituita capitis*, cur nec *humor pulmonum* per sanguinis conceptacula in stomachum, ac in intestina ferri potest? Cumq; hac de re videam haud jure dubitari, alvi excrementa poterunt secundum illam vulgarem opinionem magis spumosa, humore à *pulmonibus* in alvum fluente. Concordi quippe consensu plus aeris in *pulmones* quàm in *cerebrum*, si in hoc audimus priscos, trahitur spirando. Quid? eadem excrementa vitio *stomachi* majores *bullas* & *ampullas*, quàm invaletudine *cerebri* habebunt. Quanta enim vis humorum per ductum *cholodochum*, per ductum *Pancreaticum*, per *arterias*, & denique per *gulæ* cannam, si, ore humoribus scatente, glutitur crebriùs, in stomachum inq; intestina concurrere poterit? Præterea summum gulæ non omnem aerem excludit, sed, ut multis placet, haud ægrè admittit. Quantum quoque aeris in alvum importabunt *arteriæ* stomachi & intestinorum? Illarumque sanguinem *febribus* orientibus, *aeris* injuriis ac potu vehementiùs ebullire, non erit dubium. De vini nivosi potu, sepius diximus. Quidam gravis annis senex glaciali, nivosaque tempestate magnum iter celeriter conficit, domum redit languidus, curatur ac tandem purgatione alvi. Ipse posteà omni asseveratione sæpiùs affirmabat, sua onera alvi fuisse gelatæ & mox solutæ ac vehementius agitatæ ritu admodùm *spumosa*. Ipse quoque biberat vinum, biberat & cerevisiam (consectatus fuerat eâ tempestate feras) glacie, niveque jam jam concrescentem. Horum igitur excrementorum bullæ non de *cerebro*, quo laborabat minimè, sed de massa sanguinea venerunt. Ea ipsa, aere illo in *pulmones*, in *stomachum*, in *habitum* corporis tracto, haustoque istiusmodi potu inquinata, illoq; modo rursus expurgata fuit. Istæ verò *ampullæ* non tantis aeris frigoribus conglaciarunt, sed sanguis bullire cæpit. Fallitur *Hippocrates*, ejus interpres quoque fallitur, *Prosper Martianus*. Hippocrates, *inquit hic autor*, ostendit, qualia sint excrementa,

menta, quæ ab ipſo alvo inferiore excernũtur ad diſtinctionem eorum quæ in eam confluunt & inquit Hippocrates, talia eſſe non ſpumoſa, quia ſpumoſæ dejectiones non ab alvi affectione aliquâ producuntur, ſed â deſtillatione à capite in ventrem. *Hæc ille.* Ex obſervatu multi ſcripſerunt, fæces alvi quàm maximè ſpumoſas fuiſſe. Hi autem Cerebri non meminere. Fruſtra eſt *Hippocrates* & omnes illi, qui eum imitantur, ac excrementa alvi tàm intentis oculis contemplantur. Nullum in iis unquam vel *Cerebri* vel *Pulmonis* vitiati certam notam deprehendent. Fingamus de *Cerebro* per fauces ſpumoſam pituitam labi. Huic autem jam deſcendenti aer ad *pulmones* means ſe aſſociare poteſt. Hæc inde excitata ſpuma aut adaucta erit in diſcretæ ſimilitudinis. Stomachus quoque frigidus & humidus teſte *Benedicto Victorio* movet ſpumam. Hæc & *cerebri* ſpuma qui in rejectis excrementis alvi internoſci poterit? Erit altera certè alteri tàm ſimilis, quàm aqua aquæ de eodem puteo ſumtæ, aut lac lacti, aut ovum ovo. *Democritum* quidem ferunt lac diſtinctè noviſſe. *Ac Deli*, inquit lib. 4. Quæſt: Academ: M. T. Cicero, *fuerunt complures, qui gallinas alere permultas quæſtus cauſa ſolerent hi cum ovum inſpexerunt, quæ id gallina peperiſſet, dicere ſolebant.* Hîc quoque *Oedipi*, *Apollines*, *Gallinarii Deliaci* & *Augures* requirentur, qui *Cerebri*, *ſtomachi* & *venarum* ſpumam, quæ excrementis confuſa eſt, tàm exactè dijudicare poſſint. Præterea autores pituitam alvo deturbatam eſſe albidi coloris volunt, ut *Mercatus*, *Foreſtus* & *Viſcerus*. Nonne conſimilem & *arteriæ* invehere poterunt? Quid de *ſtomachi* pituita dicam? Quid de certis ciborum generibus? Quam ſæpè homines pinguibus dapibus & opimis ſe inferciunt? Tàm ſupervacuum itaque, quàm fædum eſt, egeſta alvi oculis contrectare. Ea verò contemplatio ſi nonnullis obeſæ naris voluptati, quæſtuique eſt, nulla me invidia mordebit. Hi illas *alvi* fæces *oculis*, (libet imitari *comicum*) *manibusque*, (nam pituita Cerebri eſt teſte *Viſcero* lentior, molliorq;) *uſurpent* usque ad ſatietatem ſemper, ac præeunte *Hippocrate*, ipſumque ob id tàm vehementer ſuſpiciente *Georgio Morali*, in ſterquiliniis verſentur ac frequentent quoque cloacas. Illorum autem numero me eximi ſaltem volo. Cæterũ ille à dictis & à ſuperioribus opinionibus *Hieremias Thri-*

verus, emunctæ naris autor assensionem omnino cohibebit, qui & hæc *comment: Aphor:* disputat: Est verum, quod calor & motus spumam conciliant, non tamen ubique est, ubi materiam desiderant: ita neque in pleuriticis neque pulmoniacis sputum semper est spumosum, duntaxat aliquando: non enim materia spumæ generandæ semper sufficitur. Interim etiam à multo calore distinguitur. Non possum tamen intelligere, cur hic Galeni locus potiùs in pleuriticis, quàm pulmoniacis sputum spumosum expectet: nam ut plura longiꝰ posita, ita quæ educuntur ex pulmonis substantia sunt natura magis spumosa. Jam si calorē spumæ in causa constituas (profectò ita nunc apparet) tantò magis spumosum debet esse sputū in pulmoniacis, quam pleuriticis, quanto pulmonia pleuritide est acutior. Scio quod facile est, præsentem commentationem tutari, verùm mihi suspecta apparet. Sed & Græca lectio quodammodo ambigua est & perplexa, quæ duo adverbia conjuncta habet: nam si rarius spumosum expuant pulmoniaci, quid attinebat μᾶλλον adjicere? Sed hæc peritioribus relinquimus: nobis satis est, nodum indicasse atque omnibus ostendere, ut nihil intactum præterimus ac quod magis contenti sumus subire fortunam calumniæ, quàm frustrari aliorum studia. Quod ergò non omnis utique calor spumam generat, dictum est. Eodem modo neque motus utique ipsam gignere potest: argumento quod in Catarrhis sputum raró spumosum, multò minus tale erit, quod ad ventrem aut ad intestina descendit. Proinde hæc sententia non nisi in paucissimis experientiam attestantem habebit vel ob eam causam, quod tale ab ipso ventre venire potest vel etiam in ipsis intestinis nasci: & quo modo ergò quidam ex spumosâ urinâ catarrhos præsagiunt? *Hactenus autor*. Nec non quidam & vomitu egesta tàm diligenter, tàm pressè considerari volunt. Eaque si aliquando sunt albidi coloris ac continuò sibi, aliisque persuadent, non aliunde quàm intimo Cerebro submota, in gulam & ventrem descendisse. Quanquam sunt valdè concreta frusta interdum & ad modum grandia. Iidem vicissim contendent gulæ osculum oppidò capax esse, cùm res majoris magnitudinis sæpè fuerint devoratæ. In urbe Vivariensi, *inquit cent. 2. obs. 8. Borellus*, est textor tanta gutturis amplitudine,

à na-

à naturâ donatus, ut Lucanicæ dimidium palmum, porcos integros & ova etiam gallinarum integra deglutiat, eaque reddat ad libitum per os, exceptis ovis, quæ per anum integra ejecit, ejus autem os dum diligenter inſpicitur, videtur ſine columella. *Hæc hic.* Quamvis hi humores in ipſo ſtomacho magis, magisque gelati fuerint, concreverintque ad huncce modum, tamen per ſe etiam exſtitere ſat ſpiſſi. Quo igitur pacto per *glandulam pituitariam* & per *foramen Oſſis Cuneiformis* transmitti potuerunt?

Sed ad Caput rei. Nobis ex junioribus facilè aſſentiet *J. Bapt. Corteſius*, inter communia ſigna, *inquiens*, juniores ſpumam enumerant, tanquam hujus proprium ſignum. Hippocrates enim 7. Aph. 30. Inde dicunt, quod ſi fluxio irruat à capite, tunc excrementa erunt ſpumoſa, quod ſanè indicium admodum fallax eſt, Galeno docente, cùm videamus in omnibus excretis per ſeceſſum multam ſpumam apparere absque capitis læſione nam ſpuma fit ex ſpirituoſa ac glutinoſa materia agitata, quare in quacunque parte hæc duo fuerint, agitataque ſit materia, ſemper fiet ſpuma; unde ipſa non oſtendit materiam à capite neceſſariò effluere.

Illa *ſpuma*, inquiet aliquis fortaſſe, eſt ſignum *Cerebralis Diarrhœæ*. Verùm ejus prænuntiæ reliquæ notæ inſuper ſunt jungendæ, ut *Capitis imbecillitas, dolor ejuſdem* & *gravitas*, item *Catarrhus*.

Capitis imbecillitatem Avicenna prodit verbo *corruptionis Cerebri*. Illudque *Jacobus de Partibus* interpretatur hiſce: *ſigna corruptionis harmoniæ Cerebri ſunt intellectus hebes, conturbatio ſenſuum. Joh. Mich. Savonarola* etiam vocat *corruptionem Cerebri*, ut *Cerebri intemperiem* frigidam *Jacobus Sylvius*, & *Leonhardus Fuchſius*. At *imbecillitatem* nominant *Mercatus, Altomarius, Peucerus, Scheunerus* ac hinc *Sennertus*.

Dolorem Capitis ſimul memorant *Bernhardus Gordonius, Chriſtophorus à Vega, Valeſcus de Taranta, Johannes de Concoregio, J. Mich. Savonarola, Jacobus Sylvius, Don. Ant. ab* Altomari, *Joh. Hier. Pulverinus*. Hic *Imbecillitas*, inquit, *adeſt & dolor capitis*. Et *Thomas Eraſtus* ſimiliter.

Capitis gravitatem hi iidem ac quoque alii, ut *Jacobus de Partibus*, enarrant. Si à Capite, inquit *Chriſtophorus à Vega*, defluxerit

rit humor in ventrem, & *capitis dolor* antecedet & *gravitas*. Atque *Gulielmus Rondeletius*: cognoscitur ex illis, quæ circa caput apparent, ut *gravitate*. Sic & *Pulverinus, Alexander Alexius, Weckerus, Marquardus, Erastus, Frambesarius.*

Dein & *Capitis Cerebriq; catarrhum* ajunt annuntiare *Diarrhœam* Cerebralem, ut *Avicenna* & ejus interpres *Jacobus de Partibus*, qui quoque meminit *sternutationis*. Si provenit, inquit *Bernhardus Gordonius*, à capite tunc *apparent signa Rheumatos*. Sic & *Johannes de* Concoregio, item *Peter Forestus*, & *Jacobus Fontanus. Nicolaus Nicoli* addit & hoc: *adsunt signa catarrhi & maximè retentio ejus, quod solebat emitti per nares & sputa.* Hoc diarrhœæ genere ægrum *Valescus de Taranta* appellat *catarrhizatum.* Uno modo, inquit *Galeatius de Sancta Sophia*, à Cerebro per viam rheumatismi & in isto fluxu apparet saliva. *Domin. Leonus* quoque memorat *sputi* multitudinem, veluti *Peter Forestus. Altomarius* dicit, *destillationes.* Si quis, *inquit Hieronymus* Capivaccius, copiosissimam habeat evacuationem per os & per nares excrementi pituitosi Cerebri & cohibitâ hac evacuatione succedat alvi pituitosæ materiæ, tum cognoscitur prodire à Cerebro. *Jacobus Sylvius* ita: Hunc fluorem indicant catarrhus vel præcedens vel etiam tùm præsens, capitis gravitas ex austrino flatu, statu pluvio, somno diuturno, victu intemperato, Cerebri temperie frigida, sensus fluxionis ab ægro perceptus. *Atq; huic* admodum convenienter *Thomas Erastus Cons. 23. de Arthrit.* pars mittens videtur esse caput: etenim capitis gravitas, cervicis ac scapularum dolor præcedere, cumque aliquo frigoris sensu & horrore defluere materia solet. Nec dubito, quin Amplitudo tua, si modò animum advertit (quod si nondum factum est, deinceps fieri debet) in capite mali initium esse senserit. Perpetua quoque pituitæ defluxio in os & fauces ostendit per dorsum & spinam ejusmodi excrementa frequenter descendere. Ac idem consf. 72. Est Diarrhœa dependens à Cerebro. Certissima sunt argumenta, quod caput sæpè dolet, quod defluere humores ipse sentit, quod posteà Diarrhœa copiosior, quanto catarrhi sunt majores, quod vertigines & Coryzas seu gravedinem crebrò sentit, quod pericranium & faciei cutis & sæpè etiam musculi thoracis

racis punguntur & subsequente alvi fluxu omnia mitigantur aut tolluntur, quod semper molestias alias animadvertit præcessisse ex capite fluxiones. Quod si & in faucibus titillatio & frequens *deglutitio* adsint, nihil ad perfectam certitudinem desiderabis. Si ventriculi aut jecinoris tantùm esset soboles crebra Diarrhœa, nec capitis molestiæ nec sensus defluxionum nec pectoris angustia adessent. *Ex simili opinione Hieronymus Capivaccius*: si quis copiosissimam habeat evacuationem per os & per nares excrementi pituitosi Cerebri & cohibitâ hâc evacuatione succedat profluvium alvi pituitosæ materiæ, tunc cognoscatur prodire à Cerebro.

Quare hisce signis coactis in unum, inquiet ille, licebit argumentari. Verùm illa ad unum omnia talem *Diarrhœam* potius *à massâ sanguineâ, impurâ* quàm â *Cerebro* & à *Capite* oriri testabuntur. Quid enim? Ab *arteriis* ille humor in intestina vehi potest, quo excrementa alvi albescunt pariter & spumescunt. Illo autem motu sanguis ille vitiosus incalescit, quo sensus sunt hebetiores, hinc caput fit *debile*, grave tandem videtur ac plenum, humoribus ad *membranas pituitarias* confluentibus. Quare cuncta illa argumentatio est oppidò languida. Sæpè evenit, ut *variolæ* & *morbili* erumpant, fluente alvo, quâ id, quod rejicitur, est *spumosum*, simili etiam capitis invaletudine nec non *Catarrho* seu *Rheumate* urgente. Quare & illa macularum, pustularumque materia de *Cerebro* mittitur? *Podagram* sæpè *imbecillitas Capitis, gravitas, dolor, catarrhus, sternutamenta* crebriora comitantur. Ergò intelligendum est, *Podagram* de *Cerebro* malè affecto nasci.

Ac ne quid dissimulem, & de *somno* capiunt præsagia, ut *Avicenna*: Et Cerebralis plurimum est post *somnum longum* & est conservans paroxysmos & cum eo sunt signa Catarrhorum & corruptionis Cerebri. *Hinc Jacobus de Partibus*: Considerandum, quod Avicenna dixit *longum*, quod somnus temperatus propter digestionem, quam faceret in materiâ, posset fluxum Cerebralem abscindere: hujus autem causam exquire in quæstione, quam disputavimus contra eos, qui tenent in vigiliis secundum Cerebrum meliorem digestionem fieri. Primùm est, quod sæpius fit post *longum somnum*, quod longus somnus repletor capitum est & rheumatum causa de-

orſum cadentium. Secundum eſt, quod fluxus Cerebralis ſervat paroxyſmos. Nam Cerebrum repletur ſecundum periodos & reuma agens fluxum excutitur ab eo deorſum ad ſtomachum & ad inteſtina ſecundum *periodos* ſuæ repletionis. Tertium eſt, quod ſunt cum fluxu iſto ventris ſigna catarrhorum & corruptionis armoniæ, Cerebri,ut capitis ravitas,intellectus hebes, conturbatio ſenſuum, ſternutationes.

Ac *Nicolaus Nicoli Florent.* Fluxus quoque cerebralis cognoſcitur, dixit Avicenna,quod plurimùm contingit *poſt ſomnum longum*, ſuple: aut ſaltem prolongatum ultra naturalem & conſuetum. Et notanter dixit, poſt *ſomnum longum*, quod temperatus ſomnus digerendo materiam poſſet Cerebralem fluxũ abſcindere. In *horâ enim ſomni* calor naturalis in interioribus fortificatur, qui eſt cauſa,quod *virtus expulſiva* fortius expellat materiam catarrhalem in ſomno aggregatam fluentem ad ſtomachum & inteſtina. Et apparet, quod patiens transglutiat deſcenſum illius materiæ & tranſitum ipſius per *meri* quæ poſtquam ad ſtomachum pervenerit, gravat ipſum & aliquando dolorem in ipſo inducit. Ita & *Bernhardus Gordonius*:Si pervenit â capite,tunc apparent ſigna rheumatos,dolor capitis, fluxus major poſt *ſomnum longum* & ſi *caput minus infrigid. tur aut calefiat aut* eventetur, adeſt fluxus major. Ac *Bertrucius:* Et ſigna ejus ſunt: quia fit fluxus ventris per *ſomnum* & per reſupinationem. *Itemq; Johannes de Concoregio:* Si à capite, apparent ſigna rheumatos, dolor capitis &c. fluxus eſt major *poſt ſomnum.* Nec non *Valeſcus de Taranta:* Cerebellaris Diarrhœa cognoſcitur ex præſenti dolore capitis vel quaſi de præſenti eſt vel fuit *catarrizatus* & *magis fluit poſt ſomnum. Ac reliqui autores, Clementius Clementinus*,item *Alexander Benedictus:* In fauces deſtillans humor noctu præſertim *dormientibus* reſpiratione *ſonantior* cum illabitur,auditur. Sic & Peter *Foreſtus, Jacobus Fontanus & Vincentius Alſarius à Cruce. Savonarola*: horâ ſomni generatur. *Chriſtophorus â Vega*: Si â capite defluxerit humor in ventrem, augetur *horâ ſomni. Don. Ant. ab* Altomari conſuevit quoque vitio Cerebri orta diarrhœa in *ſomno* potiſſimum *longiori* magis, quàm in vigiliis naſci. *Ludovicus Mercatus*: quod fluxio hæc potius fiat

fiat *noctu*, quàm die. Nasciturque ex somno profundiori. *Johannes Riolanus*: Si spumans & noctu commoveatur (Diarrhœa nocturna dicitur) præsertim post *primum somnum*, auctore Hippocrate manat â Cerebro, quia fluor iste sequitur motum Catarrhi: commovetur autem catarrhus vesperi, alioquin â ventriculo. *Somnolenti*, inquit. *Dominicus Leonus*, fiunt. Sic quoque *Gulielmus Rondeletius*: Quod manè magis fluat & noctu, quàm alio tempore. Sunt somnolenti. *Ita & Nicolaus Piso. Alexander Alexius*, signa, *inquit*, pathognomica fluxæ â capite sunt gravitas capitis & *sopor.*

Est signum incertum & fallax; nec aliter *Avicenna judicare videbitur*: Et scias, quod in illo, qui assellat in die plusquam in nocte. Imò accidit ei, ut assellet quotiens suppresserit appetitus ejus in die, causa est debilitas stomachi ejus. Et cum in nocte est plus, tunc causa est debilitas *epatis* & quod remitttit cibum. Hunc & *Jacobus de Partibus ita interpretatur*: Considerandum, quod dies tempus propriè sumptionis cibi: si ergò assellat, quotiens sumit cibum, est signum, quod fluxus est stomachicus: non autem est tempus digestionis maximè secundæ: unde urinam nocturnam maximè consideramus: & est tempus multiplicationis humorum circa interiora & maximè circa hepar, quod est illorum fons, si ergò fluxus in nocte *multiplicetur*: est signum, quod est *fluxus hepaticus. Hæc ille.* Adeò de eo signo inter *autores* non convenit. Nonnulli ægrum multo somno prius urgeri censent, ut *Ioh. Baptista Cortesius, Cerebralis*, inquiens, *fluxio seu quæ à capite affecto prodit, propria signa habet, quæ desumuntur à propriis capitis affectibus & à communibus: propria sunt dolor capitis, gravitas ejusdem, distillationes & cætera, quæ ostendunt capitis veram affectionem. At communia signa petuntur ab exeuntibus. Cognoscitur etiam ab immoderato somno, qui solet præcedere diarrhæam â capite: nam sæpè ab immoderato somno â capite fit fluxio.* Quidam *hanc Diarrhœam Cerebralem* â somno ajunt fieri graviorem, ut *Avicenna*, *Iacobus de Partibus, Nicol. Nic. Berh. Gordonius, Valescus de Taranta.* Nonnulli non post *longum somnum*, sed post *primum* somnum *Diarhœam Cerebralem urgere*, ut *Iohannes Riolanus. Horâ somni Savonarola* eam

 gene-

generari ſcribit ac per *ſomnum* & per *reſupinationem Bertrucius.* Idemq; ad hunc modum:Et certiꝰ ſignũ eſt:quoniam æger forte deſcenſum flegmatis ſentit *per gulam*, ſi fuerit ſtudioſus. *Hunc* ſupra imitati fuerunt *Iacobus Sylvius* & *Thomas Eraſtus.* Ac *Nicol.Nicoli Florent.* hiſce verbis utebatur : noctu & horâ ſomni hæc Diarrhœa. Et apparet, quod patiens *transglutiat* deſcenſum illius materiæ. *Similibus I. M. Savonarola.* In materiæ deſcenſu ſentit ſe patiens *deglutire aliquid. Chriſtophorus à Vega* l. 3. Sect. 7. c. 13. Si à capite defluxerit humor in ventrem, inter dormiendum deglutient. *Peter Foreſtus:* Ex debilitate Cerebri & catarrho præcedente oritur, cùm videantur in ſomno quaſi catarrhum deglutire. *Eandemque deglutitionem* ſuprà dicebat *Thomas Eraſtus.* Verba *Iacobi Fontani* ac *Vincentii Alſarii â Cruce* l. 3. Sect. 2. c. 3. poſui. Et hoc eſt, quod *Ioh. Bapt. Montanus* ita ſcribit: In faucibus videntur habere unum *bolum*, quem volunt excernere & aliquid ex eo excernunt, ſed non totum. Atque hoc ſignum indicat Catarrhum deſcendere per foramina palati. Unde & *Crato in An alog.* quaſi *bolum* in faucibus habere videntur.

Sit igitur etiam ſomniculoſus, multo ſomno prematur hic æger & ſubinde *glutiat* inſtar *columbarum*, ita *Ioh. Matth. de Gradi* meo libro de *Catarrhis tertio, Sect.2.c.3.* loquitur. Verùm nec ex his & ſuperioribus illam *Cerebralem Diarrhœam* intelligimus. Siquidem eadem indicia & iſta *Diarrhœa* aliquando præfert, quam *arteriæ* concitant, infuſis humoribus. Alvus cita hominem nunc ante, nunc poſt ſomnum exercet. *Avicenna* tàm certas leges ſancire non potuit. Quin potius dixerim, *Cerebralem Diarrhœam*, ſi qua ſit, ſomno multo compeſci. ~~Somno omnes excretiones, ſi ſudorem excipis, inhiberi, vetus eſt.~~ Quare eo *Diarrhœam Cerebralem* tàm vehementer concitari, novum erit. *Bernhardus Gordonius* & hoc adjicit : *ſi caput minus infrigidetur aut calefiat aut eventetur, adeſt fluxus major.* Idque de die ſæpiùs fit. Et aliis de cauſis facultas expellendi noctu quieſcit quaſi & ſomno ſopitur. Ipſam hanc rem properè tetigiſſe, abunde eſt. Nunc illud maximè premo, quod *Avicenna & Hepaticam Diarrhœam* affirmaverit noctu gliſcere. Eam *Iacobus de Partibus* in *nocte* ait *multiplicari.* E Diverſo

ſo quemadmodum *Savonarola Cerebralem Diarrhœam horâ ſomni generari*, ita *augeri* quoque vult *Chriſt. à Vega.* Ac quidam ex eodem genere inſuper hanc *Cerebralem Diarrhœam* ajunt à ſomno increſcere. Contra, *ſcribitur*, inquit conſ. 22. *Thomas Eraſtus*, *etiam poſt ſomnum excrementa eſſe compacta & naturalibus ſimilia*, *quo ſcilicet tempore capitis fluxiones ſunt pauciores.* Nunc *Johannes de Tornamira* ad hunc modum loquitur: *Si fluit per venas & arterias capitis & tunc eſt materia commixta cholerica & phlegmatica*, *talis eſt major poſt ſomnum & non poſſunt benè dormire, ſomniant mala.* Tanta & tàm varia diſſenſio eſt documentum falſi. A cibo potuque os magis madet. Quapropter hæc quæ fingitur, *Cerebralis Diarrhœa* interdiu erit gravior. Unde eam *Johannes Riolanus* ex opinione vulgari, non ex vero vocat *Nocturnam.* Humor oris non niſi glutiendo concipitur *Gulâ.* Homo autem per diem glutit ſæpiùs, quàm noctu. Quocirca eam ſi qua eſſet, meliori jure appellares *diurnam.* Facultasque expellendi, quâ ſtomachus & inteſtina gaudent, vigiliis multò vegetior eſt, multoque valentior. Quapropter nec tam multa pituita ab homine dormiente devorari poteſt, ut tantam poſſit creare *diarrhœam.* Nonnihil quidem ſuprà aſſerui, glutiente homine, ſomni pleno aſſumi. Ac ſæpè *venæ narium* noctu fluunt ſanguine, quem homo ſomno preſſus devorat, motâ gulâ. Saliva eſt naturaliter haud tam multa. Redundansque ex facili à vigilante exſpuitur, ac ſponte manet de ore dormientis. Dentientis pueri labia quàm vehementer madent? Sive is dormiat ac vel ſupinus vel in latera cubet, ſive vigilet. Homo adultus quoque ex ſomno excitus, ſæpè ipſa ori proxima veſtimenta reperit impensè uda. Et hoc eſt, quod *Rhaſes* lib. 5. de re Med: caput XLVI *de his, quæ prohibent fluxum ſalivæ currentem ab ore in ſomno*, inſcribit, *qui hoc fluxu*, inquiens, *infeſtatur, ſcariolam recentem cum ſale jejunus multis comedat diebus, azuech quoque ac gargariſmum frequenter faciat. Et tripheram minorem quotidiè bibat, frequentique utatur vomitu. Hic enim eo penitus removetur.* Ferè ſimilis *fluoris* meminit *Plinius Valerianus*, os ſalivoſum nuncupans & perlippidum. Si hæc fluxio vomitu curatur, humor potius de *ſtomacho* venit, quàm de *Cerebro.* Atque ſtomachi humores uſque in os aſcendere, quis dubitet?

Rheumatiſmum, *inquit Gariopontius*, deprehendimus ex humiditate oris & ſputi fluentia & nauſea cum faſtidio & vomitu & acceptis cibis corruptionem patiuntur & oris atque linguæ, palati, labiorum collectionem veluti ſcabiem patiuntur, ut difficilè cibum & potum accipiant. *Hæc ille.* Inter ſigna Diagnoſtica *Spaſmi Cynici* & hoc memorat *D. D. Sennertus* alios ſecutus: *ac denique æger exſufflare vel exſpuere juſſus, ex altero tantùm oris latere id præſtare poteſt & ſponte etiam ſaliva oris profluit.* Idque fit ob muſculos læſos. *Ductus Salivales* humorem tenuem ſubinde promunt, eo conſilio & Naturæ inſtituto, ut cibaria tantò commodius capi queant. Verùm non hæc tantùm, ſed omnia, quæ ore tenentur diutulè, provocant ſalivam. Hæc poſtea ore redditur, nec unquam ſpontè fluit in gulam & ſtomachum. Qui ſiti premitur, gulâ areſcente, is ore verſat ſaccharum, ut tabeſcat. Ejus liquor ſalivæ immixtus gulam non contingit, non lenit, non rigat, niſi glutiente homine. *C. Celſus* quidem illud lib. 1. cap. 4. ſcriptum reliquit: *quosdam tonſillæ malè habent. His autem non caput tantum quotidiè perfundendum eſt, ſed os quoque multa aquâ fovendum eſt.* Hæc autem propè communis medicina erat. Atque *tonſillæ* in inſeriore ſpatio oris tenent locum, qui hauſtâ aquâ perfundi poteſt. Si media *gula* nimis arida eſt, ei liquor dulcis, ore conceptus nihil remedii confert, niſi glutiatur. *Poetæ* veteres, ut *Homerus* ipſe, hominem inter media flumina ſitientem fabulâ illa *Tantali* oſtendunt. Hic enim.

Quærit aquas in aquis -- -- --
-- -- *mediis ſtans ſitibundus in aquis.*
Ac tùm *â labris ſitiens fugientia captat*
Pocula. Verùm
Jamjam poturo deſerit unda ſitim.

Nam ſi is ſummâ vi luctatur, potaturus, imminet aſſiduè ſaxum cervici ejus ac impendet. Hoc illum, ut apud *Euripidem* eſt, percutit graviter ac repellit. Multò commodius fiinxiſſent *Tantalum* penitus aquâ merſum, aſt vitiatis ac ut loquuntur Medici, *reſolutis muſculis Gulæ.* Nam is aqua ſic obrutus, poſſet quidem aquam ipſo óre haurire, ſed non trahere, non ſorbere, non potare. Nam qui hoc *Paralyſeos* genere arripiuntur, nullo modo refici poſſunt, etiamſi ſuaviſſi-

vissimos liquores, ipsum nectar & ambrosiam ore capiant ac quoque contineant diutius. Hi erunt verè ταραντάλειοι καὶ διψῶντες ἐν ὕδασι. Verba *Homeri* accipe: στεῦτο δὲ διψάων, πιέειν δ' οὐκ εἶχεν ἑλέσθαι.

Sed ad *Signorum* commemorationem stilus iterùm est dirigendus. Ex vetustioribus *Avicenna* est autor, *Cerebralem* hanc *Diarrhœam* & de *periodis* cognosci. Verùm recentiores mox verbis, rebusque discrepant. *Haly lib. 9. Theoriæ* in hunc modum meminit *Periodorum:* Alia est Diarrhœa à Cerebro, alia ejus species, in qua fluxus non est multus, sed paucus cholericus, hocq; fit, cùm chimi in corpore multiplicati sunt, hinc ad stomachum. Alia quoque est illi species, in qua solutio fit per *certos circuitus*, *æstuatq; aliquandò duobus diebus aut tribus.* Dehinc sedatur die uno & post hoc solo revertitur, quemadmodum prius fuerat. Hoc autem fit juxta superfluitates congregationis quantitate in membro, à quo ad stomachum pellitur & intestina, quemadmodum putridus in febribus aduratur humor, quæ periodicæ sunt. Et cum particulis regimen est unum solutionis circuitus ordinati redduntur. Accidit autem simile quid in *febribus tertianis*, cum natura superfluitatem propulsat colicam (facit) die accessionis & emittit illam. *Hactenus autor.* Atque *Arnoldus Villanovanus* ita: Vitio etiam Cerebri fit lienteria & diarrhœa, cujus signa manifesta sunt, quia fiunt periodicè, id est, quod aliquando *stant per duas vel tres dies*, patientem *non infestant*, sic, quod nihil egerit & videtur esse sanus: posteà subitò in multa quantitate egerit. *Hæc ille.* Nunc *Nicol. Nic. Florent.* & *Jacobus de Partibus* duce *Avicenna* ajunt & *hepaticæ Diarrhœæ* similiter *periodicam* esse. Quâ ex opinione *Bernhardus Gordonius hæc disputat:* Quæritur quare fluxus *hepaticus* & *cerebralis* sunt *periodales* & *nocturni*, sed stomachalis & intestinalis sunt magis diurni & non sunt cum periodis. Respondeo & dico, quod hepaticus & Cerebralis sunt magis propter fluxum humorum, sed fluxus magis movetur de nocte propter revocationem caloris & clausionem pororum; ideò tantò plus in hyeme propter longitudinem noctis, quare magis nocte & magis periodialiter, quia causa non est continua, in aliis autem membris non est sic, quare &c. *Hæc autor.* Deinceps alii aliter

ter *Periodos* hujus *Cerebralis Diarrhœa* interpretantur, ut *Michael Joh. Savonarola*, Hic,inquiens, fluxus Cerebralis habet *periodos*, & fit post *somnum longum* magis eò,quod hora somni generatur & retinetur tunc materia & post somnum aggregata fluit ad intestina & in ejus descensu sentit se patiens deglutire aliquid. Sentitque deinde stomachi gravedinem vel dolorem & secum educit pro parte cibum indigestum, si in stomacho ipsum invenit & accidit, sicut in lubricitate intestinorum. Sed ab ea differt, quia lubricitas ventris non habet *horas de se distinctas*, quibus crescat & minuatur, sicut Cerebralis. Immò *non accidit nisi assumpto cibo*. Sed cerebralis apparet, *absque cibi assumptione*, sicut in Cerebrali. *Itemq; Nicolaus Nic. Florent.* Et fit aliquando causa, quod cibus sive chylus in stomacho repertus cum ipso egreditur. Et erit cibus aliquando indigestus. Ac si foret in stomacho vel in intestinis lubricitas, sed differt illa lubricitas ab illa, quod habet horas distinctas sive *periodos*, in quibus crescit illa aut non. Et *fluxus cerebralis* abscinditur vel minuitur tempore vigiliarum. Quod non fluit neque descendit materia rheumatizans à capite tempore somni, in vigiliis aliter resolvitur. Ac *Clementius Clementinus*: frequentior est in die quàm in nocte stomachicus, sed hepaticus major est in nocte, periodicusque crescit plus in uno tempore quàm in alio, & qui eum patitur præter morem aliorum plus egerit in sequentibus egestionibus. Fluxus Catarrhalis est *periodicus*, & in diversis temporibus uberiùs fluit, præcipuè post longiorem somnum & plerunque est phlegmaticus & fluidus & quandoque spumosus. Atque *Peter Forestus*: Quo fluxu quidam monachus senior Egebertus nomine, in monasterio regularium propè Alcmariam afficiebatur. Ad hunc itaque recedens, facilè istis notis cognovi, Rheumatismum hunc fluxum induxisse: nam in fauces destillans humor, *noctu* præsertim, illi dormienti respiratione *sonantior illabebatur* & audiebatur. *Abstinentia quoque magis, quàm cibatu excitabatur; cum alvus in lienteria cibo duntaxat assumto fluat, quâ ratione etiam à lienteria distinguitur.* Hic quoque fluxus augebatur magis post longum somnum nec ita erat continuus, sicut stomachicus, sed magis per intervalla & periodos fluebat venter, cùm post somnum retineantur multæ materiæ, quæ tem-

tẽpore vigiliæ expurgantur, unde in ſomno *vis roborata* magis expellit, & magis fluit poſt longũ ſomnum, quia poſt temperatũ ſomnum vis cerebri digeſtiva magis roboratur, ita & reſolutiva inſenſibiliter recrementa reſolvit & tunc non multiplicabitur fluxus & materia minuitur. Ex debilitate Cerebri & Catarrho præcedente hæc facillimè innoteſcunt, cùm videantur in ſomno quaſi catarrhum deglutire. Ac cognovi ex *excrementis ſpumoſis.* Jam quoque ex Cerebri debilitate & *deſtillationibus* certius indicium feci, etiam ex materia frigidiore tam ob capitis gravitatem, quam frigiditatem, quæ ſentiebatur ac *ſputi multitudinem* ætate ſenili & tempore hyemali ac temperatura ipſa idem atteſtantibus. *Hactenus autor.* Inde & *Johannes Marquardus*, commovetur, *inquit*, hæc *fluxio expergefactis & periodica eſt.* Quæ cum ita ſe habeant, *periodica* erit eadem, quæ *nocturna.* Prætereà quidam autorum & *diuturnam* ſalutant, ut *Dominicus Leonus*, Excrementa, *inquiens*, ſpumoſa ſunt & pituitoſa, ut benè teſtatus eſt Hippocrates, aderit inſuper capitis gravitas & ſputi multitudo & defluvium erit *majus nocturno & matutino* tempore, *diutius perſeverabit.* Ac *Rodericus à Fonſeca:* cujus verba ſubjungo: *Et diarrhœa diuturna hîc indicatur, quæ à Cerebro oritur.* Similiterque *Rondeletius* & *Nicol. Piſo:* hæc ſpecies diarrhœæ *longo tempore durat.* Ac *Scheunerus*, unde *Sennertus:* ſolet autem *hic fluxus à capite deſcendens ſatis diuturnus eſſe & longo tempore durare.*

Sunt, qui huic *Cerebrali Diarrhœæ* aſſeverant jungi *febrem* non ſine *ſiti*, ut *Peter Pichotus*, ſi in gulam, inquiens, aut ventriculum eſt fluxio, ſi frigida, fiunt cruditates, βραδυπεψίαι, ructus acidi, vel calida, fiunt *ſitis*, ructus nidroſi, aliquando ulcus, *febris*, lienteria. *Hæc ille.* At autores etiamnum opinionum diſcrimine diſſidere videntur, ut *Dominicus Leonus:* Patientes ob pituitam fluentem ad ventriculum, *non multum ſitibundi*, verum ſomnolenti fiunt. Ac *Gulielmus Rondeletius:* Non multum ſitiunt: *Ludovicus Mercatus* noſcitur ex nullâ ſiti: *Jacobus Fontanus:* excrementa ſunt ſpumoſa, fiunt ob celerem & vehementiorem agitationem humoris. Aderunt & ſigna catarrhi: contingit etiam in ſomno potiſſimum longiori, ſen-

tiunt dolorem *ventriculi & cruditatem alimentorum nec multum sitiunt.*

Hoc dogma *Haly lib.9.Theoric.prodit,exponitq́ :* Variæ ſunt ſuperfluitates in Cerebro : Et hæc ſuperfluitas aliquando ſalſa eſt : aut pungens, facitque ſanguinis ſolutionem & dyſenteriam eò , quod ſtomachi excoriationem ac inteſtinorum faciat & ſignum ejus, quod ſalſa eſt , quod patiens ſalſuginis ſuo invenit in ore ſaporem, & in ea,quæ pungens eſt,in ſtomacho morſus ſentit, comitaturque illam *ſitis* & quæ nec ſalſa nec pungens eſt , dyſenteriam non facit ſecundum virtutis debilitatem & *ſitis paucitatem.*

Omnia malè cohærent,diſſonantque omnia. Singula ſtrictìm tangamus,adjectâ cenſione. In Medicorum Schola maxime libera & integra eſt facultas judicandi. Si *cholerica*, ut vocant,materia de Cerebro cadens,hanc facit *Diarrhœam cerebralem,periodi* non ſemper erunt *nocturnæ.*Illa & de die ſe movet. Ac quænam,quæſo,erunt *periodi* , cùm *Arnoldus Villanovanus* hanc *cerebralem Diarrhœam* ſcribat *ſtare per duas aut tres dies nec patientem infeſtare.* Ac longè ſecus videtur *Avicennæ.* Hic & *hepaticam Diarrhœam Gordonio* interprete *periodicam nocturnam* eſſe aſſeverat. Maximè autem ut *Savonarolæ, Nicol.Florent.Foreſto, Marquardo* placet , hoc nomine appellanda eſt hæc *cerebralis Diarrhœa* , quod eâ homines veſperi, ante & poſt ſomnum arripiantur. Unde Defluvium hoc,inquit *Dominicus Leonus,eſt majus nocturno & matutino tempore.* Fingamus itaque hoc diarrhœæ genus homines veſperi , noctu & manè exercere,interdiu non item.Nonne eas *periodos* illæ febres,quarum meminit *Haly* , ut & *Pichotus* , turbabunt aliquando aut tollent omninò. Idemque *Pichotus* calidiore cerebri humore decurrente ac inde oriente hac *cerebrali Diarrhœâ ſitim* ait accendi.Diverſi quidem ſunt *Dominicus Leonus,Gul.Rondel.,Ludov.Mercatus,Jacobus Fontanus.*At quo jure? Ipſis *Haly* illam lucẽ præfert.Eum verò deſerere videntur. Ipſum quidem ex parte ſequitur *Ugo Senenſis*, multum , *inquiens* , eſt phlegma in ſtomacho , quod caput catarrhizat , *unde ſentit frigus in ſtomacho. Hoc frigus*, quod ineſt in *ſtomacho*, omnem *ſitim* avertet. Sin verò de cerebro dejicitur calida & ut vo-

vocant,*cholerica* materia, homo *siti* premetur. Atque nunc *Hercules Saxonia* lib.3.cap.15.*sitim* in numero *signorum Diarrhœæ Cerebralis* haud ducit, non est *inquiens*, difficilis cognitu Diarrhœa in genere, loci sunt distinguendi. Itaque in fluxu pituitoso, si evacuatio ortum ducat ex cerebro, primũ cognoscatur ex signo proposito ab Hippocrate Sect:6.Aphor: 2. *Quibus nares* &c. Secundo ex Sect:6. Aphor:32.*Balbi alvi profluvio* &c. Tertio ex spuma sect:7.Aphor:30. Si habeant ventriculum gravem multis abundent flatibus, *siti non tententur*, fit fluxio ex ventriculo,& intestinis. Si universum corpus sit grave, quasi leucophlegmaticum, caro mollis &c. suspicandum, fluxionem fieri à toto corpore. Si sit fluxio biliosa, viridis, potest excerni ex ventriculo, jecore & venis, quæ ex ventriculo, excernitur sine dolore, morsu, febre & *siti*, oris amaritudine & præcessit usus olerum, ex quibus talis generatur. Quæ ex jecore aut venis, excernitur cum hominibus maximis, *siti*, inappetentia, febre maligna. *Hæc autor*. Adde, quod, *pituitæ Cerebralem Diarrhœam* facienti, bilis in stomacho potest immisceri, unde *sitis* concipiatur. Nunc *Savonarola* hoc affert: Stomachica Diarrhœa non accidit, nisi assumpto cibo. Sed Cerebralis apparet absque Cibi assumptione. *Hæc ille*. *Abstinentia*, inquit *Forestus*, *magis quàm cibatu excitabatur, cùm alvus in lienteria cibo duntaxat assumto fluat, quâ ratione etiam à Lienteria distinguitur*. Quod idem de *Foresto*, qui tamen non nominatur, sumit D. D. *Sennertus*, *excitatur*, inquiens, *hic fluxus magis abstinentia* (*nam tùm benignior succus, quo humoris malitia temperatur, deest*) *quàm cibo, contra atque lienteria fieri solet*. Quænam, quæso, erit *malitia* humoris illius de *Cerebro* cadentis ? Hic est *pituita*. At si, inquis, salsa est, impendio magis abstinentiâ concitabit *Diarrhœam*. Contrà assumtus cibus ac potus non solum auget omnem pituitam, sed etiam movet. Eoque *Cerebrum* repletur, ut mox plus pituitæ in stomachum (loquor cum vulgo) manare patiatur. A prandio & à Cœna *Catarrhos* ingravescere, affirmant multi autorum. Quid? Non nulli eandem hanc *Diarrhœam Cerebralem* ajunt de *otio* & de *intemperantiâ* nasci, ut supra *Hollerius* & *Wolphius*, protinus quoque *Peucerus*.

Cuncta hæc ſigna nihil habent firmitatis. Ea, ficto hoc *Diarrhœæ Cerebralis* genere, ſunt quoque excogitata. Fingamus ergò & nos, alvum diu fuſam noctu maximè excrementa dejicere *ſpumoſa, capite debili, gravato, dolente,* atteſtante *catarrho.* Illumque ægrum *ſomno* ſopitum ſæpius *glutire*, nec unquam *ſitire.* Si verò pituita primum in maſsâ ſanguineâ cietur, *capitis debilitas, gravitas, dolor, Catarrhus* ſæpè *Diarrhœam* præcurrunt, qua & *ſpumoſæ* fæces rejiciantur. Accidere quoque poteſt, ut idem æger *ſomno* gravatus *glutiat* ſæpè nec *ſiti* urgeatur. Proinde hæc & ejuſmodi alia ac ea quidem in unum collata indicium ejus *Diarrhœæ Cerebralis* præſtant minimè. Atque contra ſi quis hiſcere velit, ludibrio erit, adeò nihil, ne hilum proficiet, tàm manifeſtis nunc itineribus *Catarrhorum.* At ſi dicat, *Foreſtum, Montanum, Eraſtum, Carolum Piſonem, Frambeſarium* ex obſervatu ſuperiorum *ſignorum* & hanc *cerebralem Diarrhœam* agnoviſſe ac feliciter quoque depuliſſe is nec ob id dignus erit, qui audiatur. Hi *Diarrhœam* nunc hanc, nunc illam remediis ad id aptis curarunt. Illa autem *Cephalica* medicamenta, quæ & illi adhiberi præcipiebant, nec noxia per ſe erant & ſatis ſuperflua. Quare ægris ſumptui fuerunt, non uſui.

Nunc & conſentaneum erit, vel reliqua *ſigna* hujus, ut fingunt, *Cerebralis Diarrhœæ* tranſire. Autores in vulgus pronunciant *Balbos* non alia quàm illa, ut quoque vocant, *Catarrhali Diarrhœâ* arripi ſolere. Hique eo moventur aphoriſmo *Hippocratis*: *Balbi longâ Diarrhœâ maximè laborant.* Illudque placitum *Galenus* interpretatur hiſce: verum ſiccitas tanta nulli eſſe poteſt, qui habitum ſervet naturalem atque ideò ſolius humiditatis immodicæ eſt caſus in his, qui natura balbutiunt. Quare & ebrii aliquando balbutiunt, tùm quia multa humiditate perfunditur Cerebrum, tùm quia etiam ab ipſius multitudine pergravatur. Continget igitur his, qui ſunt balbi natura, alterum horum aut Cerebrum habere humidum vel linguam, vel utrumque. Et cerebro quidem talem ſortito temperaturam defluere ab eo multas par eſt humiditas ſuperfluitates atque inde fluentes in ventrem ſuſcipi. Unde & longis profluviis homo capitur. *Hæc ille.* Ac *Philotheus* eandem ferè reddit cauſam: τοῦ γὰρ ἐγκεφάλου τοῦ τὴν γλῶτταν ὑγραίνοντος, ἐκ ἧς ὁ τραυλι-

σμὸς

σμὸς γίνεται, ῥευματίζοντος εἰς τὴν γαστέρα, ἡ χρονία διάῤῥοια ἕπεται, καὶ τῆς γλώττης διυγροτέρας οὔσης φύσει καὶ τὴν κοιλίαν εἰκότως εἶναι τοιαύτην ὡς ἂν θατέρου τῶν χιτώνων αὐτῆς, κοινοῦ πρὸς τὴν γλῶτταν ὑπάρχοντας. Οἷς καὶ οἰκεῖον πάθος ἡ πολυχρόνιος διάῤῥοια. *Hoc est:* Cerebro enim linguam humectante, ex qua Traulismus, id est, balbuties fit, destillante in ventrem, longum sequitur profluvium, & cum lingua humida natura sit, ventriculum similem esse convenit: quoniam altera tunicarum ipsius ad linguam communis est, quibus & propria passio longum profluvium.

Hic *Aphorismus* etiam ad *Arabes* transiit, ad *Avicennam*, cujus *verba Nicol. Nicoli Florent.* sic exponit: Et Avic. dixit: *Altheca accidit Dyaria plurima.* Per Altheca intelligens illos, qui non possunt proferre the al' el. Et causa in hac est, dixit Avicenna: quoniam humiditas dominatur super membra ipsorum nervosa & super stomachos eorum cum communitate Cerebrorum ipsorum aut propter Cerebrum & aliud membrum. *Hæc autor.* Commodè igitur *Christophorus à Vega*, Balbos, *inquit*, Latini vocant eos, qui lingua sunt impediti & blesos, quod τραυλίζειν Græci dicunt ab eo, quod τ & ρ simul proferre nequeunt, & inde Traulos vocant. *Eandemque vocem & Viscerus*, item *Rodericus à Castro* enodant. Cæterùm tàm multis seculis & tam vehementer probatum dogma è recentiorum turbâ oppidò multi rationibus aut assensionibus firmant, & *Bertrucius, Johannes Lygæus, Alexander Benedictus, Eustachius Rudius, Peucerus, Johannes Marquardus.* Maximè *Hieronymus Mercurialis libr. 2. de morbis puerorum*, ac *Prosper Martianus.* Ista Balbuties, *inquit Foresius*, contingit propter *nervorum linguam* moventium relaxationem, quæ ex nimia *cerebri humiditate* accidit, quæ ad ventriculum & intestina descendens, Diarrhœam generat. *Ex simili notâ Christophorus à Vega:* Ob humiditatem, quæ à *cerebro* in musculos & *nervos linguam* moventes defluit. Deinde quoque in ventrem. Cùm verò in linguam descendit, efficit hominem balbum, cùm in ventrem, adducit fluxum ventris prædicta humiditas. *Item Hier. Thriverus:* Tam multis exemplis liquet, quod humiditas naturalem quandam balbutiem faciat. Ferè autem quibus Cerebrum humet & lingua, iisdem multò magis venter humet: nam eadem est

 pelli-

pellicula quæ utramque particulam inveſtit & alioquin ferè uni particulæ reliquæ conſentiunt. Ac *Benedictus Victorius* continuitatem membranarum memorat maximè. Ventriculus *duas habet tunicas*, quarum altera *linguam* veſtit, ut ait Gal.3. de facult.nat. c.8. & 6. Aph.32. hinc humiditas delabitur in *ventriculum*, hinc alvi profluvium. *Quemadmodum* & *Joh. Viſcerus:* Cerebrum eſt nimis humidum, excrementum demittit in ventriculum. Hinc *Diarrhœa*. Ventriculus ſiquidem faucibus ac linguæ per tunicam communem, Cerebro autem per inſignes nervos, ſitumque vicinum conſentit: Nec non *Antonius Muſa Braſſavolus*, *Hollerius*, *Stupanus*, & alii, quos nominatim ac ex ordine ciere, nihil attinet. *Peter Foreſtus* denique fidem facit exemplis. *Hippocrates balbos ventris fluxu naturaliter periclitari dixit, quales nos plurimos cognovimus, præſertim ſtultos & balbos. Sic Cornelium illum Alcmarianum, à pueris Keſium dictum, hoc vitio in perpetuum laborare conſpeximus, & ſtultum quendam adoleſcentem Delfis, cui ſemper pituita ex ore fluebat & venter lubricus erat.*

Verùm nonnulli & quoque quidam ex hoc ipſo grege ea illis explicatibus inſerent, quibus fundamentum ejuſdem *Aphoriſmi* non leviter convelli videtur. Lingua, *inquit ſupra laudatus Chriſtophorus à Vega, nonnunquam eſt in vitio. Facultas movendi linguam redditur imbecilla ob ſiccitatem, idq́ʒ raró. Et ſi aliquando fiant balbi, fiant ob ſiccitatem, tamen ad ventris profluvium non ſunt parati.* Atque *Antonius Muſa Braſſavolus* in diverſis cauſis *balbutiei* detegendis admodùm multus eſt. At uſus eſt hac particula maximè (μάλιστα) quoniam & alias affectiones patiuntur, ſed hanc potisſimùm indicant, quando ex nimia Cerebri humiditate balbuties ſequitur. Tamen cùm nos infinitos ferè balbos viderimus, qui non modò non ſunt capti longo alvi profluvio, ſed nonnunquam profluvium perpesſi ſunt, propterea nobis in mentem venit, hunc eſſe Hippocr: ſenſum, non quidē balbos profluvio alvi maximè capi, ſed ſi capiantur, longo profluvio potisſimū capiuntur: tn. capi neceſſariū non eſt, cùm verò capiuntur, id profluviū maximè diutinū eſt. *Ac rurſus idem autor.* Multæ ſunt balbutiei cauſæ, linguæ brevitas, quod rariſſimum eſt, ut Galenus hîc dicit & Philotheus etiam refert, quandoq; eſt ex ſicci-

ſiccitate, non poteſt eſſe in uno tanta ſiccitas, ut ob eam balbuties naturalis ſervetur. Tamen Ariſtoteles iſtos melancholicos facere videtur nona problematum particula, problemate trigeſimo octavo & conſequenter ſiccos. Nempe petit, quam ab cauſam qui linguâ hæſitant, melancholico habitu conſtant. Ariſtoteles ergò balbos potiùs ſiccos facere videtur, quàm humidos, tamen rariſſimum eſt, quod ex ſiccitate balbi homines fiant, etſi fiant, perſeverare non poſſunt, ut Galenus in commentatione teſtatur. Et reverà ſi Ariſtotelis problema quotidianæ experientiæ comparabimus, falſum eſſe deprehendemus: nempe indies balbos videmus, qui atrâ bile non abundant. Alii balbutiei cauſa eſt naturalis capitis humiditas, quæ linguæ nervos implet, & hoc non ſolum pueris contingit, ſed etiam adultis, imò aliqui quandoque balbutire incipiunt, qui prius non balbutiebant. Illuſtrisſimus Dux noſter cum puer eſſet, non impediebatur in ſermone, vir factus, ob capitis humiditatem impediebatur, nunc ferè nihil impeditur. Et hoc in dies obſervamus, ſi aeris conſtitutio ſicca ſit, nihil impeditur. Si humida parumper. *Hactenus hic.* Atque ad eam contrariam ſententiam ipſe *Galenus* facem prætuliſſe videtur. Dicit, (*ſunt Benedicti Victorii verba*) Galenus 6. Aphor. com. 32. eos quoque balbutire, quorum lingua vehementer *exiccatur*. Inde *Rodericus â Fonſeca*: Balbutiem facit vel nimia humiditas, ut in pueris, vel *linguæ ſiccitas* & mentis celeritas, unde Hippocrates appellavit balbos iracundos. Fiunt balbi quoque â febri. *Atque Johannes Viſcerus*: Fit & interdum balbuties ob intemperiem *ſiccam* aut calorem Cerebri, ut præ velocitate imaginandi nequeat lingua aſſequi concepta mentis, ut fit in iratis. *Aliquanto* plenius *Jacobus Hollerius*: ob humiditatem balbutiunt pueri & ebrii, & maximè cœlo pluvioſo, humido, nebuloſo. Hinc alvi profluvio corripiuntur. Aſt Galenus aſſerit eſſe aliquando balbos ab immodicâ bile & irâ, vel intemperie *ſicca*, frigore, clamore, calore. Tandem & *Prothus Caſulanus l.4. de lingua c.9.* balbutire melancholicos oſtendit.

Sanctorius verò *l.1. Meth. vitand. error.* idem fundamentum non labefactat modò, ſed diruere ac penitus deſtruere videtur: diſſerit enim ſic: Trauli & balbi non ob cerebri humidam intemperiem fiunt, ut ferè omnes autumant. Inveniuntur hi modò calidi, modò

modò frigidi, modò humidi vel *ficci*, ut & reliqui, qui nec Trauli nec Balbi ſunt. Quare ſententia Hipp.2. aph. 32. malè verificatur, cùm aſſerat Balbos ob frigidam humidamque capitis intemperiem fluxu tentari. Fluxio enim talis & balbis & non balbis ſuccedit. Concurrit tamen hæc fluxio, ut cauſa remota, quæ aliquando cum proxima dicitur affectum facere poſſe, ſi juncta fuerit, ſola autem facere nequit, ut malè Hippocrates & alii opinati ſunt. *Hactenus autor.* Huic ſtatim aſtipulari videtur *Julius Cæſar Baricellus.* Ita certè eſt. Multos ſcio balbos duritiâ alvi ab ineunte ætate ac ob id quaſi naturali morbo ac innato laboràſſe. Horumque os & labia humore impendiò magis madebant. Nec hic mihi è *Cerebro* provenire videbatur. Nec capita illorum condolebant nec gravata erant, nec imbecillia. Nam hi dum nituntur eloqui, tantâ vi motant linguam, ut tàm multa inde in oris ſpatium coëat ſaliva. Hæc quàm facilè allici queat, aliàs dictum fuit & ſæpiùs. Quare qualis eſt morbus, tale quoque erit hoc ſignum, hoc eſt commentitium. Si quis verò contenderit, illam ipſam ſalivam redundantem balbos glutire, certè evenire aliquando poſſe videbitur, ut inde alvus reddatur fuſior. Quæ quidem *Diarrhœa* levis erit, at ſimul *longa*, ut vult *Hippocrates.* Cujus dignitatem hoc tantùm pacto curare, licitum erit. Cæterùm *Rachitide*, illo morbo puerili infeſtante, *Franciſcus Gliſſonius*, c. 34. illius *libri* ſcribit urgere ſimul *Diarrhœam*, capitis magnitudine tàm vehementer auctâ, tàm debili quoque cunctâ ſpinali medullâ. Haud verò eam exiſtimat ex Capitis vitio pendere. Mireris viri prudentiam.

Tuſſis quoque indicium hujus *Cerebralis Diarrhœæ* facere proditur. Nam autores, ut *Arnoldus Villanovanus*, & *Joh. Bapt. Montanus*, ingruente hoc *Catarrho*, partem minorem Cerebro delabentis humoris quoque ajunt ſemper in laryngis oſculum derivari ac inde cieri *tuſſim.* Et hoc eſt, quod *Vincentius Alſarius à Cruce* raucitatem quoque cenſet hujus *Cerebralis Diarrhœæ* notam eſſe. Dein influens humor *gulam* ita laceſſere poteſt, ut tuſſis provocetur. Unde fortè & *Meſues*, Catarrhus, *inquit*, dicitur à fluore. Catarrhus autem in viſcera deſtillans, perveniens *ſtomachum*, *tuſſim* vel nauſeam procreat. Si verò in pulmonem venerit, tuſſim creat

cum

cum ſpumoſis ſputationibus, aliquibus cum raucedine. *Ac Ætius Serm. 8. cap. 54.*: & acris humor ſtomachum perturbans ac irritativam aliquam qualitatem ad fauces demittens, *imaginariam tusſim* producit. *Hæc hic.* Qui humores, qui cibi, qui liquores glutiuntur, ii *tusſim* movere poſſunt, irritatà gulâ, quæ mox afficit in iſto ſummo confinio *Laryngem.* Quâ de re non ambigitur. At abnego humorem illum, qui offendit *gulam*, de cerebro promi. Quare nec *tusſis* nec *raucitas*, ejus ita fluentis humoris *ſignum* eſſe poteſt, niſi *imaginarium.*

Dejectiones alvi, *nauſea* & *vomitiones* maximè teſtantur hunc *catarrhum ſtomachicum.* Hippocrates *l. de aere loc. & aq.* pituitoſis inteſtinorum difficultates fieri par eſt, pituitâ à Cerebro defluente: τοῖσι μὲν οὖν φλεγματίησι τὰς δυσεντερίας εἰκὸς γίγνεσθαι φλέγματος ἐπικαταῤῥυέντος ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου. Atque *libro, qui de locis in homine inſcribitur*: & tandem in ventrem, hinc profluvia alvi. Νῆστις γένεται κάτω. Ἔστι δ' ὅτε καὶ ἄνω. Rurſus *libro de Sacro Morbo*: ἢν δὲ ἐς τὴν κοιλίην, διάῤῥοιαι. Quod ſi ad ventrem feratur, alvi profluvia corripiunt. *Libro de glandulis*: ventres fluunt, ſi infrà pituita permaneat, volvuli fiunt affectiones diuturnæ. *Nunc Galenus libro de ſanitate tuenda ſexto capite nono*: inter initia autem appetentia & concoctio labefactatur. *in Aphor. comment. Sexto*: cruditatesq; & ventris profluvia fieri, eſt neceſſarium, nonnunquam verò & difficultates inteſtinorum, quando, quod deſtillat ſalſius quodammodo fuerit. Quare enumerat ibi ἀπεψίας, διαῤῥοίας, δυσεντερίας. Similia *Ætius* tractat. Item *Avicenna*: quum catarrhus eſt acutus & calidus, fiunt & dolores ſtomachi & fluxus ventris & raſura inteſtinorum, quum eſt ſalſus aut acetoſus & generatur ex eo etiam colica & propriè mucoſa, quæ cruda eſt. Unde juniores non diſſimiliter, ut *Bertrucius*: ſi ad ſtomachum fluit, facit indigeſtionem, lienteriam, & cauſabit febrem, dyſenteriam. *Antonius Conſtantinus*: Si altera Catarrhi portio in ventrem labitur cum morſu ventris, perturbationem & fluxum affert, atque in tranſitu per os ventriculi, cibi faſtidium generat. *Ludovicus Duretus*: inferi (hoc eſt) ſtomachici catarrhi ſymptomata ſunt Diarrhœæ, Lienteriæ, Dyſenteriæ, Teneſmi & Ilei. Itemque *Gentilis Fulginatis, Crato, Cordæus, Peu-*

cerus, *Montanus*. At *Vincentius Alſarius à Cruce*, quà veteribus, quà recentioribus in os reclamat, tàm manifeſtè decernens contrarium & quidem *hiſce verbis:* Practici ad dignoſcendum an Catarrhus in *ventrem per gulam* dilabatur tria ponunt ſigna, *vomitus*, *inappetentia*, *alvi fluxus*. Duo prima hic ſunt manifeſta, *minimè poſtremum*, ſed *contrarium prorſus*. *Prima* ex frequentia *vomitus*, qui in hoc ægro alvum ſiſtit, cujus eventus cauſam reddens Hippoc. 2. de Diæt. text.22. dicit quia exiccat. *Secundò*, quia excrementa alvi ab humorum crudorum craſſitie & viſcoſitate detinentur & bilis portio ad inteſtina tranſmiſſa, ut expultricem vellicet, omninò retunditur. *Tertiò*, quia ab hepate retorrido ut ventriculi naturale humidum abſumitur, ſic ventris totius excrementitia humiditas deſiccatur, hinc ſcybala excrementa, hinc *alvi inertia*.

Hic autor, quem de hoc judicio amo vehementer, à *ſtomachico catarrho* contendit nullam *Diarrhoeam* oriri, ſed potius, ut ejus verbo utar, *inertiam alvi*. *Diarrhœa* eodem autore nec erit *ſignum catarrhi ſtomachici* nec ejus *Symptoma*, ut modò vocavit *Ludovicus Duretus*. Ille vomitus erit *cerebralis*, illa quoque, ut hic autor vocat, *inappetentia cerebralis* erit. Iſta autem hactenus vulgata *cerebralis diarrhœa* haud *diarrhæa* erit, nedum *cerebralis*. Hæc igitur numero *Diarrhæarum* expellàtur. Quemadmodum miles expunctus non in hoſtém, ita nec in genus humanum pugnabit amplius illa, quam toties ejeci, *cerebralis diarrhæa*. Hæc nunc non proſcribatur modò, ſed relegetur uſque in orcum. Ibi *Cerberus cerebrali* hâc diarrhœâ affligetur aſſiduè & quoque quàm graviſſimè, utpote *Cerbero* ſunt tria *cerebra*, & una tantùm alvus.

PROGNOSTICA.

Nunc *Hippocratis* judicium & de *Pectorali* & de *ſtomachico catarrho*, unde hæc *cerebralis diarrhæa* oritur, comperiamus. Ille *l.1. de morbis ſect.5*. *Pectoralis catarrhi* periculum prodit *hiſce verbis*: fit quoque ſuppuratus, ſi ipſi pituita ex capite in pulmonem defluxerit, ac primùm quidem ut plurimùm latenter defluit, tenuemque tusſim exhibet, ſputumque paulò ſolito amarius exiſtit, calorque tenuis adeſt. Progreſſu verò temporis, tùm pulmo exaſperatur, tùm

intus

intus à pituita inhærescente & putrescente exulceratur. Et paulò post: Et pulmo quidem ab his suppuratus redditur, & ab ipso talia perpetiuntur, sicq; moriuntur. At verò multis modis superiore ventre pus colligunt. Nam cùm pituita multa è capite confertim in superiorem ventrem confluxerit, putrescit & pus evadit. Putrescit autem maximè diebus uno & viginti. At *idem Hippocrates l.4. de morbis* hanc de *stomachico catarrho* fert sententiam: Cum quis quid pituitosum ederit aut biberit, si quod copiosum existit, rursus non exeat, neque per os neque per nares, id in capite manere vel ex capite in corpus deferri & ventriculum petere, necesse est & ad ventriculum pervenire. Et optimè quidem cesserit, si ad ventriculum perveniat: cum stercore enim exierit. Siquidem copiosum & humidum fuerit & stercus humidum reddiderit. Si verò paucum fuerit, id non fecerit. *Hactenus autor.* Ex quibus efficitur, *stomachicum catarrhum* non modò non esse periculosum, sed etiam aliquando salutarem. Quo nomine & *auster* à *Galeno* comment. *Aphor.3. Aph.18.* laudatur. Solum, *inquit hic, est in austrina tempestate quoddam mediocre, quod alvos reddit humidiores.* Illud ceu *Paradoxon Benedictus Victorius uberiùs exponit hisce*: Hæc itaque sunt mala, quæ ex austrinis consequuntur tempestatibus, præter quæ, ut ait Galenus 3. Aphor. comm 17. ex iisdem unum solum bonum enascitur, quod est, alvos humectare, bonum enim est, excrementa in alvo congesta celeriùs excerni, ne sui morâ & retentione totum corpus, permaximè verò principia offendant, sed humiditatem ex statu austrino ad alvos obveniente, ea excrementa proclivia fiunt, ut celerrimè excernantur & homines securi fiant ab offensionibus consequentibus ad excrementorum alvi retentionem. *Hæc ille.* His & similibus fortè tractus *Vincentius Baronius* suam quoque sententiam *libro primo de Pleuripneumonia capite 18.* tàm liberè dicit: *In stomachum si sponte dilaberentur humores, nullius Catarrhalis morbi essent occasio, quoniam si purum id esset excrementum, dejiceretur per alvum: si autem pituita esset, aut semicoctum alimentum, in ipso ventriculo percoqueretur, & sic utile tantum intra venas raperetur, inutili extra alvum ejecto.* Cæterùm

Franciscus Perla illud *Hippocratis: cum porrò per gulam fluxus in ventrem processerit, morbus infrà fit*, interpretans, cujusdam *periculi* meminit: Inter occultas Capitis fluxiones text.3.libri hujus enarratas, ea recensetur, quæ per palatum atque œsophagum ad ventriculum descendit, ubi si nihil immoretur, sed intestina præterlabens, denique per sedem extra emittatur, nulla graviora invenit mala ex iis; quæ ob acrem nitrosamque facultatem erodendo interdum excitare solet; in ægri bonis connumerandum erit. Ac de fluxionibus hujusmodi loquens Hipp.lib.4.de morb. Optimum quidem fuerit, inquit, si ad ventriculum perveniat: exire enim poterit una cum stercore: & siquidem multum fuerit ac humidum, stercus humectare poterit; si verò modicum, non hoc effecerit. Et *libr. de gland.* Si fluxio retrò processerit per palatum, & in ventrem pituita pervenerit, fluunt quidem horum ventres, *non autem ægrotant*; Si verò infernè maneat pituita affectiones volvulosæ fiunt diuturnæ. De postremo hoc casu agitur in præsenti contextu, ejusque proscribitur curatio, ubi videlicet infesta materia per sedem non excernitur, sed nunc in ventriculo, nunc in intestinis detenta, varias ibidem parit affectiones. *Hactenus Perla.* Sunt hi gravissimi morbi, quos *Catarrhus stomachicus* interdum facere dicitur. Quo igitur modo idem morbus & levis esse potest ac propè salutaris? Res est rara dictu, ac cognitu admodum necessaria ac eodem *Hippocrate* judice: Hic enim *libro primo de morbis ita disserit:* In arte autem ista rectè vel non rectè fiunt. Non rectè quidem fit, si cum alius morbus existat, alium apparere dicas, si cum magnus sit, parvum & si cum parvus sit, magnum pronuncies & eum qui superstes futurus est, superstitem futurum non affirmare, neque eum, qui periturus est, periturum dicere & eum, qui suppuratus est, non cognoscere, neque nosse, si magnus in corpore morbus increscat & si quis medicamento aut potione indigeat, utro opus sit, nescire & quæ sanari possunt, sanari posse affirmare. Atque hæc quidem non recto mentis consilio fiunt. Ista autem rectè fiunt, si quis morbos, quinam sint & ex quibus oriantur, cognoscat & quinam ex his longi, quinam breves & qui lethales & qui minimè lethales & quinam magni, & qui parvi. Hactenus *Hippocrates.*

Hie-

Hieronymus Mercurialis monſtrat viam, quâ hæc res expediri poſſe videtur. *Si delabitur, inquit hic* in ſtomachum & inteſtina, inducit ſitim magnam, nec non dyſenteriam & hujuſmodi dyſenteria ſolet eſſe valdè pernitioſa. Hippocrates lib. primo de morbis ſcribit, inter deſtillationes eam, quæ præcipitatur in ſtomachum, cœteris anteponendam eſſe. Sed hæc ſententia minimè ex toto vera eſt, quoniam ut luculentiſſimè nos docuit Galenus lib. 7. Meth: in pluribus capitibus, non ſemper tuta eſt deſtillatio in ſtomachum, quoniam ſi materia calida ſit, & in ſtomachum frigidum labatur, valdè periculoſum eſt & eò magis, ſi alvi ſtypticitatem junctam habeat, adeò ut hujuſmodi caſum Galenus penè exitialem reputarit. *Hæc ille.* Quid igitur moror? *Hipp*: ipſe quoq; periculi magnitudinem l. 1. *de morbis* oſtendit: Quod ſi pus in ventre diu traxent, ab eo totum corpus præcipueq́; partes maximè vicinæ incaleſcunt, incaleſcente autem corpore, humidum maximè colliqueſcit. Et partim quidem à *ſuperioribꝰ partibus* in ſuperiorem ventrem præcipuè confluit & in pus vertitur, ad id, quod jam intus eſt, accedent. Partim verò *ad inferiorem ventrem defluit*, ab eoque interdum *alvus turbatur* & *hominem perimit*. Cibi enim ingeſti per alvum ſecedunt, nullumque corpori ab his alimentum accedit, neque ſputi per ſuperiora æquabilis fit expurgatio, cum nimirum incaleſcens alvus deorſum omnia ad ſe deducat. Et à ſputo quidem ſuffocatur & non repurgatus ſtertit, *ab alvo autem fluente debilis* evadit & *plerunque perit*. In hujuſmodi autem morbis hanc fluxionem *caput* excitat, nimirum cùm cavũ exiſtat & ſuperiore parte locatum. Cum enim ab alvo concalefactum fuerit, tenuisſimam pituitam ê corpore ad ſe trahit, quam in ſe coacervatam, rurſus confertam & craſſam, velut dictum eſt, reddit, partimque in ſuperiorem ventrem partim verò in inferiorem defluit. Ac *idem Hippocrates* lib. de *morboſacro* & hoc adjicit: Atque hoc modo afficiuntur, cum pulmonem & cor defluxio petierit. Quod ſi ad ventrem feratur, alvi profluvia corripiunt. Sin verò his viis excludatur, ſed ad commemoratas venas defluxionem fecerit, tum voce deficitur, tum ſuffocatur, ſpumaque ore effluit & dentes inter ſe cohærent, manus contrahuntur & oculi pervertuntur ac nihil intelligunt. *Æ-*

tius Tetralib:3. Serm.1. aliam *periculi* rationem exponit: Gravis mixtura est, quum aut in ventrem calidum defluxerunt ex capite frigidi ac pituitosi humores aut in frigidum calidi. Intractabilior est autem ea, in quâ in calidum ventrem pituitosi ac frigidi humores deferuntur. Pessima verò, ubi cum his etiam venter supprimitur. Quùm verò pituitosus humor à capite in frigidum naturâ ventrem defluxerit, hujus affectionis medela facilis est, ut infra dicetur. *Hæc Autor.* Unde *Nicol. Nic. Florent*: Et sit stomachus creatus seu factus calidus, Quare non tolerat stomachus ea, quæ illum mundificant catarrhum. Quemadmodum cum ille catarrhus sit frigidus, mundificantia ipsum debent esse calida. Est autem ista dispositio de nocumentis malis propter contrarietatem, quę accidit in curatione ejus. Quare ponitur de numero morborum non sanativorum, id est, qui difficulter sanantur, quos tetigit Avicenna. 2. prim. can: de complendis dispositionibus: quæcunque enim sunt duo membra sibi invicem contraria in complexione & ægrotant sic, quòd uni non potest subveniri, nisi mediante altero, tunc non potest cura ejus fieri sine nocumento, quia quod uni ipsorum membrorum proderit, alteri nocebit & è converso. Et Avicenna quidē per hanc dispositionem intelligi dedit & oppositam, quam tetigit Galenus l. 6. de regimine sanit: Et est, ut sit creatum caput calidum reumatizans ad stomachum, qui creatus est frigidus catarrhos calidos. Ista tamen dispositio non est æque calida, sicut ejus opposita. Dixit enim Galenus in eodem 6 stomachi calidi: nam ad quos frigida reumata descendunt, longè pejus se habent quàm stomachi frigidi: nam ad quos calida veniunt rheumata. Non quod major sit ægritudo una, quàm alia. Fortaßè pares sunt, ut supra potuit de malâ complexione calidi stomachi & frigidâ. Sed quod difficilius & cum majori impedimento fit cura primorum. Ad hæc dixit Rabi: superfluitates frigidæ, cum à capite defluunt ad stomachum frigidum, hujus difficilis est cura. Cum tamen humores frigidi & phlegmatici defluunt ad stomachum calidum, hujus cura difficilis est potius. Et subdit: cum venter est durus & in eo est vomitus difficultas, hujus multò magis difficilis est cura.

Hisce

Hisce forsitan ducti & è recentioribus multò plures hunc *Stomachicum Catarrhum* & curatu difficilem & plenum periculi judicant, quemadmodum *Zoroaster Tinellus* Consult.24. *Crato* & *Peucer9 c.de Diarrh. Si à capite*, inquit J.B.Cortesius, *& sine febre fuerit, non est lethalis.* Verùm nec *fluxuosa* febris est mortifera, cujus autor *libr. finit. Medic.* meminit: ῥοώδης πυρετὸς ὁ μετὰ ῥύσεως κοιλίας. Cæterùm superiores autores omnes *Cerebralem Diarrhoeam existimant diuturnam esse.* Primùm *Hippocrates Stomachicum Catarrhum* pronunciat esse minùs periculosum quàm *pectoralem.* Quin hunc *stomachicum Catarrhum* multis locis teste *Perla* retur usui interdum esse, alvo magis morosâ. Illam quippe pituita *Cerebri* liquare poterit. Quod commodi & *auster* afferre perhibetur. Dein idem *Hippocrates* eodem *libro primo de morbis* eundem hunc *stomachicum Catarrhum* tradit non solùm esse valdè gravem, sed etiam mortiferum. Præterea libro de *sacro morbo* adjicit, si humor *cerebro* contineatur, mittaturque in venas, inde ipsam nasci *Apoplexiam* & *Epilepsiam.* Hisce *Hippocrates* illum omnium gravissimum *Catarrhum* prodit, cujus natura protinus exponetur. Cæterùm superiorem sententiam *Ætius*, *Avicenna*, *Haly* latentur sequuntur. Ajunt quoque *Dysenteriam* aliquando subsequi. Unde recentiores eandem enarrant, ut *Hieronymus Mercurialis.* Ac ante hunc *Bertrucius* qui & *Hecticam* addit, & *solicitandum*, inquit, *est in curâ ejus fluxus, quoniam si fuerit de phlegmate dulci, defectum nutritionis & hecticam inducet. Si verò de phlegmate salso, dysenteriam pernitiosam.* Verùm his *Vincentius Alsarius à Cruce* minimè adstipulatur, qui *Stomachicum Catarrhum* semper sine *Diarrhoeâ* esse arbitratur. Hic absque dubio negat, tàm salsam pituitam Cerebri existere ac etiam decurrere, ut tandem in Stomachum lapsa, faciat *Dysenteriam.* Talis enim humor & Cerebrum sauciare, exedere *infundibulum*, ac tunicam *gulæ* omnesque partium illarum oras eviscerare possit. Si verò hæc & alia ejusmodi mente fingere licitũ est, varia quoq; pericula nunc graviora, nunc leviora excogitari poterũt. Huic rei operã impendit *Ætius*, itemq; *Rabi*, quos *Nicol. Nico.* interpretatur. Hisce autoribus, certè humor vel frigidus & mitis vel calidus & acer de Cerebro itidem vel calido vel frigido in sto-

ſtomachum ſimili vel diſſimili intemperie præditum aut ægrum fluere poſſe videtur. Verùm cùm *hic ſtomachicus Catarrhus* inſuper non ſemper *Diarrhœam*, ſed ſæpè etiam vomitiones faciat ac contrahat alvum, ejus *durities* erit *Cerebralis*, iſte quoque *vomitus* erit *Cerebralis*. Verum cum certum compertumque ſit, nec Cerebrum pituitâ ſtillare, nec talem in ſtomachum manare, illa præſagia omnia prorſus commentitia ſunt. Quare haud mirum, ea eſſe inter ſeſe contraria & difficilia ad explicandum. Sublato *Catarrho ſtomachico* tolluntur quoque illa ſymptomata, *Diarrhoea Cerebralis, alvi durities Cerebralis, Cerebrales Vomitiones, Cerebralis Lienteria, Dyſenteria Cerebralis, Cerebralis Atrophia* ſeu *Hectica*, ut nominat *Bertrucius*. Nec *Branchus* unquam erit *Cerebralis*, quem multi *Stomachico Catarrho* jungi opinantur. Fruſtrà eſt *Cordæus*, qui *Stomachicum Catarrhum* contendit eſſe *frequentiorem, quàm Laryngis ſeu pulmonis Catarrhum, ideò, quod gula pateat, Larynx autem operculò claudatur.* Nunc *Caſpar Peucerus* quoque ineptus vates eſt, *frequentes*, inquiens, *ſunt hæ diarrhoeæ in noſtris corporibus propter intemperantiam, Catarrhis ſeſe in ventriculum & inteſtina infundentibus.* Contrà *Sennertus Foreſtum* maximè ſecutus, hanc *Diarrhoeam Cerebralem* ſuprà ajebat *abſtinentiâ* ut illius verbis utar, *magis excitari.* Res inanes malè cohærent ſemper, uſque corruant. Supra *Bertrucius* meminit *Hecticæ*, imitatur *Janum Damaſcenum*. Et ſi, *inquit hic*, hæc ægritudo generat ægritudinem phthiſis, pervenit cum eis ad mortem. *Ioh. Bapt. Montanus:* ubi catarrhi per canales ad ventriculum vel per aſperam arteriam deſcendunt, *phthiſis* imminet.

INDICATIONES.

Quid hîc facto opus ſit, indicat *l. de locis in homine Hippocrates. Morbos*, inquit ille, *à principio ſedare oportet & ſi quidem à fluxionibus fiunt, primum fluxiones ſedare, deinde quod influxit. ſi quidem multũ fecerit educere, ſin modicum, per diætam moderare & comprimere.* Hoc præceptum *Galenus l. 6. de ſanit. tuend. c. 9.* ad curationem *Catarrhi Stomachici* & inde ortæ, ut credit, *Diarrhoeæ Cerebralis* accommodat, cùm ſatius, *inquiens*, eſſet, ipſum malum,

ceu

ceu fontem tollere, caput ipſum firmando: aut ſi hoc præ magnitudine naturalis intemperantiæ non liceret, ſaltem illi proſpicere, ab ipsâ ſcil. vitii ſpecie, providentiæ indicatione ſemper acceptâ. Ac maxime 7. *Meth. Med. c.12.* fingatur in ventriculum defluere ex Cerebro ſuperfluum quendam humorem frigidum atque ejus occaſione intemperiem quandam in ventriculo contractam ita eſſe: adhuc verò etiam magis, malum jam ſuccum per totum ejus corporis media omnia ſimilarium particularium ſpatia occupâſſe. In ejuſmodi complicatis dignotione major eſt intemperies, propterea videlicet, quod & ipſa intemperies: propriæ verò eſſentiæ ratione quodcunque utique tale fuerit, circa propoſitum in ſermone ægrum. Ac ponantur ad præſens maximos trium defectus eſſe ſuccorum, qui in tunicis ventris continentur. Eſto, (ſi libet) ut idem quoque affectus morſus ſenſum faciat, atque ex eo ipſo animi defectum & ſudores quosdam cum Synoptica diſſolutione accerſat, ita videlicet, ut quatenus ſupra vires eſt, reliquis ſit major. Conſtat igitur primam eſſe adhibendam curam, ut ei, quod vires reſolvit, occurratur. Deinde quoniam omnium maximum propria eſſentiæ ratione hoc finximus, utique ad id primum te verteris ac primum id ſanes. Ubi id mediocriter ſe habuerit ac neque vires amplius labent neque plurimum vitioſi ſucci in ventriculo ſit, tum nimirum ad cauſam accedes, illud pro comperto habens, non poſſe ad perfectionem ullum affectum ſanari, manente adhuc ipſa, unde natus, cauſa. Ordo autem curationis, modo contraria inter ſe remedia, ſicut in phlegmone & ulcere indicat: oſtenſum namque eſt, quæ phlegmonem ſanant, ea majus reddere ulcus: modo alteri affectui nihil nocet, ſicut in propoſito nunc caſu. Qui enim educit humorem, qui in ſinu ventriculi continetur, is humorum, qui in tunicis continentur, alimentum adimit: æquè & qui *cerebrum ita ſanat, ne quam ſenſibilem redundantiam creet, is veluti fontem fluxionis in ventriculum deſtruit.* Hæc autor. Ex ſimili ratione *Ætius* l.3.c.4. *optimum eſt in his velut fontem malorum excindere, capitis videlicet ſanitati proſpiciendo: aut ſi hoc impoſſibile ſit facere, ob vehementiam naturalis intemperiei, omninò tamen ejus ſaluti conſulere oportet.* Mox idem autor *pergit* ac *hæc quoque adſpergit*: Ali-

quando verò caput evaporationes calidas ex ventre ſuſcipiens, dolore ac intemperie afficitur. Et propterea ventris curam habere oportet, ipſique robur indere, ut biliofus humor aut omninò non confluat in ipſum aut quàm celerrimè evacuetur atque hoc per abſinthii & picræ & ex aloë compoſitionis potum. At verò quæ forinſecus adhibentur ventri in his unguenta, moderatè ſint adſtringentia. Quod ſi non ſolùm caput calidos ſeroſos humores ad ventris locos demittat, ſed etiam ipſe venter propriam intemperiem calidam habeat, refrigerantibus eduliis ac potibus & illitionibus ſemper uti convenit, ita ut plus aut minus permutatio ſaltem in his fiat. Similiter autem etiam ubi ambæ partes, venter videlicet ac caput, frigidam habuerint intemperiem, calidis quidem eduliis ac potibus uti oportet. Gravis mixtura eſt, ubi in ventrem calidum frigidi humores capitis fluxerint. Peſſima ubi cum his etiam venter ſupprimitur. Corrumpuntur humores in ventriculo, quare calefacientibus ac attenuantibus opus habent. Hic convenit Acetum mulſum ſimplex. *Hactenus hic autor.* Hunc ex recentioribus ſequitur *Nicol. Nico. Florent.* potio aliquando reſpicit caput, aliquando ſtomachum & aliquando utrumque ſimiliter. Cumque reſpicit ſtomachum, tunc ejus rectificat complexionem calidam cum frigidis, frigidas cum calidis. Et ab eo materiam catarrhalem defluxam evacuat cum his, quæ illi conveniunt. Cum verò reſpicit caput, tunc prohibet Catarrhi generationem in ipſo & generatum reſolvit & conſumit. Quod ſi prædicta facere nequierint, tunc ipſius quærit ad alia membra viliora diverſionem. Cum autem reſpicit utrumque, tunc aliquando hoc fac æqualiter & aliquando inæqualiter, ſcilicet quod in iis lapſus fuerit æqualis vel inæqualis. Et ſcias quod alterantia ſecuriùs & cum minori læſione approximantur exterius & ſtomacho & Cerebro, quamvis Cerebro poſſint miniſtrari etiam in caputpurgiis & gargariſmis & ſimilibus. Fortaſſis medicinæ interius ſumptæ & ſi uni dictorum membrorum afferent juvamentum, alteri afferent nocumentum. Quapropter eas vitare eſt & maximè lapſibus exiſtentibus æqualibus & magnis. Ipſis verò exiſtentibus inæqualibus vel parvis, concedi poſſunt cum cautela, tamen etiam proviſione. Aliquando e-

nim

nim concedunt coactæ medicinæ per interius, quæ conferunt membro magis læso & in casu majoris periculi, semper tamen tunc minus læsum juvando & à nocumenti receptione defendendo per ea, quæ ei extrinsecus administrantur. *Paulo post:* Cerebralis diarrhœæ curatio habet tres intentiones. Quarum prima vertitur ad Cerebrum, secunda ad stomachum & tertia respicit materiam fluentem & fluxam. Ac tandem: Et in summa dixit Rhases: cura hujus est cura catarrhi, ut non currat dixit Serapio, aliquid ex capite sc. ad stomachum. Retineatur ergò, id est, prohibeatur fluere catarrhus cum eo, quod dictum est in sermone 30. in cura Catarrhi ex abscisione causarum facientium Catarrhum & rectificatione earum. *Hæc ille.* Ut *Serapio*, ita & *Janus Damascenus* loquitur: *curationes hujus ægritudinis sunt, ut non currat ex capite aliquid simile huic.*

Nunc venit ingens caterva assentientium autorum, ut sunt *Ugo Senensis*, *Joh. Matth. de Gradi*, *Galeatius de S. Sophia*, *Barthol. Montagnana*, *Alexander Benedictus*, *Victor Trincavellus*, *Ant. Guainerius*, Quid? Nonnulli ipsum *Catarrhum*, ex quo hæc pendet *Cerebralis Diarrhœa*, prius curandum ducunt, ut *Dominicus Leonus*, *Jacobus Sylvius*, *Leonhardus Fuchsius*, *Godofredus Steeghius*, *Joh. Hier. Pulverinus*, *Barth. Vicarius*, *J.B. Cortesius*, *Crato*, *I. Bapt. Montanus*, *Capivaccius*, *Platerus*, *Nic.* & *Cor. Piso*, *Rondel. Forestus*, *Fabius Pacius*, *Erastus*, *Zacutus*, *Peucerus*, *Frambesarius*, *Riverius.* Huic Diarrhœæ, *inquit Ludovicus Mercatus*, duplex curandi ratio debetur, altera, quæ caput respiciat, præcavendo, quo minus hoc excrementa generet, ut copiosè dictum est cap. de tussi per defluxum à capite: nam *omnis curandi ratio circa caput versatur.* Idque separatim exponit *M. Gatenaria*, cura, *inquiens*, istius fluxus Cerebralis est in duabus principalibus intentionibus, prima est ad membrum communicans, secunda ad membrum cui communicatur. Prima intentio completur, quatuor intentionibus particularibus supra commemoratis, prima debitum regimen catarrhi prohibitivum, secunda catarrhi digestio, tertia humorum diversio, quarta evacuatio & remotio malæ complexionis, & hæc cura sufficienter dicta est in capitulo de catarrho, & cum quibus debet compleri,

 quia

quia ſic calida frigidantur & ê contra. Secunda principalis intentio eſt ad membrum recipiens, ſcilicet ſtomachum, pro cujus cura recurrendum eſt ad capitulum de debilitate ſtomachi. Si enim illa materia catarrhalis indiget digeſtione digeratur & evacuetur, poſtea reſolvatur & mala complexio removeatur, & hoc cum fomentationibus, ſacculis, vaporationibus, unctionibus emplaſtris confectionibus & ſingulariſſima in evacuatione eſt *Hiera ſimplex Galeni*, quia non evacuat à longinquis, ſimiliter *electuarium diaphenicum, & electuarium indum*, facere etiam fomentationes cum vino, in quo decoctæ ſunt herbæ ſtomachales, ut, abſinthium, roſa, menta, ſpica, Roſmarinus, pulegium, calamenthum, gariophylli, cinnamomum, galanga, maximè quando ventoſitas complicatur & cum omnibus iſtis facere vaporationem ſeu fomentationem ſimul cum vino aromatico, vel ex pulveribus iſtorum ſimul cum aliquo oleo appropriato incorporatis facere unguentum, vel ex oleis prædictarum rerum inungere, vel ex jam dictis ſacculum facere, etiam inungimus cum oleo maſtichino, de mẽta, de abſinthio, de ſpica &c. etiam cerotum pro ſtomacho emendans vitia ſtomachi, & unguentum ſtomachale, hæc enim omnia tenentur confecta, etiam confectiones per interius aſſumptæ valent, ut diagalanga, Zingiber conditum, aromaticum roſatum, aromaticum gariophyllatum, & cœteræ confectiones, quæ ſingulares ſunt ad removendum malam complexionem frigidam ſtomachi.

Qui autores aut *Catarrhum* aut *Cerebrum* & *caput* hoc *Catarrho Stomachico* urgente & ſubſequente *Diarrhœâ* curandum ducunt, inter ſeſe non diſcordant. Hi omnes *Galenum* conſectantur. Ab hoc enim *Cerebrum* πηγὴ τῶν εἰς τὴν γαστέρα ῥευμάτων judicatur. Verùm quantus eſt hic conſenſus, tanta quoque falſitas. Omnium illorum errorum fons eſt *Cerebrum*, hoc veteres ceu infantes conſiderârunt. Illud eſt editior corporis pars. Quare ab eo morbus in capiti ſubjecta membra diffunditur. Dolente capite, alvi excrementa albida & ſpumoſa egeruntur: Ergò illa de *Cerebri* pituita ut vocant, flatuoſâ naſcuntur; atque ob id curatio ante omnia ad caput & ad Cerebrum eſt paranda. Nos ab illo concordi judicio, ac ab eâ vulgari viâ medendi penitùs abhorremus.

Quam-

Quamcunque curas *diarrhœam*, cura oblitus *capitis*. *Caput* nunquam ſit caput curationis. Non *caput* illius morbi, qui *Diarrhœa* eſt, ſed potius caudam petis, ſi *capiti* aggrederis mederi.

PURGATIO.

Suprà *M. Gatenaria* memoravit medicamenta, quibus *dejectio* petitur. Hæc quàm neceſſaria ſit, *Arabes*, ut *Avicenna* & *Haly* imprimis oſtendunt. Quos ob id *Nicol. Florentinus* laudat. Dixit Haly non oportet in hujuſmodi fluxu incluſionem facere ſcil. cum ſtipticis tàm de materia fluxa quàm fluente, ſcilicet quæ ex ſtomacho defluunt, prohibere ſtudeas & ſuperfluitatem exiccare. Ad ſuperfluitatem cerebri utere emplaſtris. Et Avicenna dixit, non oportet, ut adminiſtretur retentio catarrhi à ſtomacho cum ſtipticis & magnificetur timor. Quapropter non debent applicari ſtiptica ventri niſi prius ceſſet fluxus à capite, imò ut extrahatur illud, quod de eo aggregatur, ſuperius per vomitum & illud quod deſcendit inferius à ſtomacho per viam inteſtinorum & ſi non cum alio, ſaltem cum *clyſteribus*. Et non dixit Avicenna, ut reſtringatur illud, quod deſcendit ad ventrem cum eo quod conſtipat, quare ſedeat id eſt remaneat conſtrictum in ventre ſuo conſtipatum, imò retineatur cum eo, quod eſt ſimile illi medicamini, quo retinetur ex pectore, quo prohibetur fluere ad pectus. *Et rurſus idem autor:* Avicenna dixit in 4to tertii: *quod cum retentio ſolutionis conturbat infimum, & ejus ſolutio ſeu rediens facit acquirere tranquillitatem eſt mortale.* Et ego vidi in pluribus, in quibus etiam poſt ſeptimum diem fluxus, ſi dabantur eis conſtringentia & retinebatur fluxus, conturbabantur aggravabantur & conquerebantur de retentione illius & cum redibat fluxus aut per dimisſionem conſtringentium ſeu ſponte, ſive per dimisſionem cliſteris etiam lenitivi aleviabantur & putabant melius ſe habere. Et quotieſcunque prædicto modo procedebatur in cura ipſorum ſemper eodem modo eis ſuccedebat & mortui ſunt. Significatur enim ex hoc, quod fluxus ille eſt à materia vehementer mala, quæ ſi retinetur, lædit & conturbat naturam & interficit. *In eandem ſententiam* & alii diſſerunt, ut *Savonarola*, digeſtio, *inquit*, completur digeſtivis calefactivis leviter abſterſivis & non ſtypticis, ne materia in loco incunietur & finaliter

ter augmentum faciat in fluxu. *Fereq; similiter Joh. Matth. de Gradi.* Profluvii, *inquit Victor Trincavellus lib.5. sect.3. cap.6.* quod destillationem è capite sequitur, curationem hîc non persequimur, quia de destillatione antea à nobis actum est. Unicum monendum est, quod in his etiam *alvus*, si opus fuerit, *cienda* sit medicamentis paululum etiam adstringentibus. Observatum non est semel, in alvi fluxione ex destillatione, acceptis pilulis Cochiis appellatis atq; facta liberiori evacuatione desiisse profluvium atque ægros fuisse integrè curatos, præsertim postea roborato ventriculo.

Verùm hujus *stomachici Catarrhi* materiâ in os & hinc in *gulam* pariter ac in *guttur* delabente, non solùm *inferior venter*, sed etiam purgandus est *superior*, qui ἡ ἄνω κοιλίη dicitur. *Hippocrates libro primo de morbis* ita loquitur: καὶ τὸ μὲν τῶν ἄνω ἐς τὴν ἄνω κοιλίην μάλιστα συῤῥεῖ. Quid verò sit περὶ τὰ ἄνω, suprà â *Dureto* traditum fuit. *Cato Alvum superiorem* vocitat *stomachum*: inde hac formulâ utitur: *ventrem superiorem dejicit*, hoc est, vomit. Imitatur *Hippocratem* lib. *de internis* affecti: ventrem superiorem veratro nigro purgato, inferiorem scammonio: *& paulò post*: ventrem inferiorem per hippophaes purgato, superiorem verò per veratrum. Ac *lib. de rat: vict: in morbis acutis*: ἢν μὴ κουφίζηται ἄνω. Τὴν τε κάτω κοιλίην ἢν μὴ ὑποχωρέῃ κλυσμῷ. *Ventrem superiorem medicamento purgare oportet, ad inferiorem verò alvum nisi per infusum subducatur. Macrobius & Gellius ventrem inferiorem* quoq; vocant eum, qui ἡ κάτω κοιλίη Græcè dicitur. At ab eodem *Gellio & stomachus* nominatur *venter superior.* Tum comperi, *inquit lib.17. cap.15*, duas species hellebori esse discerniculo coloris insignes, candidi & nigri. Eos autem colores non in semine hellebori, neque in virgultis, sed in radice dignosci. Candido stomachum & ventrem superiorem vomitionibus purgari, nigro alvum, quæ inferior vocatur, dilui. *Hæc hic.* Convenienter *C. Celsus* lib.4. cap.16. *vomitus (ut Hippocrati visum est) etiam albo veratro evocatus.* Nunc & *superior venter*, qui ἡ ἄνω κοιλίη dicitur, *vomitu* interdum purgari perhibetur. Hæc autem, *inquit lib.1. de morbis Hippocrates*, Medicis inter curandum benè, feliciterque succedunt, medicamento purgante exhibito, purgatio per superiora & inferiora rectè procedat. Et si ei, qui pus in superiore ventre ex tuberculo collectum habet, id ipsum ignoran-

tes;

tes, medicamentum, quod pituitam ſurſum educat, exhibuerint, isque pus vomitione rejecerit, ſanuſque evaſerit. *Et rurſus:* Ubi ſuperior ventriculus ſuprà modum incaluerit, ad ſeſe trahit, pulmoque excipit & vomitus excitatur. ὁκόταν ἡ ἄνω κοιλίη ὑπερθερμανθῇ, ἕλκει ἐφ' ἑαυτὴν καὶ γίνεται ἔμετος. Ac *lib. de Inter: affection:* τήν τε ἄνω κοιλίην ἐμετοποιεύμενος, καθαρσιν παρεχέτω ὡς ἐν τῇσι πρόσθεν· οὕτω γὰρ ἂν ῥήϊστα τὸ φλέγμα ἀπάγοι τοῦ πνεύμονος καὶ τῶν ἀρτηριῶν. Ventrem ſuperiorem per vomitum, velut in ſuperioribus purgato. Sic enim facillimè pituitam ex pulmone & arteriis deduxerit. *Et paulo ante dixit* τὰ στήθεα πλήρεα φλέγματος. pectus plenum pituitâ. *Addit Galenus lib.6.de locis aff: cap.4.* Cum urinâ expurgantur gibbæ hepatis partes atque omnes, quotquot ſunt his ſuperiores, per alvum verò pars jocinoris reſima, inteſtina, ventriculus, lien. Præter has aliæ quædã fiunt purgationes, ſed rarò, ut cum thorax & pulmo per alvum purgatur. οἷον διὰ γαστρὸς ἐκκαθαρθέντων τῶν κατὰ θώρακα καὶ πνεύμονα. C. *Celſus lib.3.cap.8.* quoque *vomitu* ait *pectus* purgari. Deſiderat etiam propriam animadverſionẽ in febribus peſtilentiæ caſus. In hanc maximè utile eſt, aut fame aut medicamentis uti aut ducere alvũ. Si vires ſinunt, ſanguinem mittere optimum eſt. Si id *parum tutum eſt, vomitu pectus purgare.* Ac rurſus *Hippocrates libro de ratione victus in morbis acutis:* ac ſi quidem in thorace ſupra ſeptum tranſverſum affectus fuerit, eum ut plurimum deſidere oportet. At ſi inferiore alvo ſub ſepto tranſverſo dolores teneant, jacere conducit. Ac 4. *Aph:* 18. *Supra ſeptum tranſverſum dolores, quicunque egent purgatione, per ſuperna purgandum eſſe ſignificant, qui verò infra ſunt, per inferna.* Id quoque *Antonius Muſa Braſſavolus ita* interpretatur tota Aphoriſmi ratio, quia tranſitus facilior videtur, ſi humores per illas vias ducamus, quæ ſunt illis propriæ & magis directæ. At ſi rem ipſam oculate perpendamus, quum humores in thoracis cavitate continentur, per medicamentum vomitorium purgari non poſſunt aut difficillimè fit, ſed per illa ſolum, quæ ſputum ciunt, educi debent. Si etiam materia in capite ſit, per vomitum illam purgare, difficillimum eſt. Propterea nos rariſſimè, etiam in partium ſuperiorum doloribus medicamento vomitum ciente utimur. Unde in Pleuritide & Peripneu-

ripneumonia, quando opus eſt, exolventia medicamenta & non illa, quæ vomitum cient, propinamùs. Aphoriſmus autem in illis materiebus verisſimus eſt, quæ ſunt in partibus ſuperioribus & per vomitum facilè exire poſſunt. Et ideò Hippocrates in dolore laterum, quando pertingit ad claviculam, venæ ſectionem in interna cubiti vena fieri jubet & non præcipit vomitum.

Nunc *Agaricum* ajunt præterquàm *ſtomachum* etiam *pectus* ſalubriter expurgare, ut ex recentioribus *Johannes Coſtæus libro tertio de lacte, capite de morbo ſuffocatorio*, hic, inquit, ut curetur, pharmacum, ſerumque & lac aſinæ bibere ait oportere. Quale pharmacum, ſurſumne an deorſum purgans, obſcurum videtur. Sed cum thoracis anguſtia, non licet, ut per ſuperiora purges. Serum verò & lac dandi huic mos eſt à medicamento, ſeorſum ad detergendas excrementorum, quæ ſuperſtites ſint, reliquias. Hic verò lac quidem aſininum ad thoracem leniendum magis utile ſit, quam ſerum: hoc verò deterget magis: ita utrum deterſione an lenitione thoracis, magis ſit opus. Quod ſubdit, ſi ſerum æger potet, ad plurimos dies præbendum, intelligi ſi aptus æger ſit, ut ſine moleſtia ſerum ſumat. Purgans autem medicamentum, quod dat per plures dies, minimè validum eſſe oportet, ſed tale tamen, quod inſidentes ventri inutiles ſuccos detrahat, detergendo potius quàm violentius trahendo. Noſtrâ ætate aliqui in conſimili affectu *agarici infuſum* per plures dies exhibent. *Hæc ille.* Apud *Meſuem* hoc ſcriptum offendimus. *Agaricus mundificat pulmonem & pectus ab humoribus viſcoſis & putridis.* Sequitur *Dioſcoridem*: ὀβολῶν δὲ δυοῖν πλῆθος διδόμενον μετ' οἰνομέλιτος ἀπυρέτοις, ἡπατικοῖς δὲ καὶ ἀσθματικοῖς: datur binis obulis ex vino mulſo febrim nòn habentibus, hepaticis, ſuſpirioſis. Tandem ſubnectit: καθαίρει δὲ καὶ κοιλίαν. Inde & *Galenus*: Hac ratione & digerendi vim habet & crasſitudinem incidendi, tum infarctus viſcerum expurgandi. ταῦτ' ἄρα διαφορητικήν τε καὶ θερμαντικὴν τὴν δύναμιν ἔχει καὶ πάχους τμητικὴν καὶ διακαθαίρει τὰς ἐν τοῖς σπλάγχνοις ἐμφάξεις. Omnium novisſimè addit: ἔστι δὲ καὶ καθαρτικόν. Sed priuſquam plura de *Agarico* dicamus, vocem *purgationis* expedit explicare. Ἀψίνθιον, inquit *Dioſcorides*, δύναμιν δὲ ἔχει θερμαντικήν, στυπτικήν, πεπτικήν, καὶ ἀποκαθαρτικὴν

κὴν τῶν ἐνηρεικότων στομάχῳ καὶ κοιλίᾳ χολωδῶν: vim porrò habet calfaciendi, aſtringendi, concoctiones adjuvandi, *bilioſaq́; detrabendi*, quæ ſtomacho & alvo inhæſerunt. *Galenus* aliquantò *clarius*: Ἀψίνθιον συπτικὴν καὶ πικρὰν καὶ δριμεῖαν ἅμα ποιότητα κέκτηται, θερμαῖον τε ἅμα καὶ ῥύπτον καὶ τονοῦν καὶ ξηραῖνον. διὰ τοῦτο καὶ τοὺς ἐν τῇ κοιλίᾳ χολώδεις χυμοὺς ἐπί τε τὴν κάτω διαχώρησιν ἀπάγει, καὶ δι' οὔρων ἐκκενοῖ, μᾶλλον δ' ἐν ταῖς φλεψὶ χολῶδεν ἐκκαθαίρει δι' οὔρων. Διὰ ταῦτα καὶ φλέγματα ἐν τῇ κοιλίᾳ περιεχόμενα, προσφερόμενον οὐδὲν ὀνίνησιν· οὕτω δὲ καὶ εἰ κατὰ θώρακα, καὶ πνεύμονα τύχοι. ἡ γὰρ συπτικὴ δύναμις ἐν αὐτῷ, τῆς πικρᾶς ἐστὶν ἰσχυρότερα: abſynthium adſtrictoriam & amaram & acrem ſimul qualitates poſſidet: excalfaciens pariter & extergens & roborans & deſiccans. Proinde *bilioſos ventris humores* per egeſtionem infernam propellit & per urinas evacuat. Magis autem quod in venis eſt bilioſum, per urinas expurgat. Ob hæc contentam in ventre pituitam nihil adjuvat ſumptum: ſic ſanè ſi in thorace aut pulmone contineatur: nam adſtringens in eo facultas, quàm amara valentior eſt. *Hæc hic. Marcellus*: Abſinthium per urinam & per ventrem cruditatem omnem deducit, ſi quis magis alvum citare voluerit, plus ſalis admiſce. Hyſopum ventri movendo vehementius eſt, quàm abſinthium, prodeſt his, quibus in pectore liquores glutinoſi ſubſiſtunt, & qui & ſpirandi difficultatem & ſtridorem ſtomachi faciunt. *Mox* abſinthium purgantibus confundit ac *confectionem abſinthiati cathartici* deſcribit. Porrò *idem Galenus libro Septimo de Simplic. Medic. facul.* de *betonicæ* viribus ita loquitur: Ceſtrum ceu Betonica pulmonem, pectus & jecur expurgat & abſtergit: Καὶ πνεύμονα καὶ θώρακα καὶ ἧπαρ καθαίρει τε καὶ διαρρύπτει. Veluti *Dioſcorides* antea: δίδοται καὶ αἱμοπτυϊκοῖς, φθισικοῖς, ἐμπυϊκοῖς ῥίζαι φλεγματώδη προσκαλοῦσιν ἔμετον. Ἔστι δὲ οὐρητικὴ, κοιλίας τε ὑποβιβαστική. ποθεῖσαι καθαίρουσι: Datur hemopticis, Phthiſicis empyicis. Radices pituitoſam vomitionem evocant. Eſt Diuretica & movet alvum. Bibita purgat alvum. Unde & *Antonius Muſa*: Ad tuſſim: herbæ betonicæ uncias duas ex melle accipiat per dies novem. Ad alvum concitandam: Veronicæ drachmas quatuor, hydromelitos cyathos ad bibendum dato, ventrem præſentaneum movet.

Καθαρτικὰ ſunt aliquando ῥυπτικὰ, qualia *autore Galeno libro octavo Meth. Medend. cap.14.* ſunt *calamintha* & *hyſſopus* & *origanum* & *ſerpillum* & *iris* & *apium*. Τὴν ὕλην ῥυπτικῶν & alio loco perſequitur *Galenus*. Quare hoc Καθάρσεως verbum *Foeſius* interpretari neceſſe habuit. Καθάρσεις ſunt medicamentorum purgationes per alvum. Dicuntur & καθάρσιες ὔρων urinarum evacuationes. Κάθαρσις quoque pro thoracis expurgatione & eorum quæ ſunt in pulmone per ſputa eductione & evacuatione. *Hæc ille.* Nunc & *Ptarmicum Hippocrates libro de locis* in homine etiam vocat πρὸς τὰς ῥῖνας καθαρτήριον. Quapropter *ſat plenè, ſat quoque planè* ipſe *Galenus libro quarto de ſimplic. Medicamentorum facultatibus cap.20.* Primùm facultatem purgatoriam omnes in ore habent: non tamen omnes perinde intelligunt, quòd vocabulum duo ſignificat, alterum commune omnium, quæ quovis modo animalis excrementa expurgant, alterum verò quod per excellentiam de iis tantummodo dicitur, quæ aut per vomitum aut ventris dejectionem purgent; neque quod ejuſdem eſt generis, tùm ea, quæ *fit per nares*, tùm ea, quæ *per os fit purgatio*. Vocant autem ea medicamenta, quæ naribus gratia purgandi capitis infunduntur *Errhina*, reliqua *apophlegmatizonta*. Ejuſdem cum iſtis ſunt generis, quæ vulvæ admota expurgant. Quæcunque ſiquidem purgare memoravi, ea trahendi vim poſſident, alia unum quempiam ſuccum, alia duos, aut etiam plures, & id illis inter ſeſe commune. Nam quæ craſſis, lentisque humoribus extenuandis aut urinam ciere poſſunt, aut *ex pectore*, pulmoneque ejiciendis excreationibus auxiliari, *purgant ſanè & ea quidem quodammodo*, verùm antedictis non ſimiliter nuncupantur, ſed alia vocantur *Uretica*, alia *bechica*, alia menſes moventia, hac re à ſuperioribus diverſa, quod non habeant vim familiarium ſuccorum attractricem, ut illa.

Nunc βηχικὰ ſunt etiam aliquo modo καθαρτικά. Quâ ratione *C.Plinius* lib.26. cap.6. ſic loquitur: Radix cacaliæ commanducata & in vino madefacta, non tuſſi tantùm, ſed & faucibus prodeſt. Hyſſopi quoque quinque rami cum duobus rutæ & ficis tribus decoctis *thoracem purgat*. Hyſſopi faſciculus cum quadrante mellis decoquitur ad tuſſim. Ac *libro 27. cap. 7.* Abſinthium facilè

thora-

thoracem purgat cum iride ſumptum. *Et ante ſic :* antiqui *purgationis* causâ dabant,cum marinæ aquæ veteris ſextario,ſeminis ſex drachmis,cum tribus ſalis & mellis cyatho. *Efficaciùs purgat duplicato ſale. Hæc Plinius.* Itaque ſcire convenit, quod *pectus* & hoc pacto *purgari* dicatur. *Quare A. Muſæ Braſſavolo aſſenſum commodat Rodericus à Fonſeca*, Pleuritis, *inquiens*, & pulmonia ſolent expurgari per ſputum, atque talis eſt in his morbis legitima evacuatio, quia fit peccantis materiæ & per loca conferentia : at per alvum tales morbi non ſolent finiri,cùm difficile ſit,invenire, quâ viâ ex pectore materia ad alvum fluat, ideò fit, ut ratò admodùm tales morbi per judicentur, quod cum contingit, id non jam inveterato malo & debilitato ægro, ſed potius robuſto exiſtente & poſt concoctionem accidere ſolet, tranſmiſſa ſcilicet materia vel per cor ad hepar vel alia quapiam occultâ viâ per communem conſenſum & tranſpirationem, hinc fit, ut medicamentum purgans in pulmonia vel pleuritide ſit parvi admodùm momenti. *Hæc ille.* Nimirùm *valentioribus* erit locus. Ac *Hippocrates* l. de Int. Aff. eos, qui *Cerebrali phthiſi* ſeu *Catarrhali* tenentur,*peplio*,*grano Cnidio*,*tithymalide* & *helleboro* purgari præcipit. Quem *Paulus Ægineta*,*Avicenna* & *Serapio ſequuntur.* Unde eos omnes *Johannes Guintherus Andernacus ita interpretatur.* Valentia ibi commemorat purgantia, purgationemque fortisſimam, ea ſcilicet ratione, quod multas numero partes pertranſire oporteat, antequam ad pulmonem perveniat, nempe os, gulam, ſtomachum,ventriculum, tenuia inteſtina, venas meſaraicas in ſima parte jecinoris, item eas, quæ in gibbo habentur, hinc venam cavam,poſtremo pulmonem. Et hanc eſſe rationem duco,cur Avicenna in aſthmate pro extrahenda ex his profundis cavitatibus materia,utitur validis purgantibus,ut elaterio,colocynthide,elleboro & ſimilibus, quia ut Coſtæus Avicennæ ſententiæ rationem exponit, humorem in pulmone redundantem educi non poſſe, niſi *validisſimis purgantibus* aut longo poſt tempore, quia viarum diſtantiâ medicamenti vis ferè in totum enervatur. *Hæc hic.* Nec reliqui vetuſtiores autores ut *Diocles* & *Praxagoras* apud *Cœlium Aurelianum*,item *Alexander*,*Trallianus* ac *Ætius*,à talibus purgantibus Medicinis abhorrent. Quod ſi *Hippocrates* (*4. Aphor: 18*

Hhh 2 *& 6.*

& 6.Aphor: 17) ac ejus aſſeclæ ob *capitis aurium* & *oculorum* ægritudinem alvum cieri jubent, quid eſt, cur eâ de re hîc dubitandum ducamus. Quid, quod *Galenus* non ſolùm *ſupra libro 6.de locis affectis cap.4.* ait pectus, *alvo citatiore purgari*, ſed etiam lib.1. & 3.Epid: *pectoris vomicam* eâdem viâ ſublatam fuiſſe. Idque ex antiquis *Aretæus*, ex recentioribus *Alexander Benedictus*, *Amatus Luſitanus*, & *Franciſcus Valleriola* experimentis & aſſenſionibus magis magisque firmant.

Nunc ad rei cardinem venitur. *Hippocrates* ipſe *libro de locis in homine* eum, qui vexatur *Catarrho ſtomachico*, *purgante* medicinâ curat. Ipſa *verba accipe*: Ubi per gulam in ventrem fluxio decubuerit, infra accumulatio, interdumque ſuprà ſit. Huic quidem ſi dolor in ventre adfuerit, is primùm medicamento aut ſucco ſubducendus, deinde medicamento valentiore utendum, cibis verò alvum ſubducentibus, quam diu dolor detinuerit. At ubi dolor ſedatus fuerit, cibis roborantibus utendum. Ad eundem verò modum etiam ubi per multos dies accumulatio detinuerit, curato. Quod ſi imbecillus fuerit & præ imbecillitate iſta offerri nequeant, primùm quidem ptiſanæ ſucco *alvus per infuſum eluenda*, deinde ubi per hunc purgaris, aſtringente aliquo utendum. *Et paulo poſt:* in morbis debilibus medicamenta natura valentia minime ſunt exhibenda, neque imbecillitas medicamenti paucitate metienda eſt. Sed in valentibus natura, valentibus medicamentis utendum, debilibus verò non valentia medicamenta danda. *Hactenus Hippocrates.* Ex his intelligitur, *Hippocratem leniora purgantia* ſvadere. Primùm is operam dat, ut alvus cibis mollioribus liquetur. Dein ſi ea permanet contractior, adhibet medicamēta, quæ cibis illis ſunt valētiora.

Galenus quoque *libro ſeptimo Meth: Med: capite undecimo*, infeſtante *hac Diarrhœa Cerebrali*, ut vocatur, collaudat *Aloem*: non paucis catarrhi & coryzæ converſæ certo tempore in ventriculi loca ſunt. Sæpe humor in ventriculi tunicis eſt receptus. Sunt ad ejuſmodi affectus idonea pharmaca genere quidem ea, quæ modice purgant ſic, ut eorum vis ſuper ventriculi & inteſtinorum loca non adſcendat, aut ſi quid ultrà, vaſa tantùm in meſenterio contingant. Speciatim verò, quæ ex *aloe* componuntur, ſunt aptiſſima.

Etiam

Etiam, si illa præstò non sint, *aloe ipsa per se.* Hæc itaque elota valentius vacuat, elota quidem purgat minus, sed roborat ventriculum magis, expedit igitur paratam habere, quam omnes Medici *picram*, id est, amaram vocant: atque hanc dupliciter confectam, utique ex *aloe lota* & *non elota.* Admiscentur autem huic cinamomum & Xylobalsamum & asarum & spica nardi & crocus & mastiche. Utendum verò hoc tempore & ptisanæ cremore est, qui primus à balneo sumetur. Nam medicamen ipsum solito purgantium medicamentorum tempore dabitur. Verùm quibus lenta pituita ventriculo est infixa, iis prius exhibenda sunt, quæcunque hanc dissecent, post deinde purgandum.

Plures ê recentioribus câdem *Diarrhœa Cerebrali* urgente tradunt maximè valere *Agaricum*, cùm hic & *pectus* & *stomachum* purgare dicatur. Quod hîc fieri oportet, nam si humor *Cerebri* per *gulam* in *stomachum* fertur, minor ejus portio etiam in *pulmones, pectusq́ʒ fluit.* *Agaricoq́ʒ* etiam non inefficaciter *hysopum* adjici volunt, quam herbam *Marcellus* suprà dicebat, *pectori* æquè amicam esse ac *stomacho.* Verùm sunt multi ê genere illorum, qui *Agaricum* in curatione *Diarrhœæ* reprobant, ut quoque *Franciscus Feynens*, *Diarrhœam illam Cerebralem* curans. Contra quos verò *Donatus Antonius ab Altomari disputat ad hunc modum :* nostris temporibus cane pejus & angve Medici quidam thessalici pro curatione alvi profluvii agaricum vitent, quadam Joannis Mesuis autoritate (ab eisdem pravè intellecta) freti, quod videlicet læsionem aliquã imbecillis visceribꝰ imprimat, ea debilitans, ut proptereà indigeat permixtione abstergentium cum ipso, velut ipse inquit. Verùm cum agaricum primo gustu dulce sit, sed paulò post subamarum ac acrimoniæ quandam speciem temporis spatio inducens, leviculæque adstrictionis sit particeps & propterea digerendi vim habeat, incidendi ac expurgandi infarctus viscerum ex Gal. autoritate sexto de simpl. Med. fac. c. de Agar. Adhæc cùm omnibus in universum interioribus vitiis accommodatum sit, ut liquet apud Dioscoridem c.1.l.4. Miror Joannem Mesuem talia proferentem & à quo sapiente (ut ipse inquit) ea transcripserit. Ac si & illud quoque admittatur, per eundem net liquet permixtione abstergen-

tium cum ipſo id vitari, quod ſcilicet læſionem non imprimat in viſceribus, ea debilitans. Ipſe verò cùm ſæpius eo uſus fuerim & in decocto & in ſubſtantiâ, uti uſus expoſtulavit, ingentem ſemper utilitatem ex eo provenire conſpexi, nullumque incommodum ægris ex ejus aſſumptione exortum fuit, nedum pro curatione alvi profluvii, verùm etiam dyſenteriæ propriè dictæ ac hepaticæ, veluti nuper in Ferdinando de Capua primogenito filio Illuſtris Ducis Termularum expertus ſum. *Hactenus autor.* Atque ad curandam ipſam hanc *Cerebralem Diarrhœam agarico* etiam utitur *Nicolaus Abrahamus Frambeſarius*, itemque *Bellocatus* apud *Tricavellum*, materiam, inquiens, *purgarem per Cochias aut agaricum, quæ & ventriculum & caput expurgare poſſunt.* Atque *Johannes Baptiſta Montanus*, ita ſentit: Hìs factis totum corpus evacuare poteritis cum *agarico* & cum trochiſcis alhandal. Doſis *Agarici* eſt à ʒj. ad ʒij. trochiſc. verò â gr. viij. utque ad xv. grana: ideò poteritis *agarici* præparati accipere drachmas duas, trochiſcorum Alchandal. gr. xv. Similiter omnes *hieræ* compoſitæ & magnæ convenientes ſunt. Dimittetis autem omnes medicinas, in quibus eſt *turbith.* ideò *Diaphinicon* fugietis & ſolummodò in doloribus colicis utemini frigido exiſtente corpore, non quod ſperem bonum aliquid, ſed ex caliditate ejus ſperarem materiam frigidam poſſe concoqui. Et licet dicat Meſue, eam eſſe medicinam ſecuritatis, verum eſt de ea, quam ipſe compoſuit, ſed quia nos non habemus turbith verum igitur fugiendum. Præterea confectio Hamech, pilulæ cochiæ, pil. fætidæ, pilulæ aggregativæ optimæ ſunt. *Hæc ille.* Aſt Johan. Riolanus & *agarico* & *turbith* utitur: Si à Cerebro, purgetur corpus *agarico* vel *turbith:* quæ bullierint in decocto cephalico ut betonicæ, ſalviæ, addendo Syrupi de Stoechade ℥ß. Cæteroqui *Diaphœnicon* ſuprà commodum exiſtimavit *M. Gatenaria*; ſingulariſſima eſt Hiera ſimplex, quia non evacuat *è longinquis*, ſimiliter electuarium *Diaphœnicum* & Electuarium Indum. Ac *Franciſcus Feyneus*, ſi deſtillatio, *inquiens*, in ventriculum præcipitat, aptisſima, quæ profluentem pituitam ſervato adſtrictionis veſtigio detrahunt. Itaque tùm neque agarico trochiſcatato neque ullis vehementer incidentibus aut colliquantibus utendum, ſed hiera, agari-

co

co cum mastiche, item myrabolanis chebulis, aut si plenius purgandum *Diaphænico.* Sic ferè & *Nicolaus Abrahamus Frambesarius.*

Rhabarbarum hîc erit propè propria medicina. *Hercules Saxonia* quidem hoc affert: Admiscetur Rhabarbarum immaturum, quamvis Arabes velint accipi torrefactum. Augerius Forrerius l. 2. Castig. Medic. 2. improbat hujusmodi tostionem: nam dicit, si torrefiat, imperfectè, magis subducit alvum, si perfectè torrefiat, fit inutile & terrestre. Dosis immaturi erit ʒß. vel ʒj.

Nunc autores & *Cerebrum* illis ventrifluis pharmacis mundari posse censent, ut *Peter Forestus*: Imprimis has pilulas vel his similes pro minorativo medicamento (ut vocant) dedi: ℞. pil. de hier. s. agaric. troch. cortic. myrobal. chebul. a. ℈j. cum Syrupo è stœchade. fiant pilulæ quinque. Materiam hoc modò vel simili præparavimus deinceps. ℞. cortic. thuris mastich. folior. & nuc. cupress. a. ʒj. bulliant in ℔j. aq. chalybeatæ ad consumptionem tertiæ partis. Hujus Colaturæ pro unâ dosi capiebam ℥iij. addendo Syr. è stœchade ℥j. mellis rosacei col. ℥ß. M. ter fuit exhibitum. Deinde rursus adhuc semel *Cerebrum purgavi*: ℞. pil. cochiar. pil. de hier. compos. Nic. cortic. myrobal. chebul. a. ℈j. cum Syr. è stœchade F. Pil. quinque. Valent in principio, ubi materia est multa.

Nonnulli ad *adstringentia* remedia præproperè pervenerunt. Quâ ex scholâ *Iohan. Riolanus* emplastrum ut vocant, *stipticum* ventri statim adhibet. Quos omnes coarguit *Nicol. Florent.* Inter plurimos igitur de medicinis purgantibus convenit. Ac superiorem quoque ventrem, qui *pectus* seu *thorax* dicitur, non per ῥυπτικὰ, sed per ipsa καθαρτικὰ emundari volunt. Quemadmodum *hyssopus, absinthium*, & similes herbæ ad ῥυπτικὰ, ita ad καθαρτικὰ maximè spectat *Agaricus*, quo & *ventrem superiorem*, non *stomachum*, sed ipsũ *thoracem* quasi privatim expurgari credunt. Ipse autem *Hippocrates* hîc non *peplio*, non *grano Cnidio*, non *tithymalyde*, non *helleboro* utitur, sed minùs valentibus purgantibus. Nam iis probè intelligit, fluentem alvum facilè ita cieri posse, ut non leve inde nascatur periculum

riculum. *In morbis*, inquit l.1.de morbis ipse, *& vulneribus, ubi mala malis ex causis necessariis succedunt, cùm ista contingunt, in medicum culpam conferunt. Quod si prosit, id tamen non perinde laudant, cum id ei contingere oportere existimant.* Nonnunquam verò valentiora remedia purgantia quidem profuerunt. Verùm ab istiusmodi & *Galenus* abhorret, *Aloën* prædicans. Juniores *Agarico* maximè utuntur, cùm eo non solùm stomachum ceu totum ventrem inferiorem & superiorem, qui est *thorax*, sed *caput* ipsum ac *Cerebrum* exinaniri opinentur. Verba *Bellocati* accipe: *pil.cochiæ & agaricus & ventriculum & caput expurgare possunt. Forestus* de purgantibus loquens, *rursus*, inquit, *adhuc semel Cerebrum purgavi. Feyneus: diaphænico pituitam ê Cerebro & ventriculo expurgavi.* Frambesarius: *præscribuntur phlegmagoga ad pituitam ê Cerebro scaturientem repurgandam.* Verùm iidem ê junioribus, sibi tamen debilia purgantia offerre videntur. *M. Gatinariæ* verba recognoscamus: *singularissima in evacuatione est Hiera s. Galeni, quia non evacuat â longinquis.* Ac *Felix Platerus* ita: *defluxionis ratione fortioribus Catharticis propter fluxum alioquin immodicum, eam expurgare non consultum erit.* Nunc verò quâ ratione illa leniora *Cathartica*, quæ ut loquuntur, *non evacuant â longinquis*, aut *Cerebrum* aut *pectus* expurgare queunt? Nonne illud *Andernacus*, ex parte etiam *Brassavolus* & *Fonseca* probè expendunt? Ad *Agaricum* revertor. Hic est purgans medicina mitior, quo pacto hic vel *pectus* vel *caput* illâ pituita exonerare poterit? Infestante *catarrho stomachico*, autores, ut *Mercurialis & Heurnius*, non nisi, duriore alvo, dant purgantia. Hæc igitur ut lenia erunt, ita nec *pectus* nec *caput* tangent. Prætereà autores ea purgantia hîc probant, quibus quædam inest *adstrictio.* Et hoc est, quod *Feyneus* hisce verbis utatur: si destillatio in ventriculum præcipitat, aptissima sunt, quæ profluentem pituitam *servato adstrictionis vestigio detrahunt.* Talia autem purgantia itidem sunt leniora, ut *Rhabarbarum*; hoc leviter tostum certè movet alvum commodè. Quapropter *Farrerius* haud audiendus est. *Myrobalani* etiam igne torrentur, sed recentes: scienter igitur *Clementius Clementinus*: rhabarbarum sit adustum cum recentibus myrobalanis adustis, qui post evacuationem stipticant

cant

cant & ſiſtunt fluxum: ſed quia in Italiam non afferuntur, niſi vetuſti, parum conferre poſſunt. *Hæc ille.* Nec *Rhabarbarum*, nec *pil. cochiæ*, ac reliquæ, ut *pil. aureæ* & *pil. Lucis*, quibus utuntur autores, ut *Gentilis Fulginatis*, *Benedictus Victorius*, *Montanus*, *Crato*, *Cordæus*, *Iac. Weckerus*, vel *pectus* vel *Cerebrum* privatim expurgabunt. Nonnulli quidem, ut *Joh. Riolanus*, in purgantia addunt *Cephalica*, &, ut vocant, *Cerebralia*, quò vis purgantium in Cerebrum tantò citiùs trahatur. Verùm humor *Cerebri* nunc calidus, & nunc frigidus in *ſtomachum*, vel frigidum vel calidum fluere poſſunt, ut ſuprà oſtenderunt autores. Quare & illa *Cephalica* haud eadem ſemper eſſe queunt. Fortè & ob has cauſas curatio *Diarrhœæ* tàm difficilis ſemper habita fuit. *Montagnanæ* dictum, *teſte Montano*, fertur: *ſi quis vult cognoſcere medicum aliquem, cognoſcat in curatione fluxionum alvi.* Superiora figmenta & alia inſuper cogitata tandem de Scholâ Medicorum tollantur. Curatio nunc erit facilior. *Nullus humor de Cerebro per Gulam fluit in ſtomachum.* Hoc effato & hi ac reliqui labores de eâdem Scholâ pelluntur. Dirigatur curatio tantummodò ad *ſtomachum*, quem vel edulia vel humores aut *veſicæ fellis* aut *Pancreatis* aut *arteriarum* ita vitiare queunt, ut *Diarrhœa* ſuboriatur. Quare purgantia ſint lenia, quæ ſtomachum & inteſtina extergant, nec ea magis provocent in fluorem. Valentiora quidem purgantia *Ophthalmias*, *Otalgias* & alios morbos Capitis tollunt. Non ea per *Cerebrum*, per *oculos*, per *aures*, pervadunt, ſed expultricem vim ita laceſſunt, ut ea ſubinde confluentes humores egerant. Rem in pauca conferamus. Si quis quâdam *Diarrhœâ* etiam illâ, quâ excluduntur fæces *ſpumoſæ* alvi, aliquantò vehementiùs arripiatur, nunquam medicus de *Cephalicis* ac de *Cerebralibus* cogitet, aut de *Pectoralibus* medicinis purgantibus.

CLYSTERES ET VOMITIONES.

Hippocrates memorat ſuprà *clyſteres*, hinc *Nicol. Florentinus*, *Zoroaſter Tinellus* & alii. Ac *Amatus Luſitanus*, *acri humore à capite ad os deſcendente & aphthas inibi gignente*, talem *clyſterem* confici jubet: Sed primis diebus clyſteres ex hordei decocto cum ovo

integro,albo ſcilicet & rubro, adjecto oleo myrtino vel roſaceo cum pauco ſaccharo immittebantur, poſt quos clyſteres conſtringentes injiciebantur, quorum exemplum eſt:

℞.	decoct.hord.excort.in quo extinctum ferrum fuit		(℥xv.
	ſevi hircini	℥jß.	
	ol.myrtin	℥ij.	
	bol. armen.		
	ſangu. Dracon.ex Inſ.Cannana	a. ʒij.	
	albuminis ovi optimè concuſſi	no. ij.	
	pilorum leporis	ʒjß.	
	M. F. Clyſter.		

Cæterùm quùm primùm hæc parabantur,univerſus noſter conatus eò dirigebatur, ut humor â capite in inteſtina deſcendere parátus,ad nares & alias ſimiles partes diverteretur, ſed ſtomacho emplaſtrum Diaphœnicum & ſub umbilico unguentum ex corticibus caſtanearum admovebatur,quibus omnibus ſanitati intra ſex dies reſtitutus fuit.

Vomitus haud inutilis putatur, ac quoque de ſententia *Hippocratis*, cujus *aphoriſmus decimus quintus ſextæ Sectionis* hic eſt: *Longo alvi profluvio laboranti,ſponte vomitus ſuperveniens,ſolvit alvi profluvium.* Hunc *Galenus* interpretatur, *vomitum* vocans *revulſorium*,ut loquuntur Medici, remedium. *C.Celſus*, de alvo citata loquens, ſi quid, *inquit*, offenſæ in cœnâ ſenſit,vomere debet, idque poſtero quoque die facere, tertio modici ponderis panem ex vino eſſe,adjectâ uva, deinceps ad conſuetudinem redire. *Avicenna* autem *Cerebralem Diarrhœam*, quæ diuturna habetur,*vomitu* propriè curari retur, Et quandoque, *inquiens*, neceſſarium eſt cauterium & non oportet, ut adminiſtretur retentio ejus â ſtomacho cum medicinis ſtypticis & magnificetur timor: imò oportet ut extrahatur illud,quod aggregatur ſuperius,per *vomitum* & illud, quod deſcendit,ex viâ inteſtinorum,& ſi non cum alio,ſaltem cum clyſteribus, & reſtringatur illud,quod de eo deſcendit ad ventrem, non cum illo,quod conſtipat: quare ſedeat materia in ventre: imò cum eo, quod eſt ſimile illi, quo retinetur ex pectore, ut diximus.

Et

Et paulò antè: oportet, ut habens eum omninò non dormiat super collum: Et quando excitatur à somno, est ei necessarium, ut utatur *vomitu*, quatenus egrediatur humor grossus effusus ad stomachum ex capite faciens fluxus. *Mox ejus interpres, Jacobus de Partibus*: Secundò dicit esse necessarium vel saltem utile, quod patiens evomat, dum surgit â somno, ut humores, qui horâ dormitionis à Cerebro in stomachum fuerunt effusi, *vomitu* expurgentur, & solutionem ventris non augeant. *Ac rursus* Avicenna: Et quandoque fluxus ventris stomachicus est catarrhus in stomacho propter illud, quod ipse comprehendit ex humoribus malis effusis ad ipsum ex corpore: quare corrumpunt cibum, quamvis sit bonæ substantiæ, & fit necessarium ei expellere ipsum *vomitu* & deponere ipsum. *Sicuti & Rhases*: vomitus post expergefactionem fiat cum aquâ calida. *Nicol. Florent.* nominatim appellat *Avicennam.* Et svadet Avicenna; quando surgit à somno, est ei necessarium, ut utatur *vomitu*, quatenus egrediatur humor grossus effusus ex capite in somno ad stomachum, faciens fluxum. Et si vomitus provocari non posset, detur ei de hyera Gal. simplici, vel pillulis de hiera & de his similibus. *Ex hac Avicennæ* Scholâ *Bernhardus Gordonius*: Styptica non competunt secundum Avicennam, sed potiùs *vomitus* propter hoc, quod aggregatum est. Item *Joh. Michael Savonarola*: Cum excitatur à somno, est ei necessarium, ut utatur *vomitu.* Ac *Joh. Baptista Montanus*: Si Catarrhus transit per asperam arteriam, provocanda est tussis per medicamenta bechica; si per gulam, commodè educetur per *vomitum.*

De vomitu, ne quid dissimulem, dubitatur, an prosit tantoperè. Quam rem *Johannes Costæus* tangit hisce: Addit excitandum â somno esse *vomitum.* Quâ in re dubitatio est. Nempè vomitum lib. de sect. venæ advers. Erasist. caput replere asserit Galenus. Quo fit, ut vomitione diarrhœæ causa foveatur potiùs, quàm auferatur. Verùm esto, quod vomitus frequentior & violentior caput repleat, idem tamen duplici ratione in diarrhœa ex cruditate opportunus videtur, altera, quod dum pituitam ê ventriculo educit, fluxus causam simul excernit: altera, quod revellendi & cohibendæ fluxionis vim habet. At objicies, ubi pituita ex Cerebro effluens, diarrhœæ

causa est, vomitum non juvare, quum pituita vomitione rejici non nisi difficulter possit. Sed actum de hac re alibi est. Quod autem ad hunc locum pertinet, dicimus, pituitam, quæ in ventre est, non esse vomitione, sed purganti medicamento reddendam. At si in ventriculo est, commodissimè educitur. *Nec non Prosper Martianus:* quum caput ab humorum copiâ infestatur, tria remedia ab Hippocr. Epid. l.3. Sect.1. proponuntur, ut 1. ulcerum capitis purgatio 2. hydrops scil. Aqua 3. Vomitus, hunc proponit Hippocrates pro capitis repletione tollenda, quo caput feliciter & citò expurgatur, idque vomentes sciunt, quibus, dum evomunt, & ab ore, oculis & naribus humores in magnâ copia erumpunt. Unde Hipp. 4. Aphor.18. affectiones, inquit, supra septum transversum, quæ purgatione egent, per superiora purgari significat, & l. de locis in hom. vers. 173. sect.2. fluxione ex capite fluente vomitus conducit. // Valeant ergò illi, qui vomitum in capitis affectibus adeò formidant, caput inde magis repleri existimantes, quia etsi caput in actu vomitionis aliquo modo repleri videatur, nihilominus, quia talis repletio est vaporum, qui cessante vomitu, statim evanescunt, â vomitu caput repleri, dicere non possumus.

Verùm *Nicolaus Florentinus* modò laudatus eandem superiorem sententiam tantò magis firmat: Tertia intentio in curatione respicit materiam fluxam ad stomachum & fluentem. Completur dupliciter vel sistentibus, ut Diacodio, vel iis quæ materiam, quæ jam fluxit & in stomacho vel intestinis continetur, ab eis educunt præcipuè *vomitu* & *clysteriis. Quemadmodum & Bernhardus Gordonius*: Dormiat quantò minus poterit, & cum surrexerit â somno, provocet *vomitum*, si non posset evomere, detur hierapicra. Itemque *Michael Joh. Savonarola:* Dein evacua. Quod si patiens aliquando sentit gravitatem stomachi, cùm surgit â somno. Et post faciat *vomitum* audacter. *Joh. Matth. de Gradi:* Inducatur *vomitus* post somnum, ut educatur humor effusus â capite ad stomachum tempore somni. *Alex. Benedictus:* Manè ipso crebræ vomitiones prosunt, quibus materia, quæ noctu destillaverit, rejiciatur. *Alexandes Massarias*: Revulsiones sunt multiplices, inter quas prima est *vomitus*, de quo habetis Hipp.6.

Hipp.6. Aphor.15. longo alvi profluvio laboranti vomitus ſuperveniens morbum ſolvit.

Nec hoc medicamentum eſt ſine incommodo. Cui ipſi *D. Sennertus* hoc remedium comparat. *Et ne*, inquit lib.1. pag.2. cap.4. ille, *in vomitu æger vertigine corripiatur, caputq́ lædatur, utile fuerit, faſciâ caput, dum æger vomit, conſtringere, aut oculos obvolvere & ad ſuturam coronalem aliqua medicamenta adſtringentia adhibere, quæ Cerebrum à vaporibus adſcendentibus tueantur, qualia ſunt flor. roſ. rubr. myrtill. balauſt.* vehementisſimè obligetur caput, ſtringatur quoque *Sutura Coronalis.*

Num ob id vaporum adſcenſus arceri poteſt aut averti? Quin vapor ſtomachi aut Cerebri, injectâ faſciâ, tantò ægrius diſpergi poterit? Quare hoc à *Sennerto* excogitatum remedium non eſt remedium. Quies corporis tùm medetur, ut rectè judicat *Proſper Martianus. Johannes Coſtæus* multò peritiùs adverſus illud, quod objicitur ſuprà, nunc meâ operâ reſpondere poterit & quidem hiſce paucis verbis: *Pituita de Cerebro per gulam in ſtomachum haud fluit.* Quare inanis eſt hic metus, ne ille Cerebri humor, concitatis vomitionibus, ægriùs evocetur. Nihil laborat *Cerebrum*, nihil *caput. Stomacho* unicè mederi oportet. Hic autem *vomitu* levari poteſt, quemadmodum *clyſteribus* inteſtina, ſi humoribus ſint repleta. Quantâ asſeveratione *Hippocrates lib. de locis in homine* vomitum vomitionibus ſiſti pronuntiat ac alvum fluentem ejuſdem ductione curari?

SANGVINIS MISSIO ET CUCURBITULÆ.

Multi autorum, etiam hac *cerebrali Diarrhœâ* urgente, aliquid remedii in *ſanguinis misſione* poſitum eſſe arbitrantur. Ubi vires, inquit *Donatus Antonius ab Altomari*, aut ætas non prohibeant, in hoc alvi profluvio audacter vena ſecanda erit, ut & ipſum alvi profluvium cohibeatur, ac qui confluunt ad ventrem redundantes ſucci, cum quo non oportet, vergant, revellantur, ex ejuſdem Hippocratis ſententia, ſexto de morbis vulgaribus, cùm dixit revellere, ſi quo non oportet, vergant: & ſi ex toto confluant ſucci, media vena ſecanda erit. Si ex jecinore, interna dextri cubiti, ſi ex liene,

ſiniſtra,ſi ex capite,externa cubiti vena incidatur. *Hæc ille.* Nunc quàm circumſpectus eſt *Caſpar Caldera de Heredia*, vir egregius ſcientiâ artis Medicæ! Si à Capite, *inquit hic*, rheumate concitato ad ventriculum materia confluat, inde ad inteſtina, primò conſidera conditionem confluentis humoris, illam diarrhœam concitantis, utrum tenuis, bilioſus & acris aut ex ſalſa pituita, an verò ſolis excrementis, quæ ſupervacua de *cerebro catarrhoſo* redundant. Ductus expurgandæ pituitæ ordinarii ſunt palatum & nares; extraordinarii & non familiares, oculi, ſpinalis medulla & nervi. In palato alter meatus per aſperam arteriam tendit ad pulmones, alter ad œſophagum, ut *hæc* hinc *Diarrhœa* oriatur. Iſtiuſmodi ergò excrementorum cumulata multitudo ſui ablationem petit, vel ut intercipiatur revulſione vel quovis alio auxilio evacuetur, non enim *in cerebri* modò *cavitatibus* ad fluendum paratur, ſed & in *Cerebri vaſis* jam fluens invenitur. Dubium non eſt,hanc indicationem vacuanti auxilio adimpleri, aliiſque revellentibus & intercipientibus, ſed an posſit *ſanguinis misſione* perfici,expendiſſe oportet;nam illud non valet præfiniri: niſi materiã indicantis & contraindicantis perpendamus. Si ergò excrementa, quæ fluunt ad ventriculũ,frigidiora ſunt,à frigidaCerebri intẽperie producta, duo potiora urgẽtia ſanguinis misſionẽ contraindicant: nẽpe ab excretionibus viriũ exſolutio, & quæ adaugetur in *Cerebro frigida* intemperies, ſanguine laudabili detracto, qui hujus intemperiei potisſimum eſt auxilium,& maximè ſi extra venas cauſa mali generatur & fluit: & per nervorum ac membranarum cavitates excurrit, tunc enim, meo judicio, tutiùs auxilium eſt purgatio, ut cauſa mali detracta,ceſſet fluxus. Sin verò, quæ in cerebro generantur excrementa, ad fluendum parata & fluentia, *calida*, acria & mordacia ſunt,ſalſa aut bilioſa ſeu in *venis ſanguinis* abundantia copulata, ſanguinis misſio priori jure indicatur ab illa calida multitudine,quæ per revulſionem intercipitur, & ex vena communi vacuatur: cephalica & ex carpo derivatur. Et quod magis eſt,calida excrementa in vaſis & per vaſa excurrunt, & in illis potiùs, quàm Cerebri ſubſtantia generantur, maximè ſi cum hepate & venis eſt cerebri conſenſus. Sanguine ergò miſſo aut purgato humore, ex parte fluxionis alia emergit indicatio, nempè, ut humoris tenuitas in-

incrassetur, temperetur caliditas & frenetur mordacitas. Tandem est sistendi indicatio. Ac in Diarrhœa biliosa est corrigenda temperies hepatis. *Hactenus autor.*

Si sanguis ex brachio detrahitur, humore etiamnum intra *Cerebri* venas contento, tàm vitiosa pituita, de qua nascitur *Cerebralis Diarrhœa,* rursus ad cor retrahetur, unde & judice *Hippocrate* omnium gravissimi morbi orientur. Ac quis tàm exactè cognitam habebit vel temperiem cerebri vel humoris naturam? Nonne humor calidus venis cerebri contineri potest, *cerebro* ipso magis frigido, ac vicissim eodem calidiore, humor perquàm frigidus? Quare suspensi semper animo erimus, quidnam sit agendum. Nos, qui negamus *Cerebrum* pituitâ subinde madere, has explicatuum difficultates facilè eluctamur. Ita quoque sentimus, itaque judicamus: sanguinem homini *diarrhœâ* arrepto interdum mitti, salutare est. Quare ratio ætatis, sexus sequioris, virium habeatur. //

Cucurbitulas affigi jubet *Cælius* Aurel. Unde *Bernh Gordonius,* radatur, inquit, *caput & ponantur ventosæ circumquaque:* Similiter *Savonarola, Forestus, Peucerus.* Eadem de his est censio. Nam iis credunt sanguinem de *Cerebro* trahi. Inde *Sennertus: cucurbitæ in scapulis.*

CHIRURGICA RELIQVA.

Qui *cerebrali,* quam finxerunt, *Diarrhœâ* pressi erant, eos Medici quà vetustiores quà recentiores, *cauteriis* curare consveverunt. Multus, *inquit lib.2.Prax:Med:admir: obs: 22. Zacutus Lusitanus,* honos concedendus est Avicennæ, autori tanto & uberrimo Galeni interpreti, qui plurima sempiternæ memoriæ commendanda arti medicæ addidit; à Græcis vel prætermissa vel ignorata quidem, & hoc præsertim in curatione fluxuum, in qua illos longo intervallo superavit (reluctentur licèt Manardus Leonicenus & alii) Is ergò 18.3.tract:2.cap.9 de cura fluxus Cerebralis, sic ait. *Et quandoque necessarium est cauterium.* Hoc auxilio sanatus est adolescens, frigidi & humidi temperamenti, qui cùm antea distillatione laboraret ex crudo humore suborta, quam Cerebri debilitas habitualis gignebat, superveniente alvi profluvio spumoso, nocturno, indies contabescebat magis, quod ex capite originem ducit. Roboran-

borantibus capiti impositis, sudoriferis ex Ebeno paratis, nec sinapismo facto ex euphorbio & cantharidibus bregmati imposito, potuit levari. Quare cauterio in eâ parte affixo & sanie emanante ad sanitatem reversus est. *Hæc ille. Avicennæ interpres, Jacobus de Partibus* hoc aspergit: *Octavum, quod interdum est necessarium, dum alia non prosunt, est idem cum quinto, sc: cauterium capiti apponendum in cacumine ejus super commissuram dictam coronalem.* Inde hoc remedii celebrant multi, ut *Nicol: Florentinus, Bernhardus Gordonius, Michael Joh: Savonarola.* Fiunt, *inquit hic*, fricationes cum pannis asperis. Item abradatur caput & admiscentur rubificantia cauterizantia. Sic & *Ugo Senensis* de *malâ complexione sicca in stomacho* ac *capite catarrizante* differit: quod si hæc (vesicantia) non sufficiunt, cauterizandus est locus cum ferro ignito in loco super commissuram & teneatur cauterium apertum diu & hoc debet fieri ab erudito medico. Neque pars ista de exiccando capite pro parvo reputetur. Nam vidi plures, qui in talem siccitatem devenerunt & per capitis siccationem liberati sunt.

Nunc & cruribus ac brachiis imprimuntur *cauteria.* De Chirurgicis medicamentis, *inquit Zoroaster Tinellus*, si duo cauteria infigantur, alterum in sinistro brachio, alterum in dextro crure, perutile erit medicamentum, tùm quia faciemus revulsionem materiæ prorumpentis à capite in ventriculum, tùm etiam, quia prohibebimus, ne eleventur vapores ab infernis ad caput. *Ac ad* caüteria, *inquit Bellocatus*, devenirem in brachiis, cùm catarrhus profluat à càpite, ut diversio fiat. Et quia etiam à *ventriculo* materia venit, etiam cruribus cauteria admoverem. *Trincavellus ipse* : Cauteria probarem non tantùm in brachiis & cruribus, sed etiam in capite, quibus in istis regionibus uti solent, scilicet Pisauri, Urbini &c. nam cùm cæteri non timeant exiccationem ab aquis thermarum, neque ego exiccationem, quæ à cauteriis istis fieri posset, formidarem: nam superficiem tantùm exiccare possunt, non ad interiora capitis penetrare. *Hæc autor.* Derivationes, *inquit Peucerus*, aut educunt materiam per meatus evidentes, ut per nares & os, aut transferunt ad vicina, ut partium vicinarum frictiones, affixus cucurbitarum, vesicatoria, cauteria. Utendum his ipsis, si in asperam arteriam aut si ad ventriculum materia deferatur. *Ludovi-*

cus

cus Mercatus & Setacii mentionem facit hisce: *Fontanellam brachio aut setonem occipitio affigere, præsentaneum est auxilium.* Hunc sequitur *Sennertus.*

Cauterium *Verticis* quàm triste est remedium, tàm supervacaneum, quæcunque *Diarrhœa* quoque hominem exerceat. Eo non curantur ægri, sed macerantur & quidem communi, inveteratoq; errore illius opinionis, *Cerebrum* quotidiè liquore pituitæ se complere, istumque aliquando in stomachum evomere. Atque si Cerebri humores hâc viâ defluerent, eum cursum *cauteria bregmatis* inhibere haud possent. Nam talem humorem (ita vulgaris fert opinio) emittunt venæ Cerebri intimæ, quas ea *cauteria* haud tangunt, nec exinanire queunt nec stringere. Sed quidam, inquis, eo remedii genere persanati fuerunt. Præstò sunt testes. Adversus hoc tibi respondeo. Non testes sunt, sed assertores planè inanes. Illi ægri quidem *Diarrhœam* passi fuerunt, minimè illam cognomento *Cerebralem.* Atque hi reliquis remediis ad *diarrhœam* aptis curati fuerunt, *cauteriis* verò vexati. Juvat exemplum referre. Illustrissima Persona sæpiùs à cibo, à prandio æquè ac à cœna, noctu quoque nunc tenuiorem, nunc crassiorem humorem evomere consueverat. Caput dolebat ac erat grave. Plurimis visum erat, tantam vim pituitæ de Cerebro venire. Varia igitur remedia diligenter parata fuerant, novissimè etiam *setaceum.* At frustrà. Defuncto corpore inciso, fistula stomachi, quam *l. Observ. mear.* definio, Aulicis ministris inspectantibus, adinveniebatur. Nonne Celsissimus Princeps istius remedii acerbitatem temerè perpessus est? Numquid igitur gravius in illos tàm veteri opinioni addictos consulitur? Nec inter illos ipsos autores, quibus *cauterium verticis* probatur, convenit. Nam *Trincavellus* supra dicebat, *cauterium superficiem tantùm exiccare,* non *ad interiora capitis penetrare.* Contrà *Jacobus de Partibus*, quintum, *inquit*, est apponere capiti cauteria, vel actualia de auro & de argento vel de ferro ignito, aut potentialia de sapone gallico cum calce vivâ benè incorporato, quæ potentissimè materias extrahunt de *profundo Cerebri*, maximè si diu teneantur aperta ulcera, quæ inferuntur capiti exteriùs. *Hæc ille.* Si tale *cauterium exiccat tantùm superficiem capitis*, nec ad *interiora capitis penetrat,*

quî *materiam de profundo cerebri extrahere* poterunt? Nunc quoque *cauterium cruris* quo pacto humores *stomachi* & inferiorum membrorum vapores revocare poterit?

Ætius nunc de *Rubificantibus*, ut vocant, fert sententiam: Capitis saluti consulere oportet: indicatione ex figura ejus accepta, quomodo ei subveniri possit: non enim quemadmodum aliqui Medici, qui ad omnes diuturnas capitis affectiones semper *ex thapsia & sinapi* Cataplasma imponunt, sic & te facere volo. *Lavacris* itaque multis calidis potabilium & dulcium aquarum consolari eos oportet, discussis simul calidis in capite vaporibus & omni temperamento melius permutato. Nocivus autem est eis usus aquarum naturâ suâ calidarum: quæcunque enim ex eis *sulphurulentæ* sunt & bituminosæ, ob caliditatem suam capitibus naturâ calidis adversantur. Quæ verò *aluminosæ*, coarctatione suâ caput offendunt. Solis itaque dulcibus aquis citra læsionem uti poterunt. Quicunque verò valdè calidum ac perustum habent caput, his melius est, ut æstatis tempore ungantur optimo *rosaceo*, ex solis rosis ac oleo *omphacino* præparato. *Hæc ille.* *Arabes* capût quoque radi jubent, ut *Avicenna.* Cujus interpres, *Jacobus de Partibus* reliqua remedia ex ordine persequitur. *Primum* ipsorum est rasura capitis, ut fumi & vapores, qui adscendunt ad caput, liberius exeant atque resolvantur & facilius penetrent medicinarum virtutes capiti applicandæ. *Secundum* est capitis fricatio frequens horâ matutinâ cum aliquo aspero, sicut cum stamino, vel cum tela rudi, vel pectine acuto, ut resolvat cerebri superfluitates. *Tertium* est, manè evaporare caput cum resolutivis, sicut cum sacculis de milio & sale, vel de camomillo, meliloto, furfure, vel de anthos, stœchados & gariophillis vel de grana tinctorum & nuce moschata cum majorana & betonica sicca. *Quartum* est apponere capiti prærasa rubificantia, cum alia non prosunt, ut emplastrum factum de semine sinapis, gummi rutæ agrestis & fimo columbi, quæ tàm vehementer à Cerebro extrahunt foris materias, quod superficiem capitis rubificant. Ac ex Arabibus *Rhases* ad Mansor. l. 1. cap. 67. cura talis, inquit, *fluxus est abrasio capitis, fricatio ejus cum panno laneo aspero; & linire ipsum cum eis, quæ vesicant ipsum.* Undę *Ugo Senensis consil. L. de mala*

com-

complexione sicca in stomacho ac in toto corpore sine febre, capite autem catarrhizante hæc superaddit: Et opus, quod abradatur anterior pars capitis & fricetur in manè, antequam balneum ingrediatur, aut postquàm lac digessit, & ante prandium cum ista aqua: ℞. aquæ vitis ℔ij. nucis mosch. ℥v. asari piperis a. ℥j. pistentur pistanda & infundantur in dicta aqua & reserventur in vase vitreo benè obturato & cum pauca quantitate ejus pro vice posita super palma manus, fricetur dicta pars anterior capitis, ita, ut calefiat & rubefiat. Et si post quindecim dies propter usum harum rerum non videtur caput meliorare & catarrhus diminui, tunc super eadem parte anteriori abrasâ ponatur emplastrum de Sinapi circa commissuram coronalem & sagittalem: & sic factum secundum dispositionem Mes. & stringatur super loco: & toties iteretur abrasio & positio emplastri, quod locus vesicetur & vesicæ teneantur apertè per mensem. *Hæc ille.* Multò plures *rasuram* Capitis *frictionemq;* memorant, ut *Bernhardus Gordonius*, *Bertrucius*, *Joh. Matth. de Gradi*, *Alexander Benedictus*.

Saccellationem capitis quoque multi adversus *Diarrhœam cerebralem* valere arbitrantur, ut *Nicolaus Florent.* Portionem etiam ejus exiccando per ea, quæ capiti exterius applicantur præcipuè cum sacello utili, qui sic fit: ℞. radicem vel florem nenufaris, radix tamen melior est & utilior, nardum celticam, sandaracam, mirrham, sal & milium ana partes æquales, pulverisentur, & sacellus ex iis repleatur, & cum thure & Xiloaloe fumigetur, & capiti bis vel ter applicetur. *Bernhardus Gordonius:* Sacelletur caput frequenter cum milio & sale. *Valescus de Taranta:* curatur ista species Diarrhœæ curando catarrhum, applicando fronti & commissuræ sacculum de milio cum pannicio torrefactus: aliquando sacculus convenit de camora & rosis. *Ugo Senensis:* Et adveniente frigore in autumno in horis frigidis teneat in capite birretrum de Syndone de grana per totum. Pulvis garyophyllorum sine alio adjuncto & innoventur garyophylli de mense in mensem. *Johannes Michael Savonarola:* Sistitur Catarrhus cum appositione sacculi supra caput: ℞. fl. camomillæ, stœchados a. Mv. majoranæ cortic. citri follic. sen. a. ʒiij. macis nuc. mosch. a. ʒj. garyophyll. ʒjß. bethonicæ Mj.

pulverizentur & fiat sacculus positus supra priorem partem capitis circa commissuram Coronalem. Quibus peractis veni ad stomachum confortandum. *Hæc ille.* Hinc & Peter *Forestus, Johann: Jacobus Weckerus, Nic: Piso, Joh: Bapt: Montanus, Joh: Marquardus, Dn: Sennertus.*

Nunc *Suffumigia* quanti fiunt? In fine, *inquit Bertrucius*, & postquam stomachus & Cerebrum benè fuerint exiccata: suffumigetur cum thure & mastiche omni sero, quando itur ad lectum, ut eadem membra stypticet & confortet. Sed ante purgationes hoc foret malum: quoniam materias inspissaret & earum evacuationes prohiberet. Nunc *Gulielmus Rondeletius* ad hunc modum ea prædicat: Pro capite fumigia efficacissima sunt, quia eorum substantia & vis ad partes internas multam humiditatem habentes penetrat, nempè fumus cum aere attrahitur per *nares ad ventriculos* Cerebri & si Galeno concedimus, aliqua substantia medicamenti, quod de nigellâ lib: de instrumento odoratus monstravit. Quare suffumigia resiccantia esse debent & adstringentia, neque nimis acria, ne facultatem expultricem Cerebri incitando, ea ad excretionem moveant. Fiunt autem ex his, quæ fuliginem procreare possunt, aut si propter eorum siccitatem effumare non possunt, aliis multum fumum facientibus debent permisceri vel oleo confricari, ut fument. Valdè enim arida, quia nihil humidi habent, fumum non emittunt. Fiunt hoc modo: ℞ ladani depurati, hypoc: a. ℥iij. mastich: thur: a. ℥ij. nuc: cupress. nuc: mosch: rof: coriand: a. ℥j. caryoph: ℥ß. F. Pulvis crassiusculus pro suffumigio, imponendo carbonibus. In hoc neque nigellam, neque myrrham, neque gummi hederæ addimus, quia acria sunt. Posset etiã addi sandar. in morbo antiquo, quia valdè exiccat, & ne suâ acrimoniâ lædat, excipitur terebinthinâ vel mucilag: gummi tragacanthæ & fiunt trochisci. Aut ut diximus de aridis, al: amygd: confricatur. Nullum est remedium ad exiccandum cum hoc conferendum, nisi ob fœtorem valdè ingratum esset. Quare rof: benzo: styracem & odorata ei admiscemus. Fumigetur cubiculum, in quo dormire solet, ut inter dormiendum respirando sine molestiâ trahat. *Hæc ille. Bernhardus Gordonius*: suffumigetur in collo. *Nicolaus Piso*: Sacculi exiccantes supra caput apponantur vel *fumigium*

migium vel pulvis capitalis. *Johannes Riolanus* : Si placet, suffiantur nocturna capitis integumenta ex salviâ, betonicâ, mastiche, thure, ℞. salviæ florum betonicæ a. p.j. mastich. thuris a. ℥ij. F. Pulvis crassus pro suffitu nocturnorum integumentorum capitis. *Joh. Jacobus VVeckerus* : Fumigium ex ladano, hypocystide, mastiche, thure, nuce mosch. rosis, coriandris &c. *Thomas Erastus cons. 22. ita* : Cerebrum vix ulla ratione rectius exiccabitur & corroborabitur, quàm suffumigiis. Nam comesta in ventriculo primum, deinde etiam in hepate alterata & cum aliquo sanguine mista, vel nullo modo vel exigua sui parte vel retusâ virtute ad Cerebrum perveniunt. Foris admota propter os Cranii undique interjectum nihil admodùm præstare valent. Sola suffumigia per nares & palatum ad ipsum usque penetrant & pro viribus suis alterant. Quamobrem his potissimum confidere oportebit, eisque diligenter longiore tempore uti.

Deinceps *lixivia*, *lotiones capitis & pedum* etiam auxiliari dicuntur. Poteritis, *inquit Jacobus Baptista Montanus*, facere cerata, dropaces, sinapismos cum pyretro nasturtio & thapsia, quæ vesicas faciunt, prætereà *lixivia* diversa facere poteritis, in quibus sint decocta calefacientia & exiccantia, sicut est majorana, rosmarinus, agaricus ad calefaciendum & exiccandum. Conficietis etiam sapones ex caryophyllis, iride, laudano, mace. Prætereà *balnea* calida & sicca, destillantia in caput convenirent.

Ætius supra meminit *balnei*. Unde, his, *inquit Gulielmus Rondeletius*, qui consveverunt abluere caput, optimum erit parare lixivium ex cineribus quercus & aliis adstringentibus, ut nucibus cupressi vel nucl. nucum & lixivio addere salis M. j. vel decoquere flores sabinæ, anthos, stœch. & rosi. & diligenter abluere caput tali lixivio, post exiccare. Pulverem tenuissimum inspergere possumus loco lixivii, ut eo pulvere sinapizetur caput serò & manè. *Hæc ille*. *Pedum* etiam *lotiones* admodùm efficaces fore affirmat *Peter de Tussignano*. Lotiones pedum, inquit *Felix Platerus*, actu calidæ tùm defluxionum nomine, tùm alvi fluxus causâ competunt, si ex capiti congruentibus & simul adstringentibus fiant.

Haly l. 7. Pract. *Emplastra Capitis* non præterit. Studeas super-

perfluitatem deficcare. Intuere itaque & si superfluitas hæc Cerebri caloris causam fluxum habet, *emplastris utere refrigerantibus* & confortantibus, quemadmodum in cephalea, quæ est ex calore, patientibus fit: ut emplastro, quod ex sandalo, rosâ, acacia, papaveris corticib9 menthæ, asiaso, hezazo, amolea in aqua rosarum distemperata componitur. Quod si materia phlegmatica est, alia sc. conveniunt. Inde *Nicolaus Florent. Bernhardus Gordonius* similia memorant. Inungatur, *inquit hic*, caput cum unguento facto ex succo apii, stercore columbino, oleo laurino & cerâ. *Alexander Benedictus*: Cucurbitamq; bregmati utiliter imponimus, quâ emotâ id emplastrum imponitur. Aloe garyophyll. pulegium, myrrhaque ex molli ladano trita excipiuntur candenti pistillo. At si rheumatismus ferventis sit naturæ, acaciam, succum hypocystid. hordeique tosti farinam, mastichen, rosam, sandalum, ac nympheam ladano excipimus. *Johan. Jacobus VVeckerus*: ℞. gummi Ammoni: bdellii opopanac: a. ℥ß. mastichis ℥j. extendatur super alutam pistillo calido & supra commissuram Coronalem & Sagittalem applicetur. Alterum ex pice liquefacta & remollita oleo nardino, addendo pulv. caryoph. nucis mosch &c. *Gulielmus Rondeletius*: Possunt etiam fieri emplastra duorum generum, alterum est attrahens, alterum constringens & exiccans. Primum conficitur ex gummi attrahentibus, ut ℞. gummi Ammon. bdellii, opopan. a. ℥ß. mastich. ℥j. extendantur super alutam pistillo calido & supra commissuram Coronalem & sagittalem applicentur. Ob id emplastra ad formam hanc T fieri debent, ut partem suturæ Coronalis & Obeleæ contingant. Vel fiant ex pice liquefactâ & remollitâ ol. nardo addendo si dives sit, pulv. garyoph. nuc. mosch. a. ʒj, pro ℥j. moschi ℈j. applicetur loco dicto. His aliquando additur stercus columbarum. In multâ humiditate Cerebri hæc emplastra efficacissima sunt, quæ parantur hoc modo vel etiam emplastra, quæ parantur in officinis lachrymas recipientia, quale est illud Ceroneum dictum. Adhiberi verò debeat, quando à recrementis genitis ab intemperie Cerebri defluxio fit. Nam si dolor capitis vel effumatio ad Cerebrum, etiam si absque dolore sit, in causâ fuerit (ut solet fieri in his, qui hepar, cor, renes & alias par-

partes calidiores habent) his abstinere debent. Nam caput tales vapores aut fumos magis traheret, sed tunc alio emplastrorum genere utemur, scilicet resiccantibus & constringentibus leviter. (Nam quæ fortiter constringunt, Cerebrum comprimendo fluxionem augent, maximè si ante purgationem corporis & capitis adhibeantur) ut emplastro pro matrice, contra rupturam, quæ quanquam nomen habeant ab aliquâ parte vel affectu, aliis tamen partibus & affectibus conveniunt. Vel fiant his similia ex astringentibus, resiccantibusque, permixtis quibusdam calidis ad penetrationem, ut ℞. nucum cupress. rad. bistort. spong. bedeg. a. ʒiij. ros. gall. chalcit. alum. a. ʒj. caryopyhll. nucis mosch. & cyperi, ros. rub. coriand. a. ʒj. Fiat pulvis subtilissimus & cum sufficienti quantitate ol. nard. ceræ & resinæ fiat emplastrum pro commissuris vel applicetur parti capitis posteriori aut anteriori tusis capillis è regione suturarum obeleæ & lamdidis. *Hæc hic.* Unde similia profert *Peter Forestus*, itemque *Nicolaus Piso.* Emplastra, inquit hic, fiant ex gummi Ammoniaci, bdellii, opopanacis & cæteris, quæ extenduntur super alutam & supra commissuras coronalem & Sagittalem applicantur. *Iohannes Riolanus*: Capiti ut parti mittenti cephalicis consulendum: ℞. mastich. & empl. de betonica a. ℥j. malaxentur cum oleo costino, fiat emplastrum Catarrhi suspensorium.

Tandem & *odoramentorum* mentionem *Haly septimo Practica* infert: Si calida fuerit materia, sandalum odoret & aquam rosatam, camphoram, mirtum, balaheque aqua & aceti fiat obvius vaporibus, in quod lapides projeceris calefactos, jucundos olfaciat, frigidosque odores. *Hæc ille.* Inde *Nicolaus Florent.* & *Alexander Benedictus.* Inter odoramenta, *inquit hic*, sandalum, rosa, viola, myrtus, camphora & aliis similia, juvat acetum naribus subditum, in quo lapis fervens injectus sit, ita vapore rapto temperatur Cerebri distemperantia.

Tùm *Græci*, *Galenus* & *Ætius*, tùm *Arabes*, *Avicenna* & *Rhases* superioribus medicaminibus tàm multis, caput non minùs operosè, quàm inutiliter curant, fluente alvo. Illa, ut vocant, *Saccellatione*, vel frigescit caput vel incalescit, utraque de causâ *hic alvi rheumatismus* tantò vehementiùs concitari potest. Agitato quippè

pè ſanguine, humores in ſtomachum promoventur. Ac cæteris fomentis non *Cerebri* arteriæ interiores, de quibus funditur *Catarrhi* materia, ſed externa vaſa ſanguinis Capitis maximè afficiuntur. *Frictio* lenior eſt inefficax, valentior plus trahit humoris, quàm neceſſe eſt. Nunc quoque perquàm facile erit, illa *ſuffumigia* damnare. Ea quidem ferunt ſuſpendere pituitam & ſpiſſare, ſic, ut in laxatam alvum confluere haud queant. Verùm illa non de *Capite*, non de *Cerebro* ſumit humores, ſed de maſsâ ſanguineâ. Nec ille fumus penetrat in Cerebri penetralia, in ipſos, ita loquitur *Rondeletius*, *ventriculos Cerebri.* Fallunt & falluntur *Gulielmus Rondeletius*, *Riolanus*, *VVeckerus*, *Eraſtus.* Hunc miror illis ſuffimigiis tàm vehementer confidere & *Rondeletium* ob eadem à *Foreſto* tantoperè laudari. Illa pluris fiunt, quàm *lotiones Capitis.* Quin ego *ſuffumigia* magis nocere exiſtimaverim, quàm *lotionem Capitis*. *Balneum pedum* certè contra *Felicem Platerum* affirmo plus humoris, plus & vaporis ad ſtomachum allicere videri, ſi vulgarem opinionem conſectamur. Omnia, quæ *Haly* memorat primus, *emplaſtra Capitis* & *Ungventa* ſunt ineptè excogitata remedia. Reliqui autores, ut *Nicol. Florent. Iacobus de Partibus*, *Bernhardus Gordonius*, *,Alexander Benedictus*, autoritate veterum decepti fuerunt & illa etiam perſuaſione, eam ex *Catarrho Capitis* concitari *Diarrhœam.* Similique ratione *Rondeletius*, *Foreſtus*, *Piſo*, *Riolanus* fallun-tur. Hic quoque officio probi, prudentisque Medici ſtatuit fungi eum, qui alterum *emplaſtrum Capiti*, alterum *ſtomacho* imponi imperat. Nec *Cerebrum*, accenſis *odoribus*, ita affici poteſt, ut inde ſiſtatur *Diarrhœa.* *Odoramenta* aliâ ratione proſunt. Unde C. *Celſus l.4.c.9.* quod ſi, *inquit*, vehementer & vomitus & dejectio & ſitis vexant, aqua egelida danda eſt, *admovendumq́; naribus eſt pulegium* ex aceto vel polenta vino aſperſa, vel mentha, ſi nondum matura eſt. Atque *Cælius Aurelianus* ſimiliter: *Oportet ſtomacho cataplaſma conſtrictivum imponere. Odoramenta quoque reſumptiva adhibere.* Dein odorifer vapor ad *ſtomachum* & ad *pulmones* potiùs, quàm ad *Cerebrum* tendit. Ac ſi verum volumus, ut quoque ſuprà confitetur *Caſpar Caldera de Heredia*, non *Cerebrum* ipſum, ſed ejus *venæ*, eas dicunt maximè, ſecundum vulgatam invetera-

opi-

tamque opinionem, emittunt pituitam, quâ *cerebrum* tandem suffunditur.

Ex eodem judicio & reliqua *cephalica*, ac ut loquitur *Johannes Mattheus de Gradi*, *Cerebralia* medicamenta pendantur. At ea quanti in vulgus æstimari solent? Cerebrum, *inquit Bernhardus Gordonius*, confortetur & materia cum temperamento ingrossetur. *Sic & Bertrucius. Johan. Matth. de Gradi ita loquitur:* Postremò in hac intentione stat intentio confortationis ipsius Cerebri cum medicinis Cerebralibus ad prohibendam regenerationem materiæ cum confectionibus appropriatis in causa calida vel frigida secundum exigentiam *Johannes Marquardus sic:* Si à Cerebro, propter defluxum Catarrhi, si à caliditate vel frigiditate, & tunc primò membrum mandans debet confortari, sicut de Catarrho supra dictum est. *Similiter Caspar Wolphius.* Corroboratur, *inquit Job. Jacobus Weckerus*, caput theriaca, Mithridatio, Syru: de stœchade, Betonica, cons. anthos, betonicæ majoranæ, Ros. vel ℞. cons. Acori ℥ij. carnis cotoneorum ℥j. cons. anthos ℥ß. Aromat. Ros. ʒvj. Diagalangæ ʒij. pulv. intestin. gallinæ ℥j. corall. rub. ust. ℥j. rad. bystortæ ʒß. Cum syrupo de mentha vel coton. F. Elect. capiat ʒij. duabus aut tribus horis ante pastum. *Hæc ille. Gul. Rondeletius* etiam memorat *Theriacam*, *Mithridatium* & *Auream Alex.*

Quo nomine & aliæ mixturæ sunt admodùm decantatæ. Confectionis de *Calamintha* mentionem habet *Ætius tetralib. 3. serm. 1.* Quùm verò pituitosus humor à capite in frigidum naturâ ventrem defluxerit, hujus affectionis medela facilis est, si manè simplex pharmacum ex *tribus piperis generibus* constans sumatur. Sed & solum piper exactè tritum, aquæ immixtum bibere licet. At verò *absinthii* potus ita affectus valdè adversatur. Pituitosum enim humorem ipsorum ventri infarcit. Sed neque *aloe* sola per seipsam prodest. Biliosi enim humoris attractoriam vim habet, non pituitosi. Et propterea benè inventa est compositio *picra* appellata, quæ propter aliorum acrium ac calidorum immixtionem crassos ac viscosos humores secat. Verùm fieri non potest, ut quis hac assiduè utatur, quemadmodum ea, quæ ex *tribus piperis* generibus constat, & similiter, quæ ex *calamintha*. Etenim si omni horâ etiam his utatur,

qui frigidâ ventris intemperie laborat, nullum amplius nocumentum experietur. *Hæc ille. Avicenna* & inde *Nicolaus Nic. Florent.* præter *Diatrionpipereon*, etiam Diacalamentum, & Diacyminum enarrant.

Medicamentum *Diatrionpipereon* maximè convenire videtur, cum *pectori & stomacho* utile putetur. Nam *Galenus lib. 4. de Sanitate tuenda cap. 5.* Quod ex tribus piperibus conficitur, Græci vocant διὰ τριῶν πεπέρεων. Expedit autem præparatum habere ad manum dupliciter, ſicut ipſe ſoles: alterum ſimplex, quod iis dandum eſt, qui minimè concoxerunt, & qui recens frigus in ventriculo habent & pituitoſum ſuccum; alterum, quod medicamentoſum magis eſt, quo maximè utimur in iis fluxionibus, quæ à capite deſcendunt ad pectus. Ἕτερον δὲ φαρμακῶδες, ᾧ μάλιστα ἐπὶ τῶν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς εἰς τὸν θώρακα ῥευμάτων χρώμεθα. Dein idem *Galenus lib. 1. de arte curativa ad Glaucon. l. 1. de locis affect.* ac *autor lib. de Dynam.* Stomachicis, *inquiunt*, aut iis, qui laborant ex frigido ſtomacho, prodeſt *Diatrionpipereon*. Inſuper ait *Galenus* illis, qui febre *Ephemera* aut *Quartanâ* tenentur, utiliter dari. *Cælius Aurelianus* etiam ad ventris fluxum prædicat *Diatrionpipereon*. Unde *Zoroaſter Tinellus conſultatione vigeſima quarta pro perilluſtri Domino laborante imbecillitate ac cruditate & intenſiſſimo dolore ventriculi, ſuperiorum inteſtinorum paſſione cum deſtillatione à capite*, congruum etiam, *inquit*, & valdè conducibile tunc temporis erit aſſumptio *diatrionpipereon*, à quo & pituita concoquetur, & incidetur & flatus. Atque *Bartholomæus Montagnana* eodem nomine hanc medicinam memorat: ℞. pulv. carvi ʒß. maſtichis ℈ß. detur in potu cum ℥j. aquæ decoctionis grani *piperis longi*. Eſt enim inſtrumentum magnæ efficaciæ, quod in quàm plurimum hominum & in meipſo vidi, ut ex componentibus videri poteſt. De maſtiche Dioſcorides, de Careo Serapio. Piperis longi uſus ad ſtomachum infrigidatum in cibis ejus eſt optimus. *Et alibi*: Cui diſpoſitioni, quando perſeverat, provideatur ei cum aſſumtione confectionis de *tribus piperibus*, quam ſcripſit Galenus ad Omontheum deſcriptione tertia, de qua accipiat per duas vel tres horas ante cibum

bum ℥j. & bibat post ipsam quartam partem cyathi vini subtilis aromatici & fumosi.

Tandem & decocta *Chinæ*, *Sassafras* &c. ægris propinantur. Unde *D.D. Sennertus* in eundem usum, si ætas & alia ferant, theriaca Mithridatium, decoctum *Guajaci sassafras*, sarsaparillæ per plures dies usurpandum, ut corpus exsiccetur & materia Catarrhum generans per *sudores* discutiatur. *Sed ante hunc Zoroaster Tinellus* hanc medicinam suasit: repurgatis humoribus de altioribus medicamentis cogitandum, quæ non tantùm pituitam tollere valeant & flatus discutere, sed etiam viscera roborare. Hujusmodi est radix *chinæ*, quæ siccandi vim habet sine aliqua manifesta excalfactione, nam vel non est calida vel naturalem tantùm imitatur calorem, cui si addatur portiuncula sassafras, præstantius erit medicamentum, & quamvis *sassafras* calefaciendi vim habeat, & ob id timendum videatur de hepatis excalefactione, tamen ejus virtus excalfactiva adeò facilè resolvitur, ut antequam ad hepar perveniat, evanescat. Sic enim & experientia constat & gravissimi attestantur. Poterit igitur sic componi.

℞. Chinæ el. s. a. parat. ℥j.
sassafras ʒj.
aq. commun. ℔iij.
Infund. S. A. bulliant ad libram unam. Colentur & sit aqua pro Syrupis.

℞. prædictæ chinæ & sassafras adde
aq. commun. ℔iij. bulliant ad ℔ij. Colentur & sit aqua pro potu.

Sudorifera, ut vocant, ac *Diuretica Cælius Aurelianus* fluente ventre haud probat. *Culpandi*, inquit hic, *præterea etiam nunc veteres Medicinæ conditores, ut Hippocrates, qui helleborandos principiò ægros ordinavit. Diocles quoque libro, quo de passionibus scripsit, providens siccandum corpus, urinalibus medicaminibus utendum jubet, quibus non solùm humor ventris siccari minimè posse perspicitur, verùm etiam vesica in morbos cogi invenitur.* Verùm *Octavius Horatianus lib. 2. cap. de Dysent: vel Neutricis*, & Diuretica, *inquit*, Dysentericis opus sunt, maximè dum meatus fit illius Rheumatis. *Victor Trincavellus lib. 5.*

Sect:3.cap.6.ita differit: Unicum monendum eſt,quod alvus ſit cienda adſtringentibus, quanquam etiam pilulis Cochiis, quodque hîc *lotium* vel *ſudorem* ciere tutius eſt. *Et paulò antè*: Si aliunde ſimilis humor confluat, hoc eſt, ex univerſo corpore vel ex capite vel ex jecinore vel ex utero: partibus mittentibus proſpiciendum,ut cauſa tollatur, propter quam congeſtio in illis & mox impulſio facta ſit: atque fluxio ad ventriculum ſiſtenda revulſione & repulſione. Revulſio fit aut cum vacuatione aut citra. Cum vacuatione prima & præcipua revulſio in his affectibus eſt vomitus ut 6. Aph: 15.affirmat Galenus,ut idem ait 4. Aph: 87, quamvis eandem 2. in 6. Epid: com.7. derivationem vocet:tertia eſt *ſudoris* prolectatio,qua humor ad ventriculum fluens extrorſum ad cutem convertitur, quâ ratione balneum fluentem alvum (ut 3. de Rat:vict: in acut: morb: teſtatur Galenus) ſiſtit. *Hæc ille.* Moventibus,*inquit Michael Johan:Paſchalius*,*ſudorem* curatur & *Urinam cientibus*,præſertim ſi ſimul ventrem reſtringant & urinam provocent,ut cydonea. Ac ſimiliter ferè *Alexander Maſſarias:* Secundò revulſiones ſunt ea,quæ *lotium* poſſunt movere, quamvis Hipp: & Galenus 7.Epid: ſect:2. com:velint, hujuſmodi motum ab alvo ad vias urinæ ac pariter à viis *urinæ* ad alvum, eſſe potius derivationem, quàm revulſionem. Tertiò ſunt *ſudores*, qui commodè fluentes humores ad partes internas poſſunt ad externas convertere:unde dicit Gal:in 3. de ratione victus morb: acutor: dext:59.Diarrhœam,quod illud humores ad alvum fluentes ad ſuperficiem corporis poſſit revellere. Hoc eodem conſilio conveniunt frictiones,ligaturæ,cucurbitulæ & cætera id genus.*Hæc ille.* Eadem medicamentorum genera *Savonarolæ*, *Herculi Saxoniæ*, *Zacuto*, *Fabricio Hildano*, *Joh: Freitagio* non diſplicebunt.

Opiata, ut vocatur, Medicina hoc loco eſt valdè efficax. *Diaſpermaton Galeni* valdè nobilitatur. Sed pleriqùe, *inquit Hieron: Mercurialis*, hujusmodi medicamenti deſcriptionem nobis minimè relictam fuiſſe. Sed ego puto, hoc medicamentum illud eſſe, quod habetur 7. de Med:int:cap: 5. Et inducor in hanc ſententiam, tùm,quia illud Diaſpermaton conſtat ex ſeminibus,ex aromatibus, ex opio: quæ omnia conferre certum eſt in affectu thoracico. Tum quia Galenus lib. d. cap. d. Meth. ſcribit, Caſſiam ingredi in ſuum

dia-

diaſpermaton. Ergo hoc eſt verum, quod ſub Andromacho autore lib. 7. de locis Med: cap. 5. deſcribitur. *Hæc compoſitio* hîc utilis eſt. *Michael Johan: Paſchalius* ob *opium* ℥j. vel ℥jß. *Theriacæ recentis* adverſus hanc *Diarrhœam Cerebralem* utitur, uti *pilulis de Cynogloſsâ* quoque *Arnoldus Villanovanus*. Unde præclare *Caſpar Caldera de Heredia:* Somno omnem ſiſti evacuationem præter ſudorem nos Hippocrates docuit, quare in illo provocando erit ſuprema auxiliandi ratio, tùm qua diarrhœam, tum quà dyſenteriam, ſed in narcoticis à levioribus incipere oportet, nam de vitâ agitur in quocunque auxilio & erit in hoc caſu, non qualiscunque levis, ſed capitalis error. In ſumma neceſſitate pilulæ ex opio ſunt ex uſu; ut ℞. cinamo: ℥ß. maſtich: ℈j. Croci ℈ß. opii gr: 8 & cum Syrupo papaveris fiant 10, de quibus duas tantum æger accipiat, horâ ſomni. Hodiè etiam datur extractum opii & quidē, opinor, ſecurius, ut poſtea dicemus. *Hæc ille.* *Jacobus Bontius* extractum *Croci opio* mixtum jure magnificat. Et ſanè, inquit *Johannes Rhodius Not: in ſcrib: miram opii in ventris fluxu efficaciam obſervarunt plures. Dyſentericis præcipuè plurimum contuliſſe memini Aureliis virum experientiſſimum Claudium Maillardum pilulis familiaribus.* Hæc ex Opio & croco conſtant, ſicut *Collyrium Dyſentericum* & *Hypoticon Cælii Aureliani*, ad quod, inquit ille, *crocum, libanum, opium æquali pondere teres & cum ſucco arnogloſſæ colliges.*

Opiata quoque ore tenentur, ut ne humor Cerebri huc usque prolapſus, in ſtomachum fluat. Unde *Bernhardus Gordonius*, teneat. *inquit*, pilulas iſtas in ore die ac nocte: ℞. myrrhæ caſtor: thuris ol: ſtyrac: calam: a ℥j. Opii tragac: gum. Arab: a ℥j. conficiantur cum oxymelite & fiant Pilulæ. Ac *Nicol: Nic: Florent*: Et tertia intentio in curatione reſpicit materiam fluentem & fluxam. Hæc tertia intentio completur dupliciter, primum cum his, quæ materiam paratam fluere, à fluxu ad ſtomachum prohibet, quæ ſi fuerit calida, utiliter ſiſtitur, cum *Diacodion* in ore retento & deglutito. Et ſi fuerit frigida, utiliter conferunt thus, cubebæ & ſpica nardi. Singulariter & conjunctim cum in ore retinentur ac etiam deglutiuntur. *Hæc ille.* Utatur, *inquit Bertrucius, cotoneis poſt cibum. Peter Foreſtus:* in ore teneat Saccharum Roſaceum vel *Diacodium.*

Verùm quàm inanis ſit hæc ratio curandi, jam dudum *Vincentius Alſarius à Cruce* intellexit. Qui humor jam in oris ſpatium mittitur, ſi horum medicamentorum vi ſiſtitur, niſi expuatur, majori copiâ in gulam confluet. Tàm facilè enim in vulgus credunt autores, in ſtomachum fluere poſſe humores ſemel *Cerebro* lapſos.

Hujus remedii mentio exigit ſermonem de *Ptarmicis*, *Gargariſmis* & *Maſticatoriis*. Eorum *Haly* meminit: Si ſuperfluitas hæc cerebri caloris cauſam fluxum habet, aquam *gargarizet* coriandri & roſatam granatorum muzorum. Coriandrum lenticulamque *gargarizet* & liliorum radicem, diſſoluto primùm in eis Zafrarii modico, gargarizet roſam. Quod ſi materia phlegmatica eſt Cerebrum, à phlegmate purgetur cum medicaminibus, quibus intercidunt, myrobalanum Rebulum, aloe mirra, hezazum, caſtoreum, zafranũ. *Sternutatione* utatur cum condeſo & caſtorio. Syrupumq; gargarizet melleum, in quo ſpicam miſcueris. *Itemq; Rhaſes l. 1.* ad Manſorem: Conveniunt & ſternutatio & Gargariſmus. *Bertrucius:* Sternutationes ex condiſi & gargariſmata ex ſinapi vel oxymelle compoſito. *Nicolaus Florentinus* Caputpurgia & Gargariſmos & ſimilia adhiberi jubet. *Arnoldus Villanovanus:* Derivetur materia ad nares cum ſternutatorio, facto ex caſtoreo euphorb. ana miſtis & cum felle gruis vel galli, facies inde trochiſcos & pulv. eorum naribus inſuffletur. Hoc enim ſternutatorium multùm valet in hac cauſa. *Alexander Benedictus:* Gargariſmate juvat coriandri aqua cum mali punici ſucco. At ubi phlegma in cauſa eſt, ſternutamentis opus eſt ac gargariſſationibus cum mulſa, in qua carpeſium, cardamomum, zingiber, piper longum, ſinapi admixta ſunt, thus quoque cum aqua pluvia & potum & gargarizatum.

Johannes Baptiſta Montanus reprobat *Gargariſmata.* Gargariſmata verò, *inquit hic*, ſunt renuenda, quia ad partes pectoris trahunt materiam: & vos non debetis ad eam partem trahere, ne cogatis derivare ad aſperam arteriam, & facere incommoda. Caputpurgia & Maſticatoria conveniunt, qualia ſunt maſtix, radix capparis, ſtaphiagria, pyrethrum, hinc poteſtis facere pulveres, & cum cera componere, aliter diluerentur per guttur, & facerent excoriationem: cera autem adhæret propter viſciditatem & diu tene-

tur

tur in ore. *Hæc ille. D.D.Sennertus* etiam,*masticatoria.* Juvant,*inquiens*, *etiam Errhina. A masticatoriis & gargarismis abstinendum, ne materia catarrhi in stomachum & intestina trahatur.* Sed sub autore, Petro Foresto *: abstinui masticatoriis & gargarismis,ne materia traheretur ad stomachum & intestina. Sed nasipurgiis per nares contenti fuimus ex succo betæ & majoranæ.* Hujus igitur sententiam & verba reddidit *Sennertus*.Quanquam & plures ita sentiunt,ut *Johann.Michael Savonarola :* Divertatur Catarrhus post multas evacuationes trahendo materiam per nares. Item masticando mastichem & pyrethrum ; Mox fiat caputpurgium. *Ugo Senensis :* Non dimittenda masticatoria & alia. Imò postquam est usus caputpurgiis & masticatoriis, in diebus debet portare in manu nigellam infusam in aceto. *Johannes Matth. de Gradi :* fiendæ sunt diversiones per caputpurgia & masticatoria. *Alexander Benedictus :* Prosunt,quæ à naribus pituitam, & quæ ore commanducata salivam evocant. *Gulielmus Rondeletius :* Utendum erit caputpurgiis post pilulas vel masticatorio ex mastiche vel cubebis vel nuce moschata. Sic & *Forestus*, *Nicolaus Piso*, & *Felix Platerus.* Expurgare,*inquit hic*, cerebrum convenit particularibus evacuationibus, per nares & os factis. *Ac Joh. Jacobus Weckerus :* caput purgandum Masticatoriis & Errhinis.

Tandem illo ex genere autorum hoc *Nicolaus Florent :* subnectit: Cerebralis Diarrhœæ curatio tres habet intentiones, quarum *prima* vertitur ad Cerebrum, *secunda* ad stomachum, *tertia* respicit materiam fluentem & jam fluxam. Et prima quidem primò Cerebrum mundificat, secundò ipsum corrigit & rectificat. Mundificetur Cerebrum evacuatione materierum à capite. Quod si adhuc portio de ipsa generetur, illa expurganda est per os & nares, *probibendo*, *ne ad stomachum & intestina descendant.*

Primùm *Nicol:Florent :* probè intelligit, eum quoque humorem, quem eliciunt *Ptarmica*, in fauces, in gulam ac in stomachum manare posse. Etenim iter aeris, qui spirando ducitur, ad os interius spectat. Dein idem autor videt & hunc & eum humorem, quem movent *Masticatoria*, facilè arceri posse, ut nec in gulam stomachumq; nec in ipsa feratur intestina. Quarè frustrà damnat Sennertus *Masticatoria.* Decipitur à *Foresto*, qui tàm providus esse voluit.

luit. Fortè eo fato nec hic ab eo appellatur. Jam verò homo interdiu, nunquam noctu aut dormiens, ſed vigilans *Maſticatoriis* utitur. Quare inde provocatum humorem ex facili expuit. Is nunquam ingeritur, niſi glutiendo. Eſto: humores illi ſuopte motu & ſponte in gulam, ſtomachumque eunt. At talis eorum curſus haud ægrè avertitur, magis prono capite. Quantum, quæſo, illi humores tunc inveniunt exitum? Proinde homo omne illud periculum, quod *maſticatoria* afferunt aut *gargariſmi*, tàm parvâ declinatione, &, ut ajunt, corpore ſemper effugere poterit.

Cæterum cuncta *Ptarmica*, *Gargariſmata* & *Maſticatoria* ſunt irrita remedia, *Cerebri humoribus* hâc viâ neutiquam decurrentibus. Ac qui *cerebri* humores, hâc, quàm fingunt, *Cerebrali Diarrhœâ* ortâ, per inferiorem, ut loquitur *Comicus*, gutturem egeruntur, iidem & per Cerebrum *ptarmicorum* vi trajiciuntur. Nam eorum acredine Cerebrum ajunt ita corrugari, ut ille humor tandem exprimatur. Itaque Vaſcula ſanguinis ad *Narium* tunicam pertinentia, illum humorem multò commodius, quam *Cerebri* venæ reddere poſſe videntur. Itaque omnibus noſtra magis probabilis videbitur opinio.

Noviſſimè de *Diætâ* dicendum eſſe videtur. *C.Celſus* eam *ita ordinat*: non utatur cibis variis, minimeque jurulentis aut leguminibus oleribusve his, quæ celeriter deſcendunt, omnia deniq; fugiat, quæ tardè concoquuntur. Venatio, durique piſces & ex domeſticis animalibus aſſa caro maximè juvant. Nunquam vinum ſalſum bibere expedit, ne tenue quidem aut dulce; ſed auſterum & plenius, neque id ipſum pervetus: Si mulſo uti volet, id ex decocto melle faciendum eſt. Si frigidæ potiones ventrem ejus non turbant, his utendum potisſimùm eſt. Reliqua inferius ponentur. *Legumina*, *olera* & fungi maximè vitentur. Dum volunt, *inquit l.7.Epiſt.Famil. 127.M.T.Cicero*, iſti lauti terra nata, quæ lege excepta ſunt, in honorem adducere, fungos, helvellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil posſit eſſe ſvavius. In eas quum incidiſſem in cœna augurali apud Lentulum, tanta me διάῤῥοια arripuit, ut hodiè primum videar conſiſtere. Ita ego, qui me oſtreis & murenis facilè abſtinebam,

bam, à betâ etiam & à malva deceptus sum. *Hactenus Cicero.* Atque, *inquit Cælius Aurelianus*, volantum quæque ficciora, ut phasiani pectora vel perdicis aut attagenis agrestis sunt danda, quæ singula erunt postea aptè coquenda, aut mediocriter assanda, ne lignosa fiant, & digestioni officiant. Vinum naturâ adstringens. Tandem refutat Erasistratum, qui prohibet cibos digestibiles ac nutribiles. In fluxu Cerebrali, *inquit Johann. Michael Savonarola*, ordinetur in contractum causæ ex parte omnium rerum non naturalium, ut ex parte aeris, qui multùm contrahendus est in dispositionibus capitis, quia ei subitò & absque intervallo occurrit. Ut quod declinet ad calidum non excessivum, ne materiam eliquet & ad siccum & abstineat à frigido frigiditatem exprimendo, ut *aqua de spongia fluxus* augeatur, & sit cibus levis digestionis, non stypticus, abstersivus, ut ptisana hordei, panis modicum furfureus in brodio pulli & hujusmodi. Ex carnibus carnes temperatæ, levis digestionis, evitet lac, caseum & alia phlegmatis multiplicativa. Item in potu aquam Zuccharatam bibat, & abstineat à vino, nisi propter consuetudinem detur aurelium lymphatum cum *aqua chalybeata* simul & non plus. *Similiter Clementius Clementinus* cap. de flux. curat. item *Nicolaus Abrahamus Frambesarius:* Diarrhœa, quæ hanc mulierem exercet, est à pituita tenui & spumosa è cerebro in ventriculum delabente. Utatur ergo carnibus pullorum, columbarum, perdicum, caponum assis & cinamomo, caryophyllis & mentha conditis, pane bis cocto, oriza torrefacta, vino rubro, crasso, austero, *chalybeato. Hæc ille. Bertrucius* maximè abdicat vaporosos, ut vocat, cibos. *Curatur etiam cum vigiliis plurimis & abstinentia à cibo plurimo vaporoso & propriè circa noctem. Item Nicolaus Nicoli Florent.* Et hujusmodi cibi non debent esse styptici, sed potius abstersivi, sicut ptisana hordeacea & panis decoctus in brodio pullorum non pingui. Et dixit Haly in materia frigida grossos & frigidos caveat cibos. Et per consequens: in calida vaporosos, calidos & acutos. *Suprà* aquæ meminit *C. Celsus.* Ut *Savonarola*, sic *Joh. Jacobus Weckerus chalybeatam* memorat: cibus sit panis biscoctus, caro assa, oriza torrefacta, ventriculus gallinæ elixus vel assus. Potus *aqua chalybeata*, vinum crassum, adstringens, non meracum,

Quod ad *somnum* attinet, oportet, inquit *Avicenna c. 9. fen. 16. tract. 2.* ut habens eum fluxum Cerebralem omninò non *dormiat super collum.* Unde *Jacobus de Partibus*, ait, quod habentes hunc fluxum, non debent *dormire super collum* & dorsum supinè jacendo: quod faciliùs in hoc decubitu materiæ descendunt à Cerebro ad stomachum, quod divertuntur per hunc decubitum ab emunctoriis Cerebri, ut naribus, oculis & auribus. *Ejusdem Avicennæ interpres, Johannes Costæus:* Ubi ex Catarrho alvi fluxio cœpit, curatio à Catarrho inchoanda est. Jubet propterea, ne dormientes supra collum cubent, hoc est, ne vel supino corpore vel depresso capite decumbant. Cujus rei ratio est, non quod facilius ex malo eo decubitu humores in ventrem fluant, contrà enim potius, quàm recto capite & recto corpore stamus, faciliùs à capite ad ventriculum sui gravitate illabi videntur, sed ut arbitramur, ne in caput major vaporum & humorum copia influat, & catarrhus major excitetur.

Nunc *Rhases* l. 1. Divis. cap. 68. verbis interpretis ita loquitur: *Dimittere somnum super cervicem post repletionem cibi.* Unde *Nicolaus Florentinus*, ceu interpres: Et Rhases dixit: dimittat somnum super verticem post repletionem cibi. Et Avicenna dixit: non dormiat super collum: quod humiditates tunc magis ad stomachum. Ac etiam, ut quantò minus poterit, dormiat & longinquè à cibo. Et sumenda sunt in fine mensæ aliqua compressiva prohibentia ascensum vaporum, sicut cydonia, mastix & similia. *Hæc hic.* Nunc oppidò plures, *Joh. Michael Savonarola:* non dormiat super collum. *Joh. Matth. de Gradi:* ut non dormiat super collum. *Alexander Benedictus:* Prima inter curationes est, ut supinus somnus cavendus sit, & à cœna protinus, nec nisi celsâ cervice dormiendum sit. *Joh. Riolanus l. de morbis cap. 20. Quidam habent pro singulari remedio ad catarrhum, dormire capite demisso, hoc enim situ corporis vapores ad Cerebrum non adscendunt.* Adjicit *Bernhardus Gordonius:* dormiat quantò minus poterit. *Bertrucius* & hoc: fit hæc Diarrhœa Cerebralis per somnum & resupinationem. Cœna quoque sit levior prandio. Utatur post cibum cydoneis.

Supi-

Supinus cubitus falsis de causis damnatur. Non enim de naribus & de ore in gulam rectà fluit humor, uti sentit *Jacobus de Partibus*. Sciat hic, nihil hominem nisi glutiendo assumere. Nec eodem illo cubitu plus vaporum in *Cerebrum* de stomacho allevatur, quemadmodum *Costæo* & *Riolano* videtur, aut in Cerebrum, ut placet *Nicol: Florent*: de stomacho trahitur. Hoc pacto nec humores meant, nec vapores. Nec Cerebri humoribus patet stomachus, nec hujus vaporum injuriis expositum est Cerebrum. Nec *cydonia* aut alia adstrictoriæ virtutis cibaria novissimo cibo assumpta osculum stomachi ita claudunt, ut nullus inde flatus sursum niti queat ac oboriri. Atque talia portenta opinionum pluribus convicimus. Cæterùm si quis aliquâ *Diarrhœâ* implicitus est, hic interdum supinus cubare potest. Nihil tale timeatur. Illa jacēdi positione, intestina commodè quiescunt. Idem æger non prono humique fuso capite, uti quidem pro opinione vulgi sentiunt, *Costæus* & *Riolanus*, sed eo potius in sublime habito dormiat. Idemque adhibitâ quiete potiùs, quàm vigiliis curetur. Quare nec *Bernhardus Gordonius* nec alii, quos appellavi sæpiùs, sunt audiendi. *Arnoldus Villanovanus* & alii, *pilulas de Cynoglossâ* & alia, ut vocant, *Opiata* ajunt etiam ad *Diarrhœam Cerebralem* dari. Illa non sistent tantùm alvum fluentem, sed etiam facient somnum. Quo modo æger & *opiatis* medicamentis curari potest & vigiliis? Ac Medici in commune quietem magis, fusâ alvo, imperant, ut *Cælius Aurelianus*, somnus, *inquiens*, etiam plurimus curandus est. Frustrà igitur *Bertrucium* sequitur *Clementius Clementinus*, somnus, *inquiens*, est optimus & salubris, præterquam fluxui Catarrhali.

Affectus animi ut quoque dicamus, nostri operis contextus exigit. Sunt, *inquit Godofredus Steeghius lib. 8. cap. 49*, qui incidunt in diarrhœas ex nimio metu, confluentibus in interiora humoribus, qui *gaudio* curari solent, vel cessante metu melius habere. *Hæc ille. Mentis exagitatio*, inquit Clementius Clementinus, *& corporis concitat fluxum*. Quocirca *Ira* nihil proderit. Verùm ejus svasores sunt ex Græcis *Hippocrates* ac *Galenus*, ex Arabibus verò *Haly Rhodoam*. Atque in Philosophorum scholâ *iræ* probator defensorque stat *Aristoteles*. Hic & *4. Et hic*: verbis Interpretis ita loquitur: *non est*

facilè, determinare, quonam modo, & quibus & pro quibus & quanto tempore irascendum sit, & quousque quis iratus rectè faciat aut peccet. In singulis enim & sensus & judicium est. Ex eâ nota differit *Ludovicus Septalius com: in lib. Hipp: de aere, aquis & locis.* Ac *Vincentius Alsarius à* Cruce *lib. 3. de Lethargo* differens, hunc animi affectum prædicat: Animi accidentia, præsertim ira, aut aliqua alia perturbatio, commoveantur, & excitentur, oportet. Sic namque totum corpus calefieri, humores discuti & somnus abigi potest. Atque in irâ, ad cor & caput trahuntur sanguis & spiritus, ut docet Hipp: 6. Epid: com: 5. his verbis: excandescentia attrahit etiam cor & pulmonem in seipsa, & in caput calidum & humidum. Addatis quod Galenus in com: asserit, calori vitali debilitato iram remedio esse. Et Hippocrates rursus 2. Epid: Danda, inquit, est opera, ut ira excitetur & caloris & succi recuperandi gratiâ. Non me tamen latet, quod de ira tradit Galenus ipse 12. Meth. 5. eo scilicet modo lædere, quo multæ vigiliæ, vires resolvendo, sed à me laudatur nescio quæ moderata excandescentia citra ullum metum, cum quo sæpius permista esse solet, ut calfaciat & exiccet, in morbo suapte natura frigido & humido, & à somno illo profundo Lethargicos suscitet, Cerebrum calfaciendo & spiritus, qui torpidi & inertes existunt. Jam verò *Ugo Senensis*, cujus verba l. 5. *de Catarrhis S. 2. c. 7.* posui, *iram* asseverat esse utilem ei, qui ipso *Catarrho Stomachico* premitur. Cui certè *Johannes Baptista Montanus* cap. de Catarrho VIII. adstipulatur, meministis, *inquiens*, nos proposuisse juvenem XXV. annorum affectum destillatione, quæ per venas interiores ad partes pectoris defluebat & tussiculam ac difficultatem anhelitus efficiebat. Altera pars per exteriores venas ad glandulas: altera etiam per *gulam ad ventriculum* descendebat. Primum est rectam in victu constituere rationem. Hæc circa cibum & potum. De accidentibus animi, quoniam caput afficitur, cujus innata temperies calida & sicca erat, sed propter malam victus rationem nunc frigidam & humidam acquisivit, opus est, ut calefiat & exiccetur. Omnia autem animi accidentia immoderata, quæ possunt calefacere, & exiccare sine spirituum resolutione juvabunt, ideò aliqua brevis *iracundia* & fervor spirituum non erit inconveniens, dummodò non

ita

ita excandescat, ut spiritus resolvantur & corpus reddatur frigidius. *Hæc ille.* Verùm dicto *libro de Catarrhis* ostendo, quàm inutiliter omnes *catarrhosi* stomachentur, etiam illi, qui *stomachico tenentur Catarrho. Montanus* quidem & reliqui moventur autoritate *Hippocratis*, ut ilicò commodent assensum. Ac vicissim apud *Platonem Socrates est diversus*, *hic quoque* nihil sine cunctatione proferri præcipit, ut omnia dicta ad lancem prius exigantur. Medentes igitur potius sequantur rationem, lucem veritatis. Ii Autoritatibus tantùm adstricti, ast inscii ac cupidi juvandi, ægris curando nocebunt, ut marito suo *Dejanira. Iram* plures, ut & *Sanctus Nilus Abbas, morbum animi* judicant. Quomodo ille morbum corporis depellet? Illa lenis effusio animi in lætitia quamlibet *Diarrhœam* potius sedabit, quàm illa aspera ejusdem animi contractio. Ille quoque motus ad *iram* quàm pestifer per se existit? Nec tàm calefacit sanguinem, quàm turbat. Omnia innoxiæ remissionis genera reliqua sunt magis salubria. *Ira* igitur valetudini semper adversa, summo studio declinetur.

Novissimè fiat mentio *exercitationum corporis.* Quem verò, *inquit* C. *Celsus*, frequenter citata alvus exercet, huic opus est pilâ similibusque superiores partes exercere, dum jejunus est, ambulare, vitare solis nimium ardorem, continua balnea, ungi circa sudorem, semper autem post cibum conquiescere, ac neque intendere animum, neque ambulatione, quamvis leni, dimoverì. Si quis verò stomacho laborat, legere clarè debet: post lectionem ambulare, tùm pilâ vel armis, aliove quo genere, quo superior pars movetur, exerceri. Atque *Cælius Aurelianus* ita: Ordinanda etiam cætera resumptiva atque recorporativa virtute medentia, ut gestatio varia, deambulatio, ocis exercitium, perunctio, defricatio, quæ exercitii tempore atque nunc uncto corpore, nunc arido erit aptissima.

De frictione rursus *C. Celsus* l. 4. c. 19. ita sentit: Postero die si nihilominus liquida alvus est, æquè conquiescere, paulum adstringentis cibi sumere, tertio die in balneum ire, vehementer omnia præter ventrem perfricare. Atque *paulò post:* In hoc autem

affectu corporis neque ambulatione, neque frictione opus eſt: vehiculo ſediſſe, vel magis etiam equo, prodeſt.

Externa remedia perſequitur *Cælius Aurelianus*, item *Marcellus*. Unde *Baldivinus Ronſeus*, canis vivus, *inquit*, ſtomacho admotus, facit ad digeſtionem ſtomachi. De eorum quoque conſilio venter oleis perfunditur. Oleum, inquit *Bartholomæus Vicarius*, duobus vaſis vitreis incluſum in cacabo, calidâ aquâ pleno excalfiat, ut dum unius vaſis oleum per infundibulum in ventriculi regionem infunditur, alterum incaleſcat; inſtrumentum autem excavatum cum cerato maſtichino, regioni ventriculi applicetur, ne oleum, quod infunditur, effluat, & ex alto in ventriculum cadens, per longum ipſius inſtrumenti ductum in alterum vas decidat. Altitudo verò, unde olei gutta in ventriculum decidit, ſit duorum aut trium palmorum. Illud autem ſtillicidium non ſolùm regioni ventriculi, ſed etiam circa *duodecimam vertebram* infundi poteſt. *Hæc ille.* Ac *Foreſtus* quoque ad illam *vertebram* admovet fomentum. *Clementius Clementinus* commendat *cucurbitam: compertum*, inquit ille, *habemus, quod ventoſa magna umbilico admota, in parvo temporis ſpatio ſiſtit fluxum.* Cæterùm portetur, *inquit Bartholomæus Montagnana*, *pellis vulturis*, *vulpina pellis* aut *fruſtum panni de grana, maximè æſtivo tempore. De expertis autem Galeni fuit Corallium rubrum ſelectiſſimum. Rhaſes* & alii collaudarunt *Smaragdum* (ſunt interpretis verba) auro circumligatum in manu portatum. *Sunt vana cuncta.*

CATAR-

CATARRHUS SPINALIS MEDULLÆ.

Sextus Catarrhus est ille, quem *Hippocrates* tradit in *Spinalem Medullam per Venas* ferri. Hunc pluribus verbis exequitur. *Septem Hippocratis Catarrhos* percenset variè *Theodorus Zvvingerus*, itemque *Iohannes Baptista Montanus*. Diversimodè ab ipso *Hippocrate* cognominatur hic *Sextus Catarrhus*. Hujus *Catarrhi* vias tradit *Hippocrates* esse *venas*. Has & juniores autores memorant, *Langius* & *Ronseus*. *Venas* Corporis credit *Hippocrates* originem suam à *Capite & à Cerebro* trahere. Eam ipsam opinionem coarguit *Galenus*. *Cor* est principium *venarum arteriarumq́;* etiam consensu Medicorum hujus ætatis. *Cervicale Sanguinis vas* vicina Cerebri tantùm contingit. *Arteriæ* in *Spinalem Medullam* convehunt *communem, non privatum Cerebri Sanguinem*. Juniores autores monstrant alias *vias*, quibus *Cerebri humor* rectâ in *Spinalem Medullam* fluere posse putatur. Sunt *tres* viæ. *Prima* est *Ferneliana*. *Secunda* est *Occipitii foramen*. Hinc *Gulielmus Fabricius* & *Dan. Sennertus* refutantur. *Tertiam viam* duce *Hippocrate* faciunt *venæ*. *Dorsi spina* interdum redditur *gibbera* non à *Cerebri pituitâ*, sed ab humoribus *Massæ Sanguineæ*. *Diagnostica Signa hujus Catarrhi in Spinalem Medullam lati* sunt nulla. Quæ persequitur *Montanus*, sunt *frigiditas in descensu*, *corporis stupiditas*, *Paralysis*, *Luxationes Membrorum*. *Venæ Lumbricales* in Cerebrum usque adscendere perhibentur. *Autores* nominatim appellantur. Contra nonnulli eas ajunt descendere. De cunctâ re dubitat *D. Caspar Bartholinus*. *Vasa intercostalia* etiam partem *Spinalis Medullæ* nutriunt. Hæc & *Cervicalia* graviorem faciunt *Paralysin*, quàm *Lumbaria*. Per *Venas Lumbares* non fluit in *spinalem medullam* humor hujus *Catarrhi*. Quantum ad *Signa Prognostica*, hunc

Catar-

Catarrhum autore *Hippocrate* ſequuntur *Tabes* & *Iſchias*. *Tabes* fit duplici modo. Utraque eſt nulla. Humor nec *per guttur*, nec *per Spinalem Medullam* defluit. *Tabis Dorſalis ſpecies* facit *quatuor Peter Salius Diverſus*. *Tabes Dorſalis* de *venere* & de *Spinalis Medullæ ſiccitate* nata eſt una. Itidem una, quæ de *ſanguine* & de *Pituitâ* oritur. Haud occulta eſt cauſa, cur *Tabes* inter Catarrhos olim fuerit numerata. Liquor Genitalis non de *Cerebro* venit. Decipitur *Hippocrates*. Nec humor Cerebri fluit in *Matricem*. *Ferneliana Opinio* eſt *Hippocratis*. Hic & falsò tradit *Iugulares capitis venas* rectâ usque ad *pollicem pedis* currere. Ab ejuſmodi vaſis ille *Spinalis Medullæ* Catarrhus non oritur. Aliud *Tabis* genus pertinet ad *catarrhum* ἐς τὸ αἷμα ſeu ad *Catarrhum Sanguinis*, non ad *Catarrhum Spinalis Medullæ*. Ad *Iſchiada* ſpectant *Arthritis* & *Podagra*. *Hydrops* quoque, duce *Hippocrate*, ſequitur hunc *Spinalis Medullæ Catarrhum*, at ad *Catarrhum Sanguinis* refert eum *Ioh. Bapt. Montanus*. *Spinalis Medullæ Catarrhus*, docente *Hippocrate*, eſt *lethalis*. *Hippocrates Ptarmica* adhibet. Eſt inepta ratio curandi. *Anteriores capitis partes* fruſtrà finguntur *ſiccæ*, item *inanes*. Ratio aperiendi meatus narium eſt parùm idonea. Humor *Spinali Medullæ* fixiùs inhærebit, refrigeratis *poſterioribus Cerebri*. Nec *Ptarmica* ex *Spinali Medullâ* per *medium Cerebri* poſſunt humores *trahere* usque ad *Nares*. Nec *Spinalis Medullæ* **Cauterium** humores poterit evocare.

✠

PRæfato opus non eſt, ſi res certo ex ordine ac numero pertractantur. *Sextum* Catarrhum *Hippocrates libro de glandulis* reddit hiſce: ῥόοι ἀπὸ κεφαλῆς ἄλλοι διὰ φλεβῶν ἐπὶ νωτιαῖον, hoc eſt, *fluxiones â capite aliæ per venas in ſpinam*. En cunctum illius ſermonis contextum: ἄλλος ῥόος ἐπ' ὀφθαλμία, ἄλλος ἐπὶ ῥῖνας ὁ κατάῤῥους, ἐπὶ τὰ ὦτα. Ἦν δὲ τὸ ὀπίσω ῥεῦμα,

ἢ δι

ἢ δὶ ὑπερώης τὸ ἀφικόμενον φλέγμα ἐς τὴν κοιλίαν ῥέουσι. Ἄλλοις δὶ ὑπερώης ἐπὶ φάρυγγα. Ἀλλ' ἡ νοῦσος διὰ φλεβῶν ἐπὶ νωτιαῖον ἀπὸ καταῤῥου κεφαλῆς, ἀΐσσει δὲ ἐνταῦθ' ἐπὶ ἱερὸν ὀστέον, ἄγων τὴν ἐπιῤῥοὴν ὁ νωτιαῖος καὶ ἐναπέθετο τῇσι κοτύλῃσι τῶν ἰσχίων. Καὶ ἢν ποιέῃ φθίσιν, καὶ μαραίνεται ὁ ἄνθρωπος ὧδε καὶ ὧδε, καὶ ζώειν οὐκ ἐθέλει. Ταχὺ γὰρ πονέει τὴν σπάθην, καὶ ἅμα τὼ πόδε καὶ μηρὼ παρέπονται. Καὶ αἰεὶ τελέως ὄλλυνται χρόνῳ πολλῷ μελεδαινόμενοι καὶ οὔτε ἀπηύδηκε καὶ θνήσκει. Ταῦτά μοι περὶ ῥόω ἀπὸ κεφαλῆς εἴρηται. Alia fluxio in oculos, alia in nares, in aures. Quod ſi fluxio poſteriore parte procedat, aut per palatum pituita ad ventrem perveniat. Aliis fluxio per palatum ad Laryngem. Alius morbus ex defluxione capitis per venas in ſpinalem medullam, cùm inde ad os ſacrum impetu fertur, ſpinali medullâ eò fluxionem deducente & in coxendicum acetabula deponente. Quod ſi *tabem* fecerit, & utroque modo homo contabeſcit, neque vivere expetit. Confeſtim enim ſcapulæ dolent, ſimulque ambo pedes & crura conſequuntur, tandemque pereunt longo tempore curationem trahentes, neque viribus homo deficit & moritur. Atque illa mihi de fluxionibus à capite dicta ſunt.

Ac *Libro de locis in homine* de eodem hoc *ſexto* Catarrho retexit: ὅταν δ' ἐς τὴν μυελὸν ῥόος γένηται, φθίσις ἄλλη (alii legunt τυφλὴ) γίνεται. Ὅταν δ' ὄπισθεν ἐς τοὺς σπονδύλους, καὶ ἐς τὰς σάρκας ῥόη, ὕδρωψ γίνεται. hoc eſt, cùm verò in medullam fluxio cōtigerit, *tabes* cæca oritur. Quod ſi verò in vertebras & carnes defluxerit, aqua intercutem ſuboritur. Quin & oculorum caligo accedit & unà cum reliquo corpore ex virore palleſcunt, neque quicquam expuitur, ne ſi multum quidem defluat. *Fluxio enim per mediam carnem poſteriore parte delapſa & ab anteriore averſa, anteriores partes ſiccas reddit, carnemque in poſteriora irrigat, eamque magis, quæ ad interiora eſt, ad ventrem, quàm quæ ad exteriora, ad nares.* Eamq; ob cauſam corpus exteriore parte magis, quam interiore ſolidum exiſtit & *foramina habet anguſtiora.* Quæ cùm tenuia ſint, conſtipantur, ipſaque ſibi ipſis medentur, nullaque hac parte fluxio ferri poteſt. Intra autem cum latiora ſunt, tùm intermedia tenuiora habent, fluxio verò cùm ex altioribus delabatur & tenuia contra

ſe objecta habeat, defluit & carnes humiditate replet. Quin & humiditas, quæ ex cibis eodem defertur, corrumpitur, ipſaq; ex commixtione corrupta, & quod cum ea ex capite defluit, corpus nutriunt. Plurimo verò humore carnes nutritæ & morboſo turgidæ, aquâ intercutem replentur. Quod ſi parum defluxerit, *ἰσχίαδα* h.e. coxarium morbum & diuturnos articulorum affectus (*κέδματα* dicuntur) facit, ſi fluere ceſſaverit. Nam cùm exiguum ſit, quod affluit, & undiquaque à potentioribus partibus depulſum, ad articulos ſe recipit. Diuturni quoque articulorum affectus, *κέδματα* dicti & coxendicum morbi, iis, qui ab ejuſmodi morbis convaluerunt, contingunt, quando, quod morbum facit, ſanum evaſerit, in carne verò quid remanſerit, cui cùm neque intrò denuò, neque foràs exitus pateat, ſed in cute tuberculum creet, in ipſo exitu confugit ad id, quod cadere poteſt, articulos nimirum, & aut articulorum diuturnos affectus (*κέδματα*) aut coxendicum morbum (*ἰσχίαδα*) parit. *Et jam:* ὅταν ἐς τὴν πνεύμονα ῥεύσῃ ἐκ τῆς κεφαλῆς διὰ τοῦ βρόγχου καὶ τῶν ἀρτηριῶν, φθίσις γίνεται. ὅταν δ' ὄπισθεν ῥεύσει ἐς τὴν ῥάχιν, φθίσις γίνεται τούτῳ τοιάδε τὴν ὀσφὴν ἀλγέει καὶ τὰ ἔμπροσθεν τῆς κεφαλῆς κενὰ δοκέουσιν αὐτῷ εἶναι. *Ac adhuc:* ὁπότε δ' ἐς τὴν σάρκα παρὰ τοὺς σπονδύλους ῥεύσαντας ὕδρωπα ποιήσῃ. Cùm autem in carnem poſteriore parte juxta vertebras illapſa fluxio aquam intercutem excitârit, hunc in modum curato. Cervicis carnem, quæ in medio eſt venarum, *tribus cruſtis inurito*, inuſtum conſtringito & quàm tenuiſſimas cicatrices facito. Et ubi viam intercluſeris, medicamentum *ad nares admoveto, ut eò divertatur & imbecillum rurſus*, donec *aliò avertatur*, ac *anteriores quidem capitis partes calefacito*, poſteriores verò refrigerato. Et poſtquam *partibus capitis anterioribus excalfactis*, tibi videbitur, cibos edat, qui corpus maximè tumefaciunt, & minimè ventrem ſubducunt, quò *fluxionis meatus anteriore capitis parte quàm maximè dilatentur:* Poſtquam verò viam intercluſeris, & id, quod affluit, averteris, ſi quid prius quàm fluxionem ad curationem accommodaris, ad corpus penetrârit, ad corpus pervenerit, hoc modo curare oportet. *Noviſſimèque*; Ubi namque fluxioni via interclu-

tercluſa fuerit, neque habuerit, quò procedat, via ad articulos facta, in id, quod cedit, defluit, & coxendicum morbum inducit, aut poſteriorum partium tabem: καὶ ἰσχιάδα ποιέει ἢ ὄπισθεν φθίσιν.

Theodorus Zvingerus in tab. lib. Hippocr. de locis in homine ſumma capita rerum ita complectitur:

- Fluxiones ſunt
  - manifeſtæ ſeu φανεραὶ & quidem tres
    - ad *Nares.*
    - ad *Aures.*
    - ad *Oculos.*
  - non manifeſtæ ſeu ἄδηλαι vel in
    - anteriores partes
      - in *Thoracem* per *aſperam arteriam.*
      - in *ventrem inferiorem per gulam.*
    - poſteriores
      - in Medullam ſpinalem.
      - in vertebras & muſculos lumborum, unde hydrops.
      - in coxam, & fit Iſchias, Arthritis, Chiragra, & Podagra. *Hæc hic.*

Et hac ratione Catarrhi enarrantur, non ſeptem, ſed octo. Igitur longè ſecus *in tab. lib. de Glandulis idem autor:*

Fluxiones ſunt

- manifeſtæ ſeu καταφανέες, haud lethales, οὐ πάμπαν θανατώδεες, ac fiunt ad partes anteriores
  - ad Nares.
  - ad Aures.
  - ad Oculos.
- non manifeſtæ, magis periculoſæ, ac fiunt ad partes poſteriores
  - ad Thoracem per aſperam arteriam.
  - ad Ventrem inferiorem per gulam.
  - ad Spinalem medullam.
  - ad Vertebras & ad Coxam, unde Iſchias.

Aſt mox omnium commodiſſimè:

Fluxiones à capite in reliquas partes factæ ſunt ſeptem numero, nimirum vel in eas, per quas excerni ſtatim

- poſſunt ac feruntur ad
  - Aures.
  - Oculos.
  - Nares.
- non poſſunt, ſunt numero quatuor, aliæ petunt vias
  - Ampliores tum
    - Faucium (*gutturis*) ad pulmones.
    - Gulæ ad vẽtriculum.
  - Arctiores, venarum communiter dictarum, nimirùm per
    - Medullam Spinalem ad Nervos.
    - Venas propriè dictas in Sanguinẽ ipſum.

Atque

Atque J*ohannes Baptiſta Montanus Lect: in non: lib. Rhaſis ad R. Almanſ: 48. cap. 8. Septem illos* Catarrhos *Hippocratis* hôc ordine refert: Hippocrates expreſſius in libello de glandulis, & in alio libello de locis in homine, in utroque illorum ſub nomine Catarrhi omnem, deſtillationem à capite appellat ad ſubjectas partes decumbentem & *Septem* ſpecies ponit, quas declarabimus. *Et proximus:* oportet tradere doctrinam per methodum, ut fontes habeatis, à quibus ſumere valeatis omnes diſtinctiones. Hippocrates in lib. de Gland: methodum tradidit, quam poſſumus eligere, ubi de omni Catarrho deſcendente à capite ad inferiora loquens ad *ſeptem* fontes reduxit & inquit: omnis catarrhus poteſt deſcendere per ſeptem vias & meatus, vel per oculos, vel per aures, per nares, per palatum, vel per utrumque ventriculum inferiorem (appellat duos ventres inferiores, thoracem & ventriculum) vel per venas & arterias, vel per *vertebras & nervos.* Iſtæ ſunt *ſeptem* viæ, per quas neceſſariò tranſit Catarrhus, cum à capite deſcendit, nec poſſunt eſſe plures, nec pauciores. Si Catarrhus per *nervos*, ita quod tranſit per vertebras colli & dorſi, & ad partes inferiores deſcendit, & ſecundum diverſas vias, facit diverſa accidentia & diverſas ægritudines, ut mox dicetur. *Et rurſus:* Aut deſtillatio per foramina tendentia ad oculos, nares, aures, palatum deſcendit, vel per vias latas & canales amplos, ſcilicet per œſophagum vel per aſperam arteriam, vel per vaſa, vel per *ſpinalem medullam* ad totum corpus. *Ac tandem breviter:* vel per foramina oculorum, aurium & narium, vel per canales amplos, id eſt, aſperam arteriam & œſophagum, vel venas & arterias, vel *ſpinalem medullam* ac *nervos.*

Hippocrates vocant κατάρρουν ἐπὶ νωτιαῖον, item ἐς μυελὸν, itemque ἐς τὴν ῥάχιν. Juniores verò, ut *Zuingerus*, *Crato* in *Analog: & Montanus*, nuncupant *Catarrhum per vertebram* vel per *nervos* vel per *vertebram* & *nervos*, vel *Catarrhum per ſpinalem medullam ad nervos* vel *Catarrhum per ſpinalem medullam.* Sic & epiſt: 32. *Baldvinus Ronſſeus.* Nos *Hippocrate* autore appellamus *Catarrhum ſpinalis Medullæ.*

Quapropter *cerebri* humorem in *medullam ſpinalem* & inde ulteriùs quoque decurrere, receptum eſt. Quâ ex traditione hoc eſſe

 ani-

animadvertimus, quod *Hier: Capivaccius* in *consilio V. ait:* affectus, de quibus patiens conqueritur, duo potissimum sunt: dolor quidam circa os Sacrum, tùm assidua capitis destillatio. Hæc inde cognoscitur, quòd os semper madet, & assiduò pituita expuitur. Doloris causa est solutio unitatis, nam cùm pondus aliquod grave è terra sublevare niteretur, partes illæ circa Os Sacrum, cùm magis, quàm par esset, tenderetur, necessariò illarum continuitas soluta fuit. Postmodùm partes hæ debiles redditæ, fluxionem quandam materiæ insipidæ suscipere inceperunt, & continuò suscipiunt. Generatur autem materia hæc pituitosa in capite, læsa ipsius concoctione ob intemperiem Cerebri humidam & forsan aliquo pacto frigidam.

Hic autor de *viis* minimè dubitat, cùm eas facile sit, cogitando invenire. *Hippocrates* talem quidem humorem per *venas*, διὰ φλεβῶν tradit fluere. Inde est, quod *Johannes Langius* l. 2. Epist. 53. *venas* itidem memoret, alius, *inquiens*, morbus, ait Hippocrates, oritur in homine, ex *defluxione capitis* per *venas in spinalem medullam*, inde porrò in *os Sacrum* impetum facit, quo medulla ipsa fluxionem perducit, & in coxendicum acetabula sive juncturas deponit, & si intabuerit, homo marcescit, nec ob dolorem vivere expetit.

Quâ ex persuasione etiam *Epist. 32. Baldvinus Ronsseus:* tabes dorsalis originem trahit à materia pituitosa sanguini aut flatibus aut melancholiæ mixta per *modum Catarrhi à capite per venas in spinalem medullam* decumbit, nobis sermo est. Ex medulla autem in os Sacrum impetum facit, quo medulla ipsa fluxionem producit, & in Coxendicum acetabula seu juncturas deponit. Porrò quod *spinalis medulla* arescat atque marcescat, in causa est *obstructio orificiorum ac venarum atque vasorum à cerebro ad spinam sanguinem atque spiritum deferentium*, quo fit, ut curandi methodus in eo consilio consistat, ut reseratis poris, materia peccans evacuetur.

Turba nimis docilis illud continuò habet ratum, quod à vetustiore illo autore *Hippocrate* existimatum videt. Hic ipse autem hoc profert, falso dogmate subnixus. Antiquitùs teste *Aristotele*, super *origine Venarum* haud consensum fuit. Eam *Cyprius* quidam Medicus ab Oculis, à stomacho *Diogenes Apolliniates* & pro-

dente

dente *Photio, Dionysius Egeus*, tandem *Pelops, Polybus* & *Hippocrates lib. de Nat: hominis & de Oss:* à Cerebro deduxerunt. Et hoc est, quòd hic ipse humorem à *Cerebro in Spinalem Medullam* per *venas* tàm facilè fluere opinatus fuerit. Tàm ferax sui est falsum. Verùm *Galenus lib. 6. de Hipp: & Plat. decret: cap: 5.* in eo prolixus est, ut *Hippocratem* superiore illo errore liberet, equidem, *inquiens*, rationem hanc cùm ex Pelope, Præceptore meo, qui probare vasorum omnium originem cerebrum esse nitebatur, adolescentulus audivissem, neq; tunc ex tempore admisi, neq; posteà re consideratâ approbavi. Nam quæ à capite quatuor illa venarum paria ferri dicuntur, inserta in Hippocratis operibus, ibique ab alio manifestè mihi videtur concinnata: cùm nuspiam ostendi queant: alia enim, quæ de venis dixit Hippocrates, quæ omnia in libris de dissectione scripta reliquit, conveniunt cum anatomicis aliis, monstranturq; etiam à nobis, quatuor verò illa paria, præterquam quod à nullo alio dissectionis professore commemorantur, neque ostendi quidem possunt ab aliquo, sed nonnulli eorum, qui ea ponunt, quamvis monstrare non valent, credere se Hippocrati ajunt: quasi de re contemplabili ratione, non sensibus exposita agatur. Alii monstraturos quidem se promittunt, sed tamen id nunquam præstant. Quanquam si in aliquo alio ex iis, qui ascriptitii sunt libri Hippocratis, quatuor hæc venarum paria reperirentur, minus mirum esset, sed in eo etiam sunt, qui de Naturâ hominis inscribitur juxta finem posteriore scilicet ejus libri parte, quæ est de victus ratione, cui venarum etiam dissectionem, quæ nullam omninò cum ratione victus habet connexionem, adjunxerunt: nam longè probabilius priori hujus operis parti annecti poterat. Verùm ille, qui hoc concinnavit, ita magis latere posse fraudem suam arbitratus est, si ad finem adscripsisset. Quam tamen neque rationem ullam habere, qua priori opusculi parti adjungi queat, cuilibet, qui modò librum eum legerit, perspicuum esse debet, de naturâ enim hominis ibi agitur, quæ ex elementis constat, non quæ ex dissectione apparet. At verò de dissectione harum venarum neque Hippocratis neque Polybi tractationem esse & ante nos alii demonstrarunt & nos

etiam,

etiam,ſi Deus aliquando conceſſerit, ut de germanis, verisque Hippocratis libris commentarium ſcribimus, pluribus oſtendemus.

Cùm itaque *Hippocrates* illius opinionis fruſtrà ſit, ipſe ac *Galenus* quoque *Cerebri* humorem nunc ſponte negabunt per *venas* in *Spinalem Medullam* ferri. Præterea dubio procul *Hippocrates venarum* vocabulo etiam *arterias* indicavit. Illarum verò,ut & *venarum* principium non *Cerebrum*, ſed *cor* eſt, ita edocuit *Ariſtoteles*, Apex Philoſophorum. Quam opinionem & hujus ætatis Medici probant *Hofmannus*,*Spigelius*,*Veslingius*,*Highmorus*. Jam verò arteriæ micando ſurſum verſus pellunt humorem,quemadmodum illa ipſa *cervicalis arteria*, quæ *ſpinali Medullæ* alimoniam ſubminiſtrat. Quo pacto igitur illa de *cerebro* reportabit *ſanguinem* & cum eo alios vitioſos humores? Venæ à *capite* & à *cerebro* quicquid humoris ſupereſt, revehunt. Illam *cervicalem venam* quidem *Andreas Laurentius* cenſet *viſcera cerebri* perreptare, at *Veſalius* tantum *Duræ Meningis ſinus*, at eos ſolos priores intrare. Cui autem nec in hoc aſſentitur *Caſpar Bauhinus*,præter has,lib.3.cap.10.*inquiens*,quinque venas,ſunt qui & aliam (quam pro primâ cerebri vena recenſent) dari velint, quæ cervicalis venæ ſit terminus: nam cum cervicalis ad ſummum cervicem venerit, ipſius reſiduum una cum conjuge Arteria per Occipitii oſſis foramen tertium privatim illi paratum vel eo abſente per ſecundum, quod pro nervorum ſeptimo pari factum,pertranſire & utrinque in ſinum craſſæ membranæ deſinere. Quod hactenus,fateor,reperire non potuimus, quò verò & aliis non deſit inquirendi occaſio, eam tamen figuræ addidimus. Cervicalem enim venam partim in foraminibus vertebrarum cervicis abſumi, ita tamen, ut ne primam quidem vertebram attingat, partim in cervicis poſteriora, ramis etiam ex adverſo ad muſculos cervicis poſteriores tranſmiſſis,diſſeminari, à Fallopio edocti, notavimus. *Hæc Autor.* Quod ſi ita eſt,nec cerebri ſanguis *venis* in *ſpinalem Medullam* conferetur. Ac quæ *venæ* infra cor exiſtentes, ad *ſpinalem Medullam* tendunt, illæ non *cerebri ſanguinem* important, quippe quæ, ut & *Lumbares* à *cerebro* valdè remotæ ſunt. Ac fingamus, *venas* illas *vertebrales*, ut vocant, ſeu *cervicales* ingredi *cerebrum.*

brum. Nunc *Galenus venam* comitari in reliquo corpore *arteriam*, in cerebro autem alteram alteri occurrere ac quasi obviam ire proponit. Quare utriusque vasculi osculis coeuntibus, sanguis commeabit, nec erit *cerebri* privatus sanguis, sed communis, qui â corde meat, ad idque remeat. Sunt multi autores, qui pituitam semel emissam negant rursus ingredi venas, illamque solam excipiunt, quam *cerebro* dejectam credunt per *gulam* in *stomachum* ferri, uti asseclæ Fernelii. Quapropter *cerebri* humorem haud imbibent illæ *venæ*, quæ *cerebri* vicina contingunt ac pertinent ad *spinalem Medullam.* Quo modo igitur ille *spinalis Medullæ catarrhus* fieri poterit, cujus humorem *Hippocrates* ait à *cerebro*, *venis* transmitti?

Juniores errorem augent. Nam ingenio quasi abundantes, plures *vias* adinveniunt. Quo ê genere quoque est *Georgius Bertinus Campanus*, non semper, *inquiens*, destillatio à capite, sed à partibus internis, maximè principibus & *genere venoso*, humorum impuritate sordescente, decumbit. Quocirca humor serosus, qui in articulos effunditur, aut à *cerebro* aut à *venis* derivatur. Cùm autem fluxurus est humor à *cerebro per foramen Nuchæ colli* & *spinalem Medullam* in articulos, gravitas capitis, tinnitus aurium, cervicis dolor frequens, vertigo, frigoris aut horroris sensus & levis quidã dolor comitantur. Nunc alimentum per *venas* cœcas roris modo in articulos influit. Quamobrem semper humor modò à *cerebro* frequentius, modò à *venis* frequenter, rarius à *summa capitis superficie* causas trahit. *Hæc ille.* Illamque *superficiem capitis* dicit *Godofredus Steeghius*, quemadmodum, *inquiens*, difficilem Coxendicum dolorem per defluxum à capite, *secundum vertebrarum externam vel internam superficiem* in os sacrum frequenter diximus excitari, ita & rationi consonum est, eadem materiâ in quovis loco spinæ se figente, varia excitari symptomata pro partium annexarum & adjacentium varietate & partis vertebræ diversitate. *Hæc ille.* Nunc & *cutem musculosam* refert *Ambrosius Paræus*, fertur, *inquiens*, ê *cute musculosâ* & *pericranio*, itemque ex eo foramine amplo, per quod spinalis medulla, cerebri vicaria, in spinam propagatur per *nervorum* tunicas. *Hactenus autor.* Mentionem *nervorum* sæpiùs intulit *Johannes Baptista Montanus*, *Hollerius* & *Nic: Piso* ajunt *in capite intrà*

tunicas tendinum per foramen Nuchæ pituitam exudare, quæ per palatum aut nares expurgari debebat.

Erunt igitur tres viæ, quibus *cerebri humor* in *Spinalem Medullam* manare perhibetur.

Primam viam Ambrosius Paræus indicat, quam, ductu tamen *Hippocratis*, ut & hoc loco infrà ostendam, excogitavit *Joh. Fernelius.* Eamque multi cognominant *Fernelianam*, quâ humores inter *pericranium* ac *cutem capitis* collectum in subjectas partes ac in *medullam* quoque *spinalem* fluere arbitrantur. Verùm non desunt, qui contra eam opinionem disputant, ac ego contra eandem quoque insequente *libro de Arthritide* verba faciam. Ac quo modo ille *humor pericranii* in illa *vertebrarum* foramina se insinuare queat, non reperio. Quam, quæso, *cutem musculosam* prodit *Paræus?* Quilibet quidem *musculus* quadam membranâ obvolvitur. Hæc tam varia, quàm diversa est ipsa figura *musculorum*. Quî igitur poterunt eâ viâ decurrere humores? Ac si quoque per *externam superficiem vertebræ*, ut placet *Steeghio*, ille *humor pericranii* defluit, tàm impeditâ viâ, ad *spinalem medullam* haud perveniet? Nec *interna* quoque *vertebræ superficies* iter ad ipsam *spinalem medullam* patefacit. Hæc certè tribus membranis contegitur. Quare ille humor nec per *Nervos* (ut quidem credunt autores) ulteriùs ferri poterit.

Secundam Viam recentiores itidem monstrant, quam ii grande illud *Occipitii foramen* pandere arbitrantur. *D. Sennertus* exemplum de *Gulielmo Fabricii* cent.1. obs.45. petit. *Ossa nasi*, inquit ille, *erant depravata. Hanc præcipuam fuisse gibbositatis causam. Quum itaq; pituita per nares minimè posset expurgari, versus spinalem medullam tendebat, sicq; vertebræ, earumq; cartilagines, assiduò irroratæ pituita viscida ac relaxatæ, tandem excreverunt in gibbum maximum.* Quæ, quæso, est argumẽtatio? Est magis infirma, quàm hæc ipsa ossa? Nam subjungit *F. Hild: nec solùm pars illa dorsi, ex hac defluxione & irroratione pituitæ relaxata fuit, verùm etiam omnia ossa à collo usque ad pedes, præcipuè vertebræ, os sacrum, os pubis, ossa pedis, denique omnes epiphyses seu appendices, præter consuetudinem molles ac tenellæ erant, ita ut ferè instar ceræ tractari possent.* Ain' tu, *Pituitam cerebri occipitii fora-*

foramine & mox *ſpinæ* tramite decurrentem, *oſſa pedis* noviſſima tàm mollia, tàm cerea, ut ita loquar, effeciſſe? Illa *Spinæ* fiſtula non uſque ad oſſa *pedis*, non ad *Epiphyſes*, non ad *oſſa pubis* extenditur. Quàm invia ſunt omnia, tàm devia quoque à vero. In multis oſſa fuerunt malè formata, ac quoque ſimul oſſa naſi, per quæ *pituitam Cerebri* ferunt habere exitum. Ergò illorum oppilatio fuit fons & origo mali. O languida vis ratiocinandi! Plurimis de cauſis oſſa & præſertim tàm multa ſimul vitiari poterunt. *At inveni*, inquis, *proceſſum ſive interſtitium aut ſeptum illud, quod eminet in medio oſſis ethmoidis ſeu cribroſi (qui proceſſus craſſitiem papyri excedere vix ſolet) in latitudinem ac altitudinem ita auctum, ut ferè totum os cribroſum obtegeret; adeo ut foramina hujus oſſis, per quæ pituita ex Cerebro ad nares ſolebat effluere, planè oppleta viderentur, & quamvis percocto cranio, vix eorum ullum pateret.* Nec *catarrhoſi* nec ſani hominis cranio cocto, *oſſis Cribriformis foramina* prius patula fiunt, quàm *nervuli* omni ſtudio adhibito fuerint protracti, qui de *cerebri membranis* tracti, per ea ad *narium tunicam* excurrunt. Falſus igitur eſt *Fabricius Hildanus*. Non ſæpiùs illa inſpexit foramina. Hæc in crudo cranio & ſuccido extantia, naturaliter cœca ſunt & inobſervabilia. Diſſectionis Profeſſor, monſtratis *nervis odoratoriis*, ut vocant, & *proceſſibus Mammillaribus*, foramina *oſſis* illius *Cribriformis* nec aliorum oculis ſubjicere poteſt nec ſuis conſequi. Nuper nos quoq; proceſſum oſſis *Vomer* dicti deprehendimus oppidò quàm incurvatũ. Homo autem in vitâ ſuâ ſæpè *coryzâ* preſſus fuerat. Nec fortè hic miſer, cujus cranium poſteà contemplatus eſt *Fabricius*, ſiccis ſemper fuit naribus. Plurimùm evenit, ut quæ obſervant Medici, ad Scita veterum ſequius, ſtudioſiusque accommodent. Hâc viâ falſum gliſcit, & tàm altas agit radices.

Meritò prædicanda erit prudentia *Franciſci Gliſſonii*. Hic ſcientisſimè exequitur naturam & ingenium illius morbi, quo oſſa mirificè vitiantur. Vocat *Rachitidem*, quòd *ſpina dorſi* deformetur maximè. *Eſt νόσ☉*, inquit ille, *ῥαχῖτις*, *morbus Spinalis ſeu morbus Spinæ*

dorsi. Est enim spina dorsi inter partes primò in hoc morbo affectas princeps, capitis magnitudine aucta, ut Hydrocephali formam habere videatur, colloq; tam debili, ut vix illam molem capitis sustinere possit. In eodemq; affectu frequenter solent ossa nonnihil incurvari, præsertim Tibiæ & Fibulæ, item ossa Cubiti, Ulna & Radius, aliquando ossa Humeri & Femoris, articuli etiam nonnulli inclinantur, nunc introrsum, nunc extrorsum. Circa articulos in carpis sunt protuberantiæ, sunt tumores, præsertim in epiphysibus ossium ad carpos: tota spina etiam sæpè inflectitur, interdum in modum Literæ S *intorquetur, partim scilicet antrorsum, partim retrorsum, aut etiam partim dextrorsum, partim sinistrorsum. Ac propter summam spinæ dorsi debilitatem, quæ in hoc affectu frequens esse solet, emplastra quædam isti parti appropriata parari possunt. Est enim mollities, laxitas atque atonia totius spinæ extra calvariam.*

Fabricius H. & *D. Sennertus* si in pueros ad hunc modum ægros incidissent, *caput mali* continuò judicaturi fuissent esse *caput*, *eo* namque tàm grandi, *ossibus* tam mollibus, tam vehementer vitiatis *Epiphysibus*. Hujusq; morbi fontem esse nihil aliud, quàm talem capitis *catarrhum*, qui ex superiori observatu proditur. Longè secus laudato *Glissonio* videtur

Tertia via quidem in monumentis *Hippocratis* sæpius occurrit, est verò admodùm falsa & fallax. Qui influit sanguis, non est *Cerebri* privatus, sed communis sanguis, ut suprà dixi, sæpiùs autem eadem hìc dici, par est. *Venæ* quoque non sunt *Cerebri*, sed rami venæ cavæ, ut & illæ, quæ in *spinalem medullam Dorsi* aut *Lumborum* feruntur. Ipsi *Hippocratis interpretes* talem humorem tradunt ex *Spinali Medullâ* per *nervos* multò longius diffundi. Verùm *Spinalis Medulla* tribus membranis obtenditur, humor in eam tàm facilè non influet. Quanquam id aliquando fieri non inficiamur. At semper est corporis sanguis aut humor *Massæ Sanguineæ*. Eo calidiore recepto, erit inflammatio partium ad *spinalem medullam* pertinentium, eodem frigidiore & lento, orientur tumores. Nec

ab-

abnuo, *gibbam* inde reddi posse *Spinam Dorsi*, ast eâ ferè ratione, quam l. de *Rachitide* c. 13. ostendit *Glissonius*. Minimè verò ille humor *Cerebri* est, nec talis vel per *venas* aut *arterias Cerebri*, ut videtur *Hippocrati*, vel per *superficiem vertebrarum*, vel per *foramen occipitii*, ut quoque placet asseclis *Hippocratis*, ad *intimam Spinalem Medullam* iter molitur. Hæ viæ sunt nullæ. Nullus itaque *Cerebri catarrhus* fit in *Spinalem Medullam*. Fluxio autem in eam, motâ maſsâ *sanguineâ*, concitari potest, *arteriis* maximè æstuantibus, quæ sunt membranarum Spinalis Medullæ, ut *Cervicales arteriæ* seu *Vertebrales*, *arteriæ* intercostales, Lumbares & Sacræ *Arteriæ*.

SIGNA DIAGNOSTICA.

Notas Indices hujus *Catarrhi in Spinalem Medullam lati Johannes Baptista Montanus* strictim repetit *hunc in modum*: si verò per nervos & spinalem medullam descenderit, percipiunt *frigiditatem in descensu*. Habent etiam *sæviora accidentia*. Habent prætereà *corporis stupiditatem*, *paralysin*, spasmum, *luxationes* membrorum & *reluxationes*, ut in Ischia fit luxatio propter plurimû humorem descendentem ad illas partes: *dolores acutissimi*, quia materiæ transeunt per partes maximè sensiles. Prætereà per consensum quandoque Cerebrum afficitur; dum in nervis est affectus & in apoplexiam & in epilepsiam quandoq; incidunt.

Cùm hic *Cerebri Catarrhus in Spinalem Medullam* fieri fingatur, difficile factu non est, hæc & ejusmodi alia documenta comminisci. Illius *frigoris* sensus procul dubio in interiore *Spinali Medulla* recipietur. At ipsa *medulla* per se est frigida. Itaque impensè frigidus erit humor ille, qui *Cerebro* labitur in *Spinalem Medullam*. At ille, ut *Cerebrum* ipsum, calet omninò. Ferè simile indicium facit *Hippocrates l. 2. de morbis*. Καὶ ἢν ἐρωτᾷς αὐτὸν φήσει οἱ ἄνωθεν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, κατὰ τὴν ῥάχιν κατέρχεσθαι δοκεῖν οἷον μύρμηκας. Hujus signi meminit *Ronseus*. At *Fontanus* ita: Defluit in medullam Spinalem & Spinam dorsi humor siccans, quod conjicere licet ex iis, quæ Hipp. subdit: *Et si interroges*, inquit, *ita affectum dicit supernè de capite in spinam veluti formicas descendere videri*. Quæ significant defluxus materiæ acris ê Cerebro in spina-

 lem

lem medullam. Lomnius addit: in caput vehemens & acutis incidit dolor; atque hæc sunt signa principii morbi. *Hæc ille.* Hoc igitur signum calidi humoris arbitratur esse *Fontanus.* Quo modo humor *Medullam Spinalem* & *spinam dorsi* perstringet, & hærebit simul in *intimâ Medullâ spinali?* Nonne & frigidus humor similem sensum repentium *formicarum* efficiet? Dein *Montanus* ait, *percipi frigiditatem in descensu, habere sæviora Accidentia, dolores esse acutissimos.* Frigidior humor majores dolores facere non potest. Adjicitque idem autor, illos ægros *habere corporis stupiditatem.* Hæc certè sensum magis exquisitum doloris excludere videtur. Hæc ipsa, ut & *Paralysis, Luxationes* & *sensꝰ frigiditatis in descensu* testantur frigidum humorem. Talis quo pacto inducet, ut *Montanus* loquitur, *sæviora accidentia & dolores acutissimos? Humorem Siccantem* dicit *Fontanus.* At idem autor ait, liquorem genitalem tunc impendiò magis redundare. Omnia malè cohærent.

Nec *paralysis* est signum: oritur hæc humore vel in *Cerebrum* vel in *spinalem medullam* influente ac hinc læsis *Nervis.* Nam *arteriæ* talem liquorem ut in *Cerebrum*, ita & in *spinalem medullam* sudoris modo interdum emittunt, ut hinc *Apoplexia* & *Paralysis* nascantur. An verò ille *cerebri* humor rectà per *foramen Occipitii in spinalem medullam*, supino capitis positu, maximè fluat, nondum constat. Certè *Coiter* humorem, qui inter tenuem & duram Meningem fluebat, in illa *spinæ* fistulâ adinvenit.

Tandem prædictus *Montanus* humorem hîc tradit ex media *spinali medulla* per *nervos* aliorsum fluere, ac his inde tàm graviter affectis, nasci *Apoplexiam.* Verùm hæc prævia esse consuevit, sequiturque illam potius *Paralysis.* Nec humor *Paralysin* creans, sursum repere potest ad *Cerebrum* ac concitare *Apoplexiam.* Venæ quidem *Lumbares* nec non ejusdem generis arteriæ per *medullæ* latus viam usque ad *Cerebrum* affectant, ut *Bauhinus, Riolanus, Spigelius, Highmorus* monstrant. *Epilepsia,* inquit hic, *vel Lethargus dolori Colico superveniũt, si humores illi in Lumbares arterias impacti per arterias ad spinæ latꝰ, ad Cerebrũ usq; adscẽdant, ad quod vasa hæc transmigrare ostendimꝰ.* Verũ illa vasa, ut venæ & arteriæ tantũ *Cerebri*

vicina

vicina contingere dicuntur .Si humor, ut nonnullorũ fert opinio, tunicam *Cerebri* poteſt afficere, poteſt & *comitialis morbus* oriri. At Apoplexia naſcitur,ſi humor *Cerebrum intimum* complet. Nec iisdem venis *Cerebri humor* concipi poteſt ac in *Spinalem Medullam* convehi. Tàm diſpari etiam modo ejus *Venæ* & *Arteriæ* feruntur. Admodùm peritè hanc rem exponit *VVernerus Rolfincius*.

Sed originem, *inquit hic*, ad quintum thoracis ſpondylum demum cur *arteriis* adſignat Galenus? Reſpondemus rectè id factum. Nam ab aorta ad coſtarum ſpatia quatuor ſuperiora, arteriæ non emittuntur immediatè. Irrigantur autem illa coſtarum ſpatia à Cervicalibus,per Vertebrarum foramina illuc emigrantibus. Vetus eſt opinio, has ſpinalis medullæ arterias & venas à lumbaribus propagatas, cum jugularis internæ venæ & carotidis arteriæ propaginibus deorſum deſcendentibus, ſupra ſpinalem medullam,usque ad lumbos per ἀναςόμωσιν uniri. Et quidem de Carotidibus videtur res ſatis clara.Ubi enim hæ ex reti mirabili Galenico, ad latera Sellæ Equinæ emerſerunt duobus inſignibus ramis, ſtatim applicantur tenui meningi & infinitis propaginibus, quæ Cervicalibus itidem ſpinali medullæ attenſis copulantur, etiam extra pomœria calvariæ ſpinalem medullam comitantur ad lumbos uſque. De Venis jugularibus ita ſentiendum: eas, cùm non ingrediantur calvariam,ex eadem etiam non excidere, ſed à Cervicalibus venis foramina vertebrarum ingredientibus,quæ oriuntur propagines,arterias comitari,& ſic cum ſpinalis medullæ venis uniri. Actio eſt nutrire ſpinalem medullam. Abutitur nonnunquam his arteriis nutritioni Medullæ Spinalis & nervorum ejus deſtinatis, ad alios uſus vel potius abuſus, Natura. Hinc enim ſecundum Spigelium Paralyſis & Epilepſia. Nathanaeli Higmoro in ἀνακεφαλαιώσει etiam materiæ hic refluxus per arterias motu quodam ſanguinis curſui contrario, impoſſibilis videtur. Et nos ſentimus,fieri μετάςασιν. Ex Cerebro tranſit per arterias haſce, natura illis abutente,in lumbos, ex lumbis ad cor,per venas ejuſdem ad cavam & cor,ex corde iterum per arterias ad Cerebrum.

Aſt

Aſt *Gregorius Nymmanus* rurſus *venas* memorat: A Lumbaribus Arteriis Surculi ad Spinalem medullam etiam feruntur, quæ cum venis pari modo per eam excurrunt, quibus generatio paralyſis ex colica adſcribi poteſt, ut pluribus oſtendo Tract. de Venis Sect. I. Arteria Sacra oſſis ſacri foramina ingrediens, Spinali Medullæ propagines offert, per quas materia in Colica ad nervos cruris deduci, & Paralyſis pedis, quæ non rarò hunc morbum ſequitur, effici poteſt. Lumbares autem venæ ſunt tres vel quatuor. Oriuntur ex cavæ ſede poſteriore, dorſum ſpectante, inter vertebras geniculatim ductæ, in peritonæum, muſculos lumbares & Abdominis diſtribuuntur, earumque ramuli nonnulli ad lumbos exterius ducuntur, qui ibi ſub cute repentes, partim cum venæ thoracicæ inferioris propaginibus deſcendentibus, partim cum Ἀζύγȣ ramis intercoſtalibus etiam deorſum ductis, partim etiam cum venis natium ab interioris venæ Iliacæ ramo externo productis, ut & aliis ab Iſchia dicta minore ibi adſcendentibus conjunguntur & per Anaſtomoſin uniuntur. Ab hiſce venis lumbaribus propagines quoque per foramina vertebrarum in ejus lateribus exſculpta Spinali Medullæ offeruntur, qui cum venis aliis per ejus longitudinem deſcendentibus conjunguntur, unde per quas vias ex infimo ventre materia ad ſpinam duci & paralyſis generari queat, facilè exponi poteſt. *Sic & D. Sennertus l 3. Prax. Part.3.c.2. Lumbares arteriæ in Lumborum vertebras per communia foramina & ipſarum medullam excurrunt, quin & ad medullæ latus, dum vertebras ingreſſæ ſunt, utrinque ad Cerebrum una cum venis Lumbaribus adſcendunt.* Verùm aliter res ſe habet. *Arteriæ Lumbares per vertebrarum medullam*, ut *Sennertus* loquitur, *minimè excurrunt*. *Venas* peritè excipit ſuprà laudatus *Rolfincius*. Vetuſtiores, ut *Galenus* & *Avicenna*, nec non iſti recentiores, ut *Veſalius*, *Columbus*, *Fallopius*, *Valverda*, illum *adſcenſum venarum*, *Arteriarumq́ Lumbarium* tanto ſtudio haud memorant, quanto illi, quibus curæ eſt, ut cauſa reddatur, cur *Paralyſis* excipiat aliquandò *Dolorem Colicum*. Nec de illâ ipsâ re inter illos convenit, cùm horum quidam duas *Cerebri Venas* huc uſque *deſcendere* tradunt, quemadmodum *Joh. Riolanus*, Lumbares, l. 2. Anthrop. c.24. *inquiens*, in muſculos Lumbares, Spinalem

Me-

Medullam & Rachitas Musculos abeunt, occurruntque per Anastomosin duabus venis, quæ à jugulari internâ ex Cranio ad Spinalem descendunt, quam usque ad lumbos perreptant. Per hanc Vasorum communionem Cerebri spiritus vel aliquam materiam ad partes spermaticas defluere crederem. *Hæc ille.* Ast quàm dubiè *Beat. D.D. Caspar Bartholinus.* Ex Lumbaribus, *inquit hic*, quidam scribunt se *observasse* duas venas adscendentes, intra vertebras, utrinque ad latus Spinalis Medullæ in Cerebro, unde *conjectantur*, portionem materiæ seminalis à Cerebro deferri. Ex Lumbaribus arteriis duæ *putantur* comitari venas duas ad Cerebrum. *Hic autor* videt ea, quæ nonnulli volunt, probabiliter & fortè non ex vero proferri. Est itaque illud vasorum iter visu, inventuque rarum. Quare perpaucis hic *Spinalis Medullæ Catarrhus* contingere poterit, veluti & illa morborum μετάστασις.

Extant & *Arteriæ Intercostales*, de quibus dicendum. Hæ, *inquit l. 16. de us. part. c. 10. Galenus*, omninò quàm plurimæ sunt per totam spinam exiguarum arteriarum conjugationes, numero nervos, qui ex spinali medullâ producuntur, æquantes, intraque cum venis penetrant ad tenuem meningem, quæ spinalem medullam ambit: εἰς τὴν περὶ τοῦ νωτιαίου λεπτὴν μήνιγγα. *Hæ intercostales arteriæ*, quarum meminit *Galenus*, in tunicâ *Spinalis Medullæ* discurrunt. Illæ igitur & *Lumbares* vehementer confunderentur, si hæ usque ad *Cerebrum* arreperent. Ac ipse *Hippocrates l. 2. Coac. c. 16. t. 52. Galenus l. 4. de loc. Aff. c. 4.* & ex junioribus apud *Riol. Encheir. l. 3. c. 9. D. Merlet*, iis arteriis malè affectis, *Paralysin* asseverant nasci. Ac hæ & *Cervicales Arteriæ* multò graviorem facient *Paralysin*, quàm *Lumbares.* Singulæ enim aliquam partem *Spinalis Medullæ* alunt. Huic inde suppetit alimonia, ejus quod reliquum, *venis* remeat *Lumbaribus.* Ob id nec hæ tàm recto itinere excurrunt, ut humorem *Cerebri* vel devehere, vel alium in superiora conferre queant. Adeò complicatæ in illis errant *Spinalis Medullæ tunicis.* Age (quanquàm contra *Vesalium* affirmet *Valverda*) *Cervicalia* vasa demus *Sinus duos Membranæ Cerebri Duræ* intrare, *Lumbaria* quoque asseramus iis vasis jungi, quæ *Plexum Choroidem* in Cerebro effingunt. Ex eo tamen non efficietur, eum *Spi-*

nalis Medullæ Catarrhum exiſtere, quo vaſa, quæ ad *Spinalem Medullam* pertinent, *Cerebri humorem* imbibunt ſæpiùs, ac in *Spinalem Medullam* conducunt, ut inde *Paralyſis* exoriatur. Hanc potius faciunt *arteriæ Cervicales*, *Intercoſtales* & *Lumbares*, quæ non privatum *Cerebri*, ſed communem *Maſſæ Sanguineæ* humorem invehunt. Si qua fiat *Paralyſis*, oriente *Apoplexia*, refertoque humoris *Cerebro*, illa non ſpectat ad *hunc Spinalis Medullæ Catarrhum*, cujus humorem *Hippocrates* non *foraminibus occipitii*, ſed διὰ φλεβῶν ait manare. At ut clariùs loquamur, fingamus hominem quendam *Apoplexiâ* arreptum, *Cerebrum* quoque pituitâ eſſe completum, ac ex eo illam per magnum *Occipitii foramen* in *Spinalem Medullam* fluere, ut *Paralyſis* inde naſcatur. Hæc minùs propriè *Catarrhus Spinalis Medullæ* vocabitur, nec quoque de Sentntia *Hippocratis*, illud *Catarrhi* genus *venis* ferri, edocentis. Nec illa *Paralyſis* faciet *dolorem* Lumborum. Quem *Hippocrates* ait eſſe ſignum illius *Catarrhi*, qui it in *Spinalem Medullam*.

SIGNA PROGNOSTICA.

Hippocrates duos morbos primùm pronuntiat hunc *Spinalis Medullæ Catarrhum* ſequi, *Tabem* & *Iſchiada*. Unde *Johannes Baptiſta Montanus*, ſi per *nervos, inquit, & Spinalem Medullam* fertur, ultra hoc, quod locus inficitur & refrigeratur, non attrahit, quia non habet calorem, ideò nec nutriuntur tales & tabeſcunt.

Cæterùm quam *tabem* ſeu *Phthiſin* facit *catarrhus*, ea eſt duplex, ut *catarrhus ipſe*. Priorem *Hippocrates libro de glandulis* prodit hiſce verbis: Ἄλλοις δὲ ὑπερώης ἐπὶ φάρυγγα ἢ πουλὴ ῥυῆ, καὶ ἐπὶ πουλὺ αἱ νοῦσοι φθινάδες. Κορίσκονται γὰρ τοῦ φλέγματος οἱ πνεύμονες, καὶ γίνεται τὸ πῦον. Τοῦτο διεσθίει τοὺς πνεύμονας καὶ οἱ νοσέοντες, οὐ ῥᾷον περιγίνονται. Hoc eſt. Aliis per palatum ad guttur multa & frequens fluxio, morbos tabificos facit. Pituita enim pulmones implentur, indeque pus gignitur, quod pulmones exedit, neque ægroti facilè evadunt. *Dehinc libro de internis affectionibus*: Phthiſis ex pituita oritur, cùm caput pituita plenum morbo affectum fuerit & calor intus ſubortus fuerit, in capite pituitâ putreſcit, ut quæ moveri nequeat, ut ſecedat. *Rurſus libro de locis*

in

in homine : ἐπὴν δ' ἐς τὸν θώρακα ῥυῇ ὑπὸ ψύχεος, χολὴ γίνεται, μᾶλλον δὲ ῥεῖ ἐς τὸν θώρακα ὑπὸ ψύχεος, διὰ τόδε, ὅτι εὔρυον γίνεται ἐς τὸν βρόγχον, καὶ ἔμπυοι γίνονται, ὅταν ἐς τὸν θώρακα ῥέῃ καὶ φθισῶντες, ὁκόταν ἐς τὸν πνεύμονα ῥεύσῃ ἐκ τῆς κεφαλῆς διὰ τοῦ βρόγχου καὶ τῶν ἀρτηριῶν, ἔμπυοι γίνονται: hoc eſt, ubi in thoracem ob frigus defluxerit, bilis exiſtit. Quod ideò ferè contingit, quod ad guttur facilè defluat. Quin etiam cùm in thoracem fluxio decubuerit, ſuppurati & tabidi fiunt. Cùm de capite per guttur & arterias aſperas in pulmonem fluxio incubuerit, empyici fiunt.

Altera *Tabes*, quam creat κατάρρος κεφαλῆς διὰ φλεβῶν ἐπὶ νωτιαῖον *libro de glandulis*, proditur hiſce: Καὶ ἢν ποιέῃ φθίσιν: tabem fecerit: ut *& libro de locis in homine :* cùm verò in medullam fluxio contigerit, alia Phthiſis oritur: Lumbos dolor occupat, & anteriores capitis partes ipſi vacuæ videntur. Nec non *libro de internis affectionibus :* Tabes tertia eſt, ex quâ hæc contingunt. Ejus ſpinalis medulla ſanguine plena exiſtit. Tabeſcit etiam eodem modo à venis cavis, quæ pituita aquæ ſpeciem referente & bile implentur.

Petrus Salius Diverſus in commentario ſuo facit quatuor *tabis dorſalis* genera, & ea quidem, ut huic videtur, ipſo *Hippocrate* autore. Prima differentia, *inquit ille*, eſt ex nimia *venere*, altera ex *ſanguine* copioſiore in ſpinalem medullam irruente, tertia ex ejusdem *reſiccatione*, quarta ex prava *deſtillatione* in eandem incumbente.

Verùm *tabes dorſalis* de nimiâ *venere* & de ſpinalis medullæ *reſiccatione* oriens nonnullis una & eadem fortaſsè videbitur. Siquidem *Hippocrates*, Tabes altera, *inquit libro de internis affectionibus*, ex vehementi labore oritur. Eadem ut plurimùm, quæ prior patitur. Hic verò morbus priore magis intermittit & per æſtatem remittit. Sputum craſſius quidem priore expuit, & tusſis ſenes præſertim urget, & dolor in pectore vehementior, eique velut lapis incumbere videtur. Dolor etiam dorſum occupat, ejusque color nimio humore permadeſcit & ſi quid laborarit, flatus & anhelatio (ἆσθμα) detinet. Hic ex hoc morbo in tribus ferè annis moritur. Iisdem verò, quibus etiam priorem curato. Hic morbus multis

ad tres annos perſeverat, verùm moriuntur, eſt enim gravis morbus. *Atque libro ſecundo de morbis :* ἡ νωτιαὶς φθίσις ἀπὸ τοῦ μυελοῦ γίνεται. Tabes dorſalis ex ſpinali medulla oritur, præcipuè verò recentes ſponſos & libidinoſos corripit. Febris ſunt expertes, benè comedunt, & colliquantur. Quod ſi ita affectum percontẽris, aſſeret ſibi videri ex ſuperioribus partibus à capite velut formicas in ſpinam demitti, cumque urinam aut ſtercus reddit, ſemen genitale copioſum & liquidùm ei prodit, neque generatio fit & inter dormiendum, cum uxore dormiat, nec ne, veneris ludibria patitur. Cumque aliàs, tùm præcipuè per locum arduum iter fecerit, aut cucurrerit, anheloſus (ἄσθμα) & imbecillis evadit, caput gravatur & aures ſonant. *Rurſus libro de internis affectionibus : Medulla ſpinalis potiſſimum reſiccatur, cum venulæ, quæ ad eam tendunt, obſtructæ fuerint, quique à* Cerebro *eſt aditus. Ob corporis autem vitium ita afficitur & ægrotat. Reſiccatur etiam maximè ex actu venereo.*

Improbi labores, ut *curſus, equitandi* ſtudium, item *venus* corpus ſic exiccant, ut inde hoc *tabis dorſalis* genus naſcatur. Subnectit quoque *Hippocrates l. de aere, locis & aquis :* Scythæ perpetuâ equitatione fracti, ad coitum imbecilles redduntur. *Ac l. de intern. affect.* coxendicis autem morbus his ex cauſis multis præcipuè oritur, ſi quis per multum tempus in ſole verſatus fuerit & coxendices incaluerint, humorque qui in articulis ineſt, ab æſtu reſiccatus fuerit. *Tandem libro de locis in homine* tabem iterum memorat: *Si in articulos defluit, & Coxendicum morbum inducit, aut poſteriorum partium tabem.*

Nunc *dorſalis tabes* tùm ex *ſanguine*, tùm ex pituita naſcens itidem eadem videbitur. Etenim libro de *internis Affect.* φθίνει τε ὁμοίως καὶ ἀπὸ τῶν κοίλων φλεβῶν. αὗται τε φλέγματος ὑδρωποειδέος ἐμπίπλανται καὶ χολῆς. Ac *eodem libro :* oritur etiam à bile & pituita, oritur quoque etiam ex ſanguine, dolorque conſimilis eſt. Γίνεται τε καὶ ἀπὸ χολῆς καὶ φλέγματος, γίνεται τε καὶ ἀπὸ αἵματος, ὀδύνη παραπλήσιος.

Cùm verò καταῤῥοῦς ἐκ τῆς κεφαλῆς ἐς τὸν πνεύμονα διὰ τοῦ βρόγχου καὶ τῶν ἀρτηρίων & καταῤῥοῦς διὰ φλεβῶν ἐπὶ νωτιαῖον

tabem

tabem ſæpius,quanquã diversâ ratione inducant,eam autores inter *Catarrhos* referunt,maximè Latini,ut *Plinius Val:C. Plin: Secundus, Cælius Aurelianus,Octav:Horatianus.*Hi autem illam indicant,quam *Hippocrates libro de internis affectibus* priore loco dicit ac extremo C.*Celſus* lib.3.cap.22. *Hippocrates* ita : Tabis tres ſunt Species. Prima ipſa quidem ex pituita oritur , cùm caput pituitâ plenum morbo affectum fuerit,& calor intus ſubortus fuerit,in capite pituita computreſcit. Deinde venis repletis, fluxio in pulmonem contingit. *Corn.Celſus* ad hunc modum : Tabis plures ſunt ſpecies : una eſt ἀτροφία, altera καχεξία. Tertia eſt longè periculoſisſima, oritur ferè à capite, inde in pulmonem deſtillat.

Verùm utraque *phthiſis* eſt commentitia , nec *humor cerebri* hâc viâ in *pulmones* nec in *ſpinalem medullam* fertur. De priori & de *Laryngis* itinere ſatis dictum puto. *Dorſalem Tabem Veneream* quidem multi recentiorum celebrant, ut *Zacutus* Luſ. in Praxi Admir. *Solenander, Hier. Montuus, Jacobus Fontanus.* Tabes,*inquit l.1. Pract. cap.54. Johannes Baptiſta Carteſius*, ab Hippocrate lib. de morbis 2. & lib. de internis affectibus,diviſa eſt in tres ſpecies, quarum prima fit ex pituitæ à capite defluxu, ſecunda à labore, quam renalem vocant ; tertia fit à ſpinali medulla, quæ libidinoſos & veneri deditos ob nimiam ſeminis conceptionem corripere quandoque ſolet. Hinc ſimilia *Dn.Doct.D.Sennertus.*

Nunc *Hippocrates* alia incerta traditionis ſectatur : Credit enim *liquoris genitalis* materiam à *cerebro* manare , ut *libro de genitura :* Qui juxta aures ſectionem experti ſunt , ii Venerem quidem excercent, verùm ſemen paucum & infæcundum emittunt. Maxima ſiquidem ſeminis pars ἀπὸ τῆς κεφαλῆς παρὰ τὰ ὦτα in ſpinalem medullam fertur, ipſe verò tranſitus, ſectione ad cicatricem perducta,ſolidior evaſit.*Latenter & l. de aere, loc. & aquis, ac libro de natura pueri.* Hinc ſtat ea turba recentiorum conſentiens, quos nominatim appellare,nimis longum erit. *Vincentii Alſarii à Cruce lib.6. de Epil. cap,32. verba hîc poſuiſſe, abunde erit :* Hippocrates ſemen à cerebro l. de aere, aquis & locis provenire opinatur. Galenus quidem non aſſentitur, at verò Avicenna. Alcmæon Philoſophus ſemen partem eſſe Cerebri exiſtimabat. Dubitabit verò hoc

in loco aliquis ingenioſus de via,per quam à Cerebro & ſpinali medulla ſemen ad vaſa ſpermatica ducatur. Eam nos pariter docuit Hippocrates de osſium natura, licet ejus opinioni Anatomicorum nemo aſſentiatur, ubi venas ex capite juxta aures per cervicem, ſphagitides, hoc eſt, jugulares appellatas, intrinſecus juxta ſpinam, ab utraque parte, juxta lumbos in teſtes & fæmora procedere exaravit. Unde ex Hippocratis ſententia venis penes aures reſectis aut etiam exuſtis, potiori ſeminis parti tranſitu intercluſo, fæcunditatem adimi neceſſe eſt. Opinio hæc de ſemine plurimo à capite manante,firmis etiam rationibus confirmari poteſt. Coeuntes enim in ſpermatis effuſione oculis nictant, imò ea perpeti videntur, quæ cadendo Epileptici,ut hinc videre licet, quàm verè ſit dictum à Democrito apud Gal.3. Epid. com.4. concubitum eſſe parvam epilepſiã. Præterea qui frequentiori utuntur venere ac ſalaciori ſunt naturâ, citisſimè calveſcũt. *Hactenus Autor*. Eſt admodũ inanis opinio. Quàm multi vulnera ſecundum aures & cunctam *cervicem* acceperunt, iidem autem, ut anteà, venereis voluptatibus frui potuerunt. Earum uſu quidem nimio corpus labefactatur, & ejus membra ſingula, ut inde *tabes* oriri queat, vitiato ſanguine. Spiritus vitales conſumuntur, relictis inutilibus humoribus. Quod quæſo, conſortium *ſeminis* & *ſanguinis aurium* vel mente fingi poterit? Illo quaſi deſperato, rectè ſentit *Johann. Jeſſenius libro Inſtit. Chirurg.* Duæ, *inquiens*, utrinque poſt aures tunduntur venæ. Harumq; venarum ſectionem Hippocrates lib. de aer. aq. & loc. inhibet, quòd cerebrum nimiùm refrigerent, ſterilitatemque afferant. Quam tamen ſententiam Galenum non admittere,refert Avicenna. Et rectè mihi ſentire Galenus videtur, ſiquidem experientiâ conſtet, nihil tale hinc evenire. Cur enim hæc magis, quàm aliæ ſterilitatem inducant,non video. *Hæc ille.* Quid? Reverà compertum eſt. Anno 1637. Angelus Carleſchus, *inquit cent. 1. obſ. 87. Joh. Rhodius*, faber Pordonenſis ab æmulo Patavii graviter ſauciatus, arteriis pone aures diſcisſis à Johanne Veslingio Medic. Prof. reſtitutus, binos ex eo maſculos genuit. Expendant igitur ſagaciores, quænam fuerit lib. de aer. aq. & Locis Dictatoris ſententia, quâ inciſis juxta aures venis ſterilitatem pronuntiat: & num iſthæc orta ex conſenſu vaſorum

rum in partibus generationi destinatis. Numquid etiam Celsi consilio lib. 7.cap.7. in pituita oculorum,acri scil.ophthalmiâ, à media aure ad mediam alteram aurem cutis incidatur integris arteriis? venæ sectionem post aures quidem soporiferam , at sine sterilitate tradidit Prosper Alpinus de Med.Ægypt. l.2. cap.10. & 14. Sterilitatis quoque suspicionem hic amovit Johannes Riolanus Ench. Anat. lib.5. cap.6. Arteriarum quin etiam hoc loco apertionem perseverante capitis dolore commendat Paulus Ægineta lib.3. cap.V. & 12. in vertigine cum caliditate capitis. In Cephalæâ majores,ossibusq; proximas seligit Aretæus de morb.diutur: cur: lib.1.cap.4. Adhæc Arteriatomiam sub aure in dolore dentium præcipit Actuarius Meth.Med. lib.3. cap.2. Librum verò Hippocratis germanum persuadet Galeni ac Veterum autoritas. Quem tamen Joannes Costæus decade 1.Miscell.medic.magis historicum quàm didascalicum existimat.Et sanè scythas feminalia semper gestantes perpetuâ equitatione fractos ad venerem imbecilles memorat divinus Senex atq; ex defluxione affectiones Articulorum, & coxæ, quibus hac venarum sectione occurrunt: reliquis etiam hominibus id ex creberrima equitatione contingere.Huic igitur sterilitas procul dubio maximè imputatur.

Idem *Hippocrates* nunc *pituitam*,nunc *semen* quoq; in uterum ipsum de *capite* fluere ratus est, quemadmodum *L.1. de morbis mulierum:* vehementi labore resiccati uteri (αἱ μῆτραι) convertuntur, cum sint vacui & leves. Amplum enim locum, quò convertantur nacti sunt, vacuo nimirum ventre. Conversi verò jecur appetunt,ei adhærescunt & ad præcordia impetum faciunt. Ubi autem hepar appetiverint, strangulatum afferunt, perspirationem, quæ circa ventrem est, intercipientes. Interdum etiam simul atque uteri hepar appetere cœperint, pituita è capite velut suffocato ad præcordia defluit,nonnunquam etiam unà cum pituitæ defluxu,ab hepate in locum suum feruntur,suffocatioque cessat.*Nec non libro de naturâ muliebri*: Si uteri pituita redundantes fuerint,flatus intus oritur & menses albi pituitosi prodeunt; Interrogare igitur eam oportet, num quod defluit, mordeat & exulceret,& si non mordeat,ex cerebro defluere asserito. *Unde lib.de locis in homine*: Si quidem fluxio-

mini-

minimè ſalſa eſt, cum de cerebro non procedat, verùm mucoſa magis. Sic affectus hac ratione curandus eſt. Caput eſt purgandum. Quod ſine ſic quidem convaleſcant, caput ad os usque ſecandum, non ſublimibus, neque tranſverſis ſecturis, ſed ad os ipſum pertingentibus & crebris quidem, quo collectus humor citius per ulcera effluat. *Ac quoque Libro primo de morbis Mulierum:* Si verò mulieri utero gerenti caput pituitâ redundarit, pituita acris in ventrem fertur & ex capite in ventrē cum impetu decidit. ἢν τὲ γυναικὰ ἐν γαςρὶ ἐχέσῃ ἡ κεφαλὴ φλεγματώδης ᾖ, καταβαίνει τὸ φλέγμα δριμὺ ἐς κοιλίην, καὶ καταῤῥεήσει ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τὴν κοιλίην. *Paulò poſt:* Si mulier utero gerens pituitoſa fuerit, caput dolet, ſubindeque febricitat, pituita in capite volvitur & gravitatis ſenſum habet & frigoris, in corpus ſecedit & venas, cùm caput repletum fuerit: hoc eſt: ἢν γυνὴ ἐν γαςρὶ ἔχεσα φλεγματώδης ᾖ καὶ τὴν κεφαλὴν ἀλγέει καὶ πυρεταίνει ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε. Καὶ ἐν τῇ κεφαλῇ εἰλέεται τὸ φλέγμα. Καὶ βάρος ἔχει καὶ ψύξιν. Καὶ ἐς τὸ σῶμα διαχωρέει καὶ ἐς τὰς φλέβας, ὅταν ἡ κεφαλὴ ᾖ πλήρης.

Tandem ipſam *Fernelii* opinionē oppidò falſam, quam ſupra tetegi, *ſecundoq́ volumine* de Cat: prolixius expoſui, in *libris Hip:* contineri tradúnt *Ludovicus Duretus*, *Vinc: Alſarius â Cruce*, *Franciſcus Perla.* Quàm ſignificanter enim *Hippocrates libro de locis in homine 413:* medicamenta caput purgantia, ſi ſunt valentia, à toto capite deducunt, quæ verò imbecillia ab oculis & inde à vicinis naſo partibus. Quod ſi muco inter os & carnem ſubſiſtente, ex carne & oſſe in oculos fluxio decumbat, ex eo cognoſces, quod his ex locis defluat. *Ac paulò ante:* fluxio per mediam carnem fertur. Confunditur cum eo, quod confluit à capite. Quod ſi parum defluxerit, ἰσχίαδα καὶ κέδματα facit. Ac *libro de internis affectionibus:* ἀπὸ δὲ νεφρίτιδος ἐπιλαμβάνει. Ἡ δὲ νέσος μεγάλη τῶν φλεβῶν τῶν κοίλων, αἳ τείνουσιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς παρὰ τὰς σφαγὰς διὰ τῆς ῥάχιος, ἐς τὸ σφυρὸν τὸ ἐκτὸς τε͂ ποδὸς καὶ ἐς τὸ μεταξὺ τε͂ μεγάλε δακτύλε. Τὸ δὲ νέσημα γίνεται μὲν ἀπὸ φλέγματος καὶ χολῆς, ὁκόταν ἐς τὰς φλέβας συῤῥυῇ· αἱ δὲ φλέβες ἆυται, αἵματος εἰσὶ πλήρεες. ἢν ἔν τι παρέλθοι ἀλλοῖον ἐς αὐτὰς, νοσέσι: *hoc eſt,* Ex renum morbo invadit magnus venarum cavarum morbus, quæ à capite juxta jugulares,

res, per ſpinam ad talum exteriorem & intermedium pollicis locum feruntur. Oritur autem hic morbus ex pituita quidem & bile, cùm ad venas confluxerint. Venæ autem cùm ſanguine refertæ ſint, ſi quid alieni ad eas pervenerit, malè afficiuntur. Sic igitur afficitur. Si dextrâ parte morbus eſt, per exordia ex coxendicis acetabulo dolorem exhibere incipit.

Cerebrum habet *venas* & *arterias*. Utræque ſunt multifariàm diviſæ. Non originem de *cerebro* ducunt. Nec illa *vaſa jugularia* à capite per *ſpinam* ad *talum* aut ad *matricem* usque rectà feruntur. In perſpicuâ notarum rerum ignoratione verſatur *Hippocrates*. Nonnulli Medici mentionem cujusdam *venæ* inferunt, quæ *ſpinalem Medullam* comitetur, de *cerebro* ducta. Nec illa, ſi qua extat, aut hunc *Spinalis Medullæ Catarrhum* creabit aut *Tabem*. *Joh: Baptiſta Montanus* inſuper aliam *Tabis* ſpeciem memorat, ſed refert ad *catarrhum* ἐς τὸ αἷμα ſeu ad *catarrhum ſanguinis*, non ad hunc *Spinalis Medullæ Catarrhum*. Omnes, quas *catarrhorum* vias fingit *Hippocrates*, ſunt falſæ, imò & fallaces, quippè quæ & maximis Medentium, ut *Fernelio*, impoſuerunt.

Alter morbus erat *Iſchiadicus*, qui hunc, autore *Hippocrate*, plerumque excipiat *Spinalis Medullæ Catarrhum*. *Hippocratemque Joh: Baptiſta Montanus* ita interpretatur: *ſi per nervos deſcendit, Paralyſin, ſpaſmos, Tremores & omnes ægritudines nervorum. Cùm ad coxendicis juncturas tranſit, Iſchiadicos dolores excitat.* Nunc ad *Iſchiadicum* quoq; ſpectant illa Κέδματα, *Podagra*, nec non cuncta *Arthritis*. Verùm de hoc morbi genere liber erit. Quare eum, expoſito *ſanguinis catarrho*, adjungam. Nam cauto opus eſt, ne *Hippocraticus* ordo *catarrhorum*, interjectu integri tractatus, interrumpatur.

Verùm, ne quid diſſimulem, *Hydrops*, eodem *Hippocrate* autore, *hunc* quoque *Spinalis Medullæ Catarrhum* ſequi putatur: Ait enim *Hippocrates* cerebri humorem quoque διὰ τῆς σαρκὸς influere. Nam *libro de locis in homine 412.* ita: Fluxiones in nares, oculos & aures ſunt tres. Dein una per guttur in thoracem, ac quoque una in ſpinalem medullam. Quod ſi verò in vertebras & carnes facta fuerit, ὅταν δ' ὄπισθεν ἐς τοὺς σπονδύλους καὶ ἐς τὰς σάρκας ῥυῇ, Hydrops gignitur. Ἢν πολὺ ῥέῃ ὅδε γὰρ ὁ ῥόος διὰ τῆς σαρκὸς μέσης: Fluxio

enim per mediam carnem posteriore parte delapsa, anteriores partes siccas reddit. ὅτι ῥέος, ὥστε ἀφ' ὑψηλοτέρων, καὶ λεπτὰ τὰ ἀντικωλύοντα ἔχων, ῥεῖ καὶ πίμπλησιν ὑγρότητος τὰς σάρκας: Fluxio verò cùm ex altioribus delabatur & tenuia contra se objecta habeat, defluit, & carnes humiditate replet. Quin & humiditas, quæ ex cibis eodem defertur, corrumpitur, ipsaque ex commixtione corrupta & quod cum ea ex capite defluit, (τὸ ῥέον σὺν αὐτῇ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς) corpus nutriunt. Plurimo verò humido carnes nutritæ & morboso turgidæ, aqua intercutem replentur. Quod si parum defluxerit, ἰσχιάδα καὶ κέδματα facit. *Et paulò ante:* fluxiones autem contingunt & perfrigerata valdè carne & supertumefactâ. Propter frigus quidẽ fluxiones fiunt, cùm capitis caro & venæ distentæ fuerint (ὅταν ἡ σὰρξ ἡ ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ αἱ φλέβες πεπλησμέναι ἔωσιν eæq; carne propter horrorem in angustũ coactâ, & elidente, humorẽ exprimunt, simul etiam carnes ipsæ in angustum contractæ, vicissim exprimunt, & capilli velut undique simul vehementer compressi eriguntur. Hinc quod expressum fuerit, quocunque sors tulerit, fluit. Quin & ob caliditatem fluit, cum carnes rarefactæ transitus præbuerint, humorque calefactus tenuior evaserit. Quicquid enim humidum concalfactum fuerit, tenuius evadit, & quicquid cedit, fluit. Potissimum autem ubi quid valdè supertumefactum fuerit, hanc ob causam fluit. Carnes admodum repletæ (αἱ σάρκες λίην ἔμπλεαι) cum copiam capere nequeant, humor, qui contineri non potuit, effluit fluitque, quocunque datum fuerit.

Hippocrates iterum fallit & fallitur. *Aqua intercus* hoc modo minimè nascitur. Humor enim haud per *nervos* influit, sed per sanguinis conceptacula. Et hoc fortè est, quod *Johannes Baptista Montanus Hydropem* ponat in numero eorum morborum, qui *Catarrhum* ἐς τὸ αἷμα seu *sanguinis catarrhum* comitantur. Atque *Ischiados* materia non *vertebris spinæ* ac *Lumborum*, sed itidem vasculis sanguinis fertur, ut, decursâ *catarrhi sanguinis* naturâ, admodùm prolixè ostendemus. Cæterum *catarrhus spinalis Medullæ*, autore *Hippocrate*, tres illos morbos prænuntiat, *Tabem*, *Ischiada* & *Hydropem*.

Tandem

Tandem *Hippocrates* hunc *ſpinalis medullæ catarrhum* judicat *lethalem*. Siquidem lib. de Glandulis, tres dicit ῥόυς ὀ πάμπαν θανατώδεες, mox reliquos, & imprimis hunc, perſequitur, ſi hæc influxio, *inquiens*, tabem fecerit & utroque modo homo contabeſcit, neque vivere expetit. Confeſtim enim ſcapulæ dolent, ſimulque ambo pedes & crura conſequuntur, tandemque pereunt longo tempore curationem trahentes, neque viribus homo deficit & moritur. *Hactenus Hippocrates.* Eo igitur autore hic, qui fingitur, *catarrhus ſpinalis medullæ Tabem, Iſchiada, Hydropem* & tandem *mortem* minatur.

CURATIO.

Hippocrates Caput, Cerebrumque curat. Quare id autor eſt, ut *ptarmica*, ſeu ut vocant, *ſternutatoria* admoveantur. Eâ de cauſa *Hippocratis* verba ſuperius tantâ ſerie poſui. Ea nunc mecum recognoſce, ut *libro de locis in homine:* fluxio per mediam carnem poſteriore parte delapſa, & ab interiore averſa, anteriores partes ſiccas reddit, carnemque in poſteriora irrigat, eamque magis, quæ ad interiora eſt, ad ventrem, quàm quæ ad exteriora eſt, ad nares. *Et paulo poſt:* Medicamentum ad nares admoveto, ut eò divertatur & imbecillum rurſus, donec aliò avertatur ac anteriores quidem partes capitis calefacito, poſteriores autem refrigerato. *Mox quoque anteriores capitis partes vocat vacuas :* Cùm verò poſteriore ex parte fluxio in ſpinam decubuerit, huic tabes ejuſmodi ſuboritur. Lumbos dolor occupat, & anteriores capitis partes ipſi vacuæ videntur. Et exteriore parte corpus *foramina* habet anguſtiora.

Tàm commentitio *Spinalis Medullæ catarrho*, non mirum, admodùm vanam quoque rationem curandi fore. Fingamus, eo *Catarrhi* genere *cerebrum* & *ſpinalem medullam* madere. Humor medicamentis ſternutamenta cientibus nec trahi poteſt nec promoveri. Ille enim ſuopte pondere vergit deorſum. Nec in eum quicquam juris amplius habet Natura. Adhæc, foramina *Oſſis Cribriformis* & *Cuneiformis* ſunt clauſa. Nunc neſcio, quæ foramina fingit *Hippocrates*, qui illam hypotheſin habuit, quam tàm ſæpè dixi. Ipſe eâdem motus, perſuaſum habet, anteriores capitis partes *ſiccas* eſſe

& *vacuas*, rurſus rigari *ptarmico* ad nares admoto. Ingenium quidem laudo, horreo falſitatem. *Arteriæ cerebri* anterioris nihil læſæ ſunt. Eæ ſatis invehent humoris. Hæ quoque ex æquo in *capitis* partes diſtribuuntur. Quo pacto Syncipūt ſolum erit minus ſanum? Eritq; tam inane? Credat, cui caput eſt ſine cerebro.

Dein *Hippocrates & hoc ſuadet :* & medicamentum ad nares admoveto, ut eò divertatur & imbecillum rurſus, donec aliò avertatur, ac anteriores quidem capitis partes calefacito, poſteriores verò refrigerato. Et poſtquam partibus capitis anterioribus excalfactis, tibi videbitur, *cibos edat, qui corpus maximè tumefaciunt, & minimè ventrem ſubducunt, quo fluxionis meatus anteriore capitis parte quàm maximè dilatentur.* Hoc eſt: σιτία ἐσθίειν τὰ φλεγματωδέστατα καὶ ἥκιστα διαχωρητικὰ, ὡς ὅτι μάλιστα διευρυνθῶσιν αἱ ῥοιαὶ αἱ ἔμπροσθεν τῆς κεφαλῆς.

Hippocrates eſt autor, ut ille hoc *Spinalis Medullæ catarrho* æger iſtis cibis veſcatur, qui valentiores ſint, nec cieant alvum. Quo fieret, ut meatus in Naribus exiſtentes, aperiantur, quibus humor in *Spinalem Medullam* fluens avocetur. Sibique perſuadet, adſtrictâ alvo, cohibitos illos flatus ſurſum ſummâ vi niti, ac poros narium rurſus reſerare. Plura excogitari poterunt. Cur non, folle ad nares admoto, *Hippocrates* aerem inflari præcipit, qui illos meatus aperiat? Nunc quâ viâ ſpiritus alvi compreſſæ ad nares pervenient? An gulæ itinere? Quanto erunt faſtidio? An vaſculis ſanguinis? Quantæ tunc erunt ambages? Nam flatus alvi poris Narium excludentur. Tàm prudenter evigilatum eſt remedium. Atque adſtrictâ alvo, redundans ciborum liquor non in anteriora tantùm membra, ſed etiam in medium, in poſterius, in omne corpus diditur. Quo modo is in priores capitis partes maximè diſtribuetur? Si quoque *Hippocrates* calefacit priora, & refrigerat poſteriora corporis, non continuò humor *Spinalis Medullæ* fluet in Nares. Refrigeratus humor tantò altius inſidet, nihilq; loco poſteà movebitur. Fruſtrà quoq; narium poros aperient *Ptarmica.* Ac hæc quâ ratione allicient humorem, quo *Spinalis Medulla* perfunditur? Si hic per medium *Cerebrum* trahitur, nonne illo tranſitu graviſſimos faciet

ciet morbos, *Lethargum, Epilepſiam, Apoplexiam?* Quidam ajunt & Cerebrum ſimul madere. Pars humorem *ſpinalis medullæ* reſidē contendunt *venis* in nares cōferri. O incerta interpretationum! O opinionum varia! O dubia Curationum! *Gargariſmata* & *Maſticatoria* etiam ſimili perſuaſione adhibet *Hippocrates*, usq́ credit puerperarum purgamenta diutius cohibita interdum emitti poſſe.

Tandem *Hippocrates* inurit cutem ſummæ *Cervicis*, eo conſilio, ut humor evocetur, ſicceturque *ſpinalis medulla*. Præterea ille *Catarrhus* eo remedii genere ſuſpendi, ac quoque, ut loquuntur, intercipi videtur. Verùm valdè irritum eſt remedium, *Catarrho* minimè per *ſpinalem medullam* delabente. Ipſe quoque *Hippocrates* hunc *Spinalis Medullæ Catarrhum* ait *venis* meare. Quare hæc non ſolum inefficax, ſed etiam incerta erit medela. Natura eſt gubernatrix illorum humorum, qui conceptaculis adhuc ſuis feruntur. Non eò igitur ſemper tendunt humores, quò ulcuſculum cutis vocat. Nec ulla Sanguinis vaſa ad *Spinalem Medullam* pertinentia, in cutem cervicis mittuntur, ut humor inde tàm commodè eliminari queat.

CATARRHUS SANGUINIS.

Fit recensio *Catarrhorum. Septimus* Catarrhus, doctore *Hippocrate*, est hic *Sanguinis* Catarrhus, seu Catarrhus *Venarum & Arteriarum*. Priores tres sunt ἕως ἀποκρίσιος & conspicui, leviores ac minus periculosi. Nomen φλεβῶν enodatur. Complectitur & *arterias*. Cunctus ille *Hippocratis* locus inseritur, quo natura C*atarrhi in Sanguinem* euntis exponitur. Hic *Catarrhus* est admodùm ferax morborum, ut & *Apoplexiæ*. Hâc humor in *Cerebri* ventriculos fluere putatur. *Apoplexia* & ab *inflammatoria* oritur Cerebri *dispositione*, ad quam spectat φλεβῶν κατάληψις aut ἀπόληψις. Laudatur C*aspar Hofmannus*. Aer, edocente *Hippocrate*, in *arteriis* inest. Illius *aeris* meatus C*erebri* humore in *venas* eunte impeditur. Hâc ratione ille *sanguinis catarrhus apoplexiam* concitare dicitur. *Cerebrum* liquescere & suum phlegma in *venas* mittere perhibetur. S*anguinis* Catarrh*um* & *Paralysis*, *Epilepsia*, *Torpor*, *Convulsio*, *Tabes*, *Hydrops*, *Cordis palpitatio*, *Dyspnœa*, *Hæmoptosis*, *Angina* & reliqui morbi sequi possunt. Hujus *Catarrhi* S*igna Diagnostica* in medium profert *Joh. Bapt. Montanus*. Credit eum nunc *venis*, nunc *arteriis* ferri. Cujusque rei signa dare laborat. Inde *pulsum* retur immutari ac *urinam*. *Febres* quoque adventare finguntur. Ob multos, quos facit morbos hic *sanguinis catarrhus*, habetur plenus periculi, ac S*enioribus* præcipuè admodum exitiosus. *Hippocrates* suadet *missionem* Sanguinis. Omnia sunt vana. Nullus est C*atarrhus* S*anguinis*. *Fernelius Hippocrati* autoritate penè par, *Cerebri* humorem negat in *venas* C*erebri* rursus vadere posse. Nec ulla nisi *pituita stomachi* iterum venis recipitur. Utrumque effatum probant multi autorum. Nullus itaque *catarrhus sanguinis* potest fieri. Aliæ rationes coguntur. Cerebri humorem anteà emiserunt *Venæ*,

&

& eundem rursus debent haurire. Id est absurdum. Dein illæ *venæ* admodùm exiles sunt. Adhæc Cerebrum præter *ventriculos* non habet spatium, quo humor posit contineri. Faciliùs flueret humor in emissaria, in *nares* & in *Pelvim*. *Vasa sanguinis ad Cerebrum pertinentia* nec ad excludendum nec ad resorbendum illum humorem sunt ficta. Cerebrum sæpè scatet humoribus, nec eos trahunt *venæ Cerebri*. Ac si hæ quoque humores imbiberent, ob id non possent meatum aeris tantoperè impedire. Nec *arteriarum* natura & conditio fert, ut assumant humores. Sursum versus micant *arteriæ*, sanguine sursum nitente. Est in Capite & in Cerebro tantùm sanguinis meatus. Non privatus *cerebri*, sed *communis* est *sanguis*. Nec *nervi* fluitantem in ventriculis *Cerebri* humorem capere poterunt. Nec horum meminit *Hippocrates*. Cerebro *Fernelius* negat venas esse. *Hippocrates* iisdem locis & alia absurda dogmata affert. Alterum repudiavit *Fernelius*, alterum similiter rescindere non sustinuit. Hic sanguinis *Catarrhus* foret autor omnium morborum reliquorum. Ad hunc quoque magis spectat *Paralysis*, quàm ad *Catarrhum Spinalis Medullæ*. *Urinæ* spuma & mollitudo *pulsus* venæ non sunt signa hujus *Catarrhi*. Huic *Montanus* ait sæpè jungi *febres*. Non *Caput* sed *Massa Sanguinea* est fons *Catarrhorum*. A Sanguine ipse *Hippocrates* plerosque tradit oriri morbos. Quidam enarrantur. Est quædam *Sudatoria Passio*. Hæc fortè ῥεῦμα ἐς τὸ αἷμα nominari potest. Illa hîc & sermone & exemplo pernoscitur. Spectat ad *Rheumaticam Dispositionem*. Caput dolet. Ab eo ille morbus in corpus non diffunditur. *Hippocrates* de Schola Medentium sequius meruit. Omnes *septem Catarrhi* sunt commentitii. *Cerebrum* nec madet humore nec stillat. Ille humor *venis Cerebri* recipi non potest. Hisce *Catarrhis* nunc homines liberantur. Alii *septem fontes* humorum excernendorum monstrantur. Nomen *Cephalici Catarrhi* propè antiquandum est. Admodùm paucæ fluxiones nomen *Catarrhi* mereri videntur. Sunt *influxiones*. Quæ fluxiones à *corde* & ab *arteriis* descendentibus concitantur, *catarrhi* e-

runt,

runt. Plures *Cordis* aut *Sanguinis Catarrhi* erunt, quàm *catarrhi capitis*. Omnia inverti oportet. Hâc viâ verum eruitur. *Vasa Lymphatica* fluxiones facere possunt & augere.

✠

MAnsum promissis huc usque est, eorum ad terminum ultimum defluente nunc oratione. Ne quid omissum videatur, rursus fiat *recensio Catarrhorum*. Accipe ipsa verba *Hippocratis l. de Glandulis*: ῥόοι τε ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ἀποκρίσιος, δι᾽ ὤτων κατὰ φύσιν, δι᾽ ὀφθαλμῶν, διὰ ῥινῶν, τρεῖς οὗτοι. Καὶ ἄλλοι δι᾽ ὑπερῴης ἐς φάρυγγα, ἐς στόμαχον. Ἄλλοι διὰ φλεβῶν ἐπὶ νωτιαῖον, ἐς τὸ αἷμα, οἱ πάντες ἑπτά: *hoc est*, Fluxiones à capite *cum secretione* per aures secundum naturam, per oculos, per nares, tres hi. Et aliæ per palatum in guttur (hisce verbis ea reddit in commen. *Theodorus Zvingerus*) in gulam: aliæ per venas in medullam spinalem, in sanguinem, omnes septem.

Primùm tres sunt *fluxiones*, quæ non aliundè quàm ex *Cerebro* feruntur; has *Hippocrates* edocet κατὰ φύσιν & ἕως ἀποκρίσιος fieri, cæteras non item. Dein illæ tres δι᾽ ὤτων, δι᾽ ὀφθαλμῶν, διὰ ῥινῶν oculis notari queunt. οὕτως, inquit Hippocrates, *libro de glandulis*, ἐς τὰ ἔξω δῆλοι τῷ ὀφθαλμῷ ῥόοι. *Ac libro de locis in homine* ait; ὁ μὲν κατὰ τὰς ῥῖνας, ὁ δὲ, κατὰ τὰ ὦτα, ὁ δὲ κατὰ τοὺς ὀφθαλμούς. οὗτοι οἱ ῥόοι καταφανέες ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν: id est: *quædam in nares, in aures, in oculos. Hæque fluxiones oculis sunt conspicuæ.* Prætereà illas tres, censet leviores, quasi κατὰ φύσιν ferantur, καὶ οὐ πάμπαν, inquiens, θανατώδεες *& minimè lethales.* Nunc *idem Hippocrates*, duas fluxiones per palatum tradit vel in *guttur* vel in *gulam* ire. Tandem ait; ἄλλοι διὰ φλεβῶν ἐπὶ νωτιαῖον, ἐς τὸ αἷμα, hoc est, aliæ fluxiones *per venas* vel in spinalem medullam vel in *sanguinem*. Hunc ῥόον ἐς τὸ αἷμα memorant tantùm *Johannes Costæus*, *Theodorus Zvingerus*,

Rod.

Rod. à Fonseca, & *Baldvinus Ronseus*, ejus naturam verò haud ex- po suerunt.

Ambitus circa φλεβῶν nomen est adhibendus. Illo *Venarum* vocabulo & *arterias* interdum significari, ne mediocriter doctus ignorat. *Quod arterias*, inquit *Galenus libro de curandi ratione per sanguinis missionem c. 22. antiqui venas nuncupabant, & â nobis alibi demonstratum est & ante nos aliis confessum extitit.* Nec *Græci* modò, ut *Homerus, Hippocrates, Plato, Aristoteles*, sed etiam *Latini, Cicero, Quintilianus*, C. *Plinius*, *Apulejus*, ex Medicis C. *Celsus* & *Cælius Aurelianus venas* pro *arteriis* dixerunt, ut & C. *Tacitus* σφυγμὸν & παλμὸν φλεβῶν *pulsu* prodidit hisce verbis: *Charicles per speciem officii manum complexus pulsum venarum attigit.* *Ac Gellius*, potes, *inquit*, Taure, tu quoque idipsum comprehendere ἐὰν ἅψῃ αὐτοῦ τῆς φλεβὸς: quod nostris verbis profectò ita dicitur: si attigeris *venam illius*. *Ovidius:*

Sæpè aliquem solers medicorum cura reliquit,
Nec spes huic, venâ deficiente, *cadit*
Pars micat & celeri *venas* movet improba pulsu.

Quàm apposité *D. Augustinus l. 7. c. 13. super Genesi*: Medici non tantùm dicunt, verùm etiam probare se affirmant, quamvis omnis caro terrenã soliditatem in promptu gerat, habet tamen in se & aeris aliquid, quod in pulmonibus continetur, & à corde per *venas*, quas & *arterias* vocant, diffunditur. *Hæc D. Pater.* Quasnam igitur *venas* hoc loco prodit *Hippocrates*? Propriè dictas vocat *Theodorus Zvingerus*: nam loquitur hunc in modum: fluxiones, interprete Hippocrate l. de Glandulis, vel in eas partes, per quas facilè excerni queunt, aures, oculum & nasum, vel non facilè, ut sunt viæ vel ampliores, ut fauces ad pulmones & gula ad ventriculum, vel arctiores, ut *venarum communiter dictarum*, nimirum vel per medullam spinalem ad nervos, vel per *venas propriè dictas* in sanguinem ipsum.

Verùm *Philotheus* non modò *venas* dicit, sed etiam *arterias*, Καταῤῥεῖν, inquit ille, λέγει, οὐ τὸν ἐπὶ πνεύμονα φερόμενον ῥεῦμα ἢ τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν, ἀλλ᾽ ἐπὶ φλέβας καὶ ἀρτηρίας. Similiq; ratione *Hippocratem* interpretantur juniores, ut *Joh. Baptista Montanus*, omnis,

inquiens, Catarrhus poteſt deſcendere per ſeptem vias & meatus, vel per oculos vel per aures vel per nares, nunc per palatum vel per thoracem vel per ventriculum vel per vertebras & nervos vel per *venas & arterias.* Iſtæ ſunt ſeptem viæ. Si autem breviorem viam vellemus, omnis Catarrhus deſcendit à Cerebro vel per propria foramina vel per vias amplas vel per nervos vel per venas. *Et mox:* vel per venas, & quod dico de *venis*, idem intelligatis de *arteriis, quia ſcitis plures venas & arterias adſcendere ad* Caput. Ut & *Crato, Johannes Viſcerus, Johannes Riolanus, Bald. Ronſeus, Nic. Abrah. Frambeſarius.*

Nunc præſtabit quoque huic operi ſtatim illum cunctum locum inſerere, quo *Hipp. l. de ſacro Morbo* hujus *Catarrhi in Sanguinem tendentis* naturam exequitur. Morbi ſacri cerebrum velut etiam aliorum magnorum morborum in cauſâ eſt. Venæ multæ & tenues ex univerſo corpore ad ipſum feruntur, duæ verò craſſæ, una quidem ab *jecore*, altera autem à *liene*. Per has verò venas plurimum ſpiritum adducimus. Hæc enim *corporis noſtri ſunt ſpiracula*, cùm acrem ad ſe trahant & in reliquum corpus deducant ac per venulas refrigerent, rurſusque emittant. Neque enim fieri poteſt, ut ſpiritus conſiſtat, ſed eum ſurſum & deorſum ferri neceſſe eſt. Ubi enim ſiſtitur & intercipitur, pars ea ad motionem impotens redditur. Cui rei hoc eſt indicio, cùm ſedenti aut jacenti venulæ ita comprimuntur, ut ſpiritus à vena non irrumpat, ſtatim *torpor* occupat. Hic autem morbus pituitoſis contingit, bilioſis verò minimè. Ac originis initium ſumit, cùm adhuc fætus in utero exiſtit. Purgatur enim & adoleſcit etiam Cerebrum, velut aliæ partes, priusquam in lucem edantur. Si non purgatur, corripiuntur hoc morbo. Quod ſi defluxio *ad cor* viam affectarit (*ἢν δὲ ἐπὶ τὴν καρδίην ποιήσηται ὁ κατάῤῥους τὴν πορείην*) *cordis palpitatio* & *anhelationes* prehendunt, *pectus* corrumpitur, quidam etiam incurvantur. Ubi enim pituita ad *pulmonem* & cor devenerit, refrigeſcit ſanguis, venæque per vim refrigeratæ ad pulmonem & cor reſiliunt, hinc *palpitatio, aſthmata* & *orthopnoea.* Neque enim ſpiritum ſuſcipere poteſt, donec quod influxit à pituita ſuperatum & calefactum per venas diffuſum fuerit. Atque hoc modo afficiuntur, cùm pul-

mo-

monem & *cor Catarrhus* petierit. Quod si ad *ventrem* feratur, alvi profluvia corripiunt. Sin verò his quidem viis excludatur, sed ad commemoratas venas defluxionem fecerit; (εἰς δὲ τὰς φλέβας ἃς προείρηκα τὸν κατάῤῥοον ποιήσηται) tùm voce deficitur, tùm suffocatur, spumaque ore effluit & dentes inter se cohærent, manus contrahuntur & oculi pervertuntur, ac nihil intelligunt, nonnullis etiam stercus per inferiora demittitur. Atque hæc quidem interdum sinistra, interdum dextra, quandoque etiam utraque parte contingunt. Vox quidem deficit, ubi pituita derepentè in venas subiens, spiratione interceptâ aerem excluserit, neque in Cerebrum neque in venas cavas neque in ventriculos receperit. Ἄφωνος μὲν ἐστὶν, ὁκόταν ἐξαίφνης τὸ φλέγμα ἐπικατελθὸν ἐς τὰς φλέβας, ἀποκλείσει τὸν ἀέρα καὶ μὴ παραδέχηται, μήτε ἐς τὸν ἐγκέφαλον, μήτε ἐς τὰς φλέβας τὰς κοίλας, μήτε ἐς τὰς κοιλίας. Cum enim spiritum ore & naribus homo accipiat, primùm quidem Cerebrum petit, deinde magna ex parte in ventriculum fertur, (NB. κοιλίη pro thorace) pars quidem ad pulmonem, pars etiam ad venas, indeque per venas ad reliquas partes dispergitur. Quique ad ventriculum fertur, refrigerat, nihilque aliud confert, quod etiam ad pulmonem delatus præstat. Aer verò, qui ad venas pervenit, Cerebrum subiens, ad ventriculos accedit, sicque *intelligentiam & motionem membris præbet.* Quare ubi pituita à venis aerem incluserit, eumque minimè admiserint, voce defectum & minimè intelligentem hominem efficiunt. Ἀλλ᾽ ἐπιλάβη τὴν ἀναπνοήν, ὅταν γὰρ ἐπιλάβῃ ἄνθρωπος κατὰ τὸ στόμα καὶ τοὺς μυκτῆρας, τὸ πνεῦμα πρῶτον μὲν ἐς τὸν ἐγκέφαλον ἔρχεται, ἔπειτα δὲ ἐς τὴν κοιλίην τὸ πλεῖστον μέρος, τὸ δὲ ἐπὶ τὸν πνεύμονα. Τὸ δὲ ἐπὶ τὰς φλέβας, ἐκ τουτέων δὲ σκίδναται ἐς τὰ λοιπὰ μέρεα κατὰ τὰς φλέβας. Καὶ ὅσον ἐς μὲν τὴν κοιλίην, διαψύχει καὶ ἄλλό τι οὐδὲν ξυμβάλλεται. τοῦτο δ᾽ ἐς τὸν πνεύμονα. Ὁ τε ἐς τὰς φλέβας ἀὴρ, ξυμβάλλεται ἐς τὰς κοιλίας εἰσιὼν καὶ ἐς τὸν ἐγκέφαλον. Καὶ οὕτω τὴν φρόνησιν καὶ τὴν κίνησιν τοῖσι μέλεσι παρέχει, ὥστε ἐπειδὰν ἀποκλεισθῶσιν αἱ φλέβες τοῦ ἠέρος ἀπὸ τοῦ φλέγματος καὶ μὴ παραδέχωνται, ἄφωνον καθιστᾶσι καὶ ἄφρονα τὸν ἄνθρωπον.

Manus autem ad motionem impotentes redduntur & contrahuntur, ſanguine conquieſcente, neque, ut conſuevit, diffuſo. *Oculi pervertuntur, cùm venæ aere excluduntur & contorquentur.* Spuma autem ex pulmonibus per os prodit. Cùm enim ſpiritus in ipſum minimè ſubit, velut moriens ſpumeſcit & ebullit. Stercus verò ſubmittitur, dum violenter ſuffocatur. Quod fit, cum hepar & ventriculus ad ſeptum transverſum irrumpit, & os ventris occluditur. *Pedibus autem calcitrat, cùm aer in membris interclusus, foràs præ pituita emergere non valet, & cum* ſanguine ſurſum ac deorſum impetu delatus, *convulſionem* & dolorem infert, ideoque calcitrat. Atque hæc quidem omnia patitur, cùm *pituita frigida in ſanguinem calidum defluens*, eum ſiſtit & refrigerat. Et ſi quidem fluxio copioſa & craſſa fuerit, ſtatim necat. Ταῦτα δὲ πάσχει πάντα, ὁκόταν τὸ φλέγμα ψυχρὸν παραῤῥυῇ, ἐς τὸ αἷμα θερμὸν ἐὸν, ἀποψύχει γὰρ καὶ ἵστησι τὸ αἷμα, κἢν μὲν τὸ ῥεῦμα πολὺ ἔη καὶ παχὺ, αὐτίκα ἀποκτείνει. Sanguinem enim frigore ſuperat & congelat. Sin verò paucior extiterit, in præſentia quidem ſuperat, & reſpirationem intercipit. Deinde temporis ſpatio cùm per venas diſperſa, & copioſo ſanguini calido permixta fuerit, ſi hoc modo ſuperetur, venæ aerem ſuſcipiunt, ægrique ad *intelligentiam* redeunt. Qui ætate parvulâ hoc morbo corripiuntur, plerunque intereunt, ſi copioſa & humida fluxio contingat. Venæ namque cùm tenues exiſtant, pituitam craſſam & copioſam recipere nequeunt, ſed refrigeratur & condenſatur ſanguis, hocque modo pereunt. Quod ſi pauca fuerit & in utrasque aut alterius partis defluxionem fecerit, ſuperſtites evadunt, nota ex morbo impreſſa relicta. Aut enim os contrahitur aut oculos aut cervix aut manus, quacunque parte venula pituita repleta, ſuperata, & extenuata fuerit. Quibus autem grandiori ætate & valdè etiam pauca pituita & in dextram partem affluxerit, ii citra noxam ex morbo relictam ſuperſunt, periculum tamen eſt, ne morbus familiaris reddatur. Pueris igitur iſta aut his proxima contingunt, grandiores verò natu, cùm ſupervenerit, neque interficit neque contorquet. Nam & venæ amplam habent cavitatem & ſanguine calido refertæ ſunt, ideoque neque ſuperare pituita poteſt, neque ſanguinem refrigeratum cogere, ſed

ipſa

ipſa ſuperatur & celeriter ſanguini permiſcetur, hocq; modo venæ aerem ſuſcipiunt, & intelligentia permanet, & propter virium robur. Valdè *ſenes* autem, cùm ſupervenerit hic morbus, ideò interficit aut parte aliqua reſolutos reddit, quòd venæ jam vacuæ redditæ, paucum ſanguinem tenuem & aquoſum continent. Siquidem igitur copioſa fluxio fuerit, & hyems inſtet, interficit. Suffocando enim ſpirationem intercipit, & ſanguinem congelat, ſi in utramque partem catarrhus contingat; ſin verò alteram partem tantùm, parte quadam *ſyderatum* ſeu *paralyticum* reddit. Neque enim ſanguis, tenuis cùm ſit, frigidus & paucus, pituitam ſuperare poteſt, ſed ſuperatus ipſe congelatur, ut proinde partes illæ, in quibus corruptus ſanguis fuerit, ad motionem impotentes evadant. In partem autem dextram magis quàm in ſiniſtram defluxio fit, quia venæ ampliores ſunt & plures, quàm in ſiniſtris, cùm de jecore & liene tendant. Pueris autem maximè catarrhus fit & eliquatur, quibus ſanè ſive ex ſole, ſive ex igne caput concaluerit, ſive etiam derepentè *cerebrum inhorruerit*, tùm etiam pituita excernetur. Colliqueſcit ſiquidem calore & cerebri *diffuſione*, frigore autem & concretione excernitur, ſicque defluxio fit. Et hæc quidem quibuſdam cauſa eſt, quibuſdam etiam, cum poſt aquilonares ventos auſter mutationem fecerit, concretum ac debile cerebrū derepentè *ſolvitur* & laxatur, ita ut *pituita exundet, ſicq; catarrhū faciat.* Inſuper etiam defluit, ſi obſcurus aliquis *metus* contingat, ſi vociferante quidem aliquo terreatur aut etiam cum plorat, ſi ſpiritum quidem citò recipere nequeat, qualia frequenter pueris contingunt. Ex quibus ſanè totum corpus inhorreſcit, vox ægrum deficit; & ſpiritum non attrahit, ſed ſpiritus conquieſcit & *cerebrum concreſcit*, ſanguisque ſiſtitur, ſicque pituita excernitur & defluit. Ac pueris quidem hæ per *initia comitialis morbi ſeu epilepſiæ cauſæ ſunt.* cum verò vigeſimum annum prætererit juvenis, non amplius hic morbus infeſtat, venæ enim ſanguine refertæ ſunt, & Cerebrum compactum eſt & rigidum, ita ut *non defluat in venas.* Quod ſi defluxerit, *ſanguinem copioſum & calidum minimè ſuperat.* Quibus à teneris unguiculis eſt familiaris, auſtrali tempeſtate eum patiuntur. Cerebrum enim humidius quàm pro natura exiſtit & *pituita*

exundat, ita ut crebriores *catarrhi* contingant, neque amplius fieri possit, ut pituita excernatur, neque ut cerebrum resiccetur, sed irriguum & humidum esse, necesse est. Id ipsum autem præcipuè ex *ovibus* hoc morbo correptis, quis cognoscere queat, ac præsertim capris, quæ frequentissimè hoc morbo prehenduntur. Harum si caput secueris, cerebrum humidum & sudore redundans & malè olens deprehendes. Sic etiam in homine se res habet. Cæterum in ventorum mutationibus, præcipuè austrinis tempestatibus ac borealibus. Nam aquilo serenum faciens est saluberrimus. Contra auster, qui omnia turbat, etiam pocula plena vini ac alterius liquoris, item sydera, solem & Lunam. *Ab austris* etiam cerebrum *dissolvi* & *humescere venasque magis elaxari*, necesse est, ab aquilonibus autem, quod in cerebro maximè sanum est, cogi, quod verò maximè morbosum est, & humidù secerni & foris circumcirca alluere, eaque ratione catarrhos in horum ventorum mutationibus contingere. *Hæc libro prædicto:* nunc *libro de ratione victus in morbis acutis* illa: ὁκόταν ἀγγήματα προσγένηται μελαίνης χολῆς καὶ δριμέων ῥευμάτων ἐπιῤῥύσιες γίνονται: Cum dolores accesserint, bilis atræ, acrimumque humorum affluxiones fiunt. Demorsæ autem partes internæ dolent, demorsæque & admodum arefactæ venæ, tum intenduntur, tùm inflammatione tentatæ ea, quæ affluunt, attrahunt. Ex quo corrupto sanguine & spiritibus vias, quas in ipso secundum naturam habent, pervadere nequeuntibus, perfrigerationes fiunt ob stabilitatem, *vertigines*, *vocis defectio*, *capitis gravitas* (καρηβαρίη) & *spasmi*, si jam ad cor aut hepar aut ad venam pervenerint. Hinc *Epilepsiæ* aut partium *paralyses* fiunt, si in loca, quæ eas partes ambiunt, fluxiones inciderint, & spiritibus exire nequeuntibus exaruerint. His sanè prius adhibitis fomentis statim per initia venam secare convenit, cùm adhuc sublati sunt, qui affligunt, tùm spiritus πνεύματα, tum humores ῥεύματα. *Angina* fit cum sub hyemem aut vernum tempus, multa & lenta fluxio seu ῥεῦμα ex capite in jugulares venas defluxerit, eæque propter amplitudinem, copiosiorem fluxionem seu ῥεῦμα attraxerint. *Hactenus Hippocrates.* Ad hæc sæpius recurrere & ea pressius intueri conveniet, cùm his futurus noster sermo fulciatur.

Hic

Hic *sanguinis catarrhus*, doctore *Hippocrate*, admodum fœcundus est & perquàm ferax aliorum morborum, quorum ê numero priore locò dicenda est *Apoplexia*. Hanc *Hippocrates lib. de Gland:* nominatim appellat, capitis fluxiones, *inquiens*, omnes numero septem sunt. Eæ si discedunt, Cerebri purgamenta sunt, & nisi discedant, ipsi morbum creant, non secus ac reliquo corpori, si intrò & minimè foràs discesserint. Ac rursus multa turbatio affatim attrahit, tum morbos creat. Amboque magna molestia naturam debilitant, licet affectiones malitia distent. Prædictæ siquidem fluxiones naturam affligentes, copiam molestè admodum ferunt, & mordentur, si quid præter rationem & consvetudinem contingat. At cerebrum noxiam sentit, ipsumque etiam non benè habet. Sed si quidem mordeatur, multam turbationem habet, & mens desipit, cerebrumq́; convulsionem sentit, totumq́ue hominem neque in se vocem edit, sed suffocatur, huicq́; affectioni apoplexiæ nomen est. *Καὶ ὁ ἐγκέφαλος σπᾶται, καὶ ἕλκει τὸν ὅλον ἄνθρωπον. ἐν ἑωυτῷ δ' οὐ φωνέει καὶ πνίγεται, ἀποπληξίη τῷ πάθει τοὔνομα.* Dein superiore libro *de Sacro morbo* memorat, ἄφωνον *suffocatumq́;* ἄνθρωπον ac lib. *de rat: vict: in morb: acut:* ἀφωνίην. Quo nomine similiter *Galenus 6. Aphor: 51.* prodit *Apoplexiam*. Hæc quo modo nascatur, non constat. *Galenus lib. 4. de locis affect: cap: 2. & 7. item lib. 2 sympt: cap. ult:* contendit, ipsam *medullam cerebri* ac *ventriculos* humoribus compleri. Id quod *Philotheus* hac similitudine declarat: *ἀποπληξία ἐστὶν ἀκινησία καὶ ἀναισθησία τοῦ παντὸς σώματος, μετὰ βλάβης τῶν ἡγεμονικῶν ἐνεργειῶν. Τὸ δὲ αἴτιον αὐτῆς ὑγρότης φλεγματώδης πληροῦσα κατὰ τὸν ἐγκέφαλον, καὶ ἐργαζομένη τὸ σῶμα ἀκίνητον. γίνεται δὲ οὕτως, ὥσπερ νέφος παρατρέχον ἥλιον κωλύει, καὶ ἐᾷ αὐτὸν καταλάμπειν τὴν γῆν, οὕτως καὶ ἐνταῦθα ἡ ὑγρότης, ὥσπερ τὸ νέφος περισκέπουσα τὸν ἐγκέφαλον, κωλύει αὐτὸν ἐκπέμπειν τὰς δυνάμεις ἐν ὅλῳ τῷ σώματι καὶ διὰ τοὺς ἀναίσθητον, καὶ ἀκίνητον μένει.* hoc est, Apoplexia est immobilitas & insensibilitas totius corporis cum principalium actuum læsione: causa verò ipsius est humiditas pituitosa, partes proximas cerebro implens & corpus immobile reddens. Fit autem hoc modo, sicuti prætercurrens nebula solem prohibet, & non sinit ipsum irradiare terram. Eodem modo & hîc

humi-

humiditas tanquam quædam nebula cerebrum contegens ipſum, prohibet potentias per totum corpus immittere, & propter hoc inſenſibile & immobile permanet. *Hæc Autor.* Interpretes *Galeni* ac alii, ut *Johannes Baptiſta Montanus* ipſos Cerebri *ventriculos*, ipſam *medullam Cerebri* oppilari affirmant. Nonnulli id quoque experimentis magis, magiſque probare videntur. *Platerus* enim notavit humorem, qui de ore fluxerat, albidum, ſimilemque cremori lactis. In caro, *inquit ille*, & apoplexia mortuis ex eo, quod copioſius hic humor, per os tunc illis aliquando effluxerit, deprehendimus, & ſectione quoque diligenti aperta craſſa Cerebri meninge, in quibuſdam copioſum humorem mox proſilientem, *per capitis regionem ad thoracem uſque* deſcendiſſe, ipſamque adeò Cerebri ſubſtantiam, in quadam anu, quam apoplexia è medio ſuſtulerat, *lactis cremoris* inſtar diſſolutam, ſimili modo *per faciem* defluxiſſe, obſervavimus. *Hic autor* prodit vim illius humoris, quem ait *per capitis regionem ad thoracem uſque deſcendiſſe*, ac patefacto cranio, tandem *per faciem defluxiſſe.* Nunc *Foreſtus l. 10. de Cerebri morbis obſerv. 76.* quoque *Apoplecticorum lachrymas* cenſet ex ipſo *Cerebro* profluere. *Ejus verba ſunt hæc:* Illud ſignum quoque apud vulgares, eſt tamen magni momenti, quod apoplectici magna ex parte liberati; ac in vita ſervati, levi de cauſa lachrymas fundunt, eidem poſteà hoc ipſum aderat & nunc adhæret, quodq; nos in infinitis, qui hoc modo laborarunt, veritatem habere comperti ſumus, ob *cerebri imbecillitatem relictam*, ut arbitror, ut facilius talem *humorem* fundant, ubi enim aliquid commiſerandum narratur, ſtatim lachrymantur, ut quotidiè experimur. Quod equidem ſignum licet à nullo medico, quod ſciam, deſcriptum, à vulgaribus tamen obſervatum magnifaciendum arbitramur, quod in iis ferè ſemper, qui apoplexiâ tacti fuére, & non in epilepticis, apparet facilis fuſio lacrymarum, & quanquam vulgares rationem ejus reddere non poſſunt, tamen experientia quotidiana docet, hoc pathognomicum ſignum eſſe, aliquam apoplexiam incurriſſe.

Idem *Galenus cerebrum* ait, oriente *Apoplexiâ*, leviter inflammari. Ejus verba *2. Aphor. 42.* recognoſce: πᾶσαι μὲν οὖν αἱ ἀποπληξίαι γίνονται τῆς ψυχικῆς δυνάμεως ἐπιρρεῖν ἀδυνατούσης τοῖς κά-

τω τῆς

τῶ τῆς κεφαλῆς, ἢ τι διὰ φλεγμονώδη τινὰ διάθεσιν ἐν αὐτῷ ἐγκεφάλῳ σύστασαν: hoc eſt, *Omnes autem apoplexiæ fiunt vi animali non potente defluere, aut propter aliquam dispoſitionem ſimilem inflammationi, quæ in ipſo cerebro eſt conſtituta.* Ab illa opinione haud alieni ſunt recentisſimi autores, quemadmodum *Nathanael Highmorus*: arteriæ & venæ cerebro communicatæ inſignes ſunt, à carotidis ramo majori & jugularis internæ minori propagatæ. Quæ copiosè ſanguinis magnam quantitatem illi adducunt, & in minutisſimos diviſæ ſurculos, per totam Cerebri ſubſtantiam abundè diſſeminatæ, illam irrigant & nutriunt. Quæ verò ſi nimiùm fuerint repletæ ac diſtentæ, adeò particulas Cerebri, quas permeant, comprimunt & conſtringunt, ut liberum ſpirituum inde denegetur effluvium, atque inde ſæpè apoplexia naſcitur. *Itemq́; Dominicus Panarolus*: ægrum morti proximum vidi, ſemiſopitum, ſine ſenſu & motu triginta circiter annorum. Venæſectio fuerat prohibita. Parabantur clyſteres ligaturæ, cauterium, veſicantia. Sed æger moriebatur. Secto corpore nulla in hepate, in Cerebro aut in corde lethalis noxa percipiebatur, ſed venæ omnes internæ turgidæ ſupra modum ad immenſam magnitudinem excreverant; ita, ut aliquæ venæ in aliis corporibus exiles ac parvulæ, in iſto cadavere craſſitudinem pollicis æmularentur. Unde audactior factus in poſterum duo ægri eodem morbo oppresſi evacuatione, per ſanguinis misſionem facta, priſtinæ ſanitati reſtituti fuerunt.

Illamq́ue ſententiam *Galeni* eſſe potiorem oſtendit *Caſpar Hofmannus*, φλεβῶν κατάληψιν omni ſtudio commemorans: καρωτίδες ἀπὸ τοῦ κάρως dicuntur, quod ſomnum ſignificat profundum & præternaturalem, qualis in lethargo & apoplexia, unde etiam ληθαργικαὶ καὶ ἀποπληκτικαί. Antiquisſima igitur cùm ſit aſſertio, apoplexiam fieri ab obſtructione harum arteriarum, miror noſtros practicos tot verba perdere in adſtruenda ventriculorum Cerebri obſtructione! Certè ἀπόληψιν φλεβῶν, *interceptionem venarum* Hippocrates 4. Acut. 23. (quam eandem eſſe puto cum κατάλήψει φλεβῶν ἐν αὐχένι, interceptione venarum in collo, Ariſtot. de Somno cap. 2. Galenus ipſe *de oppletione venarum* interpretatur. Quod ſi negat iterum 2. Sent. Hipp. 6. dico, non debere *mihi nocere*

inconſtantiam ipſius. Ad experimentum autem, quod non tibi tantùm, ſed & alibi magni vult vendere, reſpondi non ſemel, non ligat ſoporarias internas. Tu verò adi Averroem 2. coll. 19. à quo ſimul diſces, cur Latinis (apud Donatum eſt) Liſæ dicantur hæ arteriæ. *Hac magis* com. in Gal. lib. 7. uſ. P. cap. 6. *firmat hiſce:* Unde illud apparet, apoplexiam (ſi modò ulla ſit ab obſtructione ventriculorum Cerebri) fieri ab illis tantùm excrementis, quæ in medulla Cerebri colliguntur, non autem in cortice cinereo, quem tenuis meninx involvit. Reverà autem nulla apoplexia fit vel à pituita, vel à melancholia, vel à ſanguine, obſtruente ventriculos: omnis // autem vel obſtructis vaſis jugularibus (qua voce comprehendo venas & arterias omnes adſcendentes) vel potius obſtructis ductibus Cerebri, qui ab anatomicis noſtris dicuntur. *Ac quoq; ſequentibus:* Ego hîc à Practicis hoc tantùm quæro, ſi quædam tantùm apoplexia fit ab humore frigido & craſſo, ſive pituitoſus is ſit, ſive melancholicus: cur in omni apoplexia venæ ſectio omnium conſenſu non tantùm recipitur, ſed etiam tantoperè probatur, ut fateantur, in hoc potiſſimum præſidio totum ſalutis momentum conſiſtere? Et in illa, quæ fit à ſanguine, ſi quidem is egreſſus eſt vaſis, ventriculisque illapſus, quomodo regreditur, ut per venæ ſectionem vacuetur. *Hæc ille.* Nimirum humor nondum effuſus eſt, qui illam facit *oppilationem venarum cerebri.* Quare ſanguinis miſſio eſt remedio, antequam humor aut eruperit penitus aut inſederit altiùs.

Peritè *Hofmannus* edocet, κατάληψιν φλεβῶν & ἀπόληψιν nihil differre. Utriusq; indicium facit *autor libri de utilitate reſpirationis,* contingit, *inquiens,* oppilationem fieri in loco, in quo vena & arteria procedentes à corde, tranſeuntes per collum conjunguntur ad pelliculas cerebri & ſpinalis medullæ, ex humore aut fumo multo aut parvo & tantum craſſo aut ſubtili, fitque ibi oppilatio per anguſtiam venularum, quæ procedunt ab illis venis, diſſeminanturque in pelliculis cerebri & ſpinalis medullæ. Dico autem ex hac oppilatione fieri ſomnum, quandoque epilepſiam, quandoque & apoplexiam. Fit autem apoplexia ex humore plurimo.

Interpres verbo *fumi* utitur. Unde forſitan *Nymmannus* fuit deceptus, qui *fumum carbonum* & *ſolares atomos* ſeu *pulviſculos* ait

cere-

cerebri sinus obstruere,ut hinc cieatur *Apoplexia.* Verùm hic Autor *vaporem* seu *flatum* intelligit, qui inest in sanguine. *Hipp:* eum aerem *libro de morbo sacro*, ex quo superiora dicta libavimus, notum facit. Unde *Galenus libro de causis morb:* cap.3.eam *Hippocratis* sententiam sequitur,ubi verò, *inquiens*, intercipiuntur,quæ sunt in animali arteriæ,hoc est, ita oppletæ sanguine fuerunt, ut nullus in ipsis reliquatur locus,in quem dum attolluntur,aerem externum attrahere possint, tunc quodammodo strangulatur atque extinguitur calor innatus, ac qui ita affecti sunt, subitò sensum & motum totius corporis amittunt. *Ac idem lib. de utilit: respirationis cap.5. rem dat pluribus:* verùm qui Erasistratum sectantur non eodem modo, quo Hippocrati adhærentes ex inspiratione animalem spiritum nutriri tradunt: illis enim ex corde per arterias ad cerebri membranas,his verò statim per nares in cerebri ventriculos pervenire spiritus videtur. Necessarium est ex inspiratione per nares potissimam alimenti partem animali spiritui accedere. Atque hoc est, quod ab Hippocrate dicitur: principium alimenti spiritus,os,nares,guttur,pulmo & alia respiratio. Discere autem ex apparenti, de quo dicturi sumus, evidenter licet de spiritꝰ ex pulmone in arterias totius corporis transumptione. Frigidior spiritus non similiter penitùs pertransire potest. Oportet autem promptè per omnia organa, animæ spiritum transire. In apoplexiis quidem frigidior est. In apoplexiis itaque retinetur, ut non facilè penitus pertransire possit & ob id sanè in motus privationem vitium finit. Moderata autem respiratio omnibus aliis membris per arterias contingit. Cerebro verò & cordi duo præcipua adjacent respirationis organa, illi nares, huic pulmo. Quod verò aer etiam ad cerebrum inspiratur in lib: de Hipp: & Platon: decret: demonstratum est. Porrò cor à pulmone aerem ad se partim attrahit,partimque vicinis arteriis transmittit.

Hanc veterum opinionem parum rectè interpretantur recentiores, qui vapores & humores inferioris corporis in cerebrum ajunt maximè efferri. Quibus tamen non assentitur *Philotheus*, qui nubibus cœli comparat non inferioris corporis humorem, sed ipsius *cerebri* & eum quidem jam de vasis exeuntem. Nonnulli quidem *Apoplexiam* ajunt esse morbum *vasorum sanguinis ad cerebrum*

 perti-

pertinentium. Olim *Arculanus Rete Admirabile*, hocque ſeculo *priores duos ſinus duræ meningis* contendebat *Nymmannus* maximè oppilari. Quid? Creditum fuit, *arterias colli* adeò obſtrui. Qua de cauſa illæ *Caroticæ, Lethargicæ* & *Subethicæ* etiamnum cognominantur. Quin *Rhaſes* quoque ad *Caroticas arterias colli* cucurbitam admoveri jubet, ſi homo *Apoplexiâ* arripitur.

Verùm recentiores non faciunt mentionem *aeris*, qui ineſt in *arteriis*. Hunc *Hippocrates* ait, *cerebri* pituitâ ſe in *venas* Cerebri conferente, ita cohiberi, ut *Apoplexia* naſcatur. Verba, quibus hoc exprimit, ſuperius poſita fuerunt. Nunc & ea recognoſce, quibus *Hippocrates* humorem Cerebri tradit in *venas* & *arterias* ire. ἐπικαταῤῥέει δὲ καὶ ἀποτήκεται, τοῖσι μὲν παιδίοισι μάλιστα, οἷσι δ᾽ ἂν διαθερμανθῇ ἡ κεφαλὴ, ἤν τε ὑπὸ ἡλίου, ἤν τε ὑπὸ πυρός. Ἤν τε καὶ ἐξαπίνης φρίξῃ ὁ ἐγκέφαλος, καὶ τότε ἀποκρίνεται τὸ φλέγμα. Ἀποτήκεται μὲν γὰρ ἐκ τῆς θέρμης, καὶ διαχύσιος τοῦ ἐγκεφάλου. Ἀποκρίνεται δὲ ἀπὸ τῆς ψύξιος τε καὶ ξυστάσιος. καὶ οὕτως ἐπικαταῤῥέει. ξυνεστηκότα τὸν ἐγκέφαλον καὶ ἀσθενέοντα ἔλυσεν καὶ ἐχάλασεν ἐξαίφνης, ὥστε πλημμυρεῖν τὸ φλέγμα καὶ οὕτω τὸν κατάῤῥοον ποιέεται. Ἐπικαταῤῥέει δὲ καὶ ἐξ φόβου. *Et mox:* Καὶ ὁ ἐγκέφαλος ξυνέστη καὶ τὸ αἷμα ἔστη καὶ οὕτως ἀπεκρίθει καὶ ἐπικαταῤῥεύει τὸ φλέγμα. Ὁκόταν δὲ εἴκοσιν ἔτεα παρέλθῃ, οὐκ ἔτι ἡ νοῦσος αὕτη ἐπιλαμβάνει. αἱ γὰρ φλέβες μεσταί εἰσιν αἵματος. Καὶ ὁ ἐγκέφαλος συνέστηκεν καὶ ἐστὶ στρυφνὸς, ὥστε οὐκ ἐπικαταῤῥέει ἐπὶ τὰς φλέβας. Quo quid dilucidius dici poteſt? Ac *libro* quidem *de locis in homine* ita loquitur: ἅμα μὲν ἡ κεφαλὴ μᾶλλον ῥεῖ: ac ſimul quidem caput magis fluit. Attamen *hoc loco* maximè vult cerebrum ſe deonerare, ac humorem in *venas* trajicere, τὸ φλέγμα παραῤῥεύειν ἐς τὸ αἷμα. Tandem *libro de aere, loc. & aq.* ait, ἐγκέφαλον διαλύεσθαι. Unde & *Apoplexia* ſuam originem trahit. Et hoc eſt, quod *Galenus* illud *Hippocratis:* τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι καταῤῥοοι συντόμως ἀπολλύντες. *Senioribus autem fiunt deſtillationes, quæ citò interimunt*, ita interpretetur: *Hæ, non ſunt communes fluxiones, quæ ex capite fiunt per aſperam arteriam, ſed quæ per venas* (διὰ τῶν φλεβῶν) *à capite ad partes inferiores feruntur, quæ citò homines perimunt. Id quod ipſe libro de aqua, locis & aere ſcripſit, dixitque quoſdam dextra aut ſiniſtra parte ſtupidos fieri.* Quare ſenes *apoplexiâ* arripi ſolent, quos excepit *Paralyſis*. Nonnulli

nulli quidem & *catarrhum suffocativum* hîc prodi arbitrantur, quemadmodum *Christophorus à Vega*, Senioribus, *inquiens*, fient in hac constitutione defluxiones, à quibus statim moriuntur, quod verum est, ubi acres humores ad pulmonem abundè defluant. Suffocantur etiam nihil minus, ubi ad cor per arterias descendant aut easdem soporiferas oppleverint. *At paulò post:* libro de aere, aquis & locis hunc aphorismum scripsit: aliqui derepentè pereunt, aliqui verò semisiderati, dextra aut sinistra fiunt. *Hæc autor.* Et ego hîc contenderim *Apoplexiam* præcipuè indicari. Quanquam tanta vis sanguinis *venis jugularibus* etiam refluere possit, unde homo ceu *Catarrho Suffocativo* extinguatur.

Primùm igitur *Hippocrates* Cerebri vasa statuit humorem emittere, quo illud solet affluere. Dein eadem eundem humorem nimis avidè & ubertim aliquando imbibere, ut, eo jam defluente, obstruantur in tantum, ut aerem non admittant, qui vel *narium* meatu vel *pulmonum*, *arteriarumq;* motu subinde recipiatur. Hunc verò aerem ad intelligentiam, ad sensum & motum conferre. Ejus igitur itinere per illum *Sanguinis Catarrhum* impedito, *Apoplexiam* concitari. Superiùs posita verba sunt: *ἄφωνον καθιστᾶσι καὶ ἄφρονα τὸν ἄνθρωπον.* Præcedit ergò Catarrhus ἐς τὸ αἷμα, quo Cerebri humor posteà in cerebri venas & in sanguinem fertur, ut aer in arteriis means, reprimatur.

Apoplexia est primus, secundus, quem facit hic *Sanguïnis Catarrhus*, morbus est *Paralysis*. Valdè senes, *inquit libro de Sacro Morbo Hippocrates*, cùm supervenit hic morbus, ideò interficit aut parte aliquâ resolutos reddit, quod venæ jam vacuæ redditæ, paucum sanguinem tenuem & aquosum continent. Siquidem igitur copiosa fluxio fuerit, & hyems instet, interficit. Suffocando enim spirationem intercipit & sanguinem congelat. Si in utramque partem catarrhus contingat, sin verò alteram partem tantùm, parte quadam syderatum seu paralyticum reddit. In partem autem dextram magis, quàm in sinistram defluxio fit, quia venæ ampliores sunt & plures, quàm in sinistris, cùm de jecore & liene tendant. Atque *Hippocrates libro de ratione victus in morbis acutis*, *Paralyses* nominatim cit, uti etiam *lib. de aere*, *loc. & aq.* ac eo anni tempore, *inquiens*

ubi quinquageſimum annû exceſſerint, Catarrhi ex Cerebro ſuperveniunt, qui homines aliqua corporis parte reſolutos reddunt, ubi caput derepentè ſoli expoſitum aut frigore correptum fuerit. *Græca verba* hæc ſunt: Καὶ ὁκόταν τὰ πεντήκοντα ἔτεα ὑπερβάλλωσι, καθάπερ ῥόοι ἐπιγενόμενοι, ἐκ τοῦ ἐγκεφάλου παραπληκτικοὺς ποιέουσι τοὺς ἀνθρώπους. Ad hunc locum fortè etiam reſpicit *Galenus* 3. Aphor. 12. interpretans. Verba ſæpiùs reddita fuerunt.

Hic *Sanguinis catarrhus* ſecum quoque fert *Epilepſiam*, ad quam *Spaſmus* & *Tremores* ſpectant. Ita enim idem *Hippocrates* libro de *Sacro Morbo* diſſerit: venæ ſunt corporis noſtri ſpiracula, cùm ad aerem ad ſe trahant, & in reliquum corpus deducant, ac per venulas refrigerent, rurſusque emittant. Neque enim fieri poteſt, ut ſpiritus conſiſtat, ſed eum ſurſum & deorſum ferri, neceſſe eſt. Pedibus calcitrat, cùm aer in membris intercluſus, foràs præ pituitâ emergere non valet & cum ſanguine ſurſum ac deorſum impetu delatus, *convulſionem* & dolorem infert, ideoque calcitrat. Pueris igitur iſta aut his proxima contingunt. Ac pueris quidem hæ per initia comitialis morbi ſeu epilepſiæ cauſæ ſunt. Idemque *Hippocrates l. de ratione victus in morbis acutis*, *Epilepſiæ* quoque *vertiginem* jungit. Cæterùm *Joh. Baptiſt. Montanus Paralyſin* & *Spaſmum* inter *Diagnoſtica Signa Catarrhi Spinalis Medullæ* recenſet, quemadmodum etiam *Crato in Analog.* cum, *inquiens*, per nervos & Spinalem Medullam fertur eas affectiones, de quibus paulò antè dixi, videl. *Spaſmum*, *Paralyſin &c. producit.* Quid? idem *Montanus* & ex parte etiam *Crato Tabem*, *cachexiam* & *Hydropem* ſupervenire tradunt. Si per venas, *inquit Montanus*, deſtillatio multa deſtillaverit & ad hepar tranſiverit, & ipſum infecerit, Anaſarcam & omnes ſpecies Hydropis facit. Siq; per venas ad ventriculum tranſierit, fiunt cruditates & obſtructiones & cibus non coquitur, ſecundò non diſtribuitur, quia cum crudus ſit, venas obſtruit Meſaraicas & ſi diſtribuitur, non eſt bonum nutrimentum: nam ſecunda concoctio non corrigit primam: ideò tabeſcit corpus. *Et mox:* ſi ad venas, ſanguis refrigeratur, & hepar & corpus cruditatibus repletur, ideò vel tabeſcit vel in hydropem tranſit. *Hæc Montanus.* Hic haud inficiabitur, inde & alvum aliquando ferri. Nam *Victor*

Trin-

Trincavellus l. 5. Sect.3.c. 4.ita loquitur: *à capite nonnunquam defluens salsa pituita aut per venas, aut per œsophagum & ventriculum in intestina, non rarò profluvia alvi concitat.* Et jure. Nam *Hippocrates l. de sacro morbo*, quod si, *inquit, per venas* ad ventrem feratur, *alvi profluvia corripiunt.*

Peter Pichothus, & *pectoris* morbos persequitur, qui de *Sanguinis* Catarrho nascuntur, ut sunt *cordis palpitatio, Dyspnœa* & *Hæmoptosis.* Imitatur *Hippocratem.* Quod si, *inquit hic*, defluxio ad *cor* viam affectaverit, Cordis palpitationes & anhelationes prehendunt, pectus corrumpitur, quidam etiam incurvantur. Ubi pituita ad pulmonem & Cor devenerit, refrigescit sanguis, hinc palpitatio, asthmata & orthopnœa. Ac idem *libro de ratione victus in morbis acutis* subjungit: Angina fit, cum sub hyemem aut vernum tempus, multa & lenta fluxio seu ῥεῦμα ex capite in jugulares venas defluxerit, eæque propter amplitudinem, copiosiorem fluxionem seu ῥεῦμα attraxerint. Hæc *Hippocrates.* Sunt & alii morbi, qui hunc *Sanguinis Catarrhum* sæpiùs comitari dicuntur. Quare is de sententia *Hippocratis*, hoc modo definitur: *Catarrhus Sanguinis* est *Cerebri Catarrhus, quô Cerebri humor supernè in venas & arterias labitur, multosq́; posteà facit morbos.*

SIGNA DIAGNOSTICA.

Nunc operæ erit, illa verba subjicere, quibus *Montanus* credit constare, *venis* feratur ille *Sanguinis* Catarrhus, an verò *arteriis.* Arteria, *inquit*, ad tactum mollis est & imbecillis motus redditur, quia dum transit humor ille pituitosus per arterias, debilitat calorem innatum, & mollescunt corpora arteriæ propter transitum pituitæ: & ideò Galenus in quarto de caus. pulsuum dicebat, quod ubi pituita pertransit per arterias, molliores apparent. Prætereà, inquit, quod parvitas primò pulsus fit, ut si catarrhus amplior fiat, tarditas, & si adhuc augeatur, raritas appareat. Parvus autem fit pulsus, quando refrigeratur calor innatus & diminuitur necessitas eventationis: ideò non extenditur pulsus & accidit imbecillitas. Si etiam augeretur destillatio, non tantùm parvus fiet, sed etiam amittet

tet de dimensione in altum & de velocitate acquiret : ubi deficiet indigentia, amittet frequentiam,& sic fit parvus , tardus & rarus, quia diminuta necessitas est. Cùm pessimi sint catarrhi , plurima inæqualitas apparet, non autem raritas,nec tarditas,nec parvitas, nisi cùm intabuerint. Sed inæqualitas inseparabilis est, cum catarrhus descenderit per arterias, quia proprium signum & inseparabile humorum existentium in corpore,aggravantium virtutem, est inæqualitas. Prætereà sequuntur lipothymiæ, tremor cordis, quia arteriæ communicant vapores ipsi cordi. Ex his deprehendes, catarrhum devenire per *arterias* ad *singulas partes corporis*. Si verò per *venas* descenderit, quod frequentiùs accidit,& similiter per totum corporis ambitum spargitur,sequentur primò obstructiones in toto corpore & tumores ducentes ad cachexiã,quia refrigeratur sanguis & miscetur crudo humori,&nõ nutritur,sicut oportet.Præterea febres lentæ , quæ non percipiuntur,nisi ab inæqualitate pulsus,& pulsus suffocatus apparet. Et istæ febres ab Arabibus erraticæ, à Græcis typhodes. Vix enim percipiuntur.Ac tales febres semper invadunt homines, habentes destillationes per venas : habentque urinas albas,crudas,pallentes,habent spumam,sed ubi spumam urinæ habent, indicatur,dispositionem existere in renibus, ut septimo Aphor. trigesimo quinto : Quibuscunque in urinis ampullæ supernatant , nephriticam significant & longam ægritudinem. Quo modo ergò distinguuntur ? Debetis vos distinguere à colore primo, ubi affectus in venis fuerit,urinæ crassiores & citrinæ magis apparent : propter descensum verò catarrhi albæ , tenues, lucidæ cum spuma. Et hujusmodi spuma non tantùm superficiem occupat,sed quasi in substantia ejus sunt ampullæ. *Ferè iisdem* verbis indicia hujus *Catarrhi Sanguinis* vel per *venas* vel per *arterias* euntis in Analog. reddit *Johannes* Crato.

PROGNOSTICA.

Hic *Sanguinis Catarrhus* periculi plenus existimatur. *Unum*, inquit, Joh. Baptista Montanus, *advertere debetis,quod ex omnibus destillationibus istis, si fiat per foramina propria, corpori toti non magnum*

gnum inferent malum. Hic verò *Catarrhus Sanguinis* & gravissimos morbos & plurimos facere putatur. In commune disserit *Montanus:* imò omnes ægritudines ab hac tantùm causâ possunt fieri, non dico, quòd fiant, sed quod possint fieri, si igitur ad oculos, facit omnia inflammationis genera, de quibus in secundo de diff. febr. lippitudines, suffusiones, pterygia, lepras & alia omnia. Si ad aures, inflammationes aurium, dolores &c. si ad nares, præter Coryzam, Polypos & cancros. Si ad palatum, multa ægritudinum genera generabit. Si ad fauces, raucedinem, anginas, scrophas &c. Si ad musculos pectoris & ad membranam succingentem costas. Si ad cor, veras lipothymias, tremores cordis & homines timidos facit sine spe, refrigeratur corpus, crassiores & frigidiores facit spiritus. Si per venas ad hepar transiverit, alios morbos creat, ut omnes species hydropis. Si per nervos descendit, paralysin, spasmos, tremores & omnes ægritudines nervorum: ideò non frustrà pollicitus sum, ex Catarrho omnia genera affectionum ostendere. Si per venas ad ventriculum transierit, de iis morbis dictum. Si ad pulmonem, tabescit pulmo & hinc corpus. *Hæc ille.* Non dissimili ratione *Arnoldus Villanovanus* & *Peter Pichotus* morbos percensent, qui de *Catarrho* proficiscuntur. Multò plures sunt morbi, quos *hic catarrhus* concitare dicitur.

Idem *Sanguinis Catarrhus* hominibus, qui sunt ætate provectâ, est familiaris maximeque exitiabilis, *Hippocrate & libro de morbo sacro & libro de aer. aq. loc.* pronuntiante. Illiusque rei causam is prædicto *libro de morbo sacro* exponit, ideò, *inquiens*, interficit, aut parte aliqua resolutos reddit, quod venæ jam vacuæ redditæ paucum sanguinem tenuem & aquosum continent. Siquidem igitur copiosa fluxio fuerit, & hyems instet, interficit. Suffocando enim spirationem intercipit & sanguinem congelat. *Libro de aere, loc. & aq.* definit senes, eos enim esse ait quinquaginta annorum. Idque *Ludovicus Septalius* ita interpretatur: postremam ætatem, ejusque tandem peculiares morbos in civitatibus meridiem spectantibus tradidit in præsenti particula Hippocrates: per quinquagesimum enim annum transgressos intelligit seniores: in duplici enim differentia senectutem antiqui posuerunt, ut docet Aph. 3.

 Aph. 31.

Aph.31. Seniores igitur illos dicit facilè corripi paraplexiis, advenientibus â capite defluxionibus, ubi id aut insolatum aut frigore affectum fuerit. *Hæc ille.* Similia afferunt *Arnoldus Novicom* : *Montanus*, Crato & *Curio.*

CURATIO.

Hippocrates ante omnia suadet *sanguinis detractionem.* His sanè, *inquit ille libro de ratione victus in morbis acutis*, priùs adhibitis fomentis statim per initia venam secare convenit, cùm adhuc sublati sunt, qui affligunt, tum spiritus πνεύματα, tum humores ῥεύματα.

Unde Johannes Baptista Montanus fuit edoctus. Quod si, *inquit ille*, materia transit per secundum genus viarum, quas dicebamus esse venas & arterias : inde sumuntur indicationes curandi. Quod si per venas transit, per missionem sanguinis & per provocationem urinæ commodè fiet evacuatio. Dico per missionem sanguinis, si materia non erit admodum cruda (quarto de tuenda sanit.) quia si materia cruda erit, per provocationem urinæ commodiùs fiet. Et ita cum catarrhus per venas transit, indicatione à loco, per quem transit, scitis, quod commodissima evacuatio fit per urinam provocantia vel per phlebotomiam.

Habes, *amicissime Lector*, abs me naturam *Cerebralis*, ut vocant, C*atarrhi in sanguinem euntis*, ejusdem quoque habes curationem, prout utramque *Hippocrates* & hujus Hippocraticæ persuasionis consortes solent exponere. Summa rei hæc est : *humor in ipso Cerebro fluitans* rursus in venas & arterias *Cerebri* it, iis decurrit, reprimit in arteriis aerem, ac inde omnium gravissimos morbos facit, sanguini jam immixtus. Inde tractum quoque nomen est, quo κατάῤῥους ἐς τὸ αἷμα ab *Hippocrate* cognominatur, à junioribus *Catarrhus Venarum & Arteriarum*, itemque *Catarrhus Sanguinis.*

Verùm illa præcepta *Hippocratis* temeravit quasi & jam dudum rescidit *Johannes Fernelius*, maximus recentium autorum ac *Hippocrati* non quidem tempore, ast operis autoritate proximus. Hujus, & *Petri Bruhesii* nec non aliorum literas in unum coegit

Hen-

Henricus Garetius. Quas verò ad prædictum *Bruhesium* dedit *Fernelius*, iis *Cerebri* pituitam negat rursus *Cerebri venas* intrare posse. Contenditque ab eo monstrationem illarum *Venarum Cerebri*, ad extremum asseverans, pituitam nullibi nisi ventriculo contentam, se rursus in venas recipere posse. Quæ mox convaluit opinio. Quàm severi adstipulatores quoque sunt *Gulielmus Rondeletius*, *Peter Forestus*, *Dominicus Leonus*, *Jacobus Hollerius*, *Nicolaus Piso*, ex parte etiam *Thomas Erastus.* Horum verba & tractatu *de Stomachico Catarrho* & libro de *Arthritide* referuntur. Quæ cùm ita sint, *Catarrhus ἐς τὸ αἷμα* nunquam fieri poterit. *Fernelius* igitur mecum facit, deserit latenter *Hippocratem*, illudque *Catarrhi* genus de Scholâ Medicorum omninò tollit. //

Jacto quasi fundamento, nunc alia in eandem partem probabiliter argumentari libet. Si *venæ* & *arteriæ* humorem *Cerebri* rursus traherent, hic, antequam iis vasculis conciperetur, *Apoplexiam*, *Epilepsiam* & alios tàm graves morbos crearet. Nullus vapor in Cerebrum penetrat, ac solvitur in humorem. Sed eum sensim, ut pervulgatissima illa fert opinio, excludent venæ Cerebri & arteriæ. Hæ eundem quo pacto resorbere poterunt? In bovis Cerebro intra priores ventriculos vascula sanguinis magis notantur. Horum oscula quæ vis aperiet? Ac aperta cur non sanguinem reddent? Jam verò *Medulla Cerebri* non dat locum humori, quem reliquæ dispersæ venæ ac arteriæ haurire possint. Ac cur ille non in exitum, in *infundibulum* aut in *oculos* ac *nares* confluit? Hæc vasa non sunt naturaliter ficta sic, ut humorem ex facili emittant, quemadmodum arteriæ *tunicarũ Narium. Vesaliꝰ* & alii abundans tenuis humoris sæpiùs invenère Cerebrum. Cur illud non siccârunt ipsius *Cerebri venæ* & *arteriæ?* Ipse *Hippocrates* superiore loco & *Avenzoar*, ut l. 2. de Catar. ostendi, *oves* fatentur epilepsiâ arripi, earum *Cerebro* penitùs madente. Quare tàm gravis morbus, humore adhuc fluitante, nascitur potiùs, quàm eo jam â Cerebri venis aut ab arteriis recepto? Idem *Hippocrates*, Cerebri venis & arteriis illum humorem assumentibus, *Epilepsiam* & *Apoplexiam* concitari vult, iccircò, quod aeris commeatus indè inhibeatur. Verùm *venæ jugulares externæ* ac *externæ carotides* sat *aeris* haurire poterunt. *Pul-*

mones nihil læduntur, in cutem quoque exporrectæ venæ ſunt, *aeri* adhuc perviæ.

Prætereà *Hippocrates* & *arterias Cerebri* ſtatuit ſe aperire ac humorem intus fluitantem rapere. Aſt arteriæ ſanguinem & alios humores in Cerebrum agunt: ob id micant & pulſant, inferunt humorem ſemper, nunquam referunt. Venæ quidem revehunt id, quod cuique membro ſupereſt ſanguinis. Quare hæ arteriis ubique aſſociantur, ut & ſanguis *Cerebri Capitisque* in Cor reduci queat. Jam verò ſanguis interdum *naribus* ac *ore* rejicitur. Dicitur de *Capite* venire. Ita loquuntur, ſtatuuntque multi Medicorum, ut *Joh. Baptiſta Montanus* & alii, quos *l. de cat.* nominatim appellavi. *Sanguineum Catarrhum* nominant. *Nic. Abrah. Frambeſarius* Canon. *&* *Conſult. Medicin. l. VI.* de *Arthriticæ Fluxionis* principio differens, hiſce quoque utitur verbis: *& quid vetat, quò minus ſanguis, qualiscunque ſit, in membranarum & Cerebri venis, hujusque ſinubus per venas & arterias, devolvi, deorſumq́ relabi poſſit, omneq́ fluxionis genus parere?* Ita quidem eſt: arteriæ Sanguinem in Cerebrum & caput trahunt, ejusque retrahunt venæ abundantiam. At ille reductus ſanguis non eſt privatus *Capitis* aut *Cerebri* ſanguis, ſed ſanguis *maſſæ ſanguineæ*, quæ jugiter varieque agitatur. *Autores* & in hoc delinquunt, quod *arterias* ſanguinem de *Cerebro* aut de Capite reportare opinentur. *Arteriæ* ſanguinem *Cerebro*, uti & reliquis membrorum partibus invehunt, ejus quod reliquum eſt, referunt *venæ*. Hâc ratione multæ fluxiones exiſtunt, de quibus verò *Hippocrates* illis locis non fert ſententiam. Hic *Cerebrum* ait humorem ex ſe fundere, hunc *venas Cerebri* rurſus capere, Juniores Medici illum vocitant *excrementa Cerebri*, ac ea & per *nervos* in ſubjecta capiti membra mitti. Quam opinionem & *Dn. Joh. Conradus Dieterich*, Vir apprimè doctus exponit, Galenus, *inquiens*, in explic. vocis *κατάῤῥου*, videtur non intellexiſſe Catarrhum illum proprium, qui â capite per aſperam arteriam ad pulmonem venit, ſed potiùs eum, qui per nervos ab eodē Cerebro ad partes fertur infernas. Galeno acceditNonnius p. 665. Ad deſtillationes funeſtas & citò interimentes, pertinent apoplexia & paraplegiæ, quæ partes illas invadunt impetuosè, quarum officio vita carere nequit, judicioque Jacobi Curionis: ſi Cerebri excre-

menta, qualia ſenes ſub iſto temporum ſtatu ingentem congerunt copiam, â circumfuſo frigido & ſicco, in arterias, per quas ſpiritus ex corde in Cerebri ſinus influunt, aut in animalium ſpirituum alveolos vel ductus protruduntur, neceſſe eſt his affatim obturatis viis ſenſum & motum perire, aut parte altera ſiderationem vel hemiplegiam ſequi. *Hæc ille.*

Nominantur hîc *excrementa Cerebri, Arteriæ* & quoq; *nervi*. *Similiterq;* loquitur *Joh. Riolanus* l. de Morb: c. 20. ſanè â cerebro ferè ſemper oriuntur fluxiones, ſed ab interiore, facta fluxione per venas, arterias & nervos. Fernelius ab exteriore cerebro exiſtimat oriri arthriticos dolores. *Ac tract: 4. cap. 1.* Fernelius ſemper vult procedere â capite, quin etiam humorem extra cranium conſiſtere. Verùm enimverò quidni ab interiore cerebro per ſpinam & nervos, per venas quoque & arterias. *Hactenus autor. Nervos* non appellat *Hippocrates* nec quoque *arterias*, ſed ait cerebri humorem fluere in *venas*. Hæc ſententia *Fernelio* abſurda videtur. Quare cerebro negat eſſe *venas*. Aſt quam imperitè, noli quærere. Eæ per interna cerebri diſperguntur. Easq; notare poterit is, qui cocto veſcitur cerebro vitulino. Nec forſitan *Fernelius* reperit, quo modo humor in *venas* ſe mittere queat. Cumque idem *Hippocrates* eodem loco humorē afferat ἐπὶ νωλιαῖον ferri, is hanc ſententiam interpretans, humorem contendit inter capitis cutem & cranium colligi, in inferiores partes derivari variè, ac ſæpius ſuprà *ſpinam dorſi* duci, ut inde etiam *Arthritis* naſci queat. Inter falſa opinionum verſatus eſt *Fernelius*, probavit tandem id, quod minus veriſimile erat. Quo pacto humor tam exactè ſecundum dorſi ſpinam ferri poterit? Plura ſunt hîc abjudicāda. Venarum originē *Hip:* nunc à *capite* ac *cerebro*, nunc ducit à *Liene*. Illisq; vaſculis ait *ſpiritū duci, compreſſis fieri torporem. Naribus aerē rectà in cerebrū ire ac afferre intelligentiam.* Ejus *curſu impedito, Apoplexiam oriri & Epilepſiam. Cerebro inhorreſcente, pituitam excerni. Illudque etiam ait diffundi, ſolvi & laxari, itemque concreſcere, ac viciſſim compingi ac indurari, ut non defluat in venas, has verò ab auſtris elaxari.* Quæ dogmata omnia *Fernelius* repudiare debuiſſet, ac ab *Hippocrate* penitus deſciſcere. Ipſi hunc errorem fecit præcepti autoritas. Eâ nihil moveor. Liber ſum, more meo ſentio, judico pro meo captu. Nec tamen odi *Hippocratem*.

// Rudis fuit illa ætas, cur non noſtra aliquid interdum deprehendet corrigendum, mutandum, tollendum penitus ac quoque arguendum? Sat diu ſteterunt illa ſcita. Fiunt tandem effœta veri. Fuerunt rudimenta ingenii, artis quoque primordia. Primitiæ frugum non durant. Melior, quo magis ſera eſt fæcunditas. Abdicatis igitur hiſce antiquis placitis, omnia poſteà in melius proficient. Proclamo intentâ voce ac pronuntio, *Cerebrum* haud præbere materiam // *Catarrhorum.* Nullum quoque eſſe *Sanguinis Catarrhum*, quo Cerebri humor in *venas cerebri* & mox in *ſanguinem* feratur. Hic foret ejuſmodi *catarrhus*, à quo omnes, non *catarrhi* modò, ſed morbi reliqui oriri poſſint. Cerebri vaſa tendunt ad *oculos, nares, aures,* ad *pulmones* & ad *ſtomachum.* Quare *Joh: Bapt: Montanus* pulmonum ſtomachique catarrhum ait fieri, humore *cerebri* vel per canales, ut per *guttur* aut per *gulam* vel per *vaſa* influente. Præterea humor Cerebri in *venas* demiſſus, autore *Hippocrate*, facit anginam, faciet quoque *arthritidem*, item *morbum matricis*, ut ipſe lib. *de ſpinalis medullæ catarrho* oſtendi. Ac, ſi mulier, *inquit lib.* 1. *de morbis Hippocrates, utero gerens pituitoſa fuerit, caput dolet, ſubindeque febricitat, pituita in capite & gravitatis ſenſum habet & frigoris, in corpus ſecedit & venas, cum caput repletum fuerit.* Hâc viâ Cerebri humor quoque it in *Spinalem Medullam*, ac creabit *Paralyſin.* Hanc *Montanus* ſuprà edocuit ad *Catarrhum Spinalis Medullæ* ſpectare. Longè ſecus eſt. *Hippocrates* eam refert ad hunc *catarrhum Sangüinis*, ita ut ipſe *ſpinalis medullæ catarrhus* nihil aliud, quàm *ſpecies catarrhi in ſanguinem euntis* eſſe videatur. *Hippocratisq́;* verba hæc ſunt: Ἄλλοι διὰ φλεβῶν ἐπὶ νωτιαῖον, ἐς τὸ αἷμα. Aliâ certè viâ Cerebri humor per *venas* ad *ſpinalem medullam* decurrere non poteſt.

Nunc pergo proficiſci ad reliqua. Hoc *ſanguinis catarrho* humor etiam in *Renes* feretur. *Montanus* ait in *Urina* ſpumam notari, quæ Cerebri habitum teſtetur. Ea quo pacto in ſanguine tam diu ſuperſtes eſſe poteſt? Idem *Montanus* quoque *arteriæ* in manu pulſantis tunicam, tradit illo materiæ deſcenſu molleſcere. Facilè eſt, fictis alia affingere. *Febres* denique ferunt huic *catarrho ſanguinis* jungi ſæpius. Quapropter eadem *arteriæ* tunica illo æſtu potius ſicceſcet. Quàm fallax erit documentum! Fruſtrà etiam idem

idem *Montanus* illud cogitat, ac in eo adeò laborat, ut liceat pernoſcere, *venis* an verò *arteriis* humor Cerebri in membra deferatur. Humore per venas labente, ait *cuncti corporis obſtructiones* fieri. Quin eæ magis urgebunt, ſi Cerebri humorem traxerint *arteriæ*, quæ plus aeris habent. Summa, ſi hunc *ſanguinis catarrhum* dixeris, omnes *morbos* nunc dixiſti. Qui enim non provenient, cerebri pituitâ ſanguinem, communem corporis ſuccum inquinante? Hic *Sanguinis catarrhus* quoq; erit genus omnium *Catarrhorum*. Inde enim *Oculorum*, *Aurium*, *Narium*, *Pulmonum*, *Stomachi* & *Spinalis Medullæ catarrhi* oriri queunt. Omnia rurſus fiunt plena obſcuritatis.

Sæpenumerò dixi, aliud *catarrhorum caput* eſſe quærendum. Illud non *caput* eſt, ſed *ſanguis*. Nec ille ſanguis aut humor, qui in *cerebri venas* concurrere, & inde delabi dicitur, eſt *cerebri ſanguis privatus*, ſed eſt *communis ſanguis*, à *corde* means, commeans rurſus ac ad *cor* denuò remeans. Sanguis variè vitiatur, movetur variè ac membris tandem inſeritur.

De Sanguine naſcuntur morbi. Nec novum erit dogma. Quod ſi, *inquit Hipp: l. de morbo ſacro*, terrores & metus adſunt, ex Cerebri tranſmutatione contingit, quod fit, dum à bile Cerebrum incaleſcit, ubi per *venas* ſanguinem deferentes in Cerebrum ex corpore impetu delata fuerit. Metus autem circumſtat, donec rurſus in *venas* & corpus redierit, deinde ſedatur. Si quis horrendum ſomnium videat & timuerit, ac ubi experrectus fuerit, & ad ſe redierit, ſanguiſque rurſus in *venas* commemoratas diſperſus fuerit, ceſſat. Unde *Theodorus Zvingerus*: Sanguine agitato, id quod tenuisſimum eſt, extra *venas* eliditur. Flatus multi & frigidi carnes penetrant & inflant, ſubſtantiam ſcilicet carnoſam Cerebri. *Rurſus Hippocrates de internis affectionibus*: Si inflammatio in pulmone oriatur, oritur autem præcipuè ex violentia & piſcium, capitonum & anguillarum ingluvie, qui pinguedinem hominis naturæ maximè infenſam habent. Jam verò ortum habuit hic morbus ex pituita, cum ſanguini permixta ad pulmonem affluxerint. Ἤδη τὲ φλεγμονὴ ἐν πνεύμονι ἐγένετο ἀπὸ φλέγματος, ὁκόταν μιγενὺ τὸ αἵματι, ἐπιῤῥυῇ ἐπὶ τὸν πνεύμονα. Hinc fortè *Heurnius*, notante *Johanne Rhodio*, *catarrhus*, inquit, *in pulmones ruens non ſolùm*

à ca-

à capite, sed interdum à solo venarum ambitu in partem debilem excluditur.

Pergit Hippocrates eodem lib. de internis affectionibus: Aqua intercus ab hepate, quæ tunc quidem oritur, cùm ad hepar pituita accesserit, eamque hepar exceperit, & humectum redditum fuerit. Ὕδερος ἀπὸ τοῦ ἥπατος γίνεται, ὁκόταν ἐς τὸ ἧπαρ φλέγμα ἐπιγένοται. Καὶ ἀναλάβῃ τὸ ἧπαρ καὶ ὑγρανθῇ. *Et paulò post:* ex his verò aqua intercus oritur, si quis per æstatis tempus ex longo vitæ itinere in aquam pluviam & statariam inciderit, eamque avidè copiosam biberit. Si igitur carnes aquam combibant & in se contineant, nusquam autem secedat, hæc contingunt. *Ac ibidem:* Νοῦσος ἡπατῖτις γίνεται ἀπὸ χολῆς μελαίνης, ὁκόταν ἐπιῤῥυῇ ἐς τὸ ἧπαρ. Hoc est, *hic morbus oritur ex atra bile, cùm ad hepar confluxerit.* Atque in *Coacis* ac *7. Aph.29.* aqua intercutem laboranti, aqua, quæ in *venis* est, ad alvum erumpente, solvitur morbus. Unde *Walæus, diuretica,* inquit, *conveniunt, cùm humores ad vasa regrediuntur, ut fit in Anasarca.*

Revertor ad *Hippocratem*, Lienis morbus, *inquit libro de internis affectionibus*, primus gignitur ob bilem Solis calore commotam, cùm eam ad se lien traxerit. Alius lienis morbus in anno quidem, veris maximè tempore, ex sanguine tamen oritur. Cùm enim sanguine lien refertus fuerit, in ventrem erumpit, Typhus oritur, bile per corpus agitatâ. Alius Typhus hanc ob causam gignitur, cum bilis putrefacta cum sanguine per *venas* & articulos permixta fuerit, sanguisque coierit, in articulis verò præcipuè consistit. Quod si corporis color niger extiterit, hujus rei causa est. Cùm in *venas* & cutem bilis atra subierit, cumq; his calor supervenerit, *venulas* à calore exuri & resiccari, necesse est, ac proinde sanguinem per venas excedere. *Et deinceps:* Ex morbo Ischiadico multi claudi evadunt, purgatione curantur, & aliis remediis. Altas crustas in osseis quidem partibus per fungos, in carnosis verò per ferramenta inurito. Quod si ex sanguine ægrotarit, post adhibitum fomentum & cucurbitulam admoveto, & venas in poplite secato. Ex pituita etiam ægrotanti eadem facere confert. Et si ei, qui ex sanguine ægrotat velis per infusum alvum subluere, ut pituitam & sanguinem

à co-

à coxendicibus deducas, ex his infuſum parare oportet. *Iterum:* Renum morbus ex pituita oritur, cùm eam Ren in ſe receptam non rurſus dimittit, ſed illic in totum indureſcit, fiunt calculi parvi, velut arena. *Mox:* Atra bilis cùm ad venulas, quæ ad renem feruntur, confluxerit, cumque conſtiterit, eas, renemq; exulcerat.

Nunc humores quoque penitus effunduntur, nunc iis tantùm diſtenduntur membra. Ineſt in *ſanguine flatus.* Ἀλλὰ μὴν ἐστί γε τῇ μὲν ὄψει ἀφανής. Τῷ δὲ λογισμῷ, φανερός. Hic cõceptacula ſanguinis reſerat mirificè. Præclarè *Hippocrates libro de flatibus* ſentit & admodum peritè; cum aer venas ultrò ſubit, ſanguinis vias coarctat. compreſſus enim ſanguis, ſuâ copiâ, quâ maximè impreſſionem fecerit, venas perrumpit. Ubi verò ſanguinis copia effuſa fuerit, in his etiam dolores ſpiritu venas complent. Affectum enim locum ſpiritum continere, neceſſe eſt, aliaq; dictis ſimilia contingere. At verò ruptiones has ob cauſas contingunt, cùm vi quadam à ſe invicem carnes diſcedunt ac divelluntur, & in ipſam diſceſſionem ſpiritus dolorem inferens ſubierit. Quod ſi flatus per carnes perrumpentes, corporis meatus rarefecerint, eos humiditas conſequitur, cui viam aer antea ſtruxit. *Hoc eſt:* ἢν τε διὰ τῶν σαρκῶν αἱ φῦσαι διεξιοῦσαι τοὺς πόρους τοῦ σώματος ἀραιοὺς ποιήσωσιν. Ἕπεται τε τῇσι φύσεσιν ὑγρασίη, ἧς τὴν ὁδὸν ὁ ἀὴρ ἀπηργάσατο. *Et paulò poſt:* ἀνάγει τε τὸ λεπτότατον τοῦ αἵματος, exit quod tenuiſſimum in ſanguine eſt. Vocantur & ἐς σάρκα ἀπερευγόμενα. *Unde Ballonius* ſupra (libro quarto cap. 1.) *muſculoſum genus ſero ac ſanguine putri prolui* affirmabat. Sero & ſanguini viam facit *flatus* ſeu *ſpiritus*. Jure *Plato* cauſas *Catarrhorum* judicat ῥεύματα καὶ πνεύματα eſſe. Quæ ſuprà quoque tàm ſtudiosè memorat *Hippocrates*.

Ac aliquis ῥεῦμα ἐς τὸ αἷμα illum potius vocaverit affectum, quo *arteriæ* plus ſeri in externum habitum corporis conferunt, quàm *venæ* poſſint reducere. Quo fit, ùt *ſudor* facilè erumpat, quo morbus plerunque finitur. *C. Plinius* l. 23. cap. 1. *ſudatorum* mentionem infert, *merum*, inquiens, *Dyſentericis prodeſt & ſudatoribus. Benedictus Sylvaticus*, teſte *Rhodio 3. Obſ. Med. cent. 74. menſtrui fluxus loco ſingulis menſibus deprehendit ſudorem ſine febre tres dies durantem. De quo cent. 1. conſ. VI. & cent. 11. conſ. XCV. In Medielanenſi cive*

obſervavit idem quavis nocte ſudorem, qui fotu fontis calidi tandem ceſſavit. Non alienum erit exemplum ſubjicere.

Quidam duodetriginta annos natus, horrore primùm totius corporis, mox calore quodam febrili corripi ſolebat. Dein gravedine capitis & laſſitudine corporis vehementer conflictatur, ac tum queritur, ſibi ſingula membra quaſi fuſtibus percuſſa videri. Aures quoque interdum ſonant, & artus dolent maximè, non verò tument. Cùm hic illo morbo opprimeretur, miſſione ſanguinis interdum, ſæpiùs ſudore curatus fuit. Sed poſteà hoc morbi genus hominem maximè vere invaſit & autumno. Idque ſemper depellebatur matutino ſudore, quo & corpus vehementer levatum fuit. Ac eo tunc inſudante, os fit plerunque ſalivâ valdè plenum. Nonnunquam etiam plus *urinæ* redditur, quàm potus fuit aſſumptus. Primis diebus æger nauſeat ad cibaria. Nimirum Natura multos vitioſos & redundantes humores in maſſa ſanguinea continet, quos illa aliquando ſurgens expellere aggreditur. *Arteriæ* mittunt talem ſanguinem in ambitum corporis, in carnem, in artus, venæ verò eum rurſus imbibunt, & in ſanguinis maſſam revehunt, ut ob id ῥόος διὰ φλεβῶν ἐς τὸ αἷμα vocari poſſe videatur.

Capitis gravitas oritur à repletione, ut vocant, *vaſorum capitis.* Laſſitudo totius corporis ſubſequitur, iccircò, quòd omnia membra illo celeri ſanguinis curſu affliguntur. Cùm *Natura* hos humores ejectare aggreditur, cunctum ſanguinem motat, hinc horror, mox calor ſuboritur. Percipitur in artibus dolor, quia membranæ eorum ſenſu non carent, & humores aut acriores ſunt aut valdè pleni flatibus, qui eas malè afficiunt. Hinc quoque ille dolor alio loco ingraveſcit, alio evaneſcit & deſinit. Sanguis autem de ſuis receptaculis non ita egreditur, ut ſit, ita loquuntur Medici, extravaſatus ac vehementer cumuletur, ut vaſculis iterum concipi nequeat. Eam rationem influendi *Hippocrates libro de morbo Sacro* ſuprà expoſuit.

Nullus igitur eâ de cauſa tumor apparet, quòd iterum concipiunt *venæ*, quicquid *arteriæ* expellunt ſanguinis. Moto ſudore, ſerum redundans emittitur, & flatus ſimul diſcutiuntur. Hinc illis levatur corpus. Nonnunquam, ſudore finito, in carnoſa parte volæ

propè

propè minimum digitum apparent rubræ quædam exiguæ maculæ. Rarò, interdum tamen exigua tubercula, notari ſolent. Studioſus quidam, *inquit Georgius Horſtius,* anno 1618. me conveniens de gravativis doloribus & fluxionibus extremorum cum ſuccedente *ſpaſmo* conqueritur, quo ſoluto, calidis tuberculis potisſimum manus aliquandiu cum pruritu quaſi affectas eſſe pronuntiat.

Hæc ſuperior fluxio differt ab omnibus *ſeptem catarrhis Hippocratis.* Nonnunquam autem *Coryza* huic morbo ſociatur & etiam interdum *Branchus.* Repetit hic morbus vere & autumno, quia illis anni temporibus Natura redundantes humores expellere conſvevit. *Dicendum*, inquit lib. de Flatibus Hippocrates, *morbos unquam vix aliunde, quam ab aere oriri poſſe, cum is aut copioſior, aut parcior, aut etiam plenior aut & morbidis inquinamentis infectus in corpus ſubierit.* Cumque æger hoc morbi genere quotannis tentaretur, illum morbum nihil morabatur, domeſticumque vocitabat. Quin eum cenſebat ſalutarem eſſe. Nam videt ejectari & ſudore diſcuti eos humores, qui varios morbos creare poſſint. Ac vivit certè à *febribus*, ab *arthritide*, *podagra*, *chiragra*, *Iſchiagra* & â reliquis affectibus omninò liber. Si verò ille æger hujus morbi ingruentis rationem non habet, nec ob itinera aut propter alias civiles neceſſitates corpus inſudare patitur, metuit ipſe, ne in graviorem incidat morbum, quemadmodum eâ de causâ laboravit *Pleuritide.*

Curat hic æger ſeipſum *alvi ductione*, *cucurbitulis* interdum & maximè ſudore, qui ſæpè erumpit ſpontè. Ipſe æger ſanguinem intelligit eſſe plenum ſeri, plenum quoq; flatuum, qui ſudore ſalubriter diſperguntur. Quâ viâ & cuncta ſanguinis maſſa mirificè expurgatur.

Galenus lib. 2. de Differ: febr. cap. 11. levium *inflammationum* & *Rheumaticarum Diſpoſitionum* naturam pluribus exequitur. Profectò hæc *ſudatoria Paſſio* & ad *Rheumaticam Diſpoſitionem* ſpectare videtur. *Maſſa ſanguinea* vitioſis humoribus repletur. Natura, conſervatrix corporis tandem eos corpore expellit, provocato ſudore. Primus motus in *venâ cavâ* exiſtit, mox magis æſtuant *arteriæ*, plusque humoris inferunt membris. Caput grave eſt & dolet. Cave inde colligas, de *capite* hanc *ſudatoriam Paſſionem* naſci. Ejuſmodi

ſcita nunc exploſa ſunt & digna, quæ calcentur. Veritatem, non *Hippocratis* dignitatem curare convenit. Fefellit & falſus fuit *Hippocrates*. De ſchola Medicorum ſequius meruit. Quos ſeptem memorat *Catarrhos*, ſunt nulli, ficti ſunt & commentitii. Vulgus numerum *ſeptenarium* judicat mendacem. Id maximè de his ſeptem *Catarrhis* verum eſt. Age per ſingulas eorum ſpecies eamus.

Κατάῤῥους ἐς τοὺς ὀφθαλμοὺς & **ἐς τὰ ὦτα** ſunt inflammationes, non *Cerebri* & *capitis catarrhi*, quibus privati humores excernantur. *Narium tunica* eum plexum vaſorum indepta eſt, ut pituitam continere poſſit & emittere. Illa verò nonnunquam inflammatur.

Κατάῤῥους ἐς τὸν πνεύμονα non à ſanguine Cerebri nec ab ejus venis oritur, ſed à communi ſanguine, qui in pulmones manare poteſt.

Κατάῤῥους ἐς τὸν στόμαχον fertur vaſis ad ventriculum pertendentibus.

Κατάῤῥους ἐς τὸν μυελὸν διὰ φλεβῶν fit: venæ ad *Rachin* & *ſpinalem Medullam* ſpectantes non ſunt *cerebri*, ſed de Venâ *Cavâ* & de *Aortâ* originem trahunt.

Κατάῤῥουν ἐς τὸ αἷμα eſſe figmentum ſuperiore proximo tractatu ſatis ſuperque conſtat. Cerebrum nec naturaliter madet humore nec ſtillat. Quapropter ille nec ad *oculos* nec ad *aures* nec ad *nares* nec ad *ſtomachum* nec ad *pulmones* libero curſu unquam perveniet. Præterea *Larynx* nihil niſi aerem, nihil gula recipit niſi glutiendo. Venæ & arteriæ *Cerebri* non trahunt humorem, qui ſanguini mixtus, in *ſpinalem* quoque feratur *medullam*.

Hiſce *ſeptem catarrhis cerebri* libero mortales. Sibi ab his malum non metuant inpoſterum. Nunquam querantur, corpora illis ſeptem modis inundari. Hi *catarrhi* meâ unius operâ tandem penitus exaruere, eorum, ceu fluminum capite, in *Oceanum corporis*, in *Maſſam ſanguineam* derivato.

Alios *Fontes* libro 3. de *catarrhis* ſect: 2. cap. 6. monſtravi, unde manantes humores quoque excernuntur. Hæ fluxiones ſunt planè diverſæ, ac ſingulæ ἕως ἀποκρίσεως feruntur. Nomen quoque *Catarrhi* (ſi omnia ad vivum reſecantur) omni oblivione nunc

nunc penè delendum videtur. Illud nullæ jam fluxiones mereri videntur, nisi aliquo modo illæ, quarum materia venis superiorum partium maxime refluit in inferiora membra & ea supra cor extantia. *Arteriæ* humores inferre consvérunt. Hisce micantibus, sanguis in sublime agitur aut in latera fertur. Quare *Influxiones* nunc potius cognominandæ sunt, quàm *Catarrhi.* Nec illarum influxionum fons, origo & caput nunc erit *caput* aut *Cerebrum.* Quanquam inde sanguis aliquando refluere dicitur, is tamen non privatus vel *Cerebri* vel *Capitis* sanguis, sed publicus existimabitur. Sanguis quippe in se meat jugiter, receptaculis per omnia consociatis. Illud verò nomen *catarrhi* maximè dedit *cerebri capitisque* humor ex alto profluens. Sanguis & humores ab arteriis maximè in membra *cordi* subjacentia manant, ut quoque in *pedes*, oriente *Podagrâ.* Omnia sunt inversa & adversa nunc *Hippocrati.* Adeo usque commutatur sententia. *Catarrhus* eo doctore maximè *capitis* erat anteà, nunc verò *Cordis* aut *sanguinis* aut quoque *pedum catarrhus* magis commodè vocabitur. Nam *catarrhus pulmonis* aut *stomachi* olim erat, humore vel in *pulmonem* vel in *stomachum* manante.

Extant in corpore etiam *Aquæ ductus*, eo nomine eos appellabam, cum anno 1636. in Academiâ Jenensi notarem. Locupletissimus testis præstò est. Eum nominatim ciere quid attinet? Illorum positionem, ordinem, figuram, ac reliquas conditiones exactius persequi distuli, iter in peregrinas oras capiens. *Vasa Lymphatica* postmodum perquam commodè cognominata fuerunt. Horum quædam in oris spatium usque ferri, compertum est. Quare eadem fluxionem & facere & adaugere videntur. Sunt, qui nonnulla quoque in *glandulas* multarum partium, in oculos & in Laryngem trahi volunt. Ego tamen principem humorum motum in sanguine agnosco. Ejus quoque vestigium in primis emissis humoribus sæpè deprehenditur. Hæc vasa *Lymphatica* aut *aquæ ductus* (eos ita primus nominavi) *Rheumaticam illam*, ut vocant, *dispositionem* illamque *sudatoriam Passionem* certâ ratione concitare posse videntur, uti ostendere non differam.

ARTHRITIS ET PODAGRA.

LIBER PRIMUS

De NATURA ARTHRITIDIS.

CAPUT PRIMUM.

NOMEN GUTTÆ.

AGgredimur rurſus, quod inſtituimus, *Articularius morbus* quidem in *ſeptenario* illo numero *Catarrhorum* non habetur. Attamen is vel ad *Catarrhum Spinalis Medullæ*, duce *Hippocrate*, vel ad *Catarrhum Sanguinis*, ut oſtendi, ſpectare putatur. Idem namque *Hipp:* & ab eo deducti viri humorem cenſent è *Cerebro* proripere ac projicere etiam ſe uſque in intimas commiſſuras artuum. Et hoc eſt, quod ſuperioris ætatis Chirurgi, Medicique cognomentō barbari, *Guttæ* appellationem *Arthritidi* vendicarunt. Quanquam *Caſparo Barthio Adverſ. l.43.cap.20.* aliud videtur. Cujus *verba* ipſa ob id ponantur. *La Goutte* apud eoſdem Gallos hodiè ſignat Podagram: non aliunde, quàm quod Græco vocabulo abſtinentes, cùm Latinum non haberent, *Humorem* pro eo uſurparunt ſemipriſci Scriptores. Gregorius Magnus Homilia XXXVI: cujus manus ac pedes (podagræ) *humore* tumeſcentes, & verſi in vulneribus fuerant, & profluente

ſanie

ſanie putebant. Anaſtaſius Pontifice LXXXVIII. Siſinnius *podagrico humore* ita tenebatur conſtrictus, ut ſibi cibum propriis manibus exhibere non valeret. Abbo Floriacenſis in Eodem: Qui vir *podagrico* & *chiragrico humore* ita detinebatur adſtrictus, ut ſibi propriis manibus cibum exhibere non valeret. *Et deinceps lib. 52. Advers: cap. 7.* Verſu 88. morbi curati recenſentur à Mauro:

> Ulcere roſa cutis fit Mauri munere levis,
> Gutta fugit ventris, reſtinguitur hic ſacer ignis.

Guttam Veneris profluvium ſanguinis intelligas. Mihi autem remotius hîc aliquid videtur indicari. Cùm enim incurabiles plerique morbi, ut hydrops, Lepra &c. recenſeantur. Ego pro tali omnibus ſemper habitam podagram intelligendam exiſtimo & ſcribendum:

> Gutta fugit Veneris - - - - - -

Cùm à veneris ſervitiis addictioribus plerunque originem hæc ſumat affectio; Gutta autem ſemiLatinis ſeculis appellata fuerit, ut teſtantur hodiè quoque Idiotiſmi Italorum atque Gallorum, ex parte etiam Hiſpanorum. Fuiſſe autem Latinè eo ævo ſic quoque dictam apparet ex eo, quod humorem eandem vocent Gregorius Magnus & Abbo Floriacenſis. Guttam pro Apoplexia poſuit Claudianus Mamertus lib. 1. ſervavit autem podagra eam appellationem ad infima usque tempora: nam Valeſcus de Taranta, Medicus Practicus Celeberrimus, qui ſuum commentarium Ann: M CCCC XIIX conſcripſit. lib. 6. cap. 23. tractationem habet de Gutta, cujus quatuor ſpecies recenſet. *Hæc ille.* Ac nos ipſi *lib. 5. de catarrhis* cap. 1. Catarrhum indicavimus à *Paulo Diacono guttam Rheumatos* & capitis *humorem* à *D. Paulino* vocari. Attamen prædictus *Valeſcus de Taranta* eam ſubjicit rationem: cognominis *Gutta eſt genus per viam fluxus vel ſtillicidii.* Quam & reliqui premunt, ut *Johannes de Tornamirâ, Guido de Cauliaco, Theocritus, Rogerius, Peter dela Cerlata, Nicolaus Nic: Florent: Antonius Guainerius, Johannes de Concoregio.* Gutta arthritica, *inquit Bernhardus Gordonius*, Sciatica & podagra & chiragra, magnam habent amicitiam ad invicem, ſed gutta poteſt locum generis obtinere: quia ut plurimum omnes illæ paſſiones generantur per viam rheumatiſmi, & quia Rheuma ſtil-

lat

lat ſicut gutta aquæ, ita omnes iſtæ pasſiones poſſunt dici generali nomine Guttæ. Gutta igitur obtinet locum generis. *Ex eodemque genere Dominicus Leonus:* vulgares guttam appellant, eò, quod arbitrati ſunt, hanc dolorificam paſſionem à deſtillatione oriri, deſtillare verò dicuntur, quæ ſtillatim vel guttatim defluunt. Et fit per viam fluxus guttatim ſtillãtis, ideò non mirum eſt, ipſam generali nomine Guttam vocari. *Itemque Gulielmus Rondeletius:* Arthritis dicitur à Barbaris Gutta, quod exiſtiment eſſe defluxionem guttatim factam. *Sic & Nicolaus Piſo.* Gutta, inquit Tarquinius Carpinetus, *forſitan dicitur ad ſimilitudinem, ut enim supernè ſtillat inferius, ſic affectio iſta per ſtillicidium fluentis humoris in ſubjectas juncturas excitata.* Tàm clarè etiam *Johannes Marquardus:* Gutta & Arthritica ſunt generalia nomina fluxionum ad articulos. *Gutta dicitur, quod fiat per guttas, id eſt, fluxus humorum.* Pluresque *Guttæ* verbo utuntur, ut *Frid: vander Mye.* Quid multa? Nonnulli, ut *Franciſcus India*, & *Tarquinius Carpinetus* ipſos libros de *Guttâ Arthritica, Podagrica* & *Chiragrica* inſcribunt. Eademque appellatio etiam *Theophraſto Paracelſo*, Coryphæo chymicorum probatur. Ac ad hanc denique popularem intelligentiam ſat accommodatè *Strabo Gallus in Hortulo num. 5.*

-- -- -- -- -- artus
Quos incerta premit furtivæ injuria *Guttæ.*

Nunc verò diverſa tradidi. Nam abnuo, à *cerebro* concipi pituitam, & fundi in membra ſubjecta. *Helmontius* aliâ ratione motus, *Arthritidem* quoque *Guttam* cognominare dubitat. Ejus reddantur verba. Arthritis (*libri illius inſcriptio eſt, volupè viventium morbus antiquitus putatus*) articularis morbus podagræ nomine intellectus, ita Catarrhis tribuitur, quod multis Europæ nationibus vocetur *Gutta*, per Antonomaſiam. Cui etymo adſtipulantur ægri, operamque ſuam tantæ mortalium cœcitati dedêre. Eò, quod ſibi videantur alicujus ſtillæ lapſus inter osſium connexus ſentire. Scholæ enim, quæ univerſum docere præſumunt, ab indiſtincto vulgi ſenſu didiciſſe gaudent, ſimulque ſine indagine euntes, catarrhoſæ factæ ſunt. At cum jam totam Catarrhi fabulam everterim, detegam etiam errorem ſenſus vulgaris, in Podagra ſcho-

ſcholæ extra controverſiam, Podagram defluxibus donant; at nondum definitum ab illis, an Catarrhus ille à ſtomacho ſublatus ſit more aliorum: an verò à jecore, per anguſta & impeditiſſima venarum receptacula, catarrhus tàm heroclitus, deducatur per venas, non quidem rectà, qua deſinunt venarum oſcula, ſed inſvetis, ſolique naturæ cognitis viis inter arthroſin & ligamenta ſiſtatur. Scio tum etiam atque didici inprimis, hæreditariam ſaltem podagram non derivari è catarrho. Ideo ſi catarrhoſi nîl, in ſemine podagrico, actu inſit: ergò neque etiam in podagrâ indè oriunda. Cum effectus proprii ſuis ſemper cauſis reſpectum referre debeant. Denique ſi podagra hæreditaria careat Catarrho, ergo etiam qualibet aliâ. Fabuloſum eſt, quicquid de catarrhis, guttisque commentum eſt. Dato namque abſurdo, quod Catarrhus depluens, faceret acceſſum podagræ. Hæc non defluit materialiter ſive ut volunt, humore tenus, Catarrho pons ad juncturas.

Helmontius, quid hac in re ſit veri, videt, mox verò ad pervagatiſſimam illam opinationem lapſus, vera cum falſis confundit, ceu Diabolus ſolet, circumſcriptor ille totius Generis humani. Non ſine ratione iſte *Helmontius* Doctrinã & dogmata ad *catarrhi* naturã pertinentia damnans, Scholã ipſam Medicorum Galenicorum inde *Catarrhoſam* appellat. Aſt is nõ totam, ut loquitur, fabulã *Catarrhorum* evertit. De eo gloriatur fruſtrà. Nam ipſe *Cerebrum* adhuc confitetur humoribus profluere, qui per *ventriculos*, per *Infundibulum*, & per *pituitariam glandulam* decurrant. Mea autem & in eo conſiſtit commutatio, defectioque ab omnibus ad unum. Hâc viâ ego illam doctrinam primus everto funditùs, ac iſtam penitùs inſitam evello opinionem. Jure quidem *Helmontius* ſuperiorẽ illam appellationem ridet, quâ & ægros quoque ait delectari. Verùm ejus autores non ſunt homines arthritici ipſi, ſed Medici & ii vetuſtisſimi, *Hippocrates*, *Galenus*, *Avicenna*, mox prædicti conſectatores. Iſtam nos nunc non parvâ liturâ, ſed *imis*, ut ajunt, *ceris eradendam* exiſtimamus. Nec ab hac opinione vulgi ſecedit ullo modo *Franciſcus India*, quamvis podagra, *inquiẽs*, vulgari hoc nomine guttæ vel ut alii, perperam volunt, barbarico nomine ita appelletur, tamen eſt veluti genericum nomen omnium ægritudinum, quæ per deſtillatio-

nem producuntur in locis præcipuè articulorum, pedum, manuum, coxarum, vertebræ spinæ & aliarum corporis consimilium partium, quia materia ab aliis membris, in juncturarum & articulorum cavitatibus & ligamentis guttatim cadit, quemadmodum gutta aquæ paulatim stillat, quoniam, ut quotidiana experientia non difficile est demonstrare & rationi consentaneum esse videtur, nostri corporis membra ad se invicem superfluitates deponunt, teste Galeno lib. 3. de Natur: facult: cap. 13. Jure igitur merito, Gutta nomen Generis obtinere meretur, quoniam Arthritis de Podagra, tanquam genus minimè prædicari apta est. Galenus enim 6 Aphor: 28. clarissimè affirmare videtur, quod ferè omnes, qui articulari affectione corripiuntur, prius podagrici fiunt, quod cùm ita sit, non alienum à veritate esse existimandum est, quod Gutta potius quàm Arthritis tanq: nomen genericum considerari debet. Propterea si omnes simul vel plures nostri corporis articuli cruciantur, tunc gutta Arthritica vocatur, si verò unus solus & determinatus alicujus particularis membri articulus pravè afficitur; particulare nomen à loco particulariter affecto sumit. *Hunc* imitatur *Johannes Stephanus Strobelbergerus.*

Ac si quidem erit, quatenus omnibus hisce interpretationibus venia dari posse videatur. Sique *Gutta*, uti videtur Criticorum maximo, *Barthio*, nihil aliud, quàm humorem, quâ is cunque influat viâ, significat, hoc tam vetus cognomentum penitus recusari non posse videtur. Veruntamen communis intelligentia semper refragari videtur. Nobilissimus autor ipse, *Caspar Barthius Apoplexiam* prodit *Guttam* vocari, profectò illâ ipsâ ratione, quam Dn. *Joh: Cunradus Dieterichius, Græcæ Linguæ Professor Celeberrimus* exponit hisce: sequior ætas Guttam dixit, unde & nostrates den Tropff/ cujus nominis fabulosam rationem tradidit Petræus. Cur gutta? Creditum sanguinis guttam è capite ad cor delabi, idque suffocare, quod ex Historici Aventini verbis observavi: *Ludovicus in Bojariam ad Hemmam uxorem ægrotam pergit, quæ Reginoburgi morbo, quem Græci Paralysin & Hemiplexiam vocant, correpta, subitò obmutuit. Tribus literatorum Apoplexiam nominat. Vulgò persuasum est, id evenire* gutta *è capite in cor delata, ideò id genus morbi à Teutonibus*

bus convitiis & maledictis frequentatum, Tropff *atq;* Schlag/hoc est, *Gutta* ac *percussio appellare solet.* Inde illa imprecatio: Daß dich der Tropff erschlag/ quam multi ex ira efferunt. Itali *Gocciolla* vocant apoplexiam, quibus *gocciollare* & *gocciare* est stillare, fluere & *goccia* gutta, stilla, forsitan, quia cadentis guttæ morem offensio uno ictu in corpore sentitur, *Guttam* vocatam vulgariter inter Italos notat Stephanus Rodericus l.4.c.8. de Meteor. Microc. *Hactenus autor.* Hic *Petræum* nomine ciet, potest & ob id appellare *Nymmannum.* Verùm princeps autor fabulæ est *Theophrast: Paracelsus,* qui *l.7. Paragraph. c.1. fol. 466.* nescio quas guttas Cerebri ait impendere cordi.

Nunc *Isidorus* quoque *Guttam* & *stillam* lib.14.cap.20. sic exponit: *Gutta est, quæ stat, stilla, quæ cadit, hinc & stillicidium, quia stillat cadens. Stiria enim Græcum est, id est, gutta. Inde fit diminutivùm, ut dicimus stilla: dum autem stat aut pendet de tectis vel arboribus, quasi glutinosa est, dum ceciderit, stilla est.* Quanquam *stella* olim teste lib.1. cap.6. *Quintiliano luminis stilla* credebatur. Cæterum vetera *Glossaria: Gutta σταγὼν, ῥανὶς, Guttæ σταλαγμοὶ, σταλαγμὸς, stilla, stillicidium, stalpa.* Stiria, ὁ τοῦ ὕδατος κρεμάμενος κρύσταλλος. στάζω, stillo, στάγμα, gutta, στακτὸς, stillatus, στακτὴ, *liquor oleaceus è myrrha cinamoq; inciso stillatus.* Quâ etiam ratione *Græci* succum *Myrrhæ* guttatim exstillantem vocitarunt στακτὴν, eâdem Romani *Ammoniaci* liquorem dixerunt *Guttam.* Nam *Dioscorides* lib.3.cap.98. ita: Ἀμμωνιακὸν· πόα ἐστὶν, ὅθεν τὸ ἀμμωνιακὸν θυμίαμα, οἱ δὲ ἀγάσυλλον, οἱ δὲ κριόθεος, οἱ δὲ ἡλιουστρος. Ρωμαῖοι γοῦτα. Hoc est: *Ammoniacum. Herba est; unde Ammoniacum suffimentum. Aliqui Agasyllum, alii Criotheum, quidam Heliustrum appellant, Romani guttam.* Hæc verba in veteri Codice, quem recitavit *Venetiis* octavo Idus Julias M. ID. *Aldus Manutius,* leguntur, non verò in ea editione, quam paravit *Janus Antonius Saracenus,* ac quam quoque *Johannes Ruellius* est secutus. Verùm *Marcellus Virgilius Secretarius Florentinus* eam lectionem Anno 1523. *Florentiæ* probavit, verba Latino sermone sic reddens. *Hammoniacum. Sunt, qui Agasyllum, qui Criotheum, qui Eliustrum appellant. Romani Guttam Hammoniacam.* Hæc ille. *Paulus* quidem & *Galenus* ἀμμωνιακὸν θυμίαμα, ut *libris de arte curativa ad Glauconem* & *de compositis Medicamentis secundum locos ac per gene-*

ra appellat, at ejus interpretes *Guttam Ammoniaci* aut *Ammoniacam Guttam*, uti *Nicolaus Leoniceus*, *Nicolaus Machellus*, *Johannes Andernacus*, & *Augustinus Gedaldinus* interpretantur. Nonnulli *Ammoniacum* doctrinæ gratiâ θυμίαμα, ut distinguatur à *Sale Ammoniaco*, cognominari volunt, quemadmodum *Joh. Gorræus*, *Henricus Stephanus*, *Janus Antonius Saracenus*, *Marcellus Virgilius*, hinc in Pinac. *Casparus Bauhinus*. Adjicitq; *Valerius Cordus*: quidam interpretes cùm apud Galenum legunt: ἀμμωνιακοῦ θυμιάματος, duas lectiones virgulâ distinguunt, diversas res intelligentes, sed falsò. *Hæc ille.* Ita est, itaque: *Ammoniaci, thymiamatis* in l. 5. C. *Celsi* legitur sæpius, at in altera editione *Robertus Constantinus* annotat illud, *dele*, inquiens, *distinctionem.* Et rursus: *conjunge ammoniacum thymiama, id est, gutta Latinè, gummi ammoniacum*, τὸ ἀμμωνιακὸν θυμίαμα, *cujus planta ferulacea* ἀγάσυλλις *Dioscor: qui species duas*, θραῦμα & φύραμα *tradit.* Quibusdam ut *Casparo Barthio* & *Johanni Rhodio* com. in Scribon. *gutta ammoniaci* etiam *in pigmentis* esse videtur, tamen rursus dispicit *l. 3. Variar. Lect. c. 4. Thomas Reinesius*, vir ingenio, doctrinâque maximus. Cæterùm non tantum *Plinius Valerianus*, sed & alii Latini autores istius seculi verbum *Guttæ Ammoniacæ* usurpârunt, quemadmodum *Horatius Octavianus*, *Gariopontus*, *Scribonius Largus*, *Marcellus* & *Vegetius* in Malo Med. ac mox reliqui scriptores insequentis ætatis, ut ille, quem modò dixi, *Valerius* Cordus, qui verbo *Guttæ Ammoniacæ* uti non dubitavit. *Ammoniacum*, inquit Gorræus, *Latinis Gutta appellatur.* Commodè *Marcellus Virgilius Secretarius Florent.* Sic hunc liquorem Ammoniaci autore Dioscoride Guttam vocavimus: quasi & hic, quemadmodum thus Stagonias aliquando dictus fuerit: quæ vox in Græcis stillicidium & guttam significat. Plinius Ammoniaci lachrymam ejusdem rei significatione appellat. *Hactenus autor.* Et recentiores autores hujus ætatis nunc *Plinium* secuti, *Lachrymam Ammoniaci*, ut *Matthiolus*, nunc *Dioscoridem* imitati, *Guttam* appellant, ut & illum liquorem hodiè *Guttam Gamandra* aut *Guttam Gemau*, quanquam *Monardus* Guttam scribat purgatione alvi depellere *Podagram*, quam vocant *Guttam*, ut interpres illius Græci autoris, qui Librum de *Dynamidiis* inscripsit.

pſit. *Gutta* etiam *macula* dicitur, ut à *Plinio* & *Solino*, ſic pellis *guttis* atra eſt aut micat. Sed concludatur tandem aliquando ratio. Græci & Latini *liquorem Ammoniaci*, quod *Hier. Gabucinius* vocat *ſuffimen Ammoniacum*, ex ratione ſtillandi vocârunt *Guttam*. Idque monſtrant ſuperiora *Gloſſaria*, item Gloſſæ *Philoxeni*: guttat, σάζει. Uti *Gemma*: guttare, ſtillare. *Similiter*, inquit Voſſius l. de vitiis Sermonis, *gloſſæ noſtræ MSæ*; *in quibus etiam guttire, pluitare. Rectè guttatus, guttans*. Nunc quoque *Johannes Meurſius Gloſſario Græco-Barb.* Guttus in Etymologico Suidæ: γȣτ͂ος, ληκύθȣ εἶδος. *Suidas ipſe*: λήκυθιον eſt vas, in quo olea ſervantur. Illa guttatim deſtillant. Hinc *Gellii Guttus* eſt & illud poculi genus in ſacrificiorum uſu, quod teſte *Varrone* aquam guttatim fundit. Id quod & magis, magisque com. ſat. 6. *Perſii* definit *Iſaacus Caſaubonus*. *Galli goutiere, goutteron, à goutte goutte.* Simili modo *gutta Saponaria prima* dicitur. Hûc & ſpectant ea: *ne guttam quidem, Galli: ne voy goutte, guttam aſpergere, guttatim contabeſcere; quaſi in aquam indideris ſalem*. Cum igitur & ii, qui *Arthritidem* transnominârunt *Guttam*, ſibi, aliisque perſuadeant, humorem *de Cerebro* in artus guttatim influere, hæc appellatio jure exhorretur. Hûc noſtra maximè ſpectat tractatio. Cumque nos cunctam *illam ſuperam profluentiam Cerebri* prorſus omninò ſublatum eamus, noſtrum erit, reliquos errores, quibus omnia hîc ſunt circumfuſa, usquequaque coarguere.

CAP. II.

NOMEN ARTHRITIDIS.

Arthritis, (*Arthesin* dicit *Peri Steph. Aur. Prudentius*,) ex illo Græco verbo, quod eſt ἄρθρον, dicitur. Quid ſit ἄρθρον, definiunt *Erotianus in Onomaſtico*, inde & *Johannes Gorræus*, *Anutius Foeſius* ac *Ludovicus Duretus*, interpres *Hollerii*. Nunc *Articuli* verbum tria ſignificare à bonis temporibus autores tradiderunt, ut *Nicolaus Nicoli Florentinus*, *Johannes de Tornamira*, *Joh. Michael Savonarola*, *Vidus Vidius*, *Mercatus*, *Euſtachius Rudius*, *Hollerius*, *Capivaccius*, *Hier. Mercurialis*. Ac quoque ſimiliter *Benedictus*

Silvaticus Consil. Medic. cent.3. Articuli nomen triplici sensu usurpatur: *primum* pro cavitate illa, quæ os rotundũ suscipit, ex Gal. l. de oss. c. 1. Secundè pro capite rotundi ossis, quod in alterius cavum inscritur, ut à Gal. 6. Aphor. 59. quibus longo coxendicum dolore conflictatis, femoris summum coxa excidit, rursumque accidit, his mucosa ibidem pituita coacervatur; his verbis: articulationis vinculis laxatis, facilè articulus cavitate suâ excidit. Tertiò, articuli nomine tota articulatio intelligitur, cum partibus eam circumvolventibus, nervis nempè, tendinibus, ligamentis, venis & arteriis, teste Galeno 6. Aph. 28. scribente, fieri podagram ab humore supervacaneo, in pedes decumbente. Quâ ratione Avicenna & alii Arthritidis signa desumunt à tumore & colore partium, quæ articulum ambiunt. Uti norunt, *inquit Caspar Hofmannus*, omnes ἀπὸ τοῦ ἄρθρου, articulus, esse τὸ ἀρθρῖτις. non ἀρθρίτης: ita pauci quid distinctè loquentibus h. l. ἄρθρον. Non significat connexionem ossis cum osse, qualiscunque sit illa, quomodo in physolog. accipitur. Sed more vulgi pro omni illo, quod ad articuli constitutionem concurrit, præcipuè pro ligamentis & tendinibus musculorum, qui articulum obvolvunt. Intelligo autem ligamenta membranosa seu lata, in quæ fluit materia morbifica. Hoc modò accepta Arthritis tripliciter iterum accipitur, quod paucissimis etiam notum est. Eadem distinctio est in ἀρθρικὸς ἢ ἀρθριτικός. *Communis acceptio est*, cum dicitur de quocunque dolore articulari, sive fiat subitò sive sensim. Posteriore h. m. fit in Gallicis, Colicis & Scorbuticis, qua aliquandiu molesta est & in paralysin tandem desinit. Huc pertinet dolor articularis, qui ex siccitate ambientis 3. Aph. 16. item ille, qui ex esu ervi 4. in 6. *Epid.* 13. *Propria acceptio* est, cum à subito influxu malum est, non autem à congestu palatino, 10. κ. τόπ. 2. A. Tu puta, cum primum quidem dolet unus tantùm articulus v. g. pollex, deinde pes totus, mox genua quoque &c. Propriissima est, cùm subitò quidem fit, sed intra paucas horas occupat vel totum corpus vel plerasque partes. Hæc duo habet peculiaria, 1. est crisis post alios morbos, ut plurimum febres. 2. Non est periodica, nisi post similes morbos. Uno verbo, est morbus acutus, cum podagra, ratione paroxysmorũ, sit chronica.

ca. Hanc arthritida primus oſtendit vir eximius, Johannes Viſcherus in D. Tubingæ diſputatis 1581. ex Hipp. περὶ παθῶν t. 31. & 32. apud Marinell. & Gal. 6. Aph. 30. Fortasſis acceptò nutu â Trincavellio 12. Pract. 1.

Græci, *Galenus, Aretæus, Ætius, Ægineta, Alexander Trallianus* διάρθρωσιν hîc majori ſtudio commemorant, ut ex recentioribus plerique omnes. Nominatim citantur *Gulielmus Rondeletius* & *Sigiſmundus Kolreuterus*. Eâque de causâ *Ludovicus Duretus* omnia articuli genera capite de Arthriti de aliquantò ſtudioſius exequitur. Ad extremum, *Gynglimos, inquit, in Gonagrâ, enarthroſis in Iſchiade, in Podagrâ omne articulationis genus repletur.* Sed cum, *inquit Gulielmus Rondeletius*, articulus ſit oſſium connexio per ligamenta, non in omni conjunctione articulorum eſt dolor, ut in eâ, quæ per Symphiſim fit, ſed tantum in eâ, quæ per *Diarthroſin* aut *Synarthroſin*. *Sebaſtianus Naſius ad hunc modum:* non tamen omnes juncturæ ſic afficiuntur, ſed ſolùm, quæ per Syndromoſin fiunt, quare Suturæ Cranii morbum articularem non patiuntur, quot ergò erunt articulatione diverſæ, quæ per capitis exceptionem fiant, totidem erunt differentiæ arthritidis, licet non omnes propriis nominibus ſignificentur, ut fit in articulis pedum, manuum, humeri, mandibulæ, Spinæ, coſtarum. *Hæc ille.*

Sunt igitur, qui inter argumenta ponunt, *Arthritidis* humorem ex *cerebro* erumpere, quia is in articulis ſubſidet, ceu aqua in foſſuris, ſupernè defluens. Evenit quoque interdum, ut brachii primùm; dein Cubiti & manus junctura, mox noviſſimum, ut vocant, internodium digiti, poſteà ſecundum & tandem primum hoc morbo tentetur. Ob id illi hunc humorem ſuturarum compages & illas non cavas, ac ſimiles penitus prætervehi arbitrantur. Hi igitur nobis repugnare videntur.

Vaſa ſanguinis ad muſculos, ad tendines & ad intimas articulationes penetrant, ut concitent inflammationem, ſine quâ *Arthritis* genuina & gravior exiſtit nunquam. Ac viciſſim accidit, ut primùm pollex dextri pedis & mox index manus ſiniſtræ eo morbo doleat. Etſi Caput reliquis membris ſit impoſitum, tamen perdificiliter mente excogitari poterit, quibuſnam viis humor ê *Ce-*

rebro

rebro & ê *Capite* in tàm longinquos artus derivetur, illis interjectis partibus nihil adversi in medio isto descensu sentientibus.

Arthritis & *Podagra* nonnihil differunt. Ἀρθρῖτις, inquit *Hippocrates lib. de morbis*, νοῦσος, ὅταν ἔχῃ, λαμβάνει πῦρ καὶ ὀδύνη τὰ ἄρθρα τοῦ σώματος. Aliquantò significantiùs *Aretæus* & *Galenus*. *Ille*: ξυνὸς μὲν ἁπάντων τῶν ἄρθρων, dolor est Arthritis. Ἀλλὰ ποδῶν μὲν ποδάγραν καλέομεν, ἰσχιάδα δὲ ἰσχίων, χειράγραν τε χειρῶν. *hoc est*: communis omnium articulorum dolor est Arthritis, sed pedum dolorem Podagram vocamus, Coxendicum Ischiada, manuum verò chiragram. *Hic* lib. 10. compos. Med. secundum loca: ἐκ τοῦ γένους τῆς ἀρθρίτιδος ἥ τε ἰσχιάς ἐστι καὶ ποδάγρα. ὅπερ γὰρ ἐν ἅπασι τοῖς ἄρθροις, ἡ ἀρθρῖτις ἐστίν, τοῦτ᾽ ἐφ᾽ ἑνὸς μὲν τοῦ κατ᾽ ἰσχίον, ἰσχιάδα καλοῦσιν, ἐπὶ ποδὸς δὲ ποδάγραν. *Hoc est*: ex Genere arthritidis est tum Ischias, tum podagra: quod enim in omnibus articulis arthritis est, hoc in uno juxta Coxendicem quidam Ischiada, hoc est, Coxendicum morbum appellant, juxta pedem autem podagram. *Sic ferè* & *Paulus Ægineta*. Nunc quoque *autor Finitionum Medicarum*: ἀρθρίτης δὲ ταυτὸν πάθος τοῖς προειρημένοις περὶ πάντα τὰ ἄρθρα συνιστάμενον. *Interpres ea ita reddit*: Articulorum vitia prædictis similes affectus sunt, circa articulos omnes consistentia. Ac *Nonus*: ἀλλ᾽ εἰ μὲν, εἰς τοὺς πόδας, ποδάγρα καλεῖται, εἰ δὲ εἰς τὰς χεῖρας, καὶ καθ᾽ ὅλα τὰ ἄρθρα, ἀρθρῖτις ὀνομάζεται. Interpres, *Hieronymus Wolphius*: cum (materia) ad pedes decumbit, podagra vitium appellatur, si verò ad manus & ad omnes articulos, arthritis dicitur. *Ætius ita*: podagrica & Arthritica affectio ejusdem speciei inter se existunt. Differt autem podagra ab Arthritide non toto genere, sed affectis locis. *Hæc ille*. Res haud expedita videtur. Quapropter *Prosper Martianus Sect. 3. de affection.* admodum subtilis est. Ad peculiares, *inquit ille*, dolorum articularium species, ut descendamus, postquam superius coxendici morbi veram essentiam & curationem explicavit Hipp. modò Arthritidis naturam exponit, & primò signa hujus morbi generalia proponit. Nam dolores articulos corripiunt cum calore satis insigni, non modò articulorum, sed etiam totius corporis, ut manifestè febrire ægrotantes videantur, secundò dolores in prima statim

tim invaſione ſunt acuti. [illegible] poſtremò ex uno in alium articulum tranſeunt, in hisque tribus ſignis arthritidis eſſentia conſiſtit, quæ eam à podagra diſtinguunt, nam in *hac calor adeò* evidens haud perſentitur ſtatim à principio, quemadmodum in *arthritide*, niſi quod poſtquam humor in venulis corruptus ad partes exteriores transmiſſus fuerit, & ratio diverſitatis inde oritur: quia in podagra morbus eſt in venulis & intimis partibus, in arthritide verò extra & ad ſuperficiem magis conſiſtit. Secundò in podagra dolores ſaltem à principio non ſunt adeò acuti, idque ratione materiæ quæ in arthritide tenuior eſt, & acutior, quæ quidem materiæ diverſitas poteſt etiam eſſe cauſa, cur dolor calorem adjunctum habeat majorem in arthritide, quàm in podagra, & ideò arthritis inter morbos acutos habetur, podagra verò inter diuturnos numeratur l. 1. de Morbis v. 22. nulla arthritidis mentione facta, utputa morbo acuto non diuturno. Tertium tandem ſignum, progreſſus, inquam, doloris ab uno in alium articulum, arthritidem à podagra diſtinguit, quia licet aliquando dolores podagrici ab uno articulo in alterum tranſeant, id fit paulatim non ſubitò: ut in arthritide, in qua dolor ſæpè in ſummo vigore conſiſtens ſtatim ceſſat, & alium articulum invadit. At podagra ſenſim deſinit in uno articulo, antequam in alium progrediatur, niſi ob materiæ copiam perſeverante priori dolore, novus in altero articulo excitetur, idque non ſolùm venit ex diverſitate materiæ; ſed etiam ex loco, à quo movetur ad articulos. In podagra enim pars mittens *eſt membrum particulare*, in arthritide verò à *toto corpore* fluit ad articulos, ut inferius magis patebit, & ſicuti modò fluit ab una corporis parte, modò ab altera, varias partes invadere neceſſe eſt, prout parti mandanti proximior fuerit & magis cognata.

Atque *Thaddæus Dunus* & *Johannes Paulus Turriarus* inſuper aliâ ratione inter ſeſe diſſident: Hanc *Thaddæus Dunus* fert *ſententiam*: Nobilis quædam mulier de dolore quodam digitorum conquerebatur, maximè indicis dextræ manus, & minimi digiti ſiniſtræ manus, & in jam dictis digitis erat tumoris aliquantulum. Retulit prætereà, ſubitò nonnunquam dolorem ſiniſtrum genu invadere. Ego ad articulos hunc affectum retuli. Sed cum articu-

lorum passiones duplices sunt, universales scilicet (morbus vocatur Græcè ἀρθρίτις, latinè propriè articularis morbus) & particulares, (tunc denominationem à loco affecto morbus sortitur, proinde fit & podagra, & chiragra & Ischias & hujusmodi particulares affectiones) præsens affectus, de quo agimus, universalis quidem non est, quia non omnes corporis articuli afficiuntur, relinquitur, ut sit particularis. Ergò denominabitur à loco patiente chiragra & gonagra, vel generaliori vocabulo vulgato, podagra. Quippe sive pedibus sive manibus quis laboret, podagra laborare â vulgo dicitur, arthritide verò nequaquam: ipse quoque Cornelius Celsus de Chiragris & Podagris simul agit, & communem curationem tradit libro 4. cap. 24. *Hæc hic.* Jam convellit *eam Johannes Paulus Turrianus* hisce: Hunc morbum sanè ἀρθριτικὸν seu articularium haud dubitarem nuncupare, etsi non omnes comprehendat articulos, modò plures, quàm manuum aut pedum, afficiantur particulæ. Ridiculum namque existimo, chiragram & gonagram dicere, quod unico verbo apertissimè & planissimè explicare possumus, videlicet articulari, quum & coxendicis dolor ab Ægineta dicatur esse de genere articularis, qui tamen unum tantùm articulum occupat, quum dicit, *τοῦ γένους ἐστὶ τῆς ἀρθρίτιδος ἡ ἰσχίας μόνῳ τῷ κατὰ τὸ ἰσχίον συνεστηρίχθαι.* At *eandem* tuetur *Thaddæus Dunus*: Scripsi ego, quod vocabulum græcum ἀρθρῖτις propriè latinè, hoc est, à latinis medicis, dicitur articularis morbus, quodque ἀρθρῖτις affectus sit omnium articulorum corporis item quod affectus particulares articulorum denominantur ab ipsis passis locis & non dicantur, neque græcè ἀρθρῖτις, neque latinè articularis morbus, licet tamen passio sit articulorum. Græci enim neque coxendicis dolorem, neque pedum neque manuum aut aliorum articulorum ἀρθριτικὸν appellare sive articularium, licet non omnes afficiantur articuli, quodque ridiculum existimas, nominare chiragram aut gonagram, quum uno vocabulo articulari explicare possimus, quodque Ischias ab Ægineta dicitur de genere articularis morbi. Igitur ridiculi erunt Græci primò, deinde & Latini, qui dixerunt ischiadem, podagram, chiragram & hujusmodi, quorsum enim ea nomina imposuerunt, quum abundè satis fuisset (te judice) omnem

mnem ejus generis affectionem arthritidem nuncupare? Sed non abs re à Græcis medicis id factum est, quippe voluerunt particulares morbos ab universali distinguere, quia inde clarior res est, & quia pro ratione affectæ partis cura est suscipienda, quis enim nescit, quod cum affectio coxendicem occuparit, validiora multò medicamenta sint admovenda, quam si manus & pedes aut genua aut alios articulos infestarit? Hinc est quod à Galeno l. 10. de comp. med. κτ̀ τόπȣς c. 2. plurima, eaque validissima medicamenta ischiadicis convenientia referuntur, quorum nullus ferè usus est in chiragra aut podagra. Item ab eodem eo cap. scribitur: Quibus accedat pharmacorum dicendorum conveniens & tempore & ordine usus, ita ut in manibus & pedibus pharmacis fluxionem repellentibus utamur, circa coxendicum verò juncturam id facere vitemus. Ecce quod pro locorum affectorum ratione medicamenta variantur, licet una ferè sit passio omnium. Nihil verò in contrarium facit Pauli locus, ubi dicit, *ischiadem esse ex genere particularis morbi, nam eadem sententia habetur apud Galenum*, in principio 2. cap. libri citati. Sed aliud est dicere, esse ex genere arthritidis, aliud esse arthritidem. Proinde Galenus scribit: Ex genere arthritidis est tum ischias tum podagra, Quod enim in omnibus articulis ἀρθρίτις est, hoc in uno juxta coxendicem quidem, ischiada, hoc est, coxendicum morbum appellant, juxta pedem autē podagram. Esse enim ex genere arthritidis idem est, quod esse ex natura arthritidis vel esse affectum arthritidi similem, aut morbum, qui ad articulos pertineat, sicut arthritis. Neque enim arthritidis generis nomen est (ut quidam docti alioqui viri putant) quod de chiragra, ischiade, gonagra & podagra prædicetur, cum si horum morborum aliquis definiendus sit, generis loco arthritidem non sumamus, licet omnes isti morbi ad articulos referantur. Etenim ineptè omninò & contra Græcorum morem diceremus, podagra est arthritis, ischias est arthritis. Nam de his non dicitur, quomodo *inflammatio* rectissimè dicitur & prædicatur *de phrenitide, angina, pleuritide, peripneumonia* & similibus, quippe secundum artium medicinæ & dialecticæ præcepta dicimus, phrenitis est inflammatio, pleuritis est inflammatio. Nam cum omnia, quæ di-

dicuntur de genere, dicantur etiam de qualibet ejus specie, quæcunque de inflammatione dicuntur, eadem de pleuritide, phrenitide dicuntur: sed quæ dicuntur de arthritide, non similiter dicuntur de podagra, ischiade, chiragra & reliquis: nam & causæ & patientia loca & remediorum apparatus & morborum natura tota eadem non est. Arthritis à sanguinis multitudine interdum fit, podagra verò vix unquam. *Arthritis omnes corporis articulos invadit*, ut dictum est, & dicetur adhuc, *podagra solos pedum articulos* aut solos pedes. Curatio quoque arthritidis à curatione podagræ sæpè differt, præsertim cum à sanguinis copia generatur. Arthritis *præterea hæreditaria non est*, veluti podagra, illa facillimè nonnunquam curatur, podagra verò curationem perfectam non admittit. Est potius arthritis totius cujusdam, quam generis nomen, nam ut Galenus ait, quod in omnibus articulis ἀρθρῖτις est, hoc juxta coxendicem Ischias, juxta pedem podagra nominatur. Ac ut pluribus ostendamus, arthritidis vocabulum cum podagra non esse confundendum, & ἀρθρῖτιδα à Græcis affectum non fuisse appellatum, *nisi omnes aut saltem permulti articuli essent* infecti, alia Galeni loca sunt inspicienda. In libro περὶ φλεβοτομίας c. 19. sic scribit: In quibus autem corporibus nulla dum particula affecta est, cæterum vacuationem vere ineunte antevertimus in iis, siquidem talis sit homo, qui quotannis æstivo tempore febrilibus morbis obnoxius esse assolet, atque in eo exundantiam evacuare studemus, æquè pars quævis in sanguinis detractionem accommoda est, sicut cur sanè etiam εἰ ἀρθριτικὸς εἴη πᾶσι τοῖς ἄρθροις πεπονθώς. id est, si arthriticus sit omnibus articulis laborans. Quia enim morbus corpus universum pervadit, si sanguis detrahendus sit, è quavis vena detrahi potest (nos tamen primo nostro libro de arte curandi per venæ sectionem, axillarem dextram secandam esse docuimus) secus autem si pedes soli affici consvevere, tum enim sanguis è cruribus auferendus non est. Idem Gal. in 2. de nat. hum. comm. 11. Proinde omni in corpore, inquit, aliquod erit imbecillimum, alia validissima, id quod apud omnes medicos & vulgus in confesso est. Dicunt enim, imbecillimos pedes podagricis esse, sic universum genus articulorum arthriticis. Jam vides manifestè, ut

poda-

podagram ab arthritide ſeparet, & arthritidem ad univerſum articulorum genus referat. Paulus quoque Ægineta l. 3. c. 78. ait: Quamdiu igitur pedum articulamenta humor infeſtarit, duntaxat podagra morbus appellatur. Cum autem in reliquos corporis articulos cauſa penetraverit, jam tum articularis morbus appellari conſuevit, quo nomine vertebræ, humeri, maxillæ, atque univerſi deinceps articuli languore impliciti comprehenduntur. Unus hic locus, ornatiſſime Paule, ſententiam tuam expugnat, cum velis arthritida appellari morbum, quando manus ſolæ & genu laborent. Imò licet *utraque manus & pes ſimiliter uterq; morbo* implicitus eſſet, ἀρθρίτις tamen appellari non deberet. Quamobrem Q. Serenus de articulari morbo ſic canit:

Si verò articulos tabes inimica per omnes
Hæſerit, ex ficu betas cum melle jugabis.

Quare ridiculum haud erit, ſed potius artificioſum ita morbos diſtinguere. Videbitur tibi fortaſſe hæc de nominibus arguta diſputatio inutilis, ſed non ita ſe res habet, imò neceſſaria eſt. *Hactenus autor.* Rurſus eam ipſam labefactat *Johannes Paulus Turrianus*: Quod ad nomenclaturam morbi attinet, quem ego ἀρθρίτιδα, hoc eſt, articularem nuncupare non dubitavi, quandoquidem plures, etſi non omnes comprehendat corporis partes, utpote alterum genu atque in utraque manu digitos. Neque enim neceſſarium eſſe arbitror, ſi ἀρθρίτις appellitari debeat morbus: quod *omnes* corporis articuli laborent, ſed *ſatis eſſe, quod* plures, quàm manus tantum, aut pedis, aut cujusvis alterius partis. Quamvis Paulus Ægineta aliud ſentire videtur & cum eo alii: verùm ipſe, ut conjicio, quod magis propriè aut plerunque dicendum erat, nobis expreſſit. Proinde affectionem, quæ tantùm pedem aut manum ſeorſim occupat, aut genu, juxta medicorum ſcholam, proprio nomine, podagram, chiragram, gonagram ab ipſis partibus affectis denominarem, non articularem. Neque verò ut ſcribis, in epiſtola mea ita ſcriptum reliqui, niſi me fallit memoria, quod non dubitarem dolorem manuum aut pedum aut aliorum articulorum ἀρθριτικὸν appellare, ſive articularium, quamvis & græcè & latinè jure meritò id fieri poſſet. Siquidem ἄρθρον, unde ἀρθρίτις, articulum ſignificat. Sed quo-

niam medici ſumus, medicorum dogmata ſectantes & præcipuè Græcorum, diximus, ſi te non tædet eam relegere, quem morbum ſanè hujus mulieris, de qua agimus, ἀρθριτικὸν ſeu articularium dubitarem nuncupare, etſi non omnes comprehendat articulos, ſat eſt quod plures, quam aut manuum aut pedum afficiantur partes, quibus pro certo conceſſis, non video, quo pacto elici poſſet, me innuiſſe, nedum expreſsè protuliſſe, quod morbus, qui tantùm pedem aut manum affligit, articularius dici debeat, non podagricus aut chiragricus. At benè, ſi ita contingat, ut in eodem patiente conjunctim manus & pes, vel manus & genu, vel aliæ complures corporis particulæ affligantur, articularium morbum nuncuparem, licet non omnes afficiantur, quemadmodum dixi in caſu hujus mulieris, quæ ſi tantum manu aut genu tantum laboraret, chiragram procul dubio vel gonagram eam ægritudinem, unde nomen ſortita eſt, appellaſſem non articularem. Quocirca non præter rem ridiculum fore exiſtimavi, aliquod vitium multis nominibus notare, quod proprium & verum bonum habet, namque, ut opinor, non alia ratione Græci autores id nomen arthritis excogitavêre, quam ut ſi quis pedibus ſimul & manibus vel etiam genibus laboret, eum unico vocabulo explicarent, neq; per podagram, chiragram ac gonagram circumſcriberent, unde procul dubio ridicula & nugatoria reſultet oratio. Non ergo ridiculi erunt apud me Græci neque Latini, quin imò eximia laude ornandi, quod tam accuratè & diligenter ſingulorum morborum nomina indagaverint, & præcipuè articulorum, quibus & commune & proprium impoſuerunt nomen. Ut ſi eveniat, aut omnes corporis articulos aut eorum pleroſque laborare, eum quoque proprio & vero nomine exponere voluerint. Si quis itaque dolorem coxendicis pariter & manus vel pedis pateretur, non ego eum iſchiadicum & podagricum ſeu chiragricum eſſe dicerem, ſed arthriticum: ſi autem coxendicis ſolùm iſchiadicum, ſi pedis podagricum, ſi manus chiragricum, & ſic deinceps. *Hæc hic.* Verùm de ea ſemel prodita ſententia ſe *Thaddæus Dunus* demoveri non patitur: Scribis: neque enim neceſſarium eſſe arbitror, ſi ἀρθρίτις appellari debeat morbus, quòd omnes corporis articuli laborent, ſed ſatis eſſe, quòd plures quam

aut

aut manus tantùm aut pedis aut cujusvis alterius partis. Quamvis P. Ægineta aliud sentire videtur, & cum eo alii: verùm ipse, ut conjicio, quod magis propriè aut plerunque dicendum erat, nobis expressit. Quia apertè & Galeno & Paulo & reliquis omnibus medicis tàm Græcis quàm Latinis contradicis, atque quodammodo (ut ita dicam) ptincipia negas, nescio quid ad hoc adferam, præsertim cum videaris docere velle Græcos linguam inventaque sua. Nos non latet, quod ἄρθρον, unde ἀρθρίτις, Græcis significat articulum, sed invenias mihi quæso, quod *proinde* ἀρθρίτιδα *illi vocaverint dolorem pedum aut manuum, aut utrorumque simul aut etiam cum aliquibus aliis articulis, nisi omnes penè corporis articuli fuerint infecti.* Galeni Paulique loca luce meridiana clariora tibi protuli, quibus si assentiri non vis, sed veritati palàm reluctari, verbis ego chartisque parcam, ne quid aliud intereà parùm modestè efferam. Revoca obsecro in memoriam ægros articulari morbo affectos, si quos unquam curandos suscepisti, qua de re nihil dubito, perpendeque, num *pedum aut manuum simul tantummodò dolere cruciarentur*, an verò *omnium articulorum corporis.* Equidem articulari morbo laborantes ut plurimùm crapulosi deprehenduntur, unde crudis humoribus ac pituitosis crassis & viscosis referti sunt, unde maximè passiones fiunt articulorum, quibus correpti neque genua neque pedes, neque brachia neque manus, neque collum neque dorsum, neque partem ullam corporis facilè movere possunt, sed jacent tanquam lecto affixi, & hærentes, hos *arthriticos* græci & latini appellant. Mulier verò, cui consilium damus, & luctari & saltare & currere potest egregiè. Verùm etsi non posset currere & saltare aut luctari propter digitorum, aut alterius genu dolorem, neque propterea *arthritide* laborare censerem, ut tu.

Res superiùs per se clara videbatur: eam verò nunc illa ipsa obscuram reddit diversitas explicatuum. Sat definitè *Haly:* & Scyatica species est quædam arteticæ. Differt autem Scyatica & Artetica. Est in cavilla & maximè in pollice, vocaturque podagra. Si autem in aliis fiat disgregationibus, ut genu, manuum, cubitorum, & omnibus corporis disgregationibus artetica vocatur. Item *Rabi Moses* in *Aphor.* ac *Canon. Tacuinorum:* in Junctura calcanei & digito-

gitorum dicitur Podagra & propriè in pollice. Si in aliis articulis, dicitur Arthritica. *Itemq́; Æsculapius :* Podagra, pedum dolor nominatur, sicut chiragra à manuum dolore, quando verò simul genua & cubiti & articuli omnium membrorum condolescunt, Arthriticus vocatur. Tunc *sævissima* & molesta est illius passio & *tarda recessio*. Nec non *Aretæus:* ἐγχρίπτεται τε ἡ ἀρθρῖτις ἄλλοτε ἐς ἄλλα ἄρθρα. Quare admodum convenienter *Johann. Fernelius* recentiorum Medicorum facilè princeps, statuuntur, *inquit*, arthritidis differentiæ ex articulorum numero, sed tribus duntaxat usus nomina indidit, hæ sunt chiragra, Ischias & Podagra. Quæcunque in alio quovis figitur articulo, generis nomine arthritis appellatur.

Dictus toties *Aretæus*, *Paulus Ægineta*, & *Q. Serenus*, imò *Galenus* ipse membra corporis omnia quidem hâc ajunt *Arthritide* affligi. Verùm ex eo effici cogique non potest, semper omnes ad unam partes eo morbo affici oportere. Quapropter *Turrianus*, *Franc. India*, *Cardanus*, & *Mercatus Arthritidis* verbum, admonitu *Duni*, aliter interpretantur. *Arthritide* nunc cunctæ, uti ostendit *Hier. Gabucinius*, nunc plures simul aut diversis temporibus & quasi mutatis vicibus dolent. Omninò *Arthritis* est genus, quo nunc omnes artus, nunc plures, nunc pauci ægrotant. *Podagrâ* Pedes, Manus *Chiragrâ*, *Ischiagrâ* artus Ischii laborant. Non sum nescius, illam gravissimam *Arthritidem*, quâ omnes partes iis doloribus obsessæ sunt, privatum morbum multis videri esse. Verùm ea est nihil aliud, quàm *Arthritis*. Est quoque *hæreditaria*, & exercet ita homines, ut hi ægrè reddantur sanitati. Et hoc est, quod *Æsculapius* eam *sævissimam* existimet *esse passionem* & *tardam recessionem*. Scio duos hâc gravissimâ *arthritide* in suâ vitâ ter oppressos fuisse. Nonnunquam alteruter fuit *podagricus*, mox *arthriticus*, & tandem rursus *podagricus*. Hocque genus *Valescus de Taranta*, *Antonius Guaynerius*, *Mercatus* & alii agnoscunt. Sed mox labuntur iidem. Illudque perabsurdum videtur, *Podagræ partem*, ut loquuntur, *mittentem* esse membrum particulare, ut *Cerebrum*, aut *Hepar*, eam verò, infestante *arthritide*, esse *totum corpus*. *Prosper Martianus* quoq; à Cerebro *arthritidem* negat proficisci. Adscribat suæ meam sententiam. Quin

potius

potius intelligendum est, si *arthritis* de *cerebro* non nascitur, nec inde oriri *podagram.*

CAPUT III.

LOCUS AFFECTUS.

Curæ nunc mihi est, ut in quonam articuli loco humor insit, intelligatur. Veteres consentire videntur. Nam *Galenus commentario Sexto in aphorismos composito* (Aphorismo 49.) ad hunc modum: *δέχονται τε τὸ ῥεῦμα πρῶτον μὲν αἱ χῶραι τῶν διαρθρώσεων, ἔπειτα τὲ τὰ πέριξ πάντα μέχρι καὶ τοῦ δέρματος*: id est, Hanc fluxionem suscipiunt primùm quidem loca dearticulationum, deinceps circumstantia omnia usque ad cutem. *Atque Libro decimo de composit: Medicamentis secundum loca cap.3.* εἴρηται ἐν τῷ περὶ τῆς ἰσχιάδος λόγῳ, ῥευμάτων ἔκγονα τὰ τοιαῦτα ὑπάρχειν πάθη, κατασκηπτόντων εἰς τὰς χώρας τῶν διαρθρώσεων. Dictum anteà est in sermone de Ischiade, de fluxionibus generari ejusmodi affectiones, irruentibus in locos juncturarum. Com.4. Aph.31. Ep.30. G. Articuli, qui habent spatia lata ad suscipiendas superfluitates, ideò ad ipsas defluxiones decumbunt. *Ferè similiter Aretæus, Ætius, Ægineta & Alexander Trallianus:* cujus verba accipe: Καὶ γὰρ αἷμα συρρεῦσαν ἐν τῇ τῶν ἄρθρων κοιλότητι θερμὸν, καὶ διατεῖνον αὐτά τε καὶ τοὺς συνδεσμοὺς, ὀδύνην ἐργάζεσθαι πέφυκε σφοδρὰν; *hoc est*, etenim sanguis, qui in sinus articulorum confluxerit, calidus, tùm ipsos, tùm compages ac ligamenta distendens, vehementem dolorem excitare solet. *Quam* sententiam & *Avicenna* sequitur, & hinc juniores, ut *Gilbertus, Gordonius, Nicolaus Nicoli Florent. Bertrucius, Angelutius, Guido,* ejusque interpres *Laurentius, Trincavel: Vidus Vidius, Petrus Paulus Pareda; Gualterus Brüel, Argenterius, Hollerius, Franciscus India, Duretus, Hier. Gabucinius, Thussianus Ducretus, Nicolaus Piso, Johannes Pulverinus, Sigismundus Kolreuterus, Costæus* contra *Fernelium* disputans, *Liberatus de Liberatis, Johannes Conradus Wechtler*, nonnulli, ut *Honorius Heringius* etiam *ossium epiphyses* commemorant.

Ludovicus Mercatus hoc loco *contentiosus est:* universa hujus mali ratio, ut Galenus apertè fatetur sexto Aphorism. 49. sita est in

hac peculiari conditione, qua veluti essentiali differentia, ab omnibus aliis articulorum morbis dissidet, nam in prolapsione humorum fluentium per venas ad *cavitates articulorum* eos primò suscepetant articulorum loca, deinde circumstantia omnia usque ad cutim: qua ratione fit, ut abscedentibus à se invicem ossibus, ligamenta nervique & tendines adeò tendantur, quia simul cum articulationibus tenduntur, ac veluti lacerantur. Ex hac enim humorum prolapsione in articuli cavitatem prodit Hipp: dixisse, non solvi hos dolores, nec materiam dissipari & evacuari ab ea parte ante quadragesimum diem, quia spatium illud calore orbatum nequit ante id tempus prædictum munus perficere. Nam si in solis carnosis aut ligamentosis partibus exstitisset humor, cum hæ innumeris gaudeant venis & arteriis, longè citius evanesceret. Quo fit, ut credibilius sit, his tantùm partibus legitimum articularem morbum proprium esse, sicut reliquis spurium & illegitimum. Sed in hac re dubitabit aliquis & meritò, quî fieri possit, quod intra articulos dilabatur materia, siquidem dum ipsa non resolvitur, sed in tophaceam migrat naturam, extra articulum concrescit, ita ut videatur vero similius extra contineri, quàm intus prolabi? Verùm si quis rem diligenter examinet, reperiet eadẽ ratione neq; in vinculis, neq; in tendonibus materiã permanere, siquidẽ extractis tophis, vincula & tendones illæsi conspiciuntur, quod erat creditu perdifficile, si in eis continetur materia dolorẽ concitans. Quo fit, ut arbitrandũ sit, materiam tam in *spatiis*, quàm in *tendonibus* in halitum digeri, in spatio quidem, quia cum latior locus sit, facilius inde evaporat, præterquam quod articuli, dum moventur, concalescunt, & ita calefit, & attenuatur, & quasi funditur, ac ad facilem digestionem paratur, pariterque in tendonibus ac vinculis, quo fit, ut in neutris tophaceam acquirat naturam. In membranis verò, quia motu carent, & calore ac propè ossa existunt, mirum non est, si ibidem materia conspicuè & frequentius induretur. Cum hoc tamen non renuo concedere, in articulis, ligamentis & reliquis partibus aliquando posse cõcrescere: quod probant dearticulationes, quæ tophis indurescentibus succrescunt, item & dolores, qui quovis motu facto prædictis membris sic affectis concitantur, præsertim cum tortuosa sint,

ſa ſint, & nulli actioni idonea. Quemadmodum & *Epiphanius Ferdinandus*: Ad hunc Coxendicis celebrem & magnum articulum, ſi materia præter naturam influat, generatur Iſchias ſeu dolor coxendicus, veluti ſi ad alios articulos labuntur vel attrahuntur humores, fiunt aliæ fluxionum ſpecies, ſc. podagra, chiragra &c. de quibus in hiſt. podagræ dictum ſufficienter eſt, quare ex Gal. 6. Aphor.49. & 10. de compoſ. med. ſ.l. c.2. primò influit materia ad loca dearticulationis, eſt autem dearticulatio ad motum deſtinata, conſtans ex capite oſsis & ſinu, & hæc loca primò implentur, deinde circumſita loca, maximè cum humoris redundantia occupat affectam coarticulationem, qua expleta incompoſitæ particulæ nervoſæ tenduntur, & inde generatur dolor. Sed quid per loca dearticulationis in 6. Aphor. Gal. intelligit, & quid per coarticulationem in 10. de compoſ. med. ſ.l. Reſpondeo, utrobique Galenum unum & idem intelligere ſeu *oſsium cavitates*, ſeu intercapedines, nam hæ quandoque implentur, interdum etiam eſt materia inter os & perioſtium, quare hæc eſt Galeni mens in 6. Aphor.49. primò igitur oſsium cavitates complentur, deinde circumjacentia loca, & ſic omnes anatomici & medici tractantes de dolore coxendico aſſerunt. Quare malè *Euſtachius Rudius* inquit, oſsium intercapedinem de raro à materia obſideri, ſed tantùm vincula ſeu ligamenta oſſium, cum manifeſtè loquatur contra Galenum. Neque illæ rationes, quas adfert, concludunt, nam ad primum illud ſpatium, quod à natura eſt derelictum in oſsium articulis, eſt ſufficiens, ut illuc recipiantur vel attrahantur humores, neque craſsities ligamentorum impedit, & ſic ſolvitur ſecunda ratio. Ad tertium & quartum eadem ſit reſponſio, nam non eſt neceſſe, ut ſupra diximus, ut ſemper illæ oſsium cavitates impleantur.

Ita eſt, contra hos omnes diſputat *Euſtachius Rudius libro ſecundo*: per coarticulationem non debemus intelligere illud ſpatium, quod inter oſſium extrema intervenit, nam oſſium intercapedo raro ab ipſa materia invaditur, primo quia oſſa propter ligamentorum robur validiſſimè committuntur & adeò connexa ad invicem manent, ut nullum relinquatur ſpatium, in quod materia propter oſſium duritiem penetrare poſſit. Secundò ligamenta, quæ

admodum crassa & densa sunt, materiæ aditum non præbent. Tertiò si id fieret sæpius, membra ipsa & artus longiores evaderent, quod non contigit, nisi articulus extra propriam sedem dilabatur. Quartò in praxi sæpissimè observavimus, in nodosa tophaceave chiragra humorem, in calculos jam concretum, aperta cute ex digitorum articulis erutũ fuisse, integro tamen & illæso vinculo permanente, imò etiam ex eo articulo, in quo cubitus per ginglymon unà cum humore dearticulatur, tophum satis magnum, qui per cubiti fluxionem omninò impedierat, tandem extraximus, brachio & ejus motu integro ad pristinam valetudinem restituto. Si quis autem obiter quærat, cur tophi seu calli in articulis gignantur, huic respondet Gal. inquiens, mirari non oportere, mutationem in duritiem ex inflãmatis accidere, cum simul & confluens humor crassior est & viscidus, & curatio medicamẽtis valdè siccantibus administratur, uti enim in exterioribus multa corpora, quæ ignem contingũt, torrentur, ex aqua verò rursus emolliuntur, ita in inflammatis affecti loci humiditas à calefacientibus & siccantibus validius pharmacis relictum aliquod viscosum & crassum retinet, tenui discusso, & hac ratione in arthritide calli proveniunt, & in renum vitio, calculi. Quare per coarticulationem debemus vincula seu ligamenta ipsa, ossium extrema coarticulantia, & potissimum eas membranas, quæ extrinsecus ossium extremitates nectunt & ambiunt, ac etiam tendones eò directos subaudire. Dum enim materia partes has, & præsertim membranas aut tendones implet, distendit, & à subjectis partibus divellit, aut etiam prava qualitate ferit, dolorem vehementem infert. Verùm quoniam articulorum dolor non solum ex materiæ influentia, verùm etiam propter aliam causam de qua post loquemur, concitari solet, iccirco sciendum est, quod non solum partes jam dictæ, verùm etiam periostia, & partes illæ, quæ ossium supercilia investiunt, & in ossium dearticulationes desinunt, & magis internæ sunt, dolore nonnunquam, licet obscuriore & magis obtuso conflictari solent. *Hic autor* insistit vestigiis *Fernelii*, cujus nomen in scholis Medicorum est celebratissimum. Ejus verba hæc sunt: *humor nunquam aut admodum raro (præter multorum id opinionem assevero) in id cavum ac spatium penetrat, quod inter ossium extre-*

extrema intervenit, sed in vincula tantum atque in eas membranas, quæ extrinsecus ossium extrema nectunt. Unde & *Galeatius de Sancta Sophia:* Secundò notandum, ne contingat, aliquem errare, dico, quod dolor, qui causatur in dictis juncturis, non causatur in pixide aut vertebro. Ac *Peter Salius Diversus:* Si in coxendicis pixide, in ejusque cavitate materia reciperetur, tantum dolorem non inveheret. Sapientia hæc sicuti Galeno, ita & veritati contradicit, nec digna est, ut à Medicis recipiatur. Laudandus Dn. *Fridericus Vander Mye:* qui infixos articulis volunt humores, non firmo satis nituntur fundamento. Spontaneæ enim solutioni & convulsioni nunquam assectæ, id repugnat. Audi eundem Senecam: Citò eæ partes obstupescunt (de macerrimis loquitur) & ipso dolore sensum doloris amittunt, sive quia spiritus naturali prohibitus cursu, & mutatus in pejus, vim suam, quâ viget, admonetque nos, perdit, sive quia corruptus humor, cum desiit habere, quò confluat, ipse se elidit, & his, quæ minus implevit, excutit sensum. Vides quam aptè dolorem excitari putet materiâ fluente & fluxu desinente elidi. *Admodum peritè Adrianus Spigelius*: humor hic, qui est causa continens, non consistit in eo spatio seu ea cavitate, quæ constituunt ossium duo extrema, quando sibi invicem conjunguntur (quemadmodum multi hactenus somniarunt) sed ferè semper in membranis, tendinibus ac vinculis externis, à periostio originem suam habentibus, ossium extrema ac musculorum tendines nectentibus, idque cognoscitur, manifestè sic se habere ex nodosâ podagra & chiragra, in qua tophus, seu humor in calculum concretus, apertâ, ruptave cute plerunque eruitur è digitorum articulis, externo vinculo, ut scribit Fernelius, integro atque illæso. Præterea si materia in cavitatem internam articuli flueret, nullus vel admodum obtusus excitaretur dolor, quod hoc vinculum nectens interius ossium duo extrema ex osse oriatur, nullumque sensum habeat, & ideò, quia cum ossis cartilagine connascitur, χονδροσυνδέσμου nomen apud Græcos accepit.

Hanc in sententiam quæ *Fernel. Rudius* & *Spigelius* differunt, ea omnia in unum bonâ fide contulit *Sennertus.* Arthriticus tumor cubiti sæpè me inspectante apertus fuit. Æger, cunctum brachium

 sem-

ſemper movere potuit. Quare humor ſe in medios artus haud fudit. Nonnunquam quoque unicus tantùm muſculus in corpore hominis Arthritici inflammatur, cute integrâ. Nec in eâ ullum apparet veſtigium inflammationis. Eo loci autem ſi tangitur cutis, dolor fit gravior. Id quod ſcientiſſimè oſtendi poteſt. Nimirum intelligendum eſt, humorem haud ipſum intervallum Artuum ſubire.

Cujusvis hominis digiti adverſo lumine candelæ translucent. Unde *Felix Platerus*, manus digitos, *Quæſt. Phyſiol. 7. inquit*, invicem *conjunctos, ſi radiis Solaribus aut ſplendori ignis opponas: admodum rubere & pellucere videntur; ex quo apparet, cutem, membranas, ligamenta, cartilagines & oſſa quoque pellucere, etſi mutuò juncta partem conſtituant eam, quæ excarnis alioquin eſt, nullis ſcilicet muſculis obfuſcata.* Ejuſdem ferè generis eſt illud, quod *Peter Borellus cent. 3. obſ. 66.* prodit: *D. de Puechmeia in Medicina non parùm expertus ægrum habuit cachecticum, itaque aquis neſcio quibus obſitum, ut per candelam ei oppoſitam membra ejus, corpusq; totum non ſolùm ut in hydrope tranſparentiam quandam levem præberet, ſed ac ſi corpus corneum vel vitreum habuiſſet, per manum tranſverſam characteres Epiſtolæ legi poterant ob pituitæ vitreæ in eo cumulatæ copiam, eiq; affirmatum eſt, â Germano ſe idem in alio de toto pectore vidiſſe. Audivi etiam idem de obſcœnis partibus accidiſſe.* Quare ſunt, qui hac via etiam humoris ſedem inveſtigârunt; eam verò in digitis hominis chiragrici ſimiliter pellucidis intra intimam artus juncturam acie oculorum haudquaquam deprehendere potuerunt. Atque nunc illud magis abſurdum erit, humorem *Arthritidis de Cerebro* duci, quia eum inſuper credunt in medias artuum cavitates pervehi. Quæ vis hunc agitabit? Oppoſitæ ſunt multæ partes, quibus ejuſmodi iter penitùs obſeptum eſt. Non deſunt, qui quidem *Cerebri humorem* negant ſubſidere in ſubjectas cavitates Artuum, at eum contendunt eò penetrare, quem Vaſa ſanguinis, *Arthritide* oriente, exudare putantur. Verùm illa ad artuum cavernas haud ita pertingunt, ut ille humor in eas demitti queat. Quid multa? Nec in defunctorum articulis illa humoris ſedes notari poteſt.

CAP. VI.

CAP. IV.

NATURA ARTHRITIDIS.

Multi autorum *Arthritidem* à ſolâ *intemperie* aliquando oriri opinantur. *Alexander Trallianus* certè hiſce verbis utitur: οὐ μόνον δὲ διὰ ἐπίῤῥοιαν ὕλης οἱ ῥευματισμοὶ τοῖς ἄρθροις ἐπιγίνεσθαι πεφύκασιν, ἀλλὰ καὶ διὰ ψιλὴν ποιότητα μόνην καὶ θερμὴν καὶ ψυχρὰν. Hoc eſt: *Fluxiones non ſolùm ob materiæ influxum articulis oboriri ſolent, ſed etiam propter nudam qualitatem calidam & humidam.* Mox & δυσκρασίας ſæpiùs commemorat. Similiter ſentiunt Arabes, *Rhaſes* & *Avicenna*, item *Gariopontus*, hinc *Nicolaus Nicoli Florentinus*, *Franciſcus de Pedemonte*, *Joh. de Tornamira*, *Antonius Guainerius*, *Arculanus*, *Valeſcus de Taranta*, *Guido*, *Matthæus de Gradi*, *Joh. Michael Savonarola*, *Johannes de Concoregio*, *Petræus*, *Hier. Gabucinius*. Nonnulli *ventoſam* cognominant, ut *Euſtachius Rudius* & *Heringius*. Inde loquitur dubiè *Sigiſmundus Kolreuterus*, clariùs *Sillanus de Nigris*: Tertiò notandum de ſignis: ſi dolor arteticus fuerit ſine gravedine, eſt mala complexio ſine materia, ſi autem cum gravedine, eſt mala complexio cum materia. *Hæc hic.* Quid? *Paræus* Iſchiagram comperit ipſe ex aurâ frigidiore afflante ortam fuiſſe. Quare eam & podagram multi contendunt *ſine materiâ* aliquando eſſe poſſe.

Verùm ex alterâ parte *Peter de'la Cerlata* eſſe videtur. Cujus *verba* perpende: Rhaſes de doloribus juncturarum videtur velle, quod talis paſſio poſſit fieri ex malâ complexione ſine materiâ, & tamen hoc raró accidit. Sc. mala complexio ſine materiâ raró accidit, & reperitur, ut videtur velle Averrhoes 2. Colliget. Imò dicit ſe non poſſe imaginari. Et Gentilis & alii multa de hoc dixerunt. Magis expreſsè *Johannes Fernelius*: Proxima continensq; omnis arthritidis ac doloris cauſa eſt, non ſimplex ulla intemperies, ſed humor præter naturam infixus & adhærens, qui ſæpè tumore manifeſto ſe prodit. Atque tametſi nonnunquam (ut iis, qui primùm incipiunt, illa tentari) citra inſignem tumorem dolor affligit, tenuis tamen ac paucus aliquis humor ſubeſt. *Ali-*

quan-

quantò prolixius Godefridus Steeghius ; Hæc duo debilitatis articuli nomine, ſine quâ influxum non fieri exiſtimant, comprehendunt plurimi, quam cum influxu ſolas arthritidis proximas cauſas conſtituunt, nudam intemperiem hîc negantes, Galenum ſecuti, cum interim à frigore & ſiccitate, dolorem in parte ſenſili concitari, hunc etiam materiei affluxum aliam doloris cauſam commovere, nemo eorum neget. Fluxiones non ſolùm ob materiæ influxum articulis oboriri ſolent, inquit Alex. Trallianus l. II. c. I. ſed etiam propter nudam qualitatem ſolam, calidam & frigidam, adhæc ſiccitas & humiditas fluxiones ſubinde concitant, quæ cauſa diligenter eſt obſervanda, ut adhibeatur conveniens remedium. Quin & commune intemperie calida vel frigida laborantibus partibus eſt, humorem correſpondentem paulatim colligere, quæ non ſecus atque affluens diſtendere mordere, & exedere poteſt; & frequenter certè in praxi occurrit articulorum dolor inſignis, citra tumorem, gravitatis ſenſum, vel coloris mutationem, quæ abſentia materiæ ſigna omnes tradunt. Fernelius ne ſuorum partes omninò videatur deſerere, tametſi, inquit, nonnunquam citra inſignem tumorem dolor affligit, tenuis tamen ac paucus ſubeſt humor, abſentiam omnē tumoris non admittit, quem ſenſꝰ probat humorē ſignis nullis cognitum divinat, quam Medici, exiguum humorem quem adeſſe intemperiei ſtatim ratione comprehendimus, ſoleant contemnere ut artifices ſenſati, alioqui nulla, ne momento in nobis ſubſiſtit nuda intemperies. Hipp. 3. Aph. 16. inter eos, qui in ſiccitatibus fiunt, numerat morbos articulorum, morbi inquit, à pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alvi profluvia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ & anginæ; In ſiccitatibus tabitudines, lippitudines, articulorum morbi, & Hipp. l. de intern. affect. circa finem refert coxendicum dolorem à ſiccitate, conſumpto *ſcil.* humore, qui eſt in articulis, â mora vel exercitio ſub *ſole*, traditque ejus curationem per humectantia; nihilominus commentatores aliqui; nudam morbi articularis intemperiem *volentes* excludere, mirabiliter ſe torquent, ac ſi rationi non *eſſet conſonum*, eam humiditatem, quæ articulis lubricandis *ſervit*, *longa* ſiccitate poſſe diminui, quo facies connexæ *exaſperentur*, unde dolor, teſtibus Tri-

veriꝰ

verio in comment. dicti aph. ibidem, & Franc. Vallesio, Ambros. Paræus intensum genu dolorem â frigore expertus proprium caput tribuit arthritidi sine materia, id quod approbat Avic. Fen. 22. tertii c. 5. & 7. tractatus posterioris & ibidem in comment. Matth. de Gradibus, Nicol. etiam Florentinus proprii tract. 2. cap. idem Gordonius & Franc. de Pedemonte, aliique quàm plurimi. Et omnes medici inter manifestas arthritidis causas frigus externum & venerem numerant, quod calorem partium, ad frigus declinantium, amplius exhauriunt vel obtundunt. Ratio diversitatis tot opinionum esse videtur, quod ab intemperie nudâ, vel quæ jam materiam aliquam accumulavit, inchoatus dolor, nondum justum nactus incrementum, multis nomen arthritidis, quod vehementioribus solùm doloribus putant competere, nondum meretur, ubi verò increvit, humorum confluxum accersit. Quamvis contingat non raro, videre in purioribus maximè corporibus, satis vehementes articulorum dolores, ex justis intemperiei & collectionis causis sine ullis confluxus indiciis. *Hactenus autor.* Plures *Fernelium* imitari præ se ferunt, ut *Nicolaus Piso*, proxima, *inquiens*, continensque omnis arthritidis ac doloris causa est, non simplex intemperies, sed humor infixus & adhærens. Item *Adrianus Spigelius*, *Hier. Gabucinius*, *Franciscus India*, *Fredericus vander Mye*, & inde *D. D. Sennertus*.

Hippocrates ipse quidem prodidit, *Ischiagram siccitate articulationis* aliquando fieri, at eum commodè interpretatur *Peter Salius Diversus*. Nos verò hâc viâ philosophamur. Causa quidem, ut vocant, procatarctica potest esse aer, quo humores fiunt concitatiores, quibus de tandem hic articularis nascitur morbus. Interdum arthriticus humor etiamnum in confinio artuum hæret, qui fœdâ ac asperâ tempestate rursus sævit. Atque si nudus aer sine humoris consortio quendam artuum dolorem facit, is non continuò vera *arthritis* est existimanda, aut *podagra*, *Chiragra* aut *Ischiagra*. Commodè *Fred. vander Mye*: causa per accidens est omnis intemperies simplex, tàm corporis universi, quàm articulorum, hæc enim vel membrum debilitat, & ad recipiendum humores paratum reddit, vel humores gignit in ipsis articulis.

Ac qui ſuperiorem illam *Alexandri Tralliani* opinionem tuentur, hi & ſuas partes videntur deſerere. Si enim *arthritidem* affirmant aliquando à *ſolâ ſimplici Intemperie* ortum trahere, iidem quo pacto omnem *Arthritidem* aſſerent ex *Capite* ſemper, ſemper ex *Cerebro* provenire? Profectò *Alexander Trallianus* illam in vulgus ſemper pervulgatam ſententiam non adeò probare videtur.

Inflammationem eſſe ponit *Hippocrates Aphor.6. 49. Qui podagrici morbi fiunt, ſedatâ inflammatione intra dies quadraginta conquieſcunt.* Ac *in libro de morborum decretorio: Si qui morbi podagrici fiant, quadraginta diebus plerunq; eorum inflammationes, pituitaq; ſiſtuntur, tametſi longo, tardové decretorio, tamen in melius plerunq; tendente.* Unde etiam *Galenus libro ad Glauconem*, *Autor Finitionum Medicarum*, *Paulus Ægineta*, *Ætius*, *Philotheus*, *Nonus*. Ex Latinis *C.Celſus*, *lib.4. cap.25. Ubi dolor & inflammatio ſe remiſerunt, quod intra dies quadraginta fit.* Ex junioribus *Gulielmus de Saliceto*, *Theodoricus*, *Hieronymus Cardanus*, *Rodericus à Fonſeca* in *Aphor. Mercatus*, *Nic. Piſo*, *Bacchanellus*, *Lælius à Fonte*, *Hieronymus Gabucinius*, *Fredericus vander Mye*. *Minùs propriè dictam inflammationem* eſſe contendunt *Altomarius*, *Gorræus*, *Mercurialis*, *Peucerus*, *Ducretus*, item *Victor Trincavellus:* cujus verba accipe: Hippocrates & Galenus 6.Aph.4. Paulus lib.3. cap.11. & Ætius ſermon.12. cap. 6. univerſum dolorum Articularium genus acceptum ferunt inflammationi: quod à vero alienum videtur. Quoniam ab omnibus inflammatio habetur tumor calidus à fluxione ſanguinea excitatus: articulares autem dolores ſæpius à pituita, eaque craſſa & cruda ortum habent, ac proinde ſolent tophoſi tumores circa articulos concreſcere. Verùm nihil in eo eſt abſurditatis, propterea quod inflammationis nomine antiquiores medici pro quovis tumore caloris participe (ſive per ſe, ſive ex accidente, hoc eſt, ex conſtipatione, putredine, vel miſtione calidorum humorum talis ſit) uſi ſunt. Hinc lethargus, etiamſi pituitòſus affectus ſit, ad inflammationes refertur: hinc omnis pleuritis inflammatio vocatur, cum tamen alia ex bile, alia ex pituita ortum habere dicatur. Simili igitur ratione, cum ſine miſtione calidorum & tenuiorum humorum nec fluere ad articulos, neque in denſam ligamentorum ſubſtantiam admit-

admitti posſint craſſi humores, calidi ſunt tumores articulares, ſed ita, ut ab eo, quod in ea miſtura vincit, & ſubinde remanet, parte tenuiori & calidiori digeſta evaporanteq;, nuncupationem habeant. *Atque Andreas Laurentius ad hunc modum diſputat:* Primùm Guido definit articularem morbum eſſe dolorem, quâ quidem in re videtur diſſentire à ſententia Hippoc: Gal. & Æginetæ, qui omnes quaſi compacto definiunt inflammationem. Quod quidem tam nobilium autorum genus ſi recipimus, certum eſt, Guidonis ſententiam repudiandam, qui Genus dolorem ſtatuit. Inflammatio enim morbus eſt, dolor autem omnis nihil aliud quàm Symptoma. Quantum autem differat inter morbum & ſymptoma, neminem eſſe qui ignoret. Conſequens igitur eſt, Guidonem apertè diſſentire à ſententia eorum, quos ſupra nominavimus, autorum. Sed age tentemus conciliationem. Poteſt morbus articularis conſiderari duobus modis, vel ut ſymptoma, vel ut morbus; ſi ut ſymptoma, patebit, Guidonem non malè definiviſſe per dolorem, qui præcipuum eſt morbi hujus accidens. Sic Hipp. hunc morbum deſcribit per calorem & dolorem acutum. Quod ſi conſideres ut morbum rectè eum magnos iſtos autores definiviſſe, conſtabit, quin & ipſe Guido in hoc ipſo capite recenſet inter Apoſtemata, qua quidem in re non tam longè à Medicorum iſtorum ſententia abire videtur, cum inflammatio ſit Apoſtema. Si quis mihi hîc objiciat, Arthritidem ſecundum Guidonem non poſſe dici inflammationem, cum multa ſint genera apoſtematum: & quamvis ipſe Podagram appellet apoſtema, non tamen propterea ſequi, eam inflammationem dici: reſpondebo, Guidonem aliud nihil voluiſſe, quàm Guttam eſſe *inflammationem*, etſi in genere *apoſtema* appellaverit. Oportet enim, ut eventus crebriores & frequentiora accidentia hic conſiderentur, quæ nullum non genus articularis morbi concomitantur. Apparet enim maxima ex parte in omni hoc morbo tumor cum ardore conjunctus, quæ res manifeſtè indicat inflammationem largiter ſumptam, unde rectè concludemus, voluiſſe Guidonem oſtendere, Guttam eſſe *inflammationem*, quamvis generali vocabulo *apoſtema* appellaverit. Cum autem non deſint, quibus definitio illa Hippocratis, Galen. & Ægin. videatur abſurda, operæ pretium exiſti-

mamus, ut eam defendamus, antequam progrediamur longius, dissolutis eorum argumentis, qui contrarium asserere nituntur. Primò igitur dicunt, Arthritidem inflammationem dici non posse, cũ inflammatio sit tumor factus, ex sanguine puro; hic morbus autẽ sæpè oriatur ex phlegmate sive humore frigido & seroso, unde sæpius subnascuntur tophi circa juncturas & articulos. Secundò inflammationem esse morbum partium carnosarum, guttam verò juncturarum, quæ multum ab iis differant. Juncturas enim constat esse partes frigidas & spermaticas, contrà carnosas esse calidas, humidas, & ex sanguine genitas: unde concludunt, Arthritidem malè definiri inflammationem. Tertiò, si podagra esset inflammatio, perveniret utique ad suppurationem, atque hoc videmus non fieri, cum ex sanguine generata non sit, cujus proprium est suppurationi subjici. Ad primam, inflammationem, secundum Galenum, tribus modis capi 1. pro inflammatione sicca, in qua sine ulla defluxione humoris calor naturalis inflammatur. 2. pro omni tumore aut calore sive ortus è fluxione sanguinis vel phlegmatis vel bilis seu melancholiæ, 3. propriè & absolutè pro ea tumoris specie, quam Galenus & recentiores appellant Phlegmonen. Nos igitur dicimus, Podagram inflammationem dici non propriè, sed secundo modo, quo sumitur pro omni tumore calido, ex quacunque tandem materia generato. Eodem modo Hippocrates, Galenus & Avicenna Lethargiam vocarunt inflammationem, quanquam oriatur ex phlegmate. Ad secundam respond. eadem usi solutione dicentes: inflammationem propriè loquendo & in tertia significatione sumptam morbum esse partium carnosarum. At arthritis dicitur inflammatio non in hac, sed in secunda significatione. Idem responsum erit sufficiens ad tertium eorum argumentum, quod nimirum inflammatio vera & propriè sic dicta ad suppurationem perveniat, quod Morbus Articularis non facit, quia ad secundam significationem refertur pro quovis tumore, qui cum quodam ardore conjunctus sit: quanquam etiam visum sit, in morbo articulari suppurationes supervenisse, ubi calor cum sanguine dominatus fuit, quod cum fit, per accidens fit, cum materia calida & humida virtute juncturarum & ligamentorum ejicitur in partes carnosas, in quibus

cum

cum aliquandiu commorata est, tandem ad suppurationem perducitur.

Ita est: *Apostema* hîc nihil aliud, quàm *inflammationem* denotat: hac ratione illud verbum usurpant *Galeni, Haly* & *Alsaharavii* interpretes, *Guido* à Laurentio prædictus, *Peter de La Cerlata, Bertrucius*, item *Jacobus Fontanus, Joh. Adolphus Scribonius, Anton. Saporta*, & hoc pacto *Epiphanius Ferdinandus*. Podagra, inquit Liberatus de Liberatis, definitur *affectio articulorum pedis inflammatoria, subinde repetens cum dolore.*

Res quidem tanti non videtur esse. Nam multi *arthritidem* edocent nunc ut *morbum*, nunc ceu *symptoma* definiri posse. *Hos affectus*, inquit *Nicolaus Piso, si tanquam dolores considerabis, symptomata esse haudquaquam dubitabis. Inflammationes verò & morbi dici etiam possunt, si tumorem & fluxionem inspicias, ob quam articulationes implentur, ac ea, quæ ipsis circumjacent, extenduntur.* Attamen quidam, ut *Tumorem* & *Inflammationem* considerari malunt, ut laudatus *Epiphanius Ferdinandus, Fredericus vander Mye*, & *Johannes Conradus Wechtlerus*. Dico, *inquit hic*, primò, arthritis est affectus p.n. articulos affligens, adeoque non symptoma, sed verus & realis morbus: nam est ens per se existens, sequiturque immediatè causam morbosam, & quod nulli Symptomatum convenit. Dein arthritis consideratur, vel ut est intemperies, vel ut tumor, vel ut divulsio, ergo morbus est & non symptoma. Dicitur autem affectus p.n. quia hæc est formalis ratio morbi, qui partem occupat, sicut arthritis, quæ, ut constat, consistit in intemperie, in tumore & divulsione vel vitiosâ compositione articuli, quem proinde affligere dicitur. Quod si tamen quis affectum hunc Symptoma dicat, doloremque appellet, prout multi faciunt Medici, per me licet, sed per hoc non explicant ejus naturam; quia dolor est tempore posterior ipsa præternaturali constitutione articuli. *Hæc hic.* Ut quoque *Franciscus India lib. 1. cap. 1.* Verùm quoniam non est optimi medici consilium, rationem curandi à nominibus, sed à sola rei naturâ depromere, idcircò maximâ afficior admiratione, quomodo quidam gravissimi Medici tum antiquiores, tum etiam recentiores in definitione harum ægritudinum præponere præcipuè videantur dolo-

rem, dicendo Arthritidem esse dolorem articulorum quorundam, vel omnium æqualiter; & Podagram dolorem esse articulorum pedum: & chiragram articulorum manuum dolorem, quasi verò dolor ipse, qui est symptoma, sit potius affectus, quàm symptoma, & sic dum malè dolorem, veluti potiorem in definiendo recensent, morbum & illius naturam & essentiam posthabentes negligunt & prætermittunt, à quibus germanam curandi viam absque dubio elicere omninò deberent. *Hunc* laudat, sequiturq; *Johannes Stephanus Strobelbergerus*.

Nunc verò superiorem *hunc autorem* refellit *Sennertus*: Verùm non novum est, affectus, in quibus symptoma & morbus concurrunt, per symptomata, ut magis urgentia, ægris molesta & manifesta definire. Ita phrenitis per delirium, pleuritis per dolorem definitur, etsi utrobique morbus, inflammatio scilicet adsit. Ideoq; præstantissimi quique Medici antiqui & recentiores suos de hoc affectu tractatus de articulorum dolore inscripserunt. Neq; etiã hîc ita incommodè per tumorem arthritis semper definiri potest, cùm sæpè nullus tumor evidens in partibus externis appareat, & tamen tùm dolor sit vehementior, quàm ubi pars intumuit. Ipse verò India valdè errat, dum malum hoc per defluxum definit. Neque enim arthritis defluxus est, sed ex defluxu generatur. *Hactenus ille.*

Multi veterum Medicorum hoc morbi genus eâ viâ curant, quâ *inflammationes*. Id nunc autor quoque est *Gulielmus Rondeletius*. *Præsentem*, inquit ille, *materiam* & *prædominantem inspicere oportet, & ab eâ remedia colligenda. Curari debet, ut aliarum partium inflammationes & tumores. Quod si ægrotantes paterentur, vel Medici tentarent, citius à morbo ægri liberarentur, & non modò à præsenti occasione, sed ab aliis servarentur. Verùm toti sunt in doloris mitigatione, qui dolor Symptoma est, non morbus, & benè se curatos putant, si dolor mitigetur, cum tamen remaneat intemperies & partis relaxatio.* Profectò Medicus officio suo non satis fungitur, si dolores tantum sedat, ac *Anodyna, Narcoticaq;* jubet adhiberi. Ipse *Platerus* tumorem ait *nunc occultum, nunc conspicuum esse, ac inflammationem* quoque *vel abstrusam esse vel conspicuam.* Atque inde *Hieronymus Gabucinius* prædicit ita: *dolor pedum ullo absq; tumore factus, malum: cum tumore verò, minus malum. Extra enim vertitur morbus.* Attamen Doct:

Sen-

Sennertum maximè movet, quod non ſemper tumor ſit extra conſpicuus. *Quare arthritis*, inquit, *eſt dolor partium circa articulos, à defluxu humoris ſeroſi & acris in eas effuſi excitatus, ſeu ſi jam tumor, eſt tumor circa articulos, ex defluxu humoris ſeroſi & acris per venas & arterias eo facto ortus & propter tenſionem membranarum circa articulos & acrimoniam humorum eos vellicantium dolorem & motum impeditum habens.* Doloris cruciatus, fateor, eſt ingens. Mortem teſte *C. Plinio*, ſibi conſcivit *Corellius Rufus*. *Ex Patre Laurentio*, inquit Alexander Benedictus, *audivimus quendam, cui valetudo impatibilis odium vitæ fecerat, uxoris dormientis jugulum gladio ſecaſſe, ſtatimque ipſum ſcelus clamoribus indicâſſe, quo capite damnatus eſt.* Quin ægri ipſum membrum abſciderunt, exemplum quoque afferente *D. Joh. Löſelio*, itemque apud D. Sennertum *Döringio.* Eundem tamen dolor *Nephriticus* diritate ſuperat. Quemadmodum Lucernæ lumen offenditur luce Solis, ita ille hunc dolorem obtundit quaſi & fit gravior. Sic *podagricus* & is jam ſimul *calculoſus* pedibus nitebatur. *lib. Obſerv.* Aut.

Cæterùm hos ægros ob alias res capit tædium vitæ, uti illum, qui manibus pedibusque captus, ſervorum, qui in os cibum inſerebant, digitos quotidie lambere & quaſi oſculari ſe maximè querebatur. Si dolendum eſt, inquit ille apud *Philaſtratum*, ſentio mihi eſſe manus & pedes, ſin verò ambulandum aut quid eſt appetendum manibus; mihi nec manus ſunt nec pedes; adeò ipſorum artuum, quos habeo, officium non extat, adeò hi ad quævis miniſteria vitæ non ſufficiunt. Arthriticus dolor non ſemper tàm vehementer urget. Quin progresſione ætatis minuitur, ſi repetit ſæpiùs. De dolore nunc Sexagenarius quidam podagricus non querebatur, eâdem tamen parte pedis non leviter inflammatâ. Atque ſi tumor aliquando in extimâ cute non comparet, tamen intrà exiſtit. Et hoc eſt, quod *Epiphanius Ferdinandus* contendat, *Arthritidem* potius *tumorem* eſſe, gnarus, eum ſi non ſemper extrà, intrà tamen extare. Qui autores *Articularem morbum* edocent non poſſe â nudâ *intemperie*, ut loquuntur Medici, *ſine materiâ*, hoc eſt, ſine humore naſci, iidem eum, aggravante *Arthritide*, cogi afferent & conferri. Illa collectio nonne vel

vel *internum* vel *externum* faciet *tumorem?* nonne graviorem quoque aliquando *inflammationem?* Ac denique â Veterum autoritate non discedit, qui arthritidem ex Inflammationum genere esse contendit, â quo nos quoque stamus. Et aliæ sæpiùs notantur inflammationes, quibus humor in pus non convertitur. Illudque vicissim *Arthritica inflammatio* interdum movet.

Cæterùm *Vinc. Alf. â Cruce l. 2. de Phrenitide c. 4.* verbum *Inflammationis* ambiguũ esse proponit. Inflammatio tripliciter accipi solet apud Medicos. Primùm enim accipitur pro ingenti alicujus partis accensione, quæ alio nomine φλόγωσις dicitur. Deinde accipitur pro apostemate ex calidis succis oborto. Denique capitur propriissimè pro eo tumore, qui fit â sanguine. *Nunc Johannes Gorræus* ita: φλόγωσις idem prorsus, quod φλεγμονὴ fuit apud antiquos. Nunc autem video propriè φλεγμονὴν dici eum tumorem, cui non modò calor, sed etiam renixus, pulsus, ruborque inest: φλόγωσιν verò omnem fervorem, inflammationique similem affectum significare. *Et rursus:* φλεγμονὴ uno modo quidem generaliter omnis ardor citra tumorem, vel etiam tumor, cui dolor & ardor, qui propriè φλόγωσις dicitur, inest, sive is à sanguine, sive à bile, sive ab humore melancholico gignatur. Hæc fuit apud Hippocratem & veteres τῆς φλεγμονῆς significatio, qui non aliter, quàm ἀντὶ τῆς φλογώσεως eam vocem usurpavit. Altero verò specialius dicitur, & ab Eristrati sæculo cæpit usurpari ad illos tumores significandos, quibus non modo calor accedit, sed renixus etiam & pulsus & rubor. Est autem hujus phlegmonis specialiter dictæ continens causa sanguis, subjectum autem musculus. Sed exquisita quidem, synceraque est, quæ fit ex optimo sanguine & mediocris consistentiæ: non exquisita autem, quæ fit â sanguine, cui aliquis alius humor admistus sit. Illa φλεγμονὴ simpliciter dicitur, hæc non absolutè, sed vel φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης vel οἰδηματώδης vel σκιῤῥώδης. *Sic & Foesius. Dicitur*, inquit Bartholomæus Castellus, *inflammatio, phlegmone, multoties esse nibil aliud, quàm phlogosis sive inflamen. Est igitur inflammatio omnis, genus si spectes, immoderata caliditas, in specie autem est cum sanguine optimo. Multæq; sunt hujus species: nam aut affluente sanguine aut flavâ bile altera, ambo-*

bus-

busq́; simul humoribus, alia tertia oritur phlegmone, 2. ad Glauc. 1. Unde D.D. *Sennertus* l.4. part.2. Sect.3. c. 9. causa pulsationis dorsi & hypochondriorum ex utero est inflammatio arteriarum, verùm eà non propriè dicta, sed φλόγωσις, ubi nimirum vitiosi humores ex utero in ramos arteriæ majores effunduntur. *Hæc ille.* Infrà monstrabitur, φλόγωσιν non esse sine materiâ, quemadmodum nec illa existit, quam *Scorbuticam* vocant: est intervallata, hinc Germani patriâ lingua die fliegende Hitze nominant. Adjicit & hoc *Peter Vascus Castellus tract. de Pleuritide c. 2.* hoc nomen, inflammatio, multiplici significatione apud Galenum usurpari: Nam 2. ad Glauc. c. 1. sumitur pro tumore ex sanguine optimo & mediocrem crassitudinem obtinente, genito, qualis est propria, exquisitaque inflammatio. Latiùs verò sumptum, etiam Erysipelada complectitur: latissimè autem ex omni etiam fit humore, ut ipse Galenus docet 2. de Cris. c. 12. Quamvis apud veteres pro simplici fervore & absque humore inflammine sumptum fuerit: hoc autem significatum jam obsoletum est.

Verè ait *hic autor*, illud *significatum*, ut loquitur, jam *obsoletum* esse. Talis *inflammatio* non existimetur *Arthritis*. Hæc nunquam sine humoris collectione existit. Si namque hic articularius morbus hominem jam tentat arripitque, nunquam deest φλόγωσις cum *materia* seu cum *humore*, ut loquuntur, atque illa *intemperies calida cum materia*, mox vera & ea vel sincera, ut dicitur, vel mixta inducitur inflammatio. Verbum igitur φλεγμονῆς seu *inflammationis* commodè valet in *Arthritidem*, sive eam nunc nascentem sive nunc adolescentem. Primâ accessione hujus morbi est humor valdè paucus, quare tumor tùm est oppidò exiguus, nec ullo etiam modo apparet. Tandem plus humoris coit, ut cutis etiam rutilet. Illam denique laudatus modò *Peter Vascus Castellus ponit l. d.* quæstionem *hisce verbis:* Quarta difficultas est, utrum tumor inflammationis symptoma dicendus sit? Nam pro affirmativa est Galenus lib. de constit. art. Med. c. 15. Ubi docet, Pleuritidem, eò, quod phlegmone est, necessariò habere symptomata, tumorem præter naturam, ruborem & dolorem. Sed pro alterâ parte est efficax argumentum, quia illud, in quo morbi consistit natura, e-

jusdem symptoma esse non potest : quia tumor de phlegmonis essentiâ esse perhibetur. Ergò ejus symptoma dici nequit. Minor facilè probatur ex Gal.13. Meth.c.4. Ubi adstruit phlegmonem, Erysipelata, œdemata, & scyrrhos tumores esse totâ naturâ & essentiâ præter naturam, quorum varietas ex influentis materiæ diversitate proficiscitur. Et lib. de diff. morb.c.12. Ubi manifestè docet, phlegmonem nihil aliud esse, quàm rubentem, renitemque tumorem, qui dolorem inferat. Multa itaque morborum genera in tumore posita sunt, nempe phlegmone, Erysipelas, Oedema, Scyrrhus, cancer & alia hujuscemodi, ut libro de tumoribus præter naturam & lib. de differ.morb.expressis, conceptisque verbis Gal.docet. Ergò tumor de essentia phlegmonis est, ac proinde ejus Symptoma dici non debet. Pro hujus difficultatis solutione primò sciendum est, quid sit tumor, secundò quo modo morbus & quo modo Symptoma dici mereatur : utroque enim nomine & morbi & symptomatis tumorem nuncupare solet Galenus. Tumor igitur dicitur à Galeno lib. de tumor. præter Nat. incrementum supra naturam : quoties enim partium incrementa naturalem statum exuperant, si fiant ab humoris influxu, actionesque lædant, tumores compellat. Porrò tumorem aliquando morbum dici, aliquando Symptoma, probatur ex Gal.l.de differ.morb.c.12. Ubi inquit: Tumor in ipsis partibus, si ad tantam magnitudinem attollatur, ut ob hanc ipsam functio impediatur, morbus censeri debet : alioqui vel symptoma vel Pathos duntaxat, quemadmodum dolor. Hæc Gal. Quibus sic præpositis difficultati propositæ respondetur, tumorem, qui in phlegmone conspicitur, Symptoma potius, quàm morbum dici debere, nam, cùm phlegmone quidam sit partis affectus ex malâ intemperie, pravâ compositione, solutâque constans unitate, veluti & reliqua omnia apostemata: hinc fit, ut ipsius essentia non in tumore, sed potiùs in reliquis consistat. Quod docere voluit Gal.lib.de inæq.intemperie dicens, phlegmonem esse intemperaturam musculi inæqualem. Erit igitur tumor inseparabile inflammationis Symptoma, quod idem docuit Galenus 5. de loc. citato his verbis: Rectè dixerunt omnes ferè medici. Inflammatis partibus accidit, ut rubescant, tendantur, renitantur, intumescant,

ſcant, & doleant. Nihil igitur refert , quod Galenus omnia apoſtemata tumores præter naturam nominet: nam à præcipuo & magis conſpicuo ſymptomate , quod in illis apparet, appellanda eſſe arbitratur : non quòd in ipſo tumore omnis ipſorum eſſentia poſita ſit.

Tumor igitur ſive ſit , ut *loquitur hic autor, de eſſentiâ inflammationis*, ſive ejus Symptoma, ut appellat, *inſeparabile*, nunquam Arthritidi non junctus erit. Rubor quoque eſt Symptoma inflammationis. Cur Arthritis igitur non ſimili ratione erit rubor? Et quis *Pleuritidem* definiendo dicit *dolorem* lateris? *Serenus* quidem:

Eſt & vis morbi, quod telum commemoratur.
Cùm ſubitò dolor inſanus ferit incitus ictu.

Ac Prudentius Hynno X.

Non ungularum tanta vis latus fodit,
Mucrone quanto dira pulſat pleuriſis.

Quemadmodum *Galli* quoque *Poinct au coſtè* dicunt, ita & Germani ſuâ vernaculâ linguâ loquuntur. Ac quis Medicorum *Ophthalmiam* aut *Coryzam* vel Narium interiorum vel Oculorum vocat *dolorem*, qui ſæpè urget quàm maximè? Ab hiſce & ſimilibus definitionibus ipſe *Sennertus* abhorret. Ab illo etiam *Franciſcus India* indigniſſimè coarguitur. Hic enim nunc inflammationem dicit, nunc ejus quoque cauſam proximam, *defluxum humorum*, ut ferè & *Nicolaus Piſo*. Hiſce duobus verbis idem *Sennertus* utitur. Priores humorem *Cerebri* aut *Capitis* ſupernè defluere tradiderunt. Quâ opinione exploſâ, nunc ſecus loqui convenit. Quid multa? Refutans *Franciſcum Indiam Sennertus*, quid ſit Arthritis, definit, dicitq; *tumorem circa articulos*. Ac *Bricius Bauderonius*, Arthritis, *inquit*, *eſt tumor dolorificus & gravis ex ſolutione continui facta ab humore in articulos lapſo.* Semper tumor, ut cum illo loquar, *concurrit*, quanquam is non ſemper publicatur. Intus aliquando latet. Hic enim ſemper ex *inflammatione* quaſi efflorescit. *Ophthalmia* ſine *tumore* interdum extare putatur. Tam non notabilis is eſt. Quin *Ophthalmia* quoque ſub initio duntaxat aliqua *calida intemperies cum materiâ* aut φλόγωσις eſſe videtur. Attamen eam

Autores Medici ſemper *inflammationem* interpretantur. Quare verendum non eſt, ne *calida intemperies cum materia*, φλέγωσις, *tumor* & adulta *inflammatio*, item *principium* ejus, *ſtatus* & *finis* confusè hoc loco dicantur. *Eſt Podagræ genus*, inquit libro 4. de San. cap. 22. H: Cardanus, *quod non dolet.* Contra Tu, *quod non tumet, non rubet.* Nimirùm *Philoſophi* in *definitionibus* ponendis, ita loquuntur, *ad potisſimum Analogatum ſemper reſpiciendum* exiſtimant. Commodè etiam articularis ille morbus eo loco cognoſcetur, quo Medici de *inflammationibus* membrorum agere conſverunt. Quoniam verò hoc malum vetuſtiores in numerum *Catarrhorum* retulerunt, de eo ſermonem hîc quaſi coactus inſtitui.

CAPUT V.

VIÆ HUMORIS.

NUnc tranſeundum eſt in hanc diſputationem, quasnam vias humoribus illam *inflammationem* cientibus, asſignari deceat. Qui locus eſt quaſi ſtirps hujus noſtræ ſuſceptæ tractationis. *Hippocrates libro de Glandulis* ferè extremo humorem, *catarrho capitis* aggravante, in os, quod vocat ἱερὸν, per *ſpinalem medullam*, & tandem in *Cotylas* τῶν ἰσχίων, impetu quaſi ferri proponit: atque *libro de locis* ita loquitur: Τὸ ῥέον σὺν αὐτῇ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, ἰσχιάδα καὶ κέδματα ἐποίησεν. *Et mox*: ἐς τὰ ἄρθρα ἀποφυγὴν ποιέεται. *Ac rurſus*: ἐξιὸν φεύγει ἐς τὸ ὑπεῖκον ἐς τὰ ἄρθρα καὶ ἢ κέδματα ἢ ἰσχιάδα ἐποίησεν. Deinceps caput privatim purgari ac aduri uſq; ad os jubet, ſicuti & cervicis carnem, ſi fluxio περὶ τοὺς σπονδύλους facta fuerit. Naribusque *ptarmica* indit: ὁπόταν ἰσχιὰς ἀπὸ ῥόου γένηται, σικύην χρὴ προσβάλλειν καὶ ἕλκειν ἔξω. Ὁπόταν γὰρ ἀποφραχθῇ καὶ μὴ ἔχῃ ὅπῃ ὁδοιπορέῃ, ὁδοιπορέουσα ἐς τὰ ἄρθρα ῥεῖ ἐς τὸ ὑπεῖκον, καὶ ἰσχιάδα ποιέει ἢ ὄπισθεν φθίσιν. Τούτῳ τὴν κεφαλὴν καθαρτέον ἀσθενεῖ φαρμάκῳ, ἕως ἂν ἀποτρεφθῇ ὁ ῥόος: *Id eſt*, cùm Coxendicum morbus ex fluxione oritur, cucurbitula admota foràs attrahere oportet. Ubi namque fluxioni via intercluſa fuerit, neque habuerit, quò procedat, via ad articulos facta, in id, quod cedit, defluit, & coxendicum morbum inducit, aut poſteriorum partium tabem. Sic affecto caput medicamento imbecillo purgandum, donec aliò avertatur fluxio. *Eodemq; hoc libro de locis in homine* ait,

humo-

humorem inter os & carnem colligi, collectumq; per oculorum regionem excerni. Nunc & *Galenus* id opinionis *in 2. de morb.vul.com.3.3.209.* prodit hisce: *Podagrici fluxionibus obnoxii sunt præcipuè iis excrementis, quæ à pleno cerebro dimanant.* Hæc sunt incunabula hujus opinionis, quam plerique sequuntur, uti *Platearius:* Rheumatica caussa perpenditur ex hoc, quod accidit cum capitis gravedine & humorum motu titillatio, & fluxus per nucham & spatulas à patiente sentitur. *Item Nicolaus Nic.Florentinus:* Et si quidem reumatizaverit ex capite, aderunt signa catarrhi, & multiplicabuntur in nocte propter fumositatum conclusionem ex frigiditate noctis, & commovetur post somnum plusquam post vigilias, & multiplicatur in hyeme plus. Et frequenter est, quod percipitur materia reumatizans in ore,& discernitur, quæ sit illa per saporem. Et secundum plurimum percipit patiens ejus descensum & ipsius læsionem, secundum collum & spondyles ejus, & descendit ad humeros, imò & ad anchas & pedes. *Johannes Zecchius consf.23.* aqueus quidam humor ab oculis lacrymæ instar profluens, atque à capite in ipsas nares destillatio (Coryzam dicunt) sæpè nobilissimam patientem solicitare solent,Cerebro nimirum plus, quàm par sit,refrigerato,humectatoque, unde congesta in eo excrementa, per interiores meatus in artus prolabentia,Arthritidis hujus rudimenta efficiunt. Ac *Felix Platerus* eandem veterem sententiam *libr. Prax:* multis verbis exprimit,& ex eadem *2.Observat:* hoc adjicit: Ante decennium nobilis quidam miles ex equo cadens, caput vehementer allisit, unde longo tempore posteà doloribus capitis infestatus, debilius illud redditum fuisse, ex sensuum imbecillitate & membrorum quoque languore sensit, & quod maximè illi molestum erat, certo tempore, defluxionibus divexabatur, circa articulorum regionem dolebat interdum. Certis temporibus meliùs habebat, sub hyeme præcipuè recrudescebat malum, metuebatque arthritidem, cujus præludia jam præsentiebat. *Item Franciscus India, Tarquinius Carpinetus, Bartholomæus Vicarius, Georgius Graseccius.* Materia, *inquit hic,* è Cerebri antris ad articulos petita descendit: *& paulò post:* est & Cerebri cumprimis substantiæ innata fluxibilitas, ob facultatis ani-

malis debilitatem & ſpirituum defectum, gratiâ cujus non immeritò morbus in ſpiritibus latitans dici poteſt.

Aſt ab eodem *Hippocrate Fernelium Mercatus cenſet* (ſunt ejus verba) eam doctrinam *mutuaſſe*, quæ *hæc eſt:* Unde & per quas vias influat humor, nemo ad unguem videtur inveſtigaſſe. Ex hac ignoratione hactenus dolor articularis pro immedicabili derelictus eſt, nuncupaturq; medicorum opprobrium. Errant profectò, quicunque ex intimis illum partibus in articulos irrumpere putant. Quomodo enim à viſceribus intimiſque ſedibus poſſit humor ſyncerus aliquiſpiam per venas ferri? aut qui ſanguini permiſtus nuper erat, illinc per ora venarum in articulos purus excidere? aut ſi etiam cum humore ſanguis emanat, cur in articulo collectus phlegmonem non excitet? Sed neque humor crudus, qui per alios ductus, quàm per venas fertur in articulos, arthritin facit. Nam cruditas in cachexia è viſceribus in pedes incumbens dum tumeſcant, podagram non efficit. Alia igitur quam ex intimis partibus eſt arthritidis origo. Hæc autem, caput eſt, è quo ſanè pituitoſus humor, isq; tenuis profluit in articulos. Non quidem cerebrum aut interiores ejus ventriculi, in quibus pituitoſum excrementum cumulari coacervatique ſolet (hoc enim vel foràs per nares, vel per palatum in aſperam arteriam atque pulmones, aut in ventriculum inferioresque ſedes illabitur) ſed partes capitis externæ & extra calvam poſitæ origo ſunt arthritidis: è quibus ſupervacaneus humor per ſumma corporis ſub cute deorſum decurrit. Venæ enim multæ ab externis jugularibus deductæ eò excrementa ſua tenuia atque ſeroſa deponunt. Quumque capitis craſſa denſaque ſit cutis, è qua capilli ſuccreſcunt, non quemadmodum è reliqua corporis cute, illinc facilè humor expiratur. Tempore igitur cumulatur copioſior, in iis maximè, quibus gignendi ejus evidentes cauſæ (quas mox referemus) conveniunt. Cumulata jam humoris ſigna ſunt: Capitis gravitas & ſomnolentia, dolor externus, & qui contactu præſertimque inverſis capillis exacuitur. Tumor œdematoſus interdum ut cera mollis, cuti præſertim ad occipitium ſubjectus: Cutis denſa nec calvæ propius adhæreſcens. Ea igitur humoris denſa lentaque congeſtio arthritidis fomes eſt atque origo. Supra modum

dum congeſtus humor levisſima occaſione aut æſtus, aut frigoris, aut frictionis; interdum etiam ſponte de ſua ſede decidit, & in ſubjectas partes illabitur. Atque quum aquæ & ſeri inſtar tenuis ſit, ei perſimilis quum frigidiore cœlo è Cerebro per nares fluere comperimus, non per ſpinalem medullam (paralyſis enim fieret) non per nervos & muſculos, ſed facilè ſub cute (ubi laxæ & amplæ ſunt viæ) in corporis extimas ſedes influit. Is autem fluxionis decurſus, quia tenuis, in ſolis articulis, qui compacti denſiq; ſunt, ſubſiſtit ac hæret, non item in mediis regionibus, quæ amplæ laxæque ſunt. In id demum corporis latus præcipuè fertur, in quod crebrius corpus decumbit. Atque ſi, dum incitatus eſt humor, in dextrum latus eſt decubitus, dextrum humerum brachiumque dolor impetit, ſi in ſiniſtrum, ſiniſtrum: ſi in dorſum, cervicem, ſcapulas, coxendices, vel crura. Qui arthritide conflictari incipiunt, ſolent primùm levem chiragram aut podagram experiri, cujus vix quiſquam niſi expertus credat humorem è capite duci, aut illinc poſſe tam repentè in extremos pedes clanculum & ſine ſenſu illabi. At quoniam initio admodum tenuis eſt, & maximè, qui calidiores mundi regiones incolunt, facilis promptaque illius eſt defluxio. Quum autem tempore craſſiuſculus is jam evaſerit, maximè in frigidis regionibus & ætate provectis, non repentè in extrema profluit, ſed in mediis hæret regionibus: ac tum mali origo, tum decurſio conſpicua eſt. Sentitur enim dolor è cervice vel per humores in cubitos & manus, vel per dorſum in coxendices, genua pedesque ſenſim devolvi, ſenſu interdum frigoris oborto, quo corpus omne perhorreſcit. Dolor è ſuperis partibus in inferas ſæpè deſcendit, aſcendit nunquam, nec è dextris in ſiniſtras aut contrà commigrat: ſi quando enim dolori dextro ſuccedit ſiniſter, hunc non loci permutatio, ſed nova defluxio parit. *Hactenus Autor.*

Incidit in ſcyllam, qui vult vitare charybdim. Præclarè *Fernelius* intelligit, illum *Arthritidis* humorem non per *Spinalem medullam*, quando is creet *paralyſin*, & alios morbos, nec per *medium cerebrum* ac per *ejus ventriculos*, quòd is *naribus* & *palato* excludatur, nec per *cerebri venas*, quæ aliis ſunt junctæ, in *artus* influere poſſe. Ac *Petrus Bruheſius* in *eis conſiliis*, quæ collegit *Henricus Garetius*, inter

inter alia & hoc ſcriptum reliquit: *videtur humor pituitoſus podagræ cauſa è venis in articulos effundi, facultatis expultricis adminiculo. Cerebrum tamen communicat venis ſua excrementa, quæ ob gravitatem paulatim deſcendunt.* Ad hæc verò *Johannes Fernelius* ita reſpondet: contendis inſuper, nullum meatum eſſe pedibus cum cerebro communem, per quem eò poſſet incidere, utque rem tuam conficias, evidenter colligis, nec per ſpinalem medullam, nec per nervos illapſum huc fieri poſſe; quod equidem fateor, neque quenquam adeò rudem eſſe credam, qui hujusmodi vias excogitat. Ais tu tamen, Cerebrum poſſe venis communicare excrementum ſuum, cum ſis ipſe anatomes peritiſſimus, vellem mihi viam indicares, quâ è cerebri ventriculis (quos Galenus libris de uſu partium excipiendorum excrementorum gratiâ factos commemorat) excrementum remeet in venas. In cerebri ſubſtantiam nullæ venæ ſparguntur, neque aliæ intus ſunt, quàm quæ per meninges utrinque in verticem efferuntur. Posſitné excrementum ex intimis illis ventriculis, in illas rurſus remigrare? Id aliquando in ſtomachum procumbere, obſtruerevé hepar nihil ad rem noſtram. *Ex eadem notâ* & *Gulielmus Rondeletius:* Non ſunt audiendi, qui putant, omnem articularem morbum fieri per defluxionem à capite, vel per ſpinalem medullam. Nam illa, quæ eſt in capite collecta, videtur eſſe illa, quæ in cerebri ventriculis colligitur, & per infundibulum expurgatur, vel per os vertebrarũ, vel per mediam ſubſtantiam ſpinalis medullæ. Talis defluxio intra venas non fit. Non poteſt enim illa materia, quæ à venis in partes externas deſcendit, rurſum ſubire venas & ingredi, niſi illa, quæ in ventriculum defluxerit. *Unde Peter Foreſtus:* Probabilius eſt, excrementa tranſmitti, non ſolùm ſecundum membranas, nervosque, ſed etiam per vaſa, venas & arterias. Sed hoc ut veriſſimum eſt, fluxione orta ab hepate, ita minus conſentaneum, cum pituita è cerebri ventriculis per ſpinalem medullam delabitur. Sic enim oporteret materiam è venis egreſſam, rurſus venas ſubire. *Iisdemque* ferè verbis utuntur *Jacobus Hollerius, Nicolaus Piſo, Dominicus Leonus. Excrementitius,* inquit Thomas Eraſtus Diſputat: parte quartâ, *podagræ humor in cerebri ſubſtantia natus vel acervatus intra venas non continetur: & proinde non facilè in eaſdem*

easdem ingreditur. Ita & ſuperiorum autorum, *Hollerii*, & *Rondeletii*, itemque *Portui* & aliorum complurium hujus temporis Medicorum conſenſu ſentit canon;& conſultat:lib.6.*Nicolaus Abrah.Frambeſarius*.Itemque *Lælius à Fonte*.

Quidam hanc *Fernelii* opinionem corrigunt & quidem variè. *Johannes Riolanus hunc in modum:* Fernelius ab exteriore cerebro exiſtimat oriri arthriticos dolores. Sanè à cerebro ferè ſemper oriuntur, ſed ab interiore, facta fluxione per venas, arterias & nervos. Et *Sectionis quartæ Tractatu* quarto cap.1. placet Fernelio, arthritidem ſemper procedere à cerebro, quin etiam humorem extra cranium conſiſtere, atq; illinc ſub cutem ad articulos deſcendere. Verum enim verò, quidni ab interiore cerebro per ſpinam & nervos, per venas quoque &arterias, quemadmodum in ſubjectas alias partes, ita in articulos deſcendit? *Sic ferè & Andreas Laurentius. Eademq; ratione Johannes Coſtæus com. in Avic.* item *Platerus: Fernelius* quidem *Cerebri* mentionem infert: Jam verò Arthritidis evidentes cauſæ eædem, quæ fluxionis exiſtunt, una quippe humoris in capite redundantia, altera articulorum imbecillitas. Redundantis verò humoris interiores cauſæ ſunt Cerebri, totiusque capitis imbecillitas & frigida humidaque intemperies. Humor enim vel alimenti vice capite exceptus, quum hæc vitia adſunt, totus confici non poteſt, ex eoque neceſſe eſt, excrementum tempore gigni atq; cumulari. Hæc autem fluxionis materia multiplicabitur, ſi prætereà evidentes cauſæ acceſſerint, quæ illius exuperantiam gignunt. Hæ præcipuè ſunt crapula, potus vini, ſomnus immodicus, otium, urinæ & ſudoris ſuppresſio. *Et ferè ſimili ratione Peter de Largelata:* membra autem mandantia hanc materiam, quantum ad phlegma eſt Cerebrum & ſtomachus, quantum ad choleram ſunt venæ & hepar. Idq; confirmant Avicenna & Galenus. Splen etiam mittit melancholiam ad juncturas. Sed rarò, inde Avicenna: rarò ſplenetici & melancholici podagrici ſunt. *Hæc ille.* Verùm *Arculanus* clarè aſſerit *à cerebro pasſionem juncturarum procedere*.

Quidam præter viam, ut vocant *Fernelianam*, etiam *inconſpicuas vias* memorant, quemadmodum *Lælius à Fonte conſult.38*. Sunt, qui dicant, ab externis tantum partibus fieri, qui aſſerunt, materiam

illam fluidam à venis jugularibus externis dimitti in exteriores capitis partes, quæ cum ex cutis densitate non possit extra pelli, diffluit postea per summa corporis sub cute deorsum, & in articulos decumbens propositum morbum parit; quæ etiam fuit sent. Hipp. l. de loc. in hom. tex. 19. & 34. neque in delapsu dolorem aliquem concitat, quæ tenuis admodùm & aquosa cum sit, faciliter sibi viam adinvenit, nec concedunt dari viam, qua capitis partibus internis, & sic à cerebro, hæc pituita ad articulos defluat, non per venas inquiunt; nam quomodo *à cerebri ventriculis potest excrementum ad venas remeare:* in cerebri substãtia nullæ venæ sparguntur, neq; aliæ intus sunt, quàm quæ per meninges utrinq; in verticem efferuntur, poteſtne excrementum ex illis intimis ventriculi, in illas sursum remigrare: nec alia datur via, igitur tantum à partibus extra calvariam existentibus fiet illa fluxio; sed concedimus, à venis fieri non posse hujusmodi incursionem, nil tamen obstat, quin pituitosa illa materia extra calvariam existens; per externam spinalis medullæ superficiem ad articulos detrudatur. Quod Fernelius non vidit, & Hippocrates docuit lib. de glandulis text. 10. Præterquam quod dantur etiam *viæ inconspicuæ*, à quibus à cerebro in articulos materia delabatur, cum totius nostri corporis ex Hipp. sanctione, consensus unus, & conspiratio una sit. Prætereà patent partes, à quibus fit fluxio, & per quas transit.

Nunc etiam *venæ*, quæ nonnullis videntur *occultæ viæ*, simul dicuntur. *Johannes de Tornamira* ait, *humorem arthritidis fluere per viam catarrhi* & per *venas*. Dicitur gutta: quare humor guttatim cadit & ruit à *venis* per earum capita lata à generatione vel à tempore ad juncturas subjacentes laxas. *Sic & Gvido, Montagnana, Joh. Michael Savonarola, Benedictus Victorius, Andreas Cæsalpinus, Francanzanus* apud *Vict. Trinc. Mercatus, God. Steeghius, Ducretus, Montanus.* Hic *Arthritidem* quoque ad *catarrhum sanguinis* spectare opinatur. Eodem ex grege est *Georgius Bertinus:* humoris scaturigo est aut à *capite* aut à venis. Nec solùm à sola capitis superficie. Cum autem fluxurus est humor à *cerebro per foramen nuchæ* colli & *spinalem medullam* in articulos, gravitas capitis, tinnitus aurium, cervicis dolor frequens, plurimis vertigo frigoris aut horroris &

levis

levis quidem dolor comitantur. Levis equidem & mitis adeſt dolor, cùm humores per *ſpinalem medullam* in articulos decumbunt, qui autem minimè diſtenduntur. Si *venæ* expellunt, tument & rubent. Quamobrem ſeroſus humor arthritidem committens, modò à *cerebro* frequentius, modò à venis frequenter, rarius â ſumma *capitis ſuperficie* cauſas trahit. *Ut & Franciſcus India*, membra tranſmittentia, *inquiens*, varia ſunt & plura, caput præcipuè. A capite potisſimum & â cerebro fluxiones iſtæ fiunt, quoniam licet ab inteſtinis & à ventriculo & aliis membris iſti humores originem trahant, antequam ad partes juncturarum & manuum, & cubitorum, & ſpatularum fluant, prius ad caput in multa copia adſcendunt, & poſtea ab illo ad ſubjectas partes jam dictas tranſmittuntur, & quidem per *nervos* ab illo deſcendentes ad manuum digitorum articulos. Nunc ſtatim inſurget *Fernelius*, dicendo, quod hoc fieri nequit. *Nam Paralyſis fieret*, quaſi ipſe ignoret, paralyſis cauſam longè lateque à morborum articularium cauſis differre, & modum, quo generatur articularis morbus & paralyſis, ut ipſe inquit, quotiescunque materia non flueret, ſed nervos obturaret, repleretque, & in partibus interioribus detineretur, atque internam medullæ ſpinam occuparet. Verùm non ſic ſe habet in articularibus vel podagricis affectibus, quoniam in iis materia fluit, & fluendo nervos interius non replet, illosque minimè obturat, ſed articulorum vincula, membranas & tendones & nervos exterius replendo, diſtendit, ferit, & ibi dolorem incutit, & quoniam nervos & tendones (exteriores partes replendo) diſtendit, diſtenduntur autem tendones & nervi ad extenſionem ligamentorum, & in hac eorum diſtenſione per conſenſum comprimuntur, ideò tali occaſione ſpinalis medulla, tendones & nervi in arthritide ſecundum interiorem partem repleri minimè poſſunt, ut quoque docet Gal.6.Aph.49. Ideoque oſtendi, abſque paralyſis periculo humores in articulari morbo, per *ſpinalem medullam*, per nervos, per tendones fluere, & quandoque per vias occultas, & per meatus latentes & ſenſibus inconſpicuos, veluti per muſculos. *Et paulò poſt*: Arthritis fit vel ab univerſo corpore vel à jecore, aut ab utero & à renibus originem habet, & quandoque etiam à capite & cerebro, à parte etiam inti-

miori cerebri, non autem perpetuò à capitis exteriore parte, ut Fernelius voluit.

Ac *Eustachius Rudius nervos* insuper indicat: Illa, quæ ab ipso capite destillat, ut plurimum & ferè semper serosa est, vel pituitosa, & vel intra calvam per externam spinalis medullæ superficiem, vel ut Doctissimus Fernelius pluribus explicavit, extra calvam & intra cutem & pericranium collecta per spatia, quæ statim sub cute reperiuntur, in subjectos articulos decumbit. Quod quidem neque Galenus ignoravit, ut in capite de catarrho. Potest etiam fluere per *nervos*.

Cæterum *Balthasar Brunnerus prioribus similis est:* causa arthriticarum fluxionum ex capitis intemperie vel nativa vel ob externum errorem contracta oritur. Atque ita intemperies non tàm in *Cerebro*, quàm *extra cranium* in *carne* & *cute, reliquisque partibus capitis exterioribus* dominatur, tantoque major est, *quanto cerebrum ipsum cum exteriore intemperie* concordat. Hac dominante generantur vel excrementa in capite sub cute & carnibus, vel ex *venis* materia deorsum & arthritidem generat. *Ac* Podagra, inquit *Joh: Daniel Mylius*, est duplex, *una ex sanguine*, altera *ex defluxionibus orta capitis*. Ac adhuc *Caspar Caldera de Heredia:* Quare judico, quod hæc fluxio aliàs elabitur per *cerebri ventriculos* ad palatum, aliquando per *partes cerebri externas*, per *venas* nempe & *cavitates*, quæ tendunt ad cervicem & scapulas, exinde ad articulos.

Nonnulli & *Hepar* dicunt, ut *Reinerus Solenander*: Fluxio non omnibus ægris, ab iisdem partibus, quibusdam ab *hepate*, nonnullis ex universo venoso genere, præcipuisque corporis partibus, plerisque ex capite, aliquibus à *capite* & *hepate* simul. Si per cervicem, latera & dorsum, est levis horror & frigus. Defluit enim tum humor à capite per dorsi musculos aut nucham. Fluit per *foramen Nuchæ*, intra tendinum tunicas: frequentius sub cute per musculos. Ab *hepate* etiam & aliunde per *venas* defertur ad pedes. *Item Johannes Aubertus:* Quapropter defluxionis origo ê cerebro per foramen Nuchæ intra tendonum tunicas defluit pituita per spinam dorsi aut à cerebri finibus, aut ab *hepate* & *venis*. *Itemque Crato, Peter Monavius,*

vius, Zoroaster Tinellus, Guliel: Adolphus Scribonius, Ducretus, Benedictus Silvaticus, Thomas Erastus, Andr: Laurentius, Hollerius, Rondel: Forestus, Piso, *Prosper Martianus, Jul: Cæsar Claudinus, Epiphan: Ferdinandus, Caspar Hofmannus, Gabelchoverus, Frambesarius,* Peter *Bruhesius, Petræus, Franc: Joel, Feyneus. Caspar Peucerus simul à capite* & *habitu corporis extimo* humorem arthriticum diffundi arbitratur. *Ab hepate,* inquit P*aræus, aut cerebro ut plurimùm venit Arthritidis materia: quæ à cerebro decurrit, est limpida. Fertur autem è cute musculosa & pericranio, itemque ex eo foramine amplo, per quod spinalis medulla exit.* Nunc ferè alia ratione *Hieronymus Gabucinius*: videndum, an quod jecinoris primùm, cerebri deinde inæqualis intemperies existit? quæcunque ea fuerit, quæ pro sui qualitate humores sibi similes superfluos progignit; qui per venas ad cerebrum sublati, tales postmodum pariunt fluxiones, quales ipsi sunt in jecinore procreati. Hoc verò cum per nervos, venasque deorsum ferantur, & pro corporis universi nutritione ineptæ habeantur, ad loca imbecilliora protruduntur.

Sunt, qui alias atque alias partes jungunt, ut *Joh: Arculanus*: Mittentia sunt aut totum corpus, per cujus repletionem aut cacochymiam generatur artetica, materia non expulsa per convenientes regiones. Aliquando mittentia sunt membra peculiaria, & frequentius omnibus *hepar*, secundò *cerebrum*, tertiò *matrix*, deinde *intestina*, similiter *splen* & *membra Spiritalia*. Item *Franciscus de Pedemon*: Sive *cerebrum*, sive *hepar*, sive *venæ*, sive *stomachus*, sive intestina. *Et mox:* Locus est, & membrum generans & mittens, ut *hepar*, & *venæ* vel cerebrum, *stomachus* & *splen* & corpus totum. Itemque *Angelutius*: fluit interdum à *capite, ventriculo, intestinis, renibus, utero* vel per spinalem medullam, vel per nervos, vel per venas, per arterias, vel inter cutem & carnem, vel deniq; per spatia illa insensibilia musculorum. *Similiter Franciscus India.*

Nec alii omittunt *ventriculum* seu stomachum, ut *Guido, Peter Salius Diversus, J.C. Claudinus, Hier: Mercurialis, Joh: Godfr: Beutherus,* A*ntonius Saporta*, item *Helmontius*, sed longè aliâ ratione: Nec quoque *uterum*, ut *Costæus,* autore *Hippocrate libro de internis affect.* supra *Arculanus, Liberatus de Liberatis, Andreas Lau-*

 ren-

rentius, *Francisc. India*, *Honorius Heringus.* Nec tandem *Renes*, ut *Dominius Leonus* : Origo defluxionis est à *capite* & à *cerebro:* quandoque est â *ventriculo*, sæpè enim videmus, dolores ventriculi in articulares desiisse. Interdum ab *hepate* & *venis* magnis. Interdum ab *intestinis*. Frequenter â *Renibus*, hinc vulgo dicitur, *doglia di fiancho, gutta in Campo.* Sed mulieres facilè (ut Hippocrates docuit, capiuntur ab articulorum doloribus suppressis aut puerperiis aut menstruis purgationibus. Viri quoque si fluxum sanguinis per mariscas expurgandi interceptum habent. Ac *Franciscus India Caput*, *Cerebrum, jecur*, *ventriculum*, *Intestina* & *Renes* eâdem de causâ enumerat. Ac quoque ita disserit: docet Galenus l. 3. nat. facult. c. 13. partem fortiorem humores pellere in debiliorem. Dein recentiores tenent, humorem etiam ex intimis irrumpere, ex Cerebro, jecore, liene, utero. Amplius rationi consentaneum est, quod si tales affectus facillimè ex hæmorrhoidum & menstruorum & sanguinis narium interceptis fluxionibus progignuntur, ex partibus quoque intimioribus originem trahant & eant per venas, per nervos & per musculos ad articulos. Nec sincera pituita â capite vel â venis influit, sed mixta. Ut sincerum humorem vasa capitis sub ejus cute ponunt, ita venæ similem humorem circa articulos effundunt. Præter Hipp. & Galenum Fernelius ipse fatetur adesse inflammationem.

Nunc igitur progredimur. *Fernelii* opinionem, ut de ea prius loquar, complures autores convellunt. Quo nomine etiam *tertio libro de* Catarrhis laudavi *Victorem Trincavellum*, quem & *Sennertus* imitatur. *Verum est, dolores quosdam vagos & vanos ex humore seroso ab externa capitis parte sub cute per summa corporis delabente hinc inde excitari.* Et mox: *Non mirum est*, in quibusdam, quibus caput debilius & aliàs defluxionibus excitandis obnoxium est, in prima arthritidis invasione aliquid humoris ad articulos ruituri per venas *capillares sub cutem in capite effundi*, atque ibi dolorem & alia symptomata excitare. Quod tamen sententiæ Fernelii nihil patrocinatur ; cum ii ipsi humores non sub cute capitis, quod ille vult, geniti & collecti sint, sed subitò per venas & arterias, quæ à jugularibus externis ad caput mittuntur, eò affundantur. Et sit

sit sanè, ut revera in collo dolores arthritici propriè dicti excitentur, tamen id non fit à materiâ sub cute sensim collecta & eò defluente, sed quia per venas capillares, quibus articuli illi nutriuntur, eò humores effunduntur. Ut enim per venæ cavæ & arteriæ truncum *descendentem ad pedes*, isti humores feruntur: ita per *adscendentem ad caput* & vicinas partes item mitti possunt. Et quod symptomatum in ægris diversitas quædam apparet, ex eo accidit, quod humor nunc per truncum venæ cavæ & arteriæ adscendentem, nunc per descendentem præcipuè, nunc per utrumque fluit & movetur. Cum enim per adscendentem movetur, antequam ad manus per axillares ramos perveniat, facilè aliquid *per jugulares cum internas tum externas in caput adscendentes etiam in cerebrum & sub cutem protrudi potest, unde nonnullos vigiliæ, alios somnolentia, alios alia symptomata infestant.* Quod verò ille humor, qui digitos pedis infestat, sub cute capitis collectus aut eò è venis & arteriis effusus fuerit, & hinc ad pedem defluxerit, nulla firma ratione probari potest. Quæ enim recta via est, per quam è capite sub cute ad digitos pedis subitò & rectà defluere possit? Nam cum materia è capite sub cute destillat, hinc inde dispergitur & hinc inde dolores excitat, non verò rectà ad extremos pedes tendit; neque etiamsi per hanc viam flueret subitò in manum, quod sæpè accidit, via mutatâ, adscendere posset. Et in specie somnolentiam quod attinet, & si quæ sunt id generis alia symptomata, quæ in ipso cerebro fiunt, ea neque in omni arthritide apparent, neque si apparent, Fernelii opinionem affirmant, sed potius convellunt & materiam non extra cranium generari & moveri, sed ex ipsis verbis effundi docent. Fit enim *somnolentia à materia intra cerebrum cumulata, non extra calvariam collecta, quæ si in arthritide adsit, aliquid materiæ etiam per venas & arterias in ipsum cerebrum effundi docent.* Peculiarem sententiam habet *Adrianus Spigelius in lib. de arthrit*: Qui cum agnosceret, omninò per venas & arterias hunc affluxum fieri, nec tamen etiam eam opinionem, quæ humores à capite defluere asserit, deserere vellet, simulque animadverteret, eum fluxum neque extra cranium neque intra & à cerebro fieri posse, statuit tum à capite, tum ab epate fieri fluxionem, sed in eo ab aliis dissentit, quod eam fluxionem,

nem, quam à capite fieri putat, raro sub cute, ut docet Fernelius, nunquam verò per foramen medullæ, quo spiritus continentur, vel per foramen nuchæ supra membranam externam spinalis medullæ fieri docet, sed per venas & arterias jugulares, non solum externas, sed etiam internas, per quas ab infernis partibus epate præsertim fertur humor in capitis externas internasque partes, remeare in venam cavam & arteriam magnam vel ejus ramos sub jugulo constitutos, atque sic in articulos devolvi statuit. Verum enimverò in eo quidem rectè sentit Spigelius, quod per venas & arterias humorum fluxum in arthritide fieri docet, vel eo edoctus, quod observavit, si ante universalem corporis evacuationem, externa remedia repellentia vel refrigerantia pedi vel manui applicentur, materiam ad nobiles partes refluxisse, febresque acutas & alia mala excitasse. Sed quod *materia ê cerebro primùm in venas & arterias regurgitet*, non probat, & sine ulla firma ratione profert: *contra potius ea, quæ arthriticis accidunt, testantur, humorem hunc neque in cerebro generari neque cumulari ac inde in venas & arterias regurgitare; cum si hoc accideret, humor tam acris, tantosque dolores efficere potens, gravissimos in cerebro affectus excitaret.* Quæritque ambages hic Spigelius, cum multa doceant, in epate & liene sanguificationis officinis humores hos gigni, atque inde in venis & arteriis cumulari, & per eas in articulos tandem protrudi, ut eos à cerebro petere opus non sit. Dein & hoc certum esse puto, ac supra satis probatum, quandoque initium fluxionis non esse à capite. Cum enim pars mittens & recipiens suis symptomatibus sese prodat; in multis verò arthriticis nulla capitis gravitas, nullus dolor, nec alia symptomata congesti ibi & cumulati humoris indicia appareant, statui non potest, à capite humorem defluere. Præterea nec illa arthritis, quæ â colicâ fit, à capite sed â *cerebro* ortum habet, ut supra monstratum, sicut nec illa, quæ ex diarrhœa intempestivè suppressa provenit.

Hic autor opinionem *Adriani Spigelii* iis verbis non satis exprimit. Quapropter ille cunctus sermo huic tractationi inseritur: Unde & per quas vias humor hîc dilabatur in has articulorum partes, ex veterum & recentiorum scriptis cognoscere, perquàm est difficile. Nonnulli enim à capite fluxionem fieri putant, alii

alii ab hepate, nos verò ab utroque. Eorum, qui à capite fluxionem fieri aſſerunt, unus ab internis capitis partibus, ipſoque cerebro per ſpinalem medullam, vel infundibulum, vel oſſa vertebrarum, vel per mediam ſpinalis medullæ ſubſtantiam, & ſic per nervos in articulos derivari cenſet; alter verò à capitis externis partibus & extra calvariam poſitis atque per ſumma corporis, ſub cute deorſum decurrere in articulos; & hæc poſtrema fuit opinio Fernelii, non infirmis rationibus fulta, ſumptis ab iis ſignis, quæ ſolent arthritidem præcedere. Præcedunt enim capitis gravitas, ſomnolentia, dolor externus, & qui contactu præſertim inverſis capillis exacuitur; tumor in capite œdematoſus, interdum ut cera mollis, cuti præſertim ad occipitium ſubjectus, cutis denſa, nec calvæ propius adhærens: aitque idcircò idem Fernelius, ejuſmodi ſuum humorem pituitoſum, tenuem & ſeroſum ſub cute capitis denſa cumulari ac repere per venas jugulares externas à partibus infernis. Qui verò ab hepate materiam fluere dicunt per venas in articulos, his rationibus nituntur. Quod criſes fiant in febribus continuis per articulorum dolores; quod in arthritide frequenter conſpiciantur inflammationes circa articulos, quod fieri non poſſet, ſi à capite, juxta Fernelium, flueret humor intra pericranium & cutem. Non enim poteſt ſemel extra venas conſiſtens, venas rurſus intrare. His addo alias, quod videmus per hæmorrhoidum ac menſium purgationes reſtrictas, podagras, morbos articulares tum viris tum mulieribus evenire. Dicebat enim Hipp. mulier podagra non laborat, niſi cum menſtrua defecerunt. Videmus ortas nonnullas podagras â ſanguine & bile ceſſare vel præſervari venæ ſectione. Sed mea opinio eſt tum à capite, tum à jecore fieri poſſe fluxionem, *& â capite per venas & arterias, raro per locum ſub cute*, ut putat Fernelius, nunquam verò per foramen medullæ, quo ſpiritus continetur (paralyſis nunquam fieret in defluxione) vel per *foramen nuchæ*, ſuper membranam extimam ſpinalis medullæ, in nervos transſudare & per eos in tendines muſculorum defluere. Nam humor intra calvam & ſupra meningem non fluctuat, expurgarique is, ſi adeſſet, *poſſet per nares*, ut omnis humor, qui in *cerebro continetur*, per *nares & palatum* pellitur à natura commodius. Fernelius cum

Dddd docet

docet, ſub cute capitis congeſtum humorem tenuem deorſum ad articulos currere per ſumma cutis, nullo argumento id mihi videtur probaſſe; niſi fortaſſe per laxitatem noſtræ cutis & dolorem, quem ægri percipiunt ætate profecti, in frigidis regionibus, & jam antea arthritidem perpesſi (crasſiore reddita materia ac tardiore ad motum) è cervice, vel per humeros in cubitos & manus, vel per dorſum in coxendices, genua pedesque ſenſim devolvi, ſenſu interdum frigoris oborto, quo corpus omne perhorreſcit. Sed quia in multis arthriticus hic dolor non ſemper obſervatur, etiamſi diu eo cum morbo conflictati fuerint, & materia dilabens crasſior facta ſit, credendum eſt, materiam non in omni arthritide, ſi quando ea à capite defluit per humeros, vel dorſum in ſubjectos articulos repere per ſumma cuti ſubjecta, vel ſumma cutis ipſius, ſed per *venas & arterias* jugulares non ſolùm externas, ſed etiam internas (per quas ab infernis partibus, jecore *præſertim ferebatur humor in capitis* externas *internasq́; partes, nempe cerebrum,*) remeare in venam cavam, & arteriam magnam, vel ejus magnos ramos ſub jugulo conſtitutos, atque ſic in articulos devolvi, quod nullus ſanæ mentis negabit, modò intellexerit per ampla hæc vaſa in vivo corpore repentinum ac facilem fieri refluxum ac fluxum humoris, quique obſervarunt, ante univerſalem totius corporis vacuationem, ab externis remediis, manui vel pedi applicatis, materiam refluxiſſe ad partes nobiles, febres continuas excitaſſe, multosque celebres in arte medica viros, qui podagram ſecundum communem opinionem medicorum, periculo vacare temerè pronuntiaverunt, eventu mendaces fuiſſe. *Hæc Spigelius.*

Quàm multi alii ante *Sennertum* eandem *Fernelii* ſententiam neglexerunt, & quidem nonnulli etiam imprudentes. Nominatim cieantur C*onſtantinus Africanus, Lanfrancus, Theodoricus, Rogerius, Guli. Placentinus de Saliceto, Arnol. de Villanova, Don.* An*ton. ab Altomari, Fuchſius l. Meth. Med. Bertrucius, Gorræus, Valetius, Andr. Laurentius, Aubertus, P. S. Diverſus, Jacob. Sylvius, Hieronymus* C*apivaccius, Botallus,* ex parte etiam *Garcias Lopius, Johannes Raicus, B. Bauderonius, & Alex. Alexius.* Præcipuè autem *Hieronymus Mercurialis : cujus verba hæc ſunt :* Sed quia adverſus

hunc

hunc virum, *Fernelium*, non eſt nobis agendum ſcriptorum autoritatibus, quandoquidem eas omnes negat, quapropter dimisſis autoritatibus, quæ infinitæ ſunt, adverſus ipſum ſolummodo & aliquibus rationibus & experientia demonſtrabimus, hanc ſententiam nequaquam veram eſſe. Quod enim non ſemper colligatur hæc materia in capite, prima hæc eſt ratio. Nam ſi origo mali ſemper eſſet in extimâ corporis parte, ſequeretur etiam, debere ſemper apparere ſigna ab ipſo relata & Symptomata, vel gravitatem capitis vel ſomnolentiam vel aliquod aliud hujuſmodi: at experientiâ comprobatum eſt, eos, qui articulariis morbis capiuntur, optimè valere capite, naturalem ferè capitis conſtitutionem, neque offendi ſecundum partes internas atque externas: imò ſcribit Fernelius ſomnolentiam eſſe ſignum collectionis materiæ. Quæro ab ipſo, ſomnolentia â quibus humoribus efficitur? procul dubio efficitur ab humoribus intra cranium, quia ſomnus cum ſit ligamentum ſenſuum, & ſenſus domicilium ſit Cerebrum, planè rationi conſentaneum erit, non humores *extra cranium*, ſed intra debere efficere ſomnolentiam. Præterea ſi omnis arthritis efficeretur hac ratione, ſequeretur, non poſſe eam aliâ ratione curari, niſi per medicamenta capiti adhibita & exiccantia: ſed dico plerunque curari dolores articulares ſine remediis capiti adhibitis. Tertiò ſi fierent dolores articulares ex defluxu materiæ, procul dubio deberent interdum perſentiri humores fluentes, ſub cute, quemadmodum percipimus fluxus proreptantes. Sic etiam deberemus interdum percipere hujuſmodi motum humorum, rariſſimi autem ſunt, qui humores excurrentes præſentiant. Ultimò ſi hoc verum eſſet, ſequeretur, ubi arthritis fit ab humoribus craſſis, debere ſemper priùs ſuperiores partes infeſtari, quàm inferiores: ratio eſt, quia humor craſſus cum facilè non deſcendat, ne facilè labatur, procul dubio facilius ſiſtitur in loco, unde eſt fluxus, quàm in remotioribus. Sed hoc non ſemper uſu probatur. Experientiæ quoque repugnat opinio Fernelii, quia ſæpè videbitis ex morbis diuturnis & acutis homines fieri arthriticos, & materia, quæ facit morbos acutos, non colligitur in parte cutis extimâ capitis, ſed eſt in internis partibus. Nam refert Averrh. 7. coll. c. 3. ſeipſum factum eſſe arthriticum & podagricum ex morbo acuto, in quo cum â medicis malè fuiſſet

curatus, per crisim humores morbi expulit ad articulos, & præsertim ad pedes, tanquam ad partes inferiores. Præterea etiam videbitis, sæpè podagricos benè valere capite, quod si materia faciens podagram â capite dimanaret, deberent vel in ipso morbo vel paulò ante morbum, apparere signa, quæ non perpetuò apparent. *Hac ille.* Unde *Nicolaus Abrahamus Frambesarius*: Hæc Fernelii de origine & via fluxionis arthritim facientis opinio, etsi non levibus rationum momentis stipata videtur, multis tamen priscæ doctrinæ sectatoribus improbatur. Sic enim Gorræus lib. 1. defin. medic. Fernelium redarguit: non est quod objiciat, sanguinem non posse videri materiam arthritidis, quod in articulo collectus phlegmonem excitet, quæ in pus unquam conuerti visa sit: Neque enim necesse est, omnem sanguinis affluxum phlegmonem concitare, nisi in musculum aut carnem fiat, nec potest effusus sanguis in pus mutari, nisi loci calore suppuratio juvetur. Id quod in articulo membranoso, exangui, frigido contingere nequit. Vanum quoque est, putare à pituita per venas in articulos influente non fieri arthritidem, quod per cachexiam pituitosus humor in crura & pedes decumbens, neque Ischiadem, neque podagram efficiat. Nisi enim intra ipsius articulum humor descenderit, quantumvis per universam carnem partesque circumpositas diffusus, arthritis non erit. Nec illi assentior, qui omnem eum humorem à capite ferri putat, & sub cute per summa corporis in externas partes influere. Primum enim quis concedat, à solo pericranio fluxionem fieri, cum apud Medicos receptum sit, & axiomatis fidem habeat, robustas partes excrementa sua in debiliores deponere? Hæc autem depositio transmissioque fluxionis species quædam est. Deinde verò si demus (quod certè verissimum est,) maximam fluxionum partem à Cerebro descendere, quid opus est insuetum quoddam iter comminisci, spretis iis vasis, quibus ceu canalibus, fluxus & refluxus humorum natura fieri consuevere? verisimilius mihi quidem videtur, humorem in articulos non modò secundum membranas neruosque defluere, sed per venas etiam, perque arterias, per quas alimentum ad omnes partes pervenit, non minus vitiosi succi quam boni capaces, & plerumque eo refertas, quem in articulos ejus,

copia

copia aut mala qualitate irritatæ deponunt, ſi eum à ſe illi repellere nequeunt. Sic & Fernelii ſententiam refellit Valetius exercitat. 63. in Holler. prax. quod pericranium pars non ſit tranſmittens, à qua omnis fluxio fiat, hinc colligitur, quod reperiantur multi arthriticis doloribus graviter afflictari, qui prius nec capitis gravitatem ullam, nec ullum perceperint dolorem: cum tamen ex Hippocrat. lib. de natur. hum. omnis pars tranſmittens, excipiensque laboret in omni humorum decubitu, ſuisque Symptomatis ſe prodat. Præterea à pericranio in articulos per partes ſubcutaneas quî poteſt eſſe aditus? Probabilius eſt, fluxionem in ſpinalem medullam fieri à cerebro, ex quo oritur. Et quid vetat, quo minus ſanguis qualiſcunque ſit, in membranarum & cerebri venis, hujusque ſinubus, per venas & arterias devolvi, deorſumque relabi poſſit, omneque fluxionis genus patere? Ad hæc ſententia eſt Hippocratis ſect. 4. lib. 6. epid: Cui inteſtinum dextra parte afficiebatur, arthriticus erat quietior: poſtquam verò id curatum fuit, erat dolentior. Galenus in com: id fieri ſcripſit, converſo humorum impetu à colo inteſtino in articulos. At humorem ejuſmodi ſemper à pericranio decidere quis dixerit? Accedit huc, quod plerique obſervarunt, à diarrhœa intempeſtivè cohibita arthritidem nonnunquam ſubſequi. Qui Fernelii partes mordicùs tenent, validas huic ſententiæ machinas admotas putant, ſi ſoli capiti adhibitis remediis, tentatis fruſtrà aliis, ſe fortè arthritidem curaſſe profiteantur. Sed hoc minus veriſimile. Statuamus ergo, humorem morbificum magna ex parte ex capite, toto corpore, hepate, liene manare. Sic etiam D. Riolanum, præceptorem olim meum, pro veteribus contra Fernelium aliquando diſputantem audivi: Etſi non ignoro, arthriticas fluxiones â capite ſæpius incipere, quia arthritici ferè deſtillationibus obnoxii ſunt, cerebrum tamen ſemper mali fontem eſſe, illique perpetuò tanquam parti mittenti in curatione arthritidis ſuccurrendum pernego. Nam ut mittam arthritidem aliquando fieri congeſtione, non eſt dubium, ex ſuppresſis menſibus hæmorrhoidibus, aut ſolemni vacuatione nonnunquam originem habere. Siquidem iſta ſi arte excitata vel naturæ robore ſupervenerint, ceſſant arthritici dolores. Quin etiam ſi tempeſtiva miſſione ſanguinis revellatur,

fluxio, qua plenitudo antecedens causa per phlebotomiam imminuta est, disparet mox arthritis. Ergo à parte una semper, sed aliquando à toto incipit fluxio, quod evidentius est, cum longæ febres arthritide terminantur, materiâ febris in imbecilliores articulos excretricis robore deposita. Item authoritate, ratione & experientia constat, sæpè ex Nephriticis fieri arthriticos, & contra, communi materia hinc illuc translata. Quia etiam de causa colici dolores aliquando desinunt in arthriticos. Nec dubium est, vitio & imbecillitate ventriculi cruditates generari, quæ ad articulos transmittuntur. Ergo non semper ab exteriore cerebro incipit arthritica fluxio, sed aliquando à toto, vel ab alia parte, ut renibus, colo, ventriculo, utero. Velim dicat Fern. cur potius venæ jugulares imponũt in calvariã sua excrementa, quàm cæteræ venæ in articulos imbecilliores? Arthritici insuper Fernelii consilio capiti cauteria admoverunt, ad intercipiendam fluxionem, quidam felici admodum successu, alii nullo profectu! quod facilè persuadet aliquando, non semper fluxiones arthriticas à cerebro incipere. Præterea quæ necessitas nos cogit ad fatendum, perpetuò humorẽ à pericranio per partes externas in articulos destillare, cũ à cerebro per interiores venas & arterias defluere magis consentaneum sit? cumq; à cerebro descendentem per spinam multi arthritici sentiant? probabile enim est, intra tunicas tendonum per foramina nuchæ pituitam exudare, quæ per palatum aut nares expurgari debeat. *Ex parte* etiam *Joh. Conr. Wechtlerus l. 2. de hom: occid: Disp: 15.* Quod si dicas, semper podagricos præsentire eas defluxiones. Resp: id simpliciter falsum esse, quod si tamen id eveniat, dicendum est, sæpè ad gignendos hos dolores concurrere simul defluxiones à capite.

Multus in eo est *Franciscus Feyneus*: Miror hoc loco doctissimum ætatis nostræ virum, Fernelium, levissimis rationibus impulsum à comprobata tot annorum Authorumque numero sententia plurimum descivisse. Is omnem arthritim frigidam esse, & ex humore pituitoso gigni statuit, quem non ex visceribus aut venis, sed è summo duntaxat capitis vertice in articulos profluere vult, quod humor ex intimis sedibꝰ per venas non possit in articulos excidere purus. Nos contra, sinceros humores, & impermistos sæpè

è ve-

è venis foràs per varia morborum genera ſubter cutem erumpere videmus, ut in herpete, in ictero, tametſi prius ſanguini erant permiſti & maximè confuſi. Sed & pus ipſum è ſublimioribus ſedibus per multiplices venarum ductus ſincerum modo in alvum, modo in urinas ſine ſanguine ferri & expurgari fatetur, vel ipſo rerum eventu coactus, naturæ inquam ſeſe deonerantis conatu, cujus vi quod noxium eſt & infenſum extruditur, & à reliquis ſecernitur, ut in criſibus & aliis naturæ operibus quotidiè cernimus. Sed ex arthritidis defluxione non ea fit humorum ſecretio. Quid tum poſtea? Quid inde abſurdi eſt? An non id experientiâ per infinitos arthriticos comprobatum eſt? in quibus plerunque ante doloris impetum, aut eodem momento parti rubor, calor, venarum tumor & diſtenſio ineſt, ut proinde non doloris vi hæc accerſita eſſe, ſed ab eadem cauſa & dolorem, & hæc omnia proceſſiſſe videantur? Sed objicit, cur in articulo cum humore collectus ſanguis phlegmonem non exitat? ſi phlegmone tumor eſt calidus cum rubore, dolore, diſtenſione, & pulſatione, quis illam in arthritide aliquando eſſe neget? ſæpius tamen reſolvitur, aut obdureſcit, rariusque ſuppurat, languidior enim articulis calor eſt. Aliàs mutatione facta, decliviorem articulum adoritur. Cum interdum caro ibi p.n. increſcere viſa eſt, certum affluentis ſanguinis teſtimonium. Quanquam autem cruditas in cachexia è viſceribus in pedes decumbat, dum intumeſcunt, podagram tamen non efficit, quod fortè vel articulorum imbecillitas non concurrat, aut humor non ſatis altè, inſiliens articulorum membranas, minimè diſtendat, nec illorum vinculis ſit impactus. Ita quippe in arthritide apparens, bonum, modò ne id copiâ materiæ fiat, ſed potius mutatione, foràs enim profertur morbus. Sic argumenta fregimus. Nunc opinionem novam expendamus. Hæc dum quadam veriſimilitudine omnis arthritidis fomitem, & fluxionis ſcaturiginem in externa capitis parte conſtituit, omnes ipſius differentias tollit & curationem obſcuram. Non enim à capite ſanguis, aut bilis, aut alius humor cum ſanguine decumbit, qui tamen primo quovis impetu, ac per ſe dolorem in articulis movere poteſt. Et qui poſſit à ſummo capitis vertice frigidus humor, quamtumvis tenuis, celeriter ſub cute in extremum pedis articulum ſine ſenſu defluere?

Atqui

Atqui sæpè ac celeriter podagram impetrare notavimus,quam nullus aut capitis,aut intermediarum partium dolor præcesserat. Non ergo semper illinc mali origo est. Quin etiã sæpissimè frigido humore à capite influente subjectas & extimas partes irrigari constat,nullo arthritidis evẽtu, sed interim manifesto rigoris aut frigoris sensu. An quia articulorum imbecillitas non adsit? ergò perperam à cachexia ductum fuerat argumentum. Sed nescio quam facilis & expedita sub cute,(quæ subjectæ carni cõjunctissima est) via flueti humori concedatur(non enim per musculos ferri vult)per quã à summo capitis vertice ad extremum pedem repentè possit decurrere: non enim venæ aut arteriæ, non meatus alii, aut spiracula illinc recto aditu, neque circumflexo in pedis articulos diriguntur, per quæ hujus humoris expedita fieri invectio possit. Quinimo vix aut difficile potest illinc humor in scapulas aut lumbos usquam ferri. Sed esto,demus hoc aliquando fieri, non protinus id perpetuum & unicum fluxionis iter statuendum erat, quod rarum atque difficile in morbo frequentissimo est. At verò ab internis partibus expeditior & amplior via est ad extimas,quò natura sæpè solet onus quodvis deponere. Sic febres continuas in articulorum dolores solvi & desinere videmus, materiâ è venis majoribus non è capitis vertice in articulos translatâ & excussâ. Sic coticum dolorẽ arthritide superveniente finiri, desinente verò reverti, observavit Hippocrates. Sic & diarrhœam intempestivè suppressam interdum hoc vitium attulisse constat. Sic calculos magnâ ex parte arthriticos fieri, & hos sæpius calculosos effici, ac sæpè malo altero cessante aliud sævire, longâ experientiâ comprobatum est, prout scilicet humor in venis,aut in pedes procumbit.Sic diuturno crurum ulcere sanato arthritis subit, quemadmodum & hæmorrhoidibus aut mensibus suppressis. Sic arthriticis urinæ præter consuetudinem tenues, accessionem minantur, & rursus crassescentes solutionẽ promittunt, diuque dein crassiores emissæ dolores impetum retardant. Sic partior urina & sudor consuetæ arthritidis metum incutit. Sic & frequens ventriculi cruditas sive ab esculentorum potulentorumque vitio, sive à destillatione pituitæ è cerebro suscepta, aut aliis, quibusdam ex causis,ut vigiliis,curis,mœroribus orta,sæpè arthritidem

indu-

inducit, quoties aut jactata, aut aperientium, ut vini præpotentis usu vehementius impulsa atq; præcipitata, in articulos sensim penetrat, utique si tum quoque horum imbecillitas adest. Quamobrem vel à plenitudine & venarum redundantia, vel à partium excremẽtis defluxiones fiunt in articulos, modò lentæ, modò præcipites. Quandoque etiam peculiari articulorum vitio & imbecillitate in ipsis frigidi lentique humoris congestio fit, quæ vel levissimâ defluxione accedente, & conjunctâ dolorem infert. Ex quo nonnulli arthritidem modò à defluxione, modò congestione fieri pronuntiarunt. *Peter Pigræus ad hunc modum:* Nonnulli volunt, arthritidis causam esse humorem è posteriore capitis parte per membranas in articulos immissum, qui ibi ob ipsorum imbecillitatem sistitur ac retinetur. Sed difficile admodum videtur, quod ejusmodi humor acris & mordicans, per membranas, partesque nervosas ac sensibiles, sine dolore & tumore transire possit: adde, quod ex seipsis satis sint debiles ad eum humorem retinendum & sistendum. *Hæc ille.* Ob id etiam *Jacobus Aubertus* laudat *Hippocratem:* Quod autem à visceribus & intimis partibus arthritidis materia emanet, ostendit Hippocrates Aphorismo quadragesimo quarto & quinto, Sectionis quartæ. *Quos febres longæ exercent* (inquit) *iis tubercula ad articulos vel labores fiunt:* & mox: *quibus tubercula vel in articulis labores post febres fiunt, iis cibariis pluribus utuntur.* At hujusmodi febres absque aliquo viscere malè affecto fieri non posse, apud omnes Medicos est in confesso: quod sanè ostendit Fernelius libro de Febribus, ubi intermittentium causas tradit. Tunc enim ab hepate & venis in articulos fit fluxio, cùm hujusmodi partes tantâ gravantur copiâ, ut eam nec excipere nec continere queant: idcircò per emissaria ad exteriores partes hos supervacaneos humores propellunt, ubi ob musculorum laxitatem nullum excitant dolorem, hinc verò in articulos, ubi ob adstrictionem partium retinentur. *Ac quoque Jacobus Fontanus lib. 3. Med. Pract.* est appellandus: existimant defluxum fieri semper à capite, quod falsum, præsertim in sanguineâ, doctè disputatum à Botallo libro proprio de Catarrho, fluxiones omnes non fieri à capite, sed ab aliis partibus, quod expresit Hipp. lib. de Locis in homine. Labor fit, ubi à carne humiditas fluxerit vitiosa.

tiosa. *Unde* admodùm peritè J*acobus Oetheus lib.observ.propr.* Animadverti sæpè, quosdam dolores &tumores calidos repentè omnes articulos extremorum membrorum invasisse tantâ quidam vehementiâ, ut ægri neque brachia neque pedes movere possent. Quibus symptomatibus febris satis intensa cum vigiliis etiam accessit. Nos verò tumores non ex destillatione capitis ortos esse, ut quidam magni medici censent, sed à plethora in venis magnis collecta, proficisci ostendit curatio. Etenim venæ sectionibus repetitis & topicis moderatè refrigerantibus, & diætâ refrigerante & tenui eos sustulimus.

Transeo ad *Chymicos*, quorum explicatu *Theophrastus Paracelsus* ita sentire fertur: *Errant, qui putant, podagram esse fluxum à capite descendentem phlegmaticum. Nihil tale est, quàm si podagra ex superfluo humore veniret. Diæta autem est in hoc nostro tractatu potissimum & primarium.* Id quod multis probatur. Quid? Gestiunt *Galenicos,* ut vocant, hîc deserere. *Helmontius libro, qui volupe viventium morbus antiquitus putatus inscribitur*, certè in eam partem differit multa: Si catarrhosi nîl in semine podagrico actu insit: ergo neque etiam in podagra inde oriunda. Ergo si podagra hæreditaria careat catarrho, ergo etiam qualibet aliâ. Fabulosum est, quicquid de Catarrhis, guttisque commentum est. Dato namque absurdo, quod catarrhus depluens, faceret accessum podagræ &c. *Reliqua verba supra posui.* Norunt namque podagrici plures, sibi instantem accessum prædicere ex mutato excremento, intra pedis digitos nascente. Quod sanè non defluxum tàm humoris, quàm ipsissimam sudoris, laticisque alterationem prodit. Est autem Synovia. Non est autem affluxus cruoris, defluxus è capite aut jecinore, eò missus per ambages viarum intellectui impossibiles. At licet incautos sensus decipiat, videanturque sentire defluxum supernè: sensuum tamen duntaxat sunt fallacia indicia, prout dolente dente, in totum capitis latus, depluere videtur augmentum causæ dolenti. Nullumque horum defluere, multoque minus defluxum sentiri posse: humorem nusquam nisi in Galenicis libris existentem. Laticem verò advocari doloris buccina & per venas dimitti, ad eluendum, certum est, in scholis confirmasse defluxionum errores,

jecur

jecur accusatum, caputq; immeritam luisse culpam, & sustulisse frustraneas mille medelas. Sed quid hæc cum Catarrhi fabula commune habent? Inprimis nullam esse partem mandantem, mittentem, sagittantem aut dirigentem, sat alibi confectum est. Sin autem suâ sponte decumbat in latus sibi perpendiculare: certè dormienti non casurus humor, si totum corpus dormiat lecto plano, quoniam deest linea perpendiculi. *Hæc iste.*

Nonnulli, ut *Aubertus* & *Fontanus* suprà prodiderunt, *Hippocratem* & *Galenum* de via, ut vocant, *Fernelianâ* dissensisse. His & *Paulus Ægineta*, *Ætius*, *Nonus*, *Oribasius*, *Philotheus* jungi poterunt. *Alexander Trallianus* quoque mentionem capitis obiter infert: *utantur ægri subinde balneo: cùm jam sudare inceperint, tunc caput decocto radicis salicis abstergi curato.* Nec *C. Celsus*, nec *Gariopontus* à capite affirmant humores *Arthritidis* trahi. Quid *Arabes?* *Avicenna* ita loquitur: *Purgatio est utilis, quia podagra est ex superfluitate digestionis, quæ est hepatis & venarum.* Haly: *ex superfluitate cibi & humoris, ex Venere, ex otio, ex tristitia.* Rhases *primùm quidem ita differit:* Si ergo dolor fuerit in pede dextro, debemus minuere de manu dextra & Basilica, vel de quibusdam ramis ejus, & non debes ire ad aliam venam. Si autem non poteris minuere ipsam, neque aliquem de ramis ejus, minue de Mediana, quia quidam ramus de vena Basilica, & quidam ramus de vena *Cephalica* conjunguntur, & fit ex earum conjunctione vena Mediana. Minuere autem de *Cephalica* non multum juvat in hoc casu, quoniam illa vena non derivatur, nisi â parte superiore duarum partium venæ concavæ, deinde illic adscendit spina, & tendit ad manũ, & propter hoc evacuat sanguinẽ capitis & colli citius, ex parte autem inferiori tardius. Basilica autem vena dividitur ab ista intra & extra à clibano pectoris inter latera, & venit ad manum super parte axillarum, & propterea evacuat sanguinem à partibus inferioribus citiùs. *Et mox:* Sit ejus Diæta frigida & humida, & stratus ejus, in quo jacuerit, sit frigidus, & si fuerit hyems, cooperiatur *caput* & totum corpus; & fugiat vigilias, & cogitationes, & iram. *Tandem hic autor* nec *caput* nec *cerebrum* eô modô accusat: *Causæ, quibus fiunt dolores juncturarum, sunt tres: prima est augmentatio humo-*

rum, secunda est fortitudo membrorum principalium potentium effluere superflua, tertia est debilitas membrorum recipientium. Ferè similiter *Alsharavius*, *Almansor, Albucasis, Byngezla, Janus Damascenus, Rabi Moyses.*

Est quidem, ut novissimô sermone ostenditur. Attamen & vetustissimis Medicorum visum est, humorem *articularis* morbi à *cerebro* ipso in ea membra diffundi. Quo nomine juniores illis dediti autores, etiam ipsos *ventriculos cerebri* dicunt, ut *Andreas Laurentius*, *Grasseccius* & alii, quos hîc nominavi. Ast eo ex genere *Fernelius* hanc ipsam opinionem quasi emendat. Videt enim ejusmodi humorem nec per *nervos cerebri* nec per *Spinalem Medullam* deduci, nec eundem à *cerebri venis* trahi, convehique in eas corporis partes posse, quæ articulis conseruntur. Proinde ipsi placet, materiam *Arthritidis* tantùm à *capite*, & quidem inter *cutem* & *cranium* in ea membra ferri. Homini illius autoritatis non defuerunt assensores. At inventi quoque posteà sunt, qui eundem humorem præterquam à *capite* illum ad modum, à *cerebro* ipso etiam, ab *hepate*, à *Matrice* ac præcipuè à *venis* proficisci posse contendebant. Quare cuncta illa disciplina *Ferneliana* lababat. Est & opinio, de sanguine illos fluere humores. Ad quam & priscis præeuntibus deduci videmur. Cuncta res nunc ita depingi, ac motâ superiore quæstione, tàm compendiosè dici potest, ut ante oculos velut in tabellâ ponatur. D. D. *Sennertus* ex grege illorum est, qui *Fernelium* refellunt. Cogit copiam rationum, quibus *Trincavellus*, *Franc: India*, *Laurentius*, *Mercurialis*, *Capivaccius*, *Hieronymus Gabucinius*, *Spigelius* usi fuerunt. Idem *Spigelius*, idemque *Capivaccius* ac *Franc: India* ante *Sennertum*, ut & *Antonius Guainerius*, ac *Georgius Bertinus* articularium morbū comperére, solenni sanguinis excretione inhibitâ, creari. *Sennertus* habet, quod novet, *Spigelium* redarguendo. Veritatis ignorationem plerumque testatam nimia facit varietas opinionum. Verùm *Sennertus* in eo ipso potius versatur errore, cujus *Spigelium*, hominem genere & doctrinâ nobilem insimulare non dubitat. Minimè *Spigelius*, sed *Sennertus* ait *in cerebrum effundi humores.* Recognoscite superiora verba *Sennerti:* facilè aliquid per jugulares venas, cùm internas, tùm externas in caput adscendentes

etiam

etiam in *cerebrum* & ſub cutem *protrudi* poteſt, unde nonnullos vigiliæ, alios ſomnolentia, alios alia Symptomata infeſtant. *Ac tandem:* fit *ſomnolentia* à *materiâ intra cerebrum cumulata*, non extra calvariam collecta, quæ ſi in arthritide adſit, *aliquid materiæ etiam per venas & arterias in ipſum cerebrum effundi docent.* Contra *Spigelius* ita loquitur: per venas jugulares internas & externas *ferebatur humor* in capitis externas internasq; partes, nempe *cerebrum.*

Mente *Spigelianæ* opinionis, meâq; interpretatione ſanguis, ubi *Arthritis* tentat hominē, per vaſa in *cerebrum* fertur, ac per ſimilia conceptacula refertur. Quô fieri poteſt, ut æger nunc ſomno gravetur, nunc urgeatur vigiliis. *Senn:* verò humorē ipſum vult in *cerebrū effundi.* Hac ratione non *Arthritis*, non *catarrhus*, ſed *apoplexia* aut alius multò gravior concitabitur morbus. Nonne inde *ulcus cerebri* aut *Apoſtema* naſcetur, ob quod *Avicenna* homines ſcribit maximè pervigilio vexari? Ac ſi humor, ut vult *Sennertus*, in *cerebrum effunditur*, ſtabitne ille in *cerebro* aut inde decurret? Iſte certè vel defluendo vel permanendo *cerebrum* infeſtabit, & quidem de ipſius *Sennerti* ſententia; *Verba* tute relegas: *ea, quæ arthriticis accidunt, teſtantur, humorem hunc neque in cerebro generari neque cumulari, ac inde in venas & arterias regurgitare, cùm ſi hoc accideret, humor tam acris, tantòsque dolores efficere potens, graviſſimos in cerebro affectus excitaret.* In has ſalebras non incidiſſet D.D. *Sennertus*, niſi illâ pervulgatâ, inveteratâque teneretur opinione, *cerebrum* inteſtinos ſuos humores jugiter eructare, qui vel in *os* ac in *palatum* vel in *nares* deducantur. Cumq; *Sennertus* humorem illum affirmet eſſe acrem, Medici erit, ob id *Cerebro* ita mederi, ut ille evocetur. Hæc origo eſt illius Medicinæ. Bonos autores ſequitur *Sennertus*, dum humorem *Arthritidis* tradit vaſis in artus inferri. Aſt hæc vera mox commiſcet falſis, cùm idem portionem humoris contendat (ſunt ejus verba) *in Cerebrum effundi.* Eſt, uti imprimis oſtendunt multis locis *M. T. Cicero* & *D. Ambroſius libr. 4. de officiis Chriſtian. c. 27.* unicuiq; inſita cupiditas & veri docendi & diſcendi. Ad eam igitur ego æquè excitatus, abjudicanda nunc palàm repudio; quo & via curandi fit rectior, cujus rationem optimus quisque ſemper habet maximè.

Nunc idem *D.D. Dan. Sennertus* à vero rursus se abduci patitur. Nam hîc *in quæstione septimâ humorem serosum* dat *in capite cumulari* & *per externas* (sunt ejus verba) *corporis partes delabi, sed rarò in Arthritide.* Ac cap. 6. de Isch. ita differit. Nonnulli & arthritidis vertebrarum dorsi in specie mentionem faciunt: & concedimus eam interdùm dari, quæ etiam eandem causam & curationem habet, quam aliæ arthritides. Videndum autem hîc, ne decipiamur ac quemcunque dorsi dolorem pro arthritide habeamus. Sæpè enim accidit, ut ex *materiâ serosâ* & *à capite defluente* in dorso, & *præcipuè secundum ductum musculi cucullaris dicti descendente & ad spinam in fine ejus musculi hærente* dolor excitetur: qui tamen arthritis non est, cum non in partibus ad articulum pertinentibus accidat, sæpè etiam momentaneus sit, ac dormientes affligat, à somno verò *surgentes deserat & evanescat*, quod in verâ arthritide non accidit. *Hæc ille.* Certè ego & in hoc resisto. Nunquam serosus humor *in capite cumulatur*, nec *ê capite defluit*. Si qui humor subter cutem capitis colligitur, non decurrit. Quapropter ea tùm incidenda est, ut detur exitus. Si puer eo *hydrocephalico* morbo, quo humor inter cutem capitis, sæpè ut fit, retinetur & inter *pericranium*, graviter diuque premitur, nunquam inde fit decursio, ut *Scapulæ* tandem doleant aut *brachia*. *Musculus Cucullaris* quidem ab *inferiore parte ossis Occipitii* originem trahit, verùm humor non secundum ejus *ductum*, ut vult *Sennertus* & loquitur, deorsum manabit. Sudationes illæ privatæ intra cutem aliquando fiunt & collectiones quoque, similes autem defluxiones nunquam existunt. Quam ad cognitionem & *Hippocrate* doctore deducimur. Hic *libro de locis in homine & de morbo sacro* â carne humorem, unde & dolor tandem fiat, sub cute pronuntiat exudari. Talem arteriæ intervomunt. Eundem quoque rursus venæ trahunt. Quare ille dolor aliquando non diu sentitur.

Tàm multa in *Sennerti* opinione habentur, quæ corrigenda sunt, quæ prorsus novanda, quæ & abjudicanda, inventis meis novis itineribus *Catarrhorum.* Constitutum igitur sit, *arthritidem* nullam à *Cerebro* vel à *Capite* proficisci; Nec ullum humorem, eo morbo jam infestante, in *Cerebrum effundi*, nec denique à *Capite*

vel

vel â *Cerebro* per *venas arteriasq́;* aut per *nervos* aut per *Spinalem Medullam* aut per *ductus Musculorum*, ut ſentit *Sennertus*, in artus ferri. Aliud ex alio nectitur, uno labefacto, labant omnia. Nec eo in genere nimius videbor, qui inchoata rurſus perſequor. Quid de quâque re certi habeam, magis magisq́ue cupio exponere. Multi me tacito has videbunt ruinas. Semper lumen veritatis apparet ſeriùs. Sat benè & cum iis nunc agitur, quibus contingit, ut falſa vel in ſenectute deprehendant. Hæc opinio, quæ ad noſtram ætatem viguit, mirificè eſt diſperſa. Quare ſemper habeo, quod innovem. Nec ea me tenet libido, ſed ſtudium veri. Pro eo qui dicit, contra multos dicit. Hic vix fugiet odium. Eoq́ue me minus inſtituti mei pœnitebit. Nec æqui viciſſim deerunt judices. Ego nunc rem paucis complectar. Noſtrâ ſententiâ *Sanguis*, *arthritide* hominem tentante, incaleſcit. In eo *primus* exiſtit *motus*, hinc *arteriæ pulſus* major, *febris*, *vigiliæ*, aut *ſomnus altus*, *capitis gravedo*, *dolor artuum*, & *cutis inflammatio*. Privata illa membra, ut *Matrix*, *Stomachus*, *Renes*, *Hepar* non proximè ac ex ſeſe humores fundunt in artus, ſed vitioſus, ſabuloſusq́ue ſanguis invaletudine cujuſdam viſceris ita moveri poteſt, ut *articularius* morbus protinus inſequatur.

CAP. VI.

CAUSÆ.

An humor Tartareus?

HUmorem *Arthritidis* ita *Sennertus* definit: *humor eſt ſeroſus aqueus, ſed ſalſus & acris, & ut* Chymici *appellant*, *Tartareus*, *qui ob id non ſuppuratur.* Illud *Tartarei* humoris genus non memorat *Galenus*, homo *Græcus*, ignoratq́ue *Latinus* Autor. Aſt id vocabuli diu & ante *Sennertum* in vulgus fuit pervulgatum, ac Lippis, tonſoribusq́ue ſemper in ore. Eâ ætate docti & indocti ſibi aliquanto altiùs ſapere videbantur, verbo tàm peregrino uſi. Meritò igitur de hujus ipſius nominis ratione videt Clariſſ. Dn. *Philippus Jacobus* Sachs, Tartari nomen, *inquiens*, à Syris eſſe deſumtum, putat *Martini* in Lexico Philoſ. f. 3853. Quamvis & ♀us dicatur, quia

ob-

obſcurus & in vaſis imis præcipuè ſervari ſoleat. V. de ☿i Etymol. Renod.de Nat.Med. l. 1. c. 5.Paracelſus l.1. de Tart. c.Eleganter Cl. D.Febr.in Lit.ad me datis,ſi nugari liceat curioſo tantillum de ☿o, jure meritò ei nomen *idem* cum *inferno*, quod voraciſſimus ſit & omnium rerum tincturas facilè in ſe recipiat, Proteique aut chamæleontis alicujus inſtar omnium rerum colores æmuletur, quod ἐγχείρησις docet. Nomen Tartarum vel Tartarus aliàs apud vetuſtiſſimos Medicos, quantum ego ſcio (inquit Exc.Dn.D.Bauſch. Phyſ. Schwinf.) non legitur, illi enim forſan de eo ſub nomine *Fæcum vini* mentionem fecerunt, verùm ante Paracelſum hoc vocabulo uſi ſunt Nicol. Præpoſitus, Petrus Argillata, Leon.de Prædapalea, Concoregius, Platearius. Hinc Hadr. Junius in Nomencl. vocabulum Barbaricum eſſe dicit. *Hæc autor.* Verùm de re ipsâ æquè laboratur. Nam & eam Autores â *Galeno* profecti, diligenter pendunt. Et hoc eſt, quod *David Cruſius* libro primo *Theatri Hermetico Hippocratici capite decimo ſeptimo* ſcriptum reliquit: Magna pars diſcordiæ,quæ inter Galenicos & Hermeticos fovetur, ex terminorum Chymicorum obſcuritate (obſcuri autem illi ſunt non reſpectu ſui, ſed ignorantium) eſt orta. Cùm autem vocabuli *Tartari* hoc libro aliquoties ſit facta mentio, ne termini novitas aut obſcuritas lectorem detineat, ex ipſo Paracelſo ejus ſignificationem eruere conabor. Eſt ergò *Tartarus* excrementum per ejus ſpiritum coagulatum : Paracelſus tom. 1. l. 3. de orig. morb.ex Tart. tract. 3. Per ſpiritum coagulantem verò eſt intelligendus Spiritus Salis. Coagulatio enim omnis ex ſale,Paracelſ. tom.2.lib.de morb. Tartar.c.3. 5. 9.12.& tom.3. l. 1.de Tartaro tract.3.annot.in c.2. Spiritus verò ille ſalis eſt balſamus naturæ,qui ſuſtentat corpus,ne putreſcat,Paracelſ. tom.3. l.1.de Tartaro c.2. Annot.Videatur etiam Gerard. Dorneus in clav. philoſ. chymiſt. tit. de Philoſ. Speculat. fol. 162. Et hæc eſt genuina vocabuli & ſignificatio & explicatio. *Hæc hic.* Ac ex eodem *Chymicorum* genere *Andreas Cneuffelius:* Tartarum dixi hunc affectum, non meo,ſed & veterum *philoſophorum* & rectius ſentientium Medicorum nomine, explicat enim ægri affectus doloroſi non tantùm naturam & originem, ſed etiam accidentia ſive dolores. Tartarus vulgò dicitur infernus, item fæx

vini,

vini, Germanicè Weinstein / Tartarum hunc si infernum dicas, dixeris dolores & cruciatus plus quàm infernales. *Item Johannes Raicus libro de Podagra :* Omnia alimenta, & quæ juvent, & quæ noceant, habent. Hipp. l. de locis, aff. l. de prisc. med. & l. 4. morb. ij. autem morbi, qui ex sale fæculento alimentis admisto, quodque digestioni & egestioni per sua emunctoria adversatur, oriuntur, oriri à tartaro dicuntur, trallata significatione à tartaro vini, in quo hujusmodi signaturæ evidentes sunt. Hipp. l. de aer. loc. & aq. Tartarum vocat noctem referens quid, sicut ib. purum nutrimenti, quod Spagyri Rubinum vocant, splendidum appellat. Hic tartarus vel solus morbum causatur, vel aliis etiam permiscetur impuritatibus; id quod per melechah i. e. salsilaginem, Hiob 39. Psal. 107. Jer. 17. & gaphrith h. e. bituminosum, sulfureum quid, Scriptura innuit, Deut. 29. Etsi verò quoad externas signaturas, & corporeas, alteratus talis in corpore appareat tartarus, quale elementum & humor adparet, in quo latet: tamen quoad internas signaturas principii sui planè non est alterabilis, sed indomitus, Hipp. l. de aer. loc. & aq. Sedimentum Urinæ argumento est totum tartareum, & salsis excrementis refertum, testimonii sunt calculosorum calculi. Ostendunt podagricorum articulorum substilla, & tophi. Astipulatur Hipp. l. de prisc. med. sexcenta homini inesse ait, quæ pro copia, & viribus varias habeant facultates ὁμοθυμαδὸν succinit Galenus, qui humores acutos, salsos, acetosos, nitrosos, æruginosos admittit, & l. 4. s. m. f. c. 16. sanguinem morbosum aut salsum, aut amarum vocat. Atqui hæ sunt tartarearum salium proprietates: non profectò comparatè; sed realiter. *Atque etiam Peter Poterius :* Tartarus seu Tartarum nomen sortitur à fæce vini, quod trinâ substantia constat, cum propria tinctura, salina, sulphurea, & mercuriali. Tinctura cum dictis tribus, naturam seminis, ex quo primùm genita fuit, retinet. Sic in homine sanguinis fex Tartarus appellatur. Duplex verò est Tartarus: unus crassus & fæculentus, qui ima tenet; alter tenuis, qui vini corpori miscetur. Rursus iste duplex est; unus, qui, exempli gratiâ, seorsum â vino liquoreve alio, vel à sãguine segregatur, & doliis atq; vasis adhæret; alter tenuissimus, qui perpetuò vini, vel liquoris corpori mixtus manet, neque

unquam â corpore liquoris segregatur: Coagulatur verò à spiritu salis, qui formam ipsi dat, juxta locum in quo reperitur. Est ergo materia quædam excrementitia, ab alimentis sub forma resoluta, ita ut discerni nequeat, & ad coagulationem apta. Differt Tartarus pro regionum, terrarum, & aquarum varietate, atque prout aliæ terræ, & aquæ puriores. Rursus est Tartarus, vel viscidus, vel bolaris, vel arenosus, calculosus. In universum tot sunt Tartari differentiæ, quot sunt alimentorum species.

Interea audiendi non sunt illi, qui putant, Tartarum idem esse, ac phlegma: Nam Tartarus in omni re liquida, etiam in aqua, omnibus succis, fructibus, eduliis, &c. reperitur; non ita phlegma, quod extra corpus humanum non est. Præterea pituita incoctus est sanguis; non ita Tartarus, qui ubique adest, nec coctiones respicit. Non nego reperiri ipsum in humore, nec propterea idem est. Caseus est in lacte, nec propterea lac est. Et ut clarius Tartari notitiam habeamus, intelligendum est, materiam Tartari esse superfluitatem naturalem, hoc est, â natura rebus insitam, & segregationem quandam, quæ juxta concordantiam cum seminis parte miscetur. Et ut rem magis intelligas, suppone, quodlibet corpus debere esse simplex, nullâ re miscellaneâ contaminatum, ita ut aqua non esset, nisi aqua purissima, absque ullo additamento; sic succi herbarum puri & sinceri, absque ulla permistione: quod tamen ita esse minimè videmus, imò contrà in omnibus purum cum impuro mixtum esse cernimus, hoc est, fæces, & Tartarum; ut cum aqua lutum, cum vino fæces mixtas reperimus. Illud igitur impurum, quod separari debet, Tartarus ipse est, non quod Tartarum cum fæcibus, quæ sub impuritatum nomine comprehenduntur, confundamus; magna enim differentia inter illa est: Nam impuri materia duplex est: una, quæ resolutioni, altera, quæ coagulationi apta est; illa fundum petit, hæc vasis parietibus adhæret: nam fæces ex sui natura fundum petunt, Tartarus verò non nisi beneficio spiritus salis coagulatur. Exemplo res illustrabitur. Alimentum, quod assumitur, in ventriculo post concoctionem separatur in fæces, & humorem sanguini gignendo idoneum. Fæces per intestina rejiciuntur, tanquam res impura; materia sanguinis, imò ipse sanguis

Tarta-

Tartarum in se continet, qui variis in locis coagulari potest. Usque adeò ut clarè appareat, omnem humiditatem è terra provenientem, habere in se innatam quandam salsedinem & tartareum quiddam, quasi viscositatem apparentem, quæ â reliquo humore se separat, & in corpus solidum coagulatur.

Quòd si facultas concoctrix, seu calor naturalis in liquoribus tartaream impuritatem non separat, sed permixtam cum alimento esse patitur, fit ut in hominem quoque perveniat: Nam quia necessum est, nutrimentis quotidiè uti, ali, ac sustentari; tartarea autem materia in ipsis nutrimentis cibi, & potus sita sit, ex necessitate indies purum cum duplici impuro assumimus, unde morborum maxima pars originem ducit. Ex his satis patet, quid sit Tartarus, qui plura desiderat, Paracels. adeat, & ejus libros de Tartaro legat. *Hæc hic.*

Istius generis disputationes cunctæ de Scholâ *Theophrasti Paracelsi* sumuntur; Omnia, quæ terra producit, sunt lapillosa. Stomachus autem statim, ubi ad se recipit comesta & ingesta, separat impurum â puro, quod nutrimentum est: si fortis est stomachus, purum transit ad membra nutrimenti causâ, impurum per secessum exit: si stomachus debilis, mittit impurum etiam ad hepar, ubi quoque separatio fit, si hepar forte, rectè separat, & simul mittit mucilaginosum cum urinâ ad renes, si hi benè separant, rectè est, sin minus, remanet in istis mucilaginosum & lapideum & coagulatur in arenam, quam voco Tartarum. In aqua est materia lapidea, sicuti si diu bulliat vel destilletur, adhæret ut Tartarus in vase. Tartarus sæpè per alvum exit. Si vis expulsiva debilis est, vis salis coagulativa facit Tartarum. Tartarus post primam digestionem, ut dixi, quæ fit in stomacho, transit ad secundam separationem, & digestionem in hepate, posteà transit ad tertiam separationem & digestionem, quæ fit in renibus, posteà nulla est separatio aut digestio, sed illud sal, quod descendit ad renes, sal scilicet resolutum jacet in renibus & separatur, superfluum expellitur in vesicam & mingitur. Si verò separativa & digestiva virtus in renibus non est perfecta, jacet in Renibus, hinc morbi. Urina non est, nisi sal, sic ex petra nascitur sal petræ, sic ex urina coquitur lapis & sal nitrum. Ut dixi, ge-

neratio Tartari venit ex defectione separationis stomachi vel hepatis. Homo habet in suo corpore sal. Sal Sanguinis est amarum. Sic ergò jectigatio venarum est ex oppilatione Tartari in venis,& sic sæpè fit, quod vena incisa non fluit: tunc dicunt nostri, quod melancholicus sanguis sit,quod non est verum,sed est Tartarus,qui oppilat, ideò bis aut ter vena est secanda magis versus principium obstructionis,donec fluat,vel imponendum,quod Tartarum internum resolvat: nam si sanguis ille lavetur, invenies lapillos, ideò non solùm arena est hæc, quæ per urinam transit,sed ea ubique est: Sic & in oculis sæpè nascuntur lapides: nam liquor salis, qui est in capite, sedere potest ad oculum. Ita etiam in vulneribus capitis sæpè vidi lapillos albos emplastris adhærentes. Quando Natura seipsam purgare vult,purgat se per sudorem. Sudorem externum si gustaveris, salsus est, & si in vitro lentè permiseris siccari,videbis lapides. Quod ventus in corpore sit,clarum est,quia in sanguine ventus est. Tartarus sedet in venis. Hippocrates & alii dicunt, quod lapillus originem habeat ex phlegmate coagulato, sed falso; quia si ex phlegmate, quoque in naso orietur lapillus, non est vis phlegmatis generare lapidem, sed phlegma in nobis est humor naturalis,nullam lapidositatem in se continens: nam si phlegma esset lapideum, etiam omnes podagrici in pedibus & articulis lapides haberent. Ego autem lapillum sive arenam,voco Tartarum, quia omnes generationes, quæ ad Usneam transeunt,Tartarus vocatur: sic omnes fæces, quæ ex aquâ & melle &c. Tartarus sunt: nam omnia, quæ terra producit sunt lapillosa: nam omne vinum fert Tartarum in vase, tum in stomacho. Tartarus vel Tartarum est omne generatum ex eo, quod comedimus & bibimus. Tartarus ergò ab ingestis bibitis & comestis provenit, scilicet ex debilitate separationis membrorum. *Lephanteus sive Lephante* prima species, est bolus; *Pruina* est tenuis Tartarus in plicis stomachi & fit in vesica, in viis urinæ & hepate. *Gemma* est lapis generatus ex diaphono. *Usnea* est Tartarus tenuissimus & spongiosus, nascens in arbore. *Grandines Tartari* sunt, quùm per urinam quis parvos calculos ejicit. Unde rursus *Andreas Cneuffelius*: Si vini fæces sive excrementum ad doliorum parietes adhærens tartarum indigitabis,

per

per aptam illam ſimilitudinem; cauſam, naturamque ſimilem in corpore humano,ejuſdemque canalibus & ductibus, venis, nervis, angulis, articulationibus,exprimes. Nimirum tale quid fæculentum, à natura in illis partibus non bené ſequeſtratum,ſed relictum, & in tempore in tales lapides coagulatum & compactum: excitans tam atroces dolores & impedimenta organorum omnium, in quibus hærent illæ tartari fæces coagulatæ, & nonnunquam cum ſingulari acrimonia interceptæ. Quemadmodum enim vetus & defæcatisſimum vinum, cum tempore ſui ipſius caloris digeſtivi interni beneficio, purum ab impuro ſeparat, impurum amandat ad Spondylia vaſis, eaque præfato modo lapillorum vel ſalis coagulati inſtar incruſtat; Ita par hujus in corpore humano doloripari Tartari, & ſimilis eſt generatio. *Hactenus ille.*

Nunc multi Autorum,qui *Græcorum* dogmata maximè ſe probare,præ ſe ferunt,à verbo *Tartari* omninò abhorrēt,ut *Georg:Bertinus*: Quæ cum ita ſint,ſerum uniuscujusque humoris vel ſanguinis vel bilis, vel pituitæ vel humoris melancholici hujus affectus exiſtit ſeminarium, ut locupletes teſtes ſunt, Hippocrates & Galenus. Ex his patet contumelioſus & ridiculus Paracelſiſtarum error, qui dolorem articularem à *Tartaro* generari ſibi falsò perſuaderit. At Tartarum, quod in noſtro corpore conſiſtere & procreari nequit, ſique exiſteret naturâ craſſum, ad articulos nequaquam permeare poſſet. *Item Thomas Eraſtus* Tractatu *de Podagrâ* nîl eſſe ait, quàm ſulphur in Synovia accenſum. Ac alio libro de Podagrâ & ſpeciebus,in quo ſeipſum inſaniendo viſus eſt ſuperare voluiſſe, hæc legimus: Quid corpus podagræ (ſic vocat materiam efficientem) eſt aliud, quàm corpus ſalis? quàm glacies? quàm Synoviã? Quomodo ergo podagra poteſt eſſe *morbus Tartareus. Itemque Rodericus à Fonſeca lib.1.conſult.7.*cauſa conjuncta hujus mali,non eſt ſola pituita tenuis à cerebro defluens,ut putavit Fernelius,ſiquidem oſtendunt ſymptomata, varios eſſe humores & diverſas quoque curationes, nec videtur eſſe *Tartarum Paracelſi,* quaſi ſal coagulatum in articulis contentum, quia ſic omnis podagra eſſet tophacea. A*tque Tuſſanus Ducretus.*: Paracelſus rejectis omninò propriis, uſitatis, ac ſignificantibus rerum notis ac vocibus, novas, in-

usitatas ac etiamnum absurdas excogitavit. *Tartarum* ait in stomacho gigni. Atque concedatur, tartarum fieri in ventriculo & illi prius inhærere? An idcircò Arthritidis efficiendæ materialis causa esse potest. Cum ad articulos deferri, necesse sit, antequam Arthritis fiat, & dicatur? Sed quonam pacto tam repentè possit noxius ille *tartareus humor*, in ventriculo concretus, primo quasi insultu & quasi momento, ex ventriculo in extremas corporis partes, in manuum, coxæ genuum, pedumque articulos & juncturas ita secerni atque deponi? ut videre est in hoc affectu, quo ipsi ægri aliquando non prævisis, neq; perceptis quibusdã signis, vigilando, somniando, edendo, quiescẽdo, derepentè capiuntur. Undenam comperta tam expedita permistarum rerum secretio atq; depositio? Quod si neq; id de sola pituita crassa lentaque adhærescente in ventriculo aut bile atra quis dicere vix audet? Absurdum certè dictu est, *tartarum* hoc visco glutinosius, gypso tenacius, saxoque durius, per vias adeò strictas & angustas à rebus aliis humidioribus, quas in corpore videre est, secretum, in has partes defluere. *Hæc ille.* Sed principe loco facilè princeps *Galenicorum* Autorum, *Johannes Fernelius* est commemorandus; vocat pituitosum & serosum, cujus parte tenui dissipata, dissolutaque, *fæx quædam terrena* manet, quæ in manifestum tophum & calculum digitorum præsertim in articulis concrescit. *Inde* eundem humorem *Felix Platerus terrenum, salsumq;*, sicut & eum *Rhasis* interpres vocat *crudum phlegma*, acidum *& salsum.* Horum agmen non sine causâ claudat *Caspar Hofmannus Institut: Medic: libro tertio cap. CVII. cujus verba hæc sunt:* Sed quæ materia Arthritidis est? Cauto hîc opus est, ne cum Galeno in 10. illo κ. τόπ. recipiamus omnes humores, sanguinem, bilem utramque & pituitam, seu crudum humorem, omisso sero: immò & in rei veritate, *solum serum est, quod ipsum etiam solum lapidescere potest,* ob exhalationes terrestres plurimas, quas in se habet, ut alibi ostenditur. Sed quî fiat, quod pars affecta, modò rubet, modò pallet, modò inflammata, modò œdematosa est? Scherbius dicebat, irritatâ ad expulsionem naturâ, irritatur simul totum genus venosum, ut unà cum sero effluat aliquid sanguinis illius, qui in cor-

corpore est. *Hujus autoris* judicium meritò fiat plurimi. Ad hoc revertar, si omnia repetiero.

Est mihi certè moris, disputata tandem in examen revocare. *Tartarum*, *inquit* Lex. Chym. *Gulielmus Johnsonus*, est vini calculus aut lapis vasorum lateribus adhærens. *Tartarus* à similitudine dicitur à Paracelso calculus in homine, renum lapis & arena, reliquorum quoque membrorum, ut glutinis albi, cujus tartarum podagræ causam ponit. *Hæc hic.* In eundem *Paracelsum*, ceu in primum *Tartari* inventorem nunc ipse *Baptista Helmontius*, fautor *Chymicorum* ingens, perquàm contumeliosè invehitur. Ex multis libris, *inquit ille*, quos Paracelsus de Tartaris scribit, in breve Syrma contraham. Natura primùm virgo venusta à peccato polluta est. Itaq; Creator statuit, quod terra deinceps tribulos & spinas produceret, sub quorum allegoria *Tartarorum* maledictio & ortus nobis designantur. Felix ergo solus ille stomachus & jecur, quæ *Tartari* quisquilias â putidis excrementis in limine ablegare norunt. Vino siquidem in vase, quaquaversus lapidoso cortice incrustatur, qui est *Tartarus*, â fæce diversus. Hospes ille cæterùm, per alimenta, advena, vocatur *Tartarus* peregrinus, ad distinctionem illius, qui intra nos, lege microcosmicâ, concrescit spectaculo fatali. Hæc Paracelsus de Tartaro collegit Helmontius. *Et adjunxit:* doctores Galenici tartarum admiserunt, & remediis, quæ servis fugitivis mendicârunt, uti cœperunt. Ita Galenistæ ad Tartaros (pervenére.) Primum affigitur novâ coagulatione Tartarus. In regione fæcis non reperitur Tartarus. Alterum & majoris momenti notabile esto, quod prorsus impertinenter vini Tartarus ad similitudinem coagulatorum in nobis sit assumptus. Quare impertinenter tartari vini nomen, historia, modus atque finis, in causas morbificas sunt introducta. Cognoscant hinc Paracelsi Scholæ, quàm malè quadret *Tartari* speculatio morbis etiam iis, quorum ergô est inventus. Eò, quod Tartarus potius inter sales sive succos sale coagulatos, quàm inter lapides sit annumerandus. Quapropter Galeni doctrina muccida tota ac pituitosa, seminata in petrâ exaruit, sterilis sine spica & fructu mansit in Scholis, ibidemque sub cathedra ægrotavit, & jam jam mox discussa in pulverem, friabilis evanescet. Equidem sequentes

tes ætates ad credendum, quàm investigandum proniores secutæ sunt antecedentium gregem, euntes, non quà eundum, sed quà itum erat, avorumque inscitiis sub ignaviæ ductu, faciles scholæ subscribunt hactenus tantæ ignorantiæ. Atque hic *Tartari* morbosi inventor fatetur Tartarum vino præstantiorem. Nec dentalis ille Tartarus est Tartarus. Satisque impotenter ac sine probatione affirmat, lapides & omne corpus solidum cum Tartaro vini, in omni proprietate simul convenire: Siquidem ista sua assertio gratis est, absque veritate & probabilitate. Calculus namque in nobis, alio semine, medio atque progressu generatur, quàm Tartarus è vino aut lapis ex aqua. Tres videlicet in universo sunt corporum Monarchiæ: Animalis, vegetabilis, & mineralis. Lapis ideò triplex est, totaq; Monarchia distinctus. Differt namque saxum, â capsa nuclei mespillorum, persicorum &c. & utrumque iterum â lapide cancrorum, bezoar, limacum, piscium, calculo humano &c. Tres isti lapides longè iterum simul distant â Tartaro vini, qui non inter lapides est reponendus, cùm sit liquor salis concretus.

Hic gloriosius, at inglorius, *Helmontius*, illud Barbarum *Tartari* nomen non primus damnavit. Sat vulgatum est, quod ante istum *Helmontium*, *Johannes Asverus Ampsingius* disputatione de *Calculo* scriptum reliquit. *Verba* recognosce. *Magno supercilio contendit, illam hypostasin humoris, quæ à Galeno* fæx *dicitur, non debere amplius istis nominibus appellari, sed donandum esse novo nomine* Tartari: *id ille quidem satis pro imperio. Nos verò respondemus 1. in in qualibet Facultate fugiendam esse vocum & terminorum novitatem. 2. Paracelsi & Quercetani autoritatem tanti non esse. 3. Tartarum cùm sit vini in quarto modo proprium, de omni, solo & semper non posse citra magnam vini injuriam ad humores humani corporis transferri, ut & sal salsum, sal amarum, sal acidum. Non puduit vocabulum Tartari vino proprium ad hominem transferre, maximè impropriè.* De hoc autore *Helmontius* illa petiit, alia adjiciendo, alia mutando, ut fur signa rei surreptæ tollit. Quàm multa idem *Helmontius* notat, quæ multò antè prodidit *Petrus Severinus, Danus*, Ac ante ipsum *Paracelsum* verbum *Tartari* fuit usurpatum. Jam verò *Galenus* humorem *melancholicum libr. 17. Meth. Med. cap. 7. & com. 4. Aph. 21.* cum *fæce vini* comparavit. *Tartarum* ferunt in ipsis visce-

viſceribus terræ ſitum, obſitumque nocte. Chriſtianum Tartarum *Tertullianus libro de judicio Domini* perquàm eleganti carmine pingit. Quodque etiam *Tartareum* dicitur, illud, *Varrone* & *Servio* interpretibus, eſt terribile. Cæterùm fæcibus vini *Galenus lib. de comp. Medic.* vim abſtergendi, ſtimulandique attribuit. Si alvus eſt adſtricta, inquit *Alexander Benedictus*, *ex jure propinatur vini fæx trita, quæ intrinſecus dolio adhæreat, peculiari nitore ſplendens. Quidam crapulam corrupto nomine, Veronenſes crepulam vulgò vocant.* Nec non *Platearius* libro de Simplici Medicina (*Circa inſtans* dicitur) ad hunc modum: Tartarum dolio adhæret, per XXX. annos durat, virtutem habet diſſolvendi, attrahendi & exſiccandi. Hoc pulvere cum aliquo Electuario ſic confecto utuntur Saraceni, ſicut laxativis medicinis. Atque *Rhaſis* interpres, *Albanus Torinus* eodem *Tartari* verbo utitur: ℞. Salis gemmæ, aluminis, *Tartari* ana miſce cum oleo antiquo.

Tartari nomen igitur relegetur in Orcum. Quod D. D. *Sennertus* in Scholam Medicorum induxit, id eâdem nunc expellendum. Et quidem jure, ut lib. 3. de cat. cap. 7. quoque oſtendi. Cur uſurpetur verbum, quod non intelligitur, quod quoque anceps & obſcurum eſt? *Ut ſi quis Medicus*, inquit M. T. Cicero lib. 2. de divinatione, *ægroto imperet, ut ſumat*

Terrigenam, herbigradam, domi-portam, ſanguine caſſam.

Cur non hominum more apertè dicit *Cochleam*. Huic quoque Vini Tartaro, ut vocant, haud poteſt conferri vel *Tartarus* ſeu materia *calculi* aut *arthritidis*. Sunt diverſæ res. *Tartarus Arthritidis* eſt Sal, qui humoribus mixtus, fluit, & quoque poteſt rurſus indurari. Nec ea eſt privata *Helmontii* opinio, quam *Gelfuſius* & Dn. D. *Johannes Sophronius Kozak*, Vir Clariſſimus, exponunt. Idem edocetur, quod ſuprà pronuntiavit jamdudum *Gaſpar Hoffmannus*. Et ea, quæ de *Archeo* ſcribit *Helmontius*, commodiùs interpretari poſſumus. *Ejus verba hæc ſunt:* Concidunt igitur Tartareæ nugæ. Archeus ſecernit excrementa. Memini gallum furfure triticeo ſaturatum, excreviſſe furfures integras, abſque farinæ flore, mox autem fame preſſum, egeſtos furfures iteratò comediſſe, & in ſecundo fimo omnem furfurem in liquidum excrementum rediiſſe. Unde

didici, si quicquam inter excrementa appareat minus comminutum aut mutatum, id non esse vitio Tartari, sed digestivæ errore. Quocirca etiam conjeci, virilem ætatem minus lumbricis obnoxiam, quàm sit senilis aut puerilis. Unicus enim panis, in hoc, totus ferè reducitur in cruorem, qui in illo in excrementum cedit. Cruor item fit os, caro, jecur, cartilago &c. Variasq; subit indurationes, non Tartari ergo, sed transmutativæ virtutis Archei. Duelech post peccatum excremento morboso, non autem intentione naturæ, neque ex materia petrosa aut tartarosa, sed per accidens, errore videlicet facultatis, morbosum semen nascitur, necessitate agentis connexi. Igitur nulla est in aquis materia, quæ ad Tartari vel Duelech tragœdiam in nobis concitandam sit creata. Si quid porrò mali nunc sit aut fiat, inter digestiones id sanè non ex materiæ creatione, destinatione, proprietate, efficiente & intentione finali creatoris, sed nostri prorsus errore & naturæ corruptione defluit. Scholæ enim rustico more de rebus naturæ judicium ferunt, ignorantes, quod multa fiant operâ efficientis transmutationem, semine inquam coagulantis & inter transmutandum operantis, quæ neutiquam materiæ debentur, nec illarum caloribus, fictisque elementorum congressibus. Vidi enim duos gemellos, eâdem quoque nutrice ac cibis educatos, quorum major calculosus, non item minor erat.

In eam partem multa *libro* dicto *de catarrhis* disserui, ostendique etiam *calculos* conditione loci formari. Nec *Helmontius* negat referre, quæ cibaria sumantur. Qui vino *Ungarico* aut *Bohemico* quotidiè ebrius est, is tandem redditur podagrosus, qui verò idem vini genus modicè potat, non item. Atque non multum salis aut tantum, quantum facilè discuti potest, huic articulariæ inflammationi interdum inest. Quàm multi, jam depulso hoc malo, quàm firmis rursus sunt articulis? Aliquando quidem *tophi* succrescentes vinciunt pedes. Unde hoc corporis malum dicitur ποδῶν ἄγρα. *Podagram*, inquit *Isidorus*, *Græci à retentione pedum dicunt nominatam*. Ac ab *Hesychio* Podagra vocatur ποδῶν πάγη. Unde *Christophorus Balista* admodùm scitè:

Falla-

Fallacem pedicam fera qua constringitur, ipsis
In pedibus, ποδάγραν Græcia docta vocat.

Ac apud *Plutarchum Strabo* appellat ψελλισμὸν. Σύλλα τε διατρίβοντι περὶ τὰς Ἀθήνας, ἄλγημα ναρκῶδες μετὰ βάρους ἐς τοὺς πόδας ἐνέπεσεν, ὅ φησιν ὁ Στράβων ποδάγρας ψελλισμὸν εἶναι. Interpres ita: *Agenti Athenas Syllæ dolor cum gravedine torpidus decubuit in pedes, quem podagræ balbutiem Strabo ait esse.* Nunc adhuc *Hieronymus Gabucinius:* quæ verba interpres ita vertit: Syllæ moram trahenti circum Athenas dolor stupidus pedibus absque molestia incidit, quem Strabo ψελλισμὸν, id est, balbutientem podagram appellat. Quibus in verbis plura adnotanda sunt. Primùm quod interpres podagram balbutientem vertit; quum potius podagræ balbutiem vertere debuisset: nempe podagræ initium: sumpta à pueris metaphorâ, qui inter initia loquendi primùm balbutiunt: postea verba rectè pronuntiant. Quibus etiam verbis colligi facilè potest, Syllam podagrâ tunc laborare cepisse, proptereaque ex usu calidarum aquarum convaluisse: alioqui si vetustus fuisset morbus, ægrè depelli potuisset. *Hæc ille.* At *Thomas Reinesius* sagaci indagine *Podagræ compedem* hîc vocari ait oportere. Ad tumorem illum duriorem respicit *Ovidius, nodosam* vocans, item *Aur. Prudentius: nodosa torquet quos podagra & arthesis*, ad ipsam verò materiam *Persius:*

-- -- -- *Sed cùm lapidosa chiragra*
Fregit Articulos.

Limosam cognominat *Cassiodorus. Humorem Podagræ* nuncupat *Homil. 36. secu. Lucam D. Gregorius M.* Theophanius, *inquiens*, cùm appropinquante mortis tempore, gravissima aeris tempestas obsisteret, ne ad sepeliendum duci potuisset, ac conjunx requireret, quomodo sepeliri posset, cùm ostium domus egredi præ nimia tempestate non liceret, respondit, noli mulier flere, quoniam mox ut ego defunctus fuero, aeris serenitas redibit. Cujus protinus & vocem mors & mortem serenitas est secuta. Cujus manus ac pedes *podagræ humore* tumescentes & versi in *vulneribus* fuerant, & profluente sanie putebant. Sed cùm corpus illius ex more ad lavandum fuisset detectum: ita manus, pedesque illius sani reperti sunt, ac si unquam

quam vulneris nihil habuiſſent. *Hæc autor*. Scire convenit, *vulnera* hic, ut ſæpè, denotare *ulcera*, & quidem ea, quibus *humor podagræ* gelatus & aſper exit, ſciſsâ cute. Eleganter quoq; ille: *Probianus inſanabili podagræ elanguit* vulnere, *ac nullo humanæ artis potuit curari medicamine*. Gloſſæ Latinorum ita: *vulnus, ulcus*, τραῦμα. Item *vulnus*, τὸ ἕλκος, cùm diſtrahitur à corpore, unde ἕλκος, ἀπὸ τοῦ ἕλκειν. Quapropter & *Dio* lib. 66. ita loquitur: Severus equo vehebatur, licet ei *plantæ* pedum, quæ ſanæ non erant, ſectæ eſſent. Καὶ τοὺς ταρσοὺς ὑπὸ ἀσθενείας ὑποτετμηκώς. Interpres *plantas pedum* dicit, at perperàm, notante *Iſaaco Caſaubono*. Articulis pedum, *inquit hic*, præciſis, non autem plantis. *Aſt* & *Caſaubonus* parùm rectè. Nam *articuli pedum* non erant amputati, ſed maximus pedis artus, qui *Tarſus* dicitur, erat *podagræ* nodo ceu vulnere apertus. Sic & via, *Stephano* docente, τετμημένη Græcè dicitur, hoc eſt, ſecta ſeu via aperta. Pænè compari ratione *Imperator Severus*, cùm *podagræ humor* jam induratus, cutem prædicti articuli ſuâ aſpretudine ſauciaſſet, à *Dione* τοὺς ταρσοὺς ὑπὸ ἀσθενείας ὑποτετμηκώς dicebatur. Atque hoc humoris genus non tantùm eſt aliquando ſabuloſum, ſed quoque inſtar cretæ aut calcis candidulum. Unde prædictus *Casſiodorus* & ſimilem tumorem appellat *marmoreum*. Talisque materia ex confinio juncturarum aliquando eruitur quàm copioſisſimè, ut lapidicinam ſubeſſe credideris. Græci, *inquit com: in Perſ. S. V. Caſaubonus*, illos lapides vocant & Philoſophi & Medici πόρους. Horum tanta copia in affectis partibus aliquando generatur, ut prodigiis ſimilis res ſit. Vivebat non procul urbe, cùm hæc ſcriberem, vetus quidam arthriticus, à cujus corpore (exibant autem ex omnibus partibus) plus vel exciderat vel extractum fuerat lapidum, quàm quantum ipſe penderet. *Apud Lazarum Riverium* obſervat: XII. commun: hæc leguntur: D. Chomel Medicus Annonæenſis ſcripſit ad me, ſe nuper Arthriticum vidiſſe variis articulorum ulceribus ſcatentem, ê quibus calculi tophacei plusquam ducenti exierant, piſorum magnitudinem ſuperantes & ita duri, ut malleo reſiſterent. Et quod mirum dictu eſt, ſanies & ſeroſa materia ad ulcera confluens, exiguâ in parte morâ, concreſcebat illicò, & tophaceam duritiem acquirebat. Simile

quid

quid *Felix Platerus & libro Prax. & lib. 2. obs:* deprehendit. Item *Brassavolus, Wierus Jul: Alexandr: Ferrandus Senior, Kentmannus lib. de calc: Peritè igitur* jamdudum *Avenzoar*, *interdum*, inquit, *in juncturis humores crescunt ad modum lapidis*. Eaque materia aliquando ceu creta candet. *Testatur* lib. 29. obs. 10. Forestus *in nosocomio Delphensi pauperem decubuisse, qui in articulis crassam induratamque materiam instar cretæ eximebat, quâ parietes, & tabulata depingebat, non aliter, ac si cretâ albâ essent depicta.* Meminimus, *inquit longè celeberrimi nominis autor*, *Wernerus Rolfincius*, in nosodochio Romano idem nos observasse & fixis obtutibus adstantes inspexisse. *Admodum peritè* etiam *Franciscus India lib. 1. cap. 9.* Quandoque articuli digitorum manuum & pedum duri efficiuntur, ut in tophaceam & veluti lapidosam substantiam transeant. Sic generantur pori, qui in lapidosi tophi naturam evadunt, cutemque in iisdem partibus distendendo ac erumpendo. Causæ hujus affectus internæ sunt humores viscidi & glutinosi, qui in corpore abundant, & membra interna principalia, scilicet cerebrum, ventriculus, lien, jecur malè affecta. Et tandem generantur tophi in articulis, ut Galenus inquit, primo de alimentorum facultat: cap. 5. eâ ratione ferè, â quâ in renibus lapilli fieri solent.

Quid *pori*, quid *tofi* sint, præclarè *Thomas Reinesius lib. 3. variar: lection: cap. 12.* exponit: πῶρ☉ & πόριν☉ λίθ☉ ê lapidum genere est, Pario similis candore & duritie, sed minus ponderosus, cujus farina sive arena interspersa operis marmora secabantur, Plin: lib. 36. cap. 6. è quo Sileni simulachrum, vel ut Plaut. in Andoc. emendat Meursius, mensa ab Andocide dedicata fuit Athenis: metaphoricè excrescentias lapidosas, grumosasque collectiones in juncturis arthriticorum significat. Eum Latini etiam tofum adappellavére, & hinc nodos articulorum tofos & tofaceas concretiones, quod sint lapide leviores & friabiles, postquam exemti sunt. Sin editam lectionem retinere placeat, haberi oportet ista pro glossemate insulsi alicujus literonis, qui cum quid πῶροι essent, explicare vellet, de tubis πόροις, h. e. aquarum formis & canalibus fuerit nugatus. *Hactenus laudatus autor.* Ac illud artus genus est primo tempore purulentum. Admodùm peritè *Hieronymus Gabucinius:*

Tùm articuli tumentes inflantur ac deinde durescunt, ut in lapidosam transeant qualitatem. Nigriores etiam atque contorti fiunt, ut in obliquas partes digiti vertantur aut reflexi supinentur, aut vicinis affixi incumbant: & aliquando humore purulento vel muculento, vitreoque collecto aut viscoso generant poros, qui in tofos lapidosos coalescant, quique articulos solvant, cutemq; distendant atque erumpentes promineant, chirurgiaque detrahantur & rursum renascantur. *Tandem adjicit, quod non probatur:* humiditas verò crassa, albicans grandinosa est: nam & totus morbus frigidus instar grandinis. *Profectò hic morbus* nemini *totus frigidus instar grandinis* esse videbitur.

Modum *Sudationis* explicat *Peter Salius Diversus*: Dicunt venas ab externis jugularibus deductas, extra calvariam sub cute sua excrementa tenuia & serosa deponere. Quod idem cùm cæteræ Venæ terminantes ad articulos possint vi facultatis expultricis agere, non erit dubitandum, quomodo extra venas traduci possit syncerus humor, qui cum iis affirmantibus posit esse frigidus, nihil refragatur, quod etiam possit esse calidus, qui ratione suæ tenuitatis facilius frigido in articulos deponi potest. Nec est, quod si unus humor extra venas transmittatur cum eo, sanguis ei commixtus transmitti etiam necessariò debeat, quoniam hoc fit vi *facultatis naturalis, quæ noxium & supervacaneum tantùm excludit humorem:* aliàs in quacunque expulsione omne humoris genus, promiscuè & una commixtum educeretur, nunquamque daretur tumor purus vel â sanguine vel à bile, vel ab alio humore. Animadvertatur tamen, quod cum concedimus, *syncerum* humorem extra venas in articulos decidere, non credatur ita syncerum semper esse, ut nullius mixtionem unquam admittat, sed diciturSyncerus à prædominio, quoniam vel nihil vel parum quid ei commixtum est. *Hæc autor.* Raro humor est *marmoreus*, uti eum appellat Cassiodorus, aut speciem *Cretæ* habet. *Helmontius* l. cujus titulus est *custos errans*, etiam exiccationis mentionem facit: Ex purissimis cibis & potibus, Duelech non fit minùs, quàm de minus exquisitis, si vita media Archeum malè imbuat. Quorsum deinde convenit cibos, potusque, quos Dominus bonos censuit, Tartarosæ prodi-

tio-

tionis infames reddere? Reor ſanè è Tartaro ſive inferno inventum eſſe: dum Satan jam pridem conjiceret, humorum exilium futurum è Scholis Medicis. Enimverò cum res unaquæque diſſolvatur per vinculorum rupturam, quæ eandem ſtringunt, juvat monuiſſe, coagulata in nobis non fieri per exiccationem (exceptâ cretâ podagricâ) neque per Tartarum, exiſtentem clàm, multò ſanè minus, ex microcoſmi conditione ſaxosâ aut calcinatoriâ. Creta nempè illa poſt acquiſitam opacitatem *ſynoviæ*, deinceps paulatim exiccatur.

Primus autor hujus erroris, *Paracelſus* quoque *Synoviam* ſæpius dicit, unde & *Petræus, Sennertus, Poterius, Scheunemannus, Helmontius*. Sed quid ſit propriè, nondum conſtat. Igitur & cum hac *Synovia* abeat *Paracelſus*.

Helmontius, *Gelfuſius* & alii talem *Arthritidis* materiam quoque *maſſâ ſanguineâ* contineri affirmabunt, quemadmodum eam rem *l.3. de* Catarrhis *c.7.* ab exemplis copiosè egimus. At verò, *inquit Laurentius Joubertus c. 21. de urinis*, non in ſolis renibus aut veſicâ gignuntur arenulæ, ſed ſi bene judico, plurimùm intra vaſa, venas, inquam & arterias, idque per febres aut acutas aut diuturnas, quæ humores accendendo, horum craſſiores partes ſic adaſſant, ut tandem in arenulas redigantur. Atque id eſt, quod noſtri dicunt, humores uſque ad incinerationem corrumpi, ſeu putredine, ſeu uſtione. Quo fit, ut nephritidi haudquaquam obnoxii, febrem ſolummodò paſſi, cum urinis plurimum arenularum excernant. *Ac idem eo loco, quo contra Brunonem Seidelium* diſputat: arenulæ, quæ à febricitantibus non paucis (maximè morbo jam defunctis) copiosè cum urinâ minguntur, nulla vel præſente vel præterita etiam nephritide: *ſero à venis omnibus aut certè majoribus* (ubi exuſtio humorum viguit) *ſabulum hoc rapiente.* Quod minus mirum videbitur iis, qui bilem totam intra propriam veſiculam in lapides, aliàs numerò paucos, alias numeroſiſſimos induratam aliquando viderint, apertis eorum corporibus, quos febris ardens aut etiam diuturna rapuerat. Ego pluries iſtud obſervavi & ſemel vidi etiam in linguæ venis, quas Græci ὑπογλώττιδας, noſtri Raninas vocant, præ maximâ ariditate ſanguinem in lapideam duriti-

ritiem conversum. *Ex eodem genere Horatius Augenius l.9. de missione sanguinis c. 24.* Si diffiso sanguine arenularum æmula grana quædam offendes,ajunt, elephantiasin vel ad hanc propensionem quandam notari, quanquam observantibus rarò tale quippiam deprehensum est. *Platerus* arenulas l.obs. in hepate deprehendit. *Apud Johannem Matthæum in consil. Franciscus Bornius Hispanus de Madrigal Theologiæ Doctor* ex eâdem notâ profert hæc: Tartarus seu calculus non solùm in renibus & vesicâ, sed partibus etiam principalioribus sedem figit,quod Fuchsius eruditè monuit. Maximilianus II. Imperator, qui podagrâ laboraverat, in ipso corde calculos habuit, qui post obitum reperti fuerunt. Dominus de Pollweiler in capite & vesicâ fellis calculos habuit, quorum videndorum copiam mihi fecit Medicus Lotharingicus. In Renibus Alberti Ducis Bavariæ, magni calculi reperti fuerunt. Straubingiæ divitem novi civem Michaelem Bauur,qui calculos ex pulmone per tussim ejecit. Mirum igitur non est,calculos quoque in articulis fieri,quorum multos,disruptis articulorum juncturis,meis oculis vidi.

Nunc tandem *Helmontius*, qui cornicum oculos confixit, compilavitque nonnullorum *Galenicorum*, ut *Johannis Assveri Ampsingii* dogmata, illum communem rursus libris *de Tartaro* detegit errorem, *non secus*, inquiens, *atq; Cerebrum oblæsum plurimum muci & quævis alia pars incommodata, sordes multas accumulat.* Quanquam *Franciscus Osvvaldus Grembs* hunc ad modum: *Podagram Galenici volunt esse catarrhum depluum,an autem is â capite vel ab hepate proveniat, non decernunt.* Atque suprà laudatus *Joh. Sophronius Kozak* verum facit judicium: Sed an id malum in loco generationis suæ maturuerit vel ibi hæserit innoxium aliquandiu, ubi tandem ingentes causatur dolores, an verò alibi natum ad pedes amandatum fuerit? Nam illi qui podagram ex defluxione humorum salsorum & acrium ex capite ad partes affectas generari docent, non agnoscunt podagræ seminarium in pedibus prius hæsisse, quàm eò supernè demandatum fuisset. Ideo porrigunt ægris talia, quæ defluxionibus inhibendis existimant esse accommodata. Sed toto cœlo errant boni viri: quamvis uno tempore

pore sæpè & caput & pedes doleant;attamen non in capite , sed in pedibus & horum & illius doloris delitescebant causæ , sub solo pondere in matrice suâ quiescentes, ideoque innoxiæ. Imò sunt aliquæ podagræ seminaria adeò subtilia, ut citius sentiantur in capite, quàm in pedibus,hîc tamen non illic nata, hincque ad caput elevata , non verò à capite ad pedes prolapsa, quamvis relaxato capitis dolore, pedes dolere incipiant.

Attamen *Theophrastus Paracelsus*, qui *l. de Tartaro* longè secus sentit, *libro de Helleboris* duo *podagræ* genera facit,alterum ait *ex sanguine, alterum ex Capitis influxionibus oriri*. Eum igitur in hoc *Helmontius* sequitur. Quapropter is est, qui probatis miscet abjecta. Et hoc est,quod *Johannes Cneuffelius*, qui *Paracelso* deditus est, eadem peccet : Ego Ametriam sive Atoniam *Cerebri* dico,omnia præaslantem , è temperamento calidiori & ficciori, reverberantem & colliquantem in capite citius & acrius, quàm naturæ lege fieri debebat. Unde illæ copiosæ,& à juventute familiares in *cerebro* colliquatæ, tenues, præustæ, in *salsedinem usque sputationes*, ad fauces dimanantes in quantitate & qualitate majori,ob os *illud inradice nasi cribriforme*, seu *excipuli*, malè formatum ; ipsosque *nasi* ductus ad excipulum à natura contractiores, hacque ratione obstructos. *Et mox :* Quibus salibus cum muco commixtis,tales anastomases,sive aperturæ in radicibus venarum Capillarium fieri; & mucus ita cruentus (suspicione non levi alicujus exulcerationis *in cerebro* vel *ejus ventriculis*) *è naribus* per vices ejici;prout ex eadem causa dormienti cruor aliquis purulentus subamarus ad fauces defluere;& mucum illic adhærentem suâ acrimonia circa parietes faucium cruentare potest. *Deinceps & hæc :* Hic mihi in affectibus Domini Arcisevii, in Regione aereâ,tonus & balsamus pulmonum , per hamonicum Macrocosmi balsamum, sulphur à *salibus corrosivis*,& ærugine suâ laborare incipit,præservandus videtur, ne cum tempore in dissolutionem & corruptionem veniat: consentiente nimirum in illius corrosionem *supremæ Regionis* (intelligit capitis) Ametria, suis imbribus & pruinis in mediam hanc regionem (intelligit *pulmones*) *depluens*, & omnia depascens. Quam simul magna ex parte frequentior Nicotianæ usus, ad illa stillicidia

provocare videtur. *Et rursus:* Est tussis illa post pastum suis periodis nunquam intermittens, quæ certissimum facit argumentum *salis in cerebro resoluti, destillantis ad fauces*, eas vellicantis, *erosuri* sui temporis & reverberii incremento *pulmonum* substantiam (faxit Deus falsus sim calchas) & consequenter consumpto pulmonum balsamo, universum corporis Systema ærugine phtisico consumpturi. *Tandem & æger ipse* apud *Cneuffelium* in eandem scribit opinionem: In tussi eâ nocturnâ evidentiùs, quàm in diurnâ solebã observare aliquem *catarrhiulum* ordinarium *â capite vix sensiliter destillantem*, subitò cum tussi ipsa nascentem, & subitò cum eadem cessantem; quippe elapsa horâ tussiendi succedebat liberrima respiratio, tam *per nares*, quam *per fauces*; quæ res toties quoties in memoriam mihi revocabat assertionem Doctoris Cneuffelii de *sale in cerebro resoluto* & in subjectam regionem destillante.

Si S*al*, ceu materia *podagræ* in intimo *Cerebro* tabesceret, illud adeò indefensum, nullâ crustâ intus obductum ac per se molle, penitùs vitiaretur. Ac ille solutus & nunc fluidus humor quâ viâ artus occupabit? An *gulâ* & hinc venis *stomachi?* An *Cerebri* venis? An *Spinalis Medullæ* tramite? Et talia cogitata ipsa sunt prorsus vana. *Hofmannus* hoc in genere semper multò est prudentior, quàm *Sennertus*, qui & isto tàm *barbaro Tartari* verbo uti non dubitavit. *Solum Serum*, inquit Hofmannus, *est, quod ipsum etiam solum lapidescere potest.* Sensa *Hofmanni* nunquam sunt non præclara. Ille peculiaris *Sal* non in *Cerebro*, sed in *Massâ Sanguineâ* latet abditus. Tandem coit in se, connivente quasi Animâ, residente in sanguine. Similis humor in cavitate *Renum* magis cumulatur, magisque durescit in confiniis Artuum. In sanguine eum nunc Natura retinet diutius, nunc eum citius expellit. Nonnunquam idem inibi indies augetur. Quo fit, ut etiamnum juvenes, & senes tandem aliquando reddantur podagrosi. Nam vis illius humoris expultrix provectiore ætate quasi infringitur, aut illius materiæ obruitur multitudine, ut surgat, & noxium superfluumque abjicere aggrediatur.

Illo constituto, *Arthritidis humorem* non esse *vini fæcem*, quam vocant *Tartarum*; Ipsa quàm nihil ad rem pertinet similitudo?

CAP. VII.

CAP. VII.

Arthritidis humor an venenatus?

NEc *Arthritidis* humor est venenatus. Eo quidem nomine illum humorem appellare videtur *Avicenna*. Atque *Joh. Serapio* verbis interpretis *ita loquitur:* quemadmodum corpora infirmantur semper propter aliquam causarum, quas diximus: & propriè cujus ægritudo est ex *superfluitate venenosâ*, ex quâ fiunt dolores juncturarum & podagra, necesse est, ut sint ægritudines, una duarum habitudinum, aut ex repletione aut propter *malitiam* humoris. Unde ex junioribus *Georgius Bertinus:* Galenus in lib. de Theriac. ad Pisonem censet aliquam esse *malignitatem* in humore committente arthritidem, cùm præscribit Theriacam, cui sententiæ adstipulatur Avicennas. Atque *Ambrosius Paræus libro XVII.* Humor, qui Arthritidem committit, non notioris naturæ est aut magis effabilis, quàm qui pestem, veneream luem aut epilepsiam facit. Est enim alterius planè generis & naturæ, quàm is, qui phlegmones, œdematis, erysipelatis aut scirrhi autor est, nunquam enim ad suppurationem pervenit, ut ait Ætius, reliquorum humorum instar, non tàm, ut ego arbitror, quod in partes incidat exangues, quàm *occultæ* cujusdam *malignitatis* occasione. Adde, quod qui tumores commemoratos committunt humores, cùm in partem aliquam influxerint, ne tùm quidem cum in pus vertuntur, tàm acres dolores cient, atque is, qui arthritidem facit, utpote cujus dolorifici morsus longè sunt acriores, quàm ejus, qui cancrum excitat ulceratum. Præterea illi humores, cum aliâ ex causa in articulos incidant, haud unquam in nodos abeunt: solus is, qui arthritidem in articulis facit, postquàm eò illapsus fuerit, tandem in nodosum quid ac veluti gypseum nullis remediis expugnandum induratur. At cùm partibus, per quas decurrit, minimè noxius sit haud magis, quàm materia, quæ ab inferioribus partibus sursum ad Cerebrum irrepens, Epilepsiam facit, simul atque in articulorum spatia incidit, extremos dolores ciet, aliàs cum caloris, aliàs cum frigoris sensu, nunc quasi flammæ, nunc quasi glaciei sensu, nunc quoque aut in

utroque aut in alterutro latere. Est & curatu difficillimus. *Nec non Hercules Saxonia libro X. de Plica cap.30.* Attrahitur plicæ humor ad locos affectos ab interno veneno, eadem prorsus ratione, quâ videmus, in externis quoque partibus, à phalangio, scorpione punctis aut viperâ morsis fieri, ut scilicet pars illa irritata & ulceratâ ad se tales ducat humores. Hinc Ambrosius Paræus vir sanè doctissimus lib.17. sui magni operis cap.2. uniuscujusque arthritidis primam ac immediatam causam venenum esse putavit, ad cujus irritamentum subsequantur humores. Quod cùm non ignoraret Galenus, Theriacam aliquando pro arthriticis comprobavit. Et *Avicenna malignæ arthritidis* meminit. Et sanè, quis malignam non concedat illam, in qua ossa exedantur ac corrodantur, cujus aliquando meminit Felix Platerus? Aut quis illam non dicat venenatam, quæ omnibus ritè administratis non cedat, & continuò, interdiu & noctu affligat? Est itaque dolorum articularium in hoc affectu existentium causa proxima venenum, secundaria verò humor attractus, modò calidus, modò frigidus. *Item Martinus Pansa:* Scio quandam adesse *malignitatem* in podagra, quæ etiam relinqui per se sola potest, humoribus quantumvis evacuatis atque è corpore & articulis exclusis. Verùm semper aliquid de succo in ipsis articulis delitescit, cui sese *malignitas* ista implicat, quæ vitioso succo, loco alicujus pabuli, utitur, inde augetur & conservatur. Quare etiam Antidota requiruntur, quæ non negligenda sunt, nam malignitatem podagræ possunt abigere. Obtundit malignitatem podagræ essentia mea catholica, quæ hujus, aliorumque morborum ferociam compescit. Malum Arthritidis ex medentium inscitia malignam induit qualitatem. Plura medicamenta invenies in consiliis meis Antipodagricis. Præ cæteris eligantur, quæ ex Sale, Tartaro & urina conficiuntur. *Itemq; Julius Cæsar Benedictus à Guelfalione*, cujus verba inferius ponentur. Illud memorat *Helmontius lib. de magnetica vulnerum curatione t.33.* quædam matrona nobilis, quoties alvum in certa sella, quâ frater podagricus usus erat, deponeret, per multas menses semper arthritica decumbebat, quanquam aliis id non contingebat. *In eandem partem* Clarissimus Vir, Dn. *Johannes Conradus Wechtler libro secundo*:

Sæpè

Sæpè podagricorum filii ac nepotes non ſunt podagrici, & multi podagrici, quorum parentes & avi non fuerunt podagrici. Multi ſunt debili artuum conſtitutione, & perpetuâ humorum è capite deſtillatione infeſtantur, nunquam tamen articulari hac paſſione tentantur & alii contrà. Ex quo ſolo patet, quàm difficile ſit, in horum omnium cognitionem venire, niſi totum id in occultum quid vel in peculiares corporis individui diſpoſitiones, circa quas occupatur Medicus, referatur. Neque ſufficit dicere, veram materiam podagræ eſſe ſalſam & ſeroſam Tartarei humoris mucilaginem, quæ non ubique reperiatur; quia Reſpondeo, incertum eſſe, an hæc eadem materia tartarea etiam hîc reperiatur, & qualis illa ſit natura, quæ arthriticos dolores faciat. *Arthritis* per experientiam contagioſa eſt; videtur hoc multis non ſatis probabile, quia non facilè conſtat, quidnam ſit illud, quod ab arthritico membro homini etiam ſaniſſimo per contactum communicetur, aut in eo tàm efficacem imprimat actionem. Neque enim conſentaneum eſt, in parte affecta tam potentem latere qualitatem, quæ ſenſim per contactum omnem hominis ſani complexionem adeò infringat, humores è capite commoveat, & hunc doloroſum affectum ultra vires ſuas producat, cum conſtet, omnem qualitatem *contagioſam* vel eſſe malignam, vel acrem & mordacem, vel denique exiſtere in ſubjecto corrupto & putrilaginoſo, quorum nihil in membro arthritico reperiatur. Sed his non obſtantibus atteſtatur quotidiana experientia, à podagricorum calceis, tibialiis, veſtibus & liberiori conſuetudine vivendi multos hoc eodem malo corripi & contaminari, cujus fortè ratio erit, etiam ab articulo affecto exhalare corpus quoddam humidum, lentum, viſcoſum, & corruptum, quod calceis, veſtibus, lectisq; pertinaciùs adhæreſcat, & proximũ eâdem *malignitate* contaminare vim habeat; ſi tamen & hic corpus habeat ad hunc affectum ſufficienter diſpoſitum. *Aliquantò diſtinctiùs Epiphanius Ferdinandus:* Si per occultam cauſam *humorum quandoq; malignitatem* & *efferam* naturam, & ferè *venenoſam* tu intelligis, vel quivis alius, ut *Paræus*, ſum tecum, ſi verò *cæcam occultamq; & cœleſtem cauſam* intelligis, non ſum tecum, nam clarè conſtat, in corpore noſtro quandoque eſſe poſſe & generari humores veneno haud abſi-

miles & magna & inexplicabili virulentiâ refertos, ut ex Galeno patet 3.Epid.com.3.tex.75.& lib.3.art.Med.79. Unde virulentiâ, malignitate & acuta & effrenata qualitate hujusmodi humores molestantes sæpè sæpiùs mirandam producunt podagram & gonagram &c. Ita ut quasi eos convulsos & epilepticos dixeris, quod etiam Avicenna novit lib.3. fen.22. tract.2. cap.5. Nec crediderim, ut astruit Paræus, Gal: eâ ratione *theriacam* commendasse podagrosis lib. de Theriac. ad Pil. cap.15. ob pravam qualitatem humorum, tùm quia in Gal: hæc prava qualitas nunquam animadvertitur, tùm etiam, quod magis est verisimile, eam Gal: commendavit, quia absumit & consumit superfluos humores & corporis humiditates exiccat, vegetumque reddit calorem naturalem, quin imò in illo loco advertit Gal: non esse exhibendam theriacam in principio, nec in augmento fluxionis, sed cùm status vigor advenerit, ergo quasi eunte morbo in declinationem commendatur à Galeno, sed si propter malignitatem juvaret, cur in principio & augmento, quando malignitas viget, prohibetur. Nec mirari debet Paræus, si remediis quandoque non cedit podagra, quin imò irritatur, ut in prognostico dicemus, nam ea est conditio morbi, quando scilicet à maligno provenit humor, ut medicamentis non cedat. *Et rursus:* Reperta olim fuit contagiosa & epidemialis, pasimq; grassans, ut ex Hegesandro habetur apud Athenæum, ut homines pueros, puellas, Eunuchos & mulieres eo morbo contagioso conflictaret.

Hic autor eum humorem videt *venenatum malignumque* minus propriè vocari posse, si doloris magnitudinem, vehementiamque symptomatum expendit. Commodè igitur *Nicolaus Florentinus*, *venenosus*, inquit, *dicitur ab antiquis, quoniam & virtutum vehementiâ suâ valdè debilitat, & curativarum earum virtutes aspernatur.* In eo certè genere nimius est P*araus*. *Galenus* quidem *Arthriticis* ait *Theriacam* esse remedio, sed aliâ de causâ, ut eam longé ante *Sennertum* exponit *Johannes de Tornamira*, humor, *inquiens*, ruit à venis per earum capita lata à generatione, vel à tempore ad juncturas subjacentes laxas. Est crudus in genere suo. In omni podagra & gutta communicat Rheuma humorem à venis ad ipsas juncturas, ad quod adjuvat mala actio naturalium virtutum ipsarum venarum, imò materia multiplicata & excedens in venis fluit

in

in tempore paroxyſmi ad ipſas juncturas in quantitate notabili per viam catarrhi, & tempore quietis in modicâ quantitate: ideò ſunt gravidæ & doloroſæ, niſi violenter moveantur. Propter iſtam cauſam Rhaſes in præſervatione conatus eſt ſtringere illum fluxum rheumaticũ in ipſis venis in talibus cũ theriaca & Mithridatio ſæpiꝰ & ſæpius miniſtratis tẽpore quietis. *Et paulo poſt:* talis materiæ crudæ correctio & conſumptio & ejus quietatio, ne indebitè ruant per venas ad ipſas juncturas, melius fit cum theriaca & Mithridatio, quod frequenter adminiſtratur, ex his quàm plures ſanati ſunt. Et Rhaſes ipſe: data in potu podagricis, prohibet ſuperfluitates deſcendere ad pedes, & per conſequens præſervat â podagra. Et Mithridatium multum prohibet rheuma humorum corrigendo humores crudos. *Hæc ille.* Et ejuſmodi mixturæ recens confectæ ob *opium* dantur, cujus vi ruentes humores inhibentur. Et ante *Sennertum* quoque *Franciſcus India* cauſam exponit, cur Arthriticis theriaca offeratur. Aitque Paræum ſimulatam Avicennæ authoritatem in medium afferre, quoniam, inquiens, Avicennas nuſquam occultam cauſam Arthritidis proponit, & præcipuè in loco ab illo relato: *Et podagra quidem colerica attrahit mortem ſubitò*, ex qua nullam profectò cauſam occultam invenire poſſum: clariſſimè enim podagram colericam exitialem appellare videtur, quia teſtatur, quod derepentè mortem inducit, ſi naturam hujuſmodi coleræ perpendere volumus, & illam in ſerie venenatorum excrementorum reponere, ſtatim cauſam eſſe manifeſtam, rationibus ſuperius enarratis confiteri tenemur. *Hæc ille. Chymici*, ut *Panſa*, Arthritidis antidota ex *Tartaro*, ex *Sale*, ex *Urinâ* hodiè componunt. Qui non morbi ex cacochymiâ orti, contactu aſſiduo poſſunt in homines transferri? Sique hic humor tàm venenatus foret, continuò vitiaret *Cerebrum*, de quo multi autorum eum humorem ferri, illabique articulis exiſtimarunt.

CAPUT IIX.

Cauſa eſt humor Maſſæ Sanguineæ.

ARthritidis cauſa eſt humor, hic autem humano in corpore extat varius. Unde *Gariopontus ad hunc modum*: Podagricorum cauſas

causas scire oportet, quia ex multis & diversis causis habent consistentiam. Unde existimo, quod propter varietatem nativitatis ejus neque cognoscunt omnia de ea, neque curari potest perfectius. Relinquunt enim aliqua in ipsis locis, & ideò nullo modo ab artificibus curari possunt, quia ejus nativitatis ignorantia est. Ego autem existimo, ut quicunque potuerit ejus nativitatem cognoscere, vel diversitates aut ipsas species, quomodo fiant aut qualiter contingant, verè eos possit curare. Credo etiam, qui ea, quæ scribũtur, diligentius attendunt, non solùm recentẽ curare, sed etiam diuturnam poterunt juvare. Multa igitur substantia in iis est, qui insanabiles possident podagras. Nam *sanguis* calidus supracurrens in articulorum concavitatibus extendit nervos, quos sindesmos græci vocant, & dolores in pedibus facere solent nimios. Similiter autem & *cholericus* humor sæpius currens supra nervos aut inter ipsos residens & maximè in iis, quos diximus sindesmos vocari, & ossibus vicini sunt ardores simul & tensiones locis, quæ dolent, infert & magnos dolores. Nam & phlegma eodem modo lædens dolores fortissimos facit simul & frigore, & coangustata loca extendit. Facit etiam hoc & *melancbolicus* humor, & non solum infrigidat, sed opprimit & gravitate sua sentitur in mediocri affectu commotio. *Quem Autorem* quasi interpretatur *Andreas Laurentius* hisce: Quod ad materiam spectat, morbus hic aliàs est *calidus*, aliàs *frigidus*, aliquando *sanguineus*, aliquando *biliosus*, rursus *pituitosus* & *melanchlolicus*. Existimat *Fernelius*, Guttam omnem esse *frigidam* oririque ex solo *phlegmate* vel serositate: Ergo nullam dici debere sanguineam, biliosam neque mixtam ex diversis humoribus. Sed hæc sententia confutata est autoritate doctorum virorum, rationibus & experientia. Hipp. ait creari arthritidem ex commixtione Phlegmatis cum Cholera, quin & in aph. facit mentionem podagræ cum inflammatione. Gal. & ipse agnoscit causam hujus mali defluxionem humorum, & jam quidem sanguinis, modò phlegmatis, modò utriusque cum bile mixti. Ait idem, esse quosdã morbos, qui nos in senectute missos faciant, E.g. ardorem renum & podagram calidam. Paulus, Avic. cumque his plerique Doctores Medici mentionem faciunt *podagræ sanguineæ*, rursus *Phlegmaticæ*, aliquando cum bile permixtæ &

tæ & cum Melancholia. Si jam opus ſit, poſt tot præſtantes autores in re medica Fernelium etiam conſulere, argumentis & exemplis id nobis facilè erit. Videmus enim quandoque hunc morbum curari ſectione venæ ac miſſione ſanguinis, quandoque purgationibus, quibus evacuatur non minus bilis & ſanguis, quàm pituita ſeu phlegma: manifeſtum igitur eſt, ex iis humoribus non minus oriri. Tunc enim, ait Hipp. proficit evacuatio, cum materia peccans extracta eſt. Quid enim? annon videmus, multas fœminas articulorum morbo affligi ob intempeſtivam retentionem menſium? quæ quidē, autore Hippocrate, curatæ ſunt venæ in talo ſectione. Rursū plerumq; morbus arthriticus conjunctus eſt cum dolore, ardore & rubore, rubor aliunde quàm à ſanguine proficiſci non poteſt, qui ſub cute occultatur: Color enim prodit humorem, qui ſub cute latet ipſa ſimilitudine. Ubi igitur rubor eſt, neceſſe eſt, ut oriatur ex ſanguine, qui coloris eſt rubicundi. Quin & ipſe calor non poteſt, propriè loquendo aliunde provenire, quàm ab humore *ſanguineo* & *cholerico*. Dolor autem ille acutus & vehemens ex frigida materia gigni non poteſt, ſed calida & bilioſa. Sic in œdemate aut tumoribus œdematoſis frigidisque dolor quidem aliquis animadvertitur, ſed is lentus admodum eſt & obtuſus. Contra Eryſipelas & Phlegmone, cum ſint tumores calidi, exquiſitos acutosque dolores pariunt. *Fernelii opinionem*, quam hîc convellit *Laurentius*, ſat ſignificanter *Aretæus* prodidit: Humiditas verò craſſa, albicans, grandinoſa eſt: nam & totius *morbus frigidus* inſtar *grandinis* eſt. Videtur autem caloris aut frigoris differentiam præ ſe ferre. Siquidem modò ex calore, modò ex frigore voluptas percipitur. At mihi placet, *unicam eſſe morbi cauſam inſitam frigiditatem*, *unicumq; eſſe* affectum, verùm ſi protinus increſcat & caliditas apparuerit, refrigeratione opus eſt: ac talibus delectatur, & hujuſmodi affectum calidum vocant. *Hæc hic.*. Similiterq; *Theodorus Priſcianus*.

Nunc dubitatur, an & *melancholicus* humor poſſit *Arthritidem* facere. *Avicenna:* aut eſt humor ſimplex aut compoſitus, ut ex phlegmate & cholera, & rarò fit à *Melancholia*. *Serapio:* Et materia, ex qua fiunt iſtæ ægritudines, fortaſſe eſt ex caliditate aut ſanguinea aut colerica. Et fortaſſe eſt ex frigiditate: ſicut humor crudus, qui

non digeritur, quando aggregatur in juncturis, & iste in essentia sua est similis saniei grossæ, & cùm moratur in juncturis tempore longo, non solùm ingrossatur, sed acquirit viscositatem multam siccam. Et fortasse est causa hujus ægritudinis humor *melancholicus*. Ac ex *recentioribus* quoque *Franciscus India*, item *Hieron. Gabucinius*. *Melancholiam*, inquit Fredericus vander Mye, *arthritidem efficere, ex eo patet, quod melancholici plerunq; sint libidinosi, Aristot. 4. Probl. A Libidine autem arthritidem oriri nemo non videt.* Verùm *Paræus sic:* quanquam vix id contingere potest, ut humor melancholicus propter crassitiem & ad motum tarditatem in articulos irruat. Sic & *Bricius Bauderonius*.

De simplici *intemperie* superiùs multò maximè dissensum fuit. *Gariopontus* quidem *sic:* Non solùm per simplicem supracurrentem materiam rheumatismi solent fieri, sed per simplicem quoque qualitatem efficiuntur, & per distemperantiam eorum, quæ sunt calida & frigida & humida, & ex duplicata distemperantia aut calida & sicca, aut calida & humida, aut frigida & sicca. *Ac ex recentioribus Paræus:* Mihi aliquando majore animi contentione in studio occupato, ideoq́ue externas, quæ in corpus ingruere poterant, injurias non sentienti, ventulus per bibliothecæ angusta rimarum clanculùm subiens, coxam sinistram perculit: tandem studendo lassus, cùm primùm surrexi, progressurus, stare in pedes non potui, tanta erat doloris sine ullo tumore aut humore, qui quidem cerni posset, acerbitas. *Hæc autor*. Nunc quoque de *siccitate Salius Diversus* & *Adrianus Spigelius*.

Tenues, serosi ac calidi humores semper concurrunt. Ac eâ de re constare videtur. Bilis raro deerit, quam *Anton: Musa Epist. ad Mecœnatem* vocavit *Matrem morborum*. Non immeritò *Fernelium* retudit *Andreas Laurentius*, & antè multò etiam *Franciscus India*. Lentus ille, & ut vocant, *phlegmaticus* humor etiam aliquando confunditur, sed non semper, nec hic, ut mavult *Fernelius*, semper familiam ducit. Nec nihil loci *Melancholicis* humoribus erit. Licet enim illi æquè ac pituita, inepti sint ad concitandam repentinam inflammationem, tamen eos aliis mixtos natura in artus promovere poterit. *Arabes* igitur scienter omnes humores enuntiant,

Avi-

Avicenna & *Serapio*. Nec *Paræus* erit inſcius, craſſos humores tenuioribus ita dilui poſſe, ut omnes ſimul in aliquod membrum aliquando concurrant. Nuda intemperies (id quod rurſus contra eundem *Paræum* dicitur) non veram facit *Arthritidem*. Afflatu auræ gravioris etiam humor intus coit. Proinde talis dolor ſedatur ſudatione. Ante omnia ſcire convenit, terreſtrem illam materiam & ſabuloſam, quam Paracelſus & ejus aſſeclæ *Tartarum* vocarunt inepte, etiam ſanguini immiſceri poteſt, ut cum eo circumferri queat, donec Naturæ impulſu ſecedat.

CAPUT IX.

Imbecillitas Artuum & humorum congeſtio non ſunt cauſæ Arthritidis.

DUæ omnium maximæ cauſæ *Arthritidis* in vulgus habentur, *Imbecillitas artuum* & *humorum congeſtio*. Eas majori ſtudio explicant *Galenus* & *Paulus Ægineta*, unde *Johannes Coſtæus*: Sed præter humorum affluxum adeſſe *articulorum imbecillitatem* oportet, ut arthritis fiat, id quod & Galenus, & Paulus & alii advertunt. Propterea que in cachexia, tametſi ob crudos â viſceribus illapſos humores intumeſcere crura & pedes ſoleant, non tamen articularem fieri affectum oportet. Hinc & eſt morbus hæreditarius ut aliquando epilepſia & mania. *Hæc autor*. *Galeni* verba *hæc ſunt*: podagram qui debent pati, his pedes debent eſſe naturâ imbecilliores. Ad podagras non ſufficit debilitas pedum, ſed requiruntur humores defluentes. *Ac com*: 2. *in lib. de Nat: humanâ*: arthritici habent artus imbecillimos. *Ex Arabibus* & *Avicenna*, itemque *Haly*: Fit podagræ dolor ex generatione, ſcilicet hæreditaria eſt, quæ eſt à patribus. Cum enim membrum aliquod patris debile eſt, & in filio ejus idem eſt debile. Membrorum compoſitio ex ſpermate eſt. Ad debile membrum mittit Natura humores. *Et ante*: Diſgregationis autem debilitas fit aut naturaliter ab ipsâ formatione hominis: aut laboris magni cauſâ, in quâ diſgregationes fatigantur, ut equitatio continua, in qua pedum debilitantur diſgregationes & pollicis maximè aut offenſionis cauſa aut percuſſionis. *Alſabaravius*: Debilitas manuum & pedum ac reliquorum membrorum aut erit *na-*

turalis aut *accidentalis*. Accidentalis verò, quæ ab extra corpus evenit, ut à percussione & similibus: *Buhalylyha Byngezla* debilitatem ait esse *vel naturalem* vel *acquisitam*. Et adjuvat, *inquit Serapio*, etiam super eventum ægritudinis podagræ hæreditatio ex patribus & avis. Quod est: quia ægritudo mala, quando effunditur cum spermate, ponit ipsum præparatum ad recipiendum eam valdè. Sunt duæ causæ conjunctæ: debilitas artuum & superfluitas humorum. *Hinc recentiores*, quemadmodum *Arculanus*: Debilitas juncturarum recipientium, si naturalis est, cognoscitur ex *malâ figurâ* & reliquis speciebus malæ compositionis, quæ sequitur malam complexionem. Accidentalis cognoscitur ex casu & percussione. *Ferè similiter Antonius Guainerius, Johannes de Tornamira, Nicol. Nic. Florent. Christophorus à Vega*, Argenterius, *Mercatus, Capivaccius, Jacobus Aubertus, Kolreuterus, Pareda, Rondeletius, Forestus, Jul. Cæs. Claudinus, Petræus, Laurentius, Peter* Pigræus, *Johannes Oberndorfius, Zarottus.*

Solenander Secti. Medicin. consil. quarta consil. 24. pluribus verbis definit *illam ipsam imbecillitatem artuum*: Solet alia esse facilioris in articulos fluentis humoris receptus causa: nimirum *nativa quædam alia imbecillitas*, cum scilicet *articulorum acetabula patentiora* sunt, in *prima corporis in utero conformatione, effecta, ita, ut os exceptum ad amussim*, utque *decet, undique non complectantur*. Hippocrates sanè in *lib. de artic.* luxationis facilioris aut difficilioris causas istas, optimâ ratione agnoscit: nec dubium est, quin eodem modo ad faciliorem humoris receptionem ista nativa infirmitas ansam præbeat. Ac *Sect. V. consil. 1. sic*: tum articuli laxiores, enervati humore, *minusque compacti* amandatum eò facilè admittunt & retinent, ut qui ad excipiendum aptissimi sunt & patentes, atque ad ipsius repulsionem mirum in modum imbecilles. Item quando *ligamenta molliora* sunt & *laxiora*, nec tàm tensa ac dura, quàm conveniat. Itaque articulos *minùs contectos*, non satis benè muniunt: quapropter affluentem aliunde excrementitium humorem facilè admittunt. Ista *connata articulorum infirmitas* certis quibusdam naturis inest, neque cunctis, quibus contigit, neq; etiam in omnibus articulis eadem: huic vel illi major aut minor: quemadmo-

admodum naturæ â naturis differre solent. *Verùm ante hunc & alii autores*, ut *Vidus Vidius ferè similiter*: consistit articulorum habilitas atque aptitudo ad patiendum, potissimum in laxitate, ob quam facilè & alienas superfluitates admittunt & easdem ob imbecillitatem ad alias partes nequeunt propulsare. Oritur à facultate formatrice. *Johan. Fernel.* Articulorũ *imbecillitas* quum ex aliis quibusdam vitiis æstimanda est, tùm maximè ex *vinculorum, membranarumque laxitate* & ex viarum amplitudine. Hæc autem vitia vel ab ortu sunt ex parentum imbecillo semine, sitque tum arthritis hæreditaria, vel aliis ex causis evidentibus, quæ laxant & emolliunt, membranasque feriunt: ejusmodi sunt veneris, balnearumque usus crebrior, & quæ foris incidentia articulos contundunt. *Georgius Bertinus*: Ad hunc articulorum dolorem accersendum conspirare debet cum humorum defluxione aut hæreditaria aut avita *ligamentorum infirmitas*, aut acquisititia ab improbitate laboris, veneris importunitate, & intempestiva aliarum causarum occursatione. *Hieronymus Mercurialis*: est hæreditaria propter semen: hinc seminales partes, ligamenta, ossa, Nervi, in podagrâ maximè afficiuntur. Præter *pedum imbecillitatem* est quoque corporis dispositio, veluti est *laxitas* & *latitudo vasorum*, præsertim pedum & manuum. *Adrianus Spigelius*: Sed partium imbecillitas non â solâ dependere intemperie mihi videtur, sed ex *amplitudine vasorum*, *venarum scilicet* & *arteriarum*, & laxitate partium circa articulos, quæ vitia, vel ab ortu, genita sunt in nobis, & tum fit arthritis hæreditaria, accedente humorum copia, vel posteà fiunt â caussis evidentibus laxantibus & emollientibus vincula & articulorum membranas, ut sunt contusiones, balnea, venus, vinum immoderatum. *Mercatus*: Nativa impotentia dupliciter succrescit: uno modo ex primæva articulorum *structura* & *conformatione*, quâ *laxiores*, *molles* & eâ ratione ineptos ad motum efficiat. Secundo verò modo contrahitur in articulis, qualis à patre arthritico præstita fuit in principiis generationis: quippe is est unus ex hæreditariis morbis. *Tussanus Ducretus*: ipsa articulorum imbecillitas duobus contingit modis: si quidem vel nobis congenita est, vel aliunde accidit, ab iisdem videlicet causis, quæ & humoris fluxionem efficere possunt, tum ex-

ternis, tum etiam internis. Nativa duplex dicitur: una, quæ accidere solet iis, qui â parentibus articulari morbo obnoxiis nati sunt, licet eleganti formâ & eximiâ structurâ expositi. Altera, quæ *virtutis formatricis* culpa iis evenit, qui minus aptam & idoneam articulorum fabricam & compagem à Naturâ sortiti sunt. *Eandem* facultatem *Formatricem* istius fraudis insimulat *Paracelsus libro de Tartaro capite secundo:* Duo sunt genera Tartari, internum & externum: ab externo generatur tartarus & ex cibo, potu, internum, quod in corpore generatur, & in pueris nascuntur sæpè lapides, & hoc est morbus hæreditarius. Quia parentum, qui multum habent de sale, sperma quoque inficitur & homo inde natus. In Substantia Spermatis est materia & vis seminis, sic sæpè aliquis podagrosus est, qui non à solo victu, sed â parentibus habet. Substantia non generat siliquas, & cortices nihil procreant, sed materia generativa à vitali substantia dependet, quæ est exigua res & purissima, sed cum illa materia generativa simul substantia currit, ut est testa seminis, simul currit substantia cum semine, si illa substantia fuerit infecta, facit Tartarum internum. Loca internorum Tartarorum sunt venæ & Caro, sic externus Tartarus concavitates quærit.

Vidit quidem jam dudum aliquid *Carolus Piso*, at contra eum disputat *D. D. Sennertus.* Pars recipiens, *inquit hic*, sunt articuli & pedum præcipuè, à quibus podagra ferè incipit, cæteris partibus omnibus propemodum *imbecilliores*, utpote qui calore imbecilliore sunt præditi, cum ex ossibus, ligamentis, cartilaginibus, tendinibus, nervis, membranisque constent, & à calore longius absint, externis etiam causis, earumque injuriis valdè sint expositi & à laboribus atque exercitiis magnis debilitentur, atque hinc ad recipiendos affluentes humores sint promptissimæ. *Et paulò post: imbecillitas* articulorum est vel *nativa* vel *adscititia. Nativa* est, cum vel ipsi articuli in primâ structurâ sunt laxiores, molliores que, & ad recipiendum humores affluentes, aptiores, vel à parentibus vel avis arthriticis hæreditario jure intemperiem & debilitatem contraxerunt. *Adscititia* verò est, cùm articuli debilitantur vel à labore nimio aut aeris excessu aliisque causis articulos alterantibus. *Deinceps* memorans *Epiphyses*, subjungit *hæc:* Imbecillitatem partium,

quam

quam pleriqueMedici ad arthritidis generationem necessariam esse statuunt, negat *Carolus Piso libro de morb. ab illuvie serosa consil. 1. de arthrit.* dum scribit, Medicos passim frustrà laborare, quando monent, imbecillitatis partium recipientium habendam esse rationem, cùm, quòd articuli reliquis membris facilius, promptiusque serum sponte suâ effervescens recipiant, admittantque, id non sit ab eorum imbecillitate, seu intemperie aliquâ, hoc est, laxitate vel raritate, verùm ab ipsâ conformatione, eaque non in cavitate posita, sed potius in conjunctione, cum vasorum omnium finibus, quam conformationem immutare, minimè est in nostra facultate positum. Statuitque articulos solùm hoc nomine effervescens serum admittere atque imbibere, quia in iis sistantur terminenturque vasorum internorum propagines externè. Scilicet ebullitionem primùm incipere in majoribus internisque vasis, hinc excidere in minores, tandemque in extremos surculos, qui cum non habeant, ubi refundant imbibitum humorem, inde eum in articulis, in quibus externa vasa ferè universa terminantur, sisti congerique. Quæ omnia etsi veritati valdè consentanea videantur, duo tamen monenda sunt. Primum est, quod etsi verum est, majores illos truncos venæ cavæ & arterias, hinc inde ramis sparsis maximam partem in articulos terminari, tamen sunt rami etiam non pauci, qui hinc inde in carnes & alias partes terminantur, & nihilominus materiam arthritidis ad illas partes non transfundunt. Præterea etiam materia arthritica non semper ad extremos usq; articulos effunditur, sed sæpè etiam in media via, in genubus, coxendice & cubito sistit. Alterum est, quod licet illa conformatio vasorum, ob quam ea in articulos terminantur, mutari non potest, *laxitas* tamen & *debilitas* partium, in quas inseruntur, mutari aliquo modo potest roborantibus, etsi curationis pars minor, ut dictum, hic sita sit.

Nunc *Congestionem humorum* alii distinctius persequuntur, ut *Nicol. Florent. Johannes Michael Savonarola*, item *Georgius Bertinus: aut per congestionem aut per affluxum.* Ac *Ambrosius Paræus:* alius est humor, qui ex congestione existit; quando scilicet articulorum concoctrix imbecillior, succos sibi transmissos sibi conciliare nequit. *Atque Andreas Laurentius:* Sed hic rursum mihi aliquis

liquis objecerit, quod ad causas Guttæ, quarum supra facta est mentio, creari quandoque hunc morbum per congestionem humorum, ut hac ratione defluxus humorum non semper illius causa dici possit. Ad quod ita respondemus, nos non negare, gigni quandoque hunc morbum per congestionem, sed hoc perrarò fieri. Nos verò eas explicuimus causas, quæ frequentius & communiter concurrunt ad generationem hujus morbi: rectè igitur nos dixisse etiamnum asserim9, articularem morbum fieri per defluxum humorum, non obstante, quod aliquando eorum congestione gignatur. *Rheumatismus*, inquit l.2. de Natura Facult. Joh. Baptist. Montanus, *fit dupliciter, non enim solum membra recipiunt aliorum excrementa, sed nec sua etiam concoquunt.* Et *Nicolaus Piso*: Colligitur duobus modis, per affluxionem ab aliis partibus & per congestionem, malè coquente parte. *Sic & Felix Platerus, item Hieronymus Capivaccius*: Si humor movetur per solam transmissionem, tum in parte ad articulos pertinente, non præcesit aliquis dolor vel calor, antequam articularis obortus est dolor. At si prægressus sit dolor vel calor, quorum ratione fit attractio, facilè patet, humorem fluere, non tantùm per modum transmissionis, sed etiam attractionis. *Itemque Sebastianus Nasius*: Demum dico non solùm ab his causis fieri posse arthritidem, sed etiam à solâ artuum imbecillitate absq; ullâ fluxione, excepta illa, quæ ad effectum causa factum fuit, & probatur, quia ex imbecillitate vel morbosâ dispositione articuli fit, quod tumor, quicunque pro alimento ad ipsos adfluxerit, malè & imbecilliter convertatur & propter consequens, quod non benè totum in nutritionem ipsius abire possit, sed aliquid ut supervacaneum relinquatur, quod cum crassum sit & pituitosum, & cum viæ liberæ & lutæ non sint, per quas expellatur, neque natura valida, à qua attenuetur & resolvatur, necessariò ibi remanet, ex quo imbecilliore redditâ parte multiplicantur in illa excrementa, & tandem adeò augentur, ut in tumorem attollat, quod ideò cum in partibus ipsis gignatur, non nisi multo tempore & longis mediis solvitur. Quare imbecillitas non solum est causa fluxionis materiæ, sed etiam causa generationis ejusdem in parte affectâ. Nec non celeberrimus hâc ætate vir, *Dn. Johannes Conradus VVechtler*, *Julius*

us Cæsar Benedictus consultatione XV. hisce verbis utitur: Sicut cernimus à *calcaneo in puero epileptico* elevari pravam illam qualitatem, quæ sensim ad Cerebrum ascendens, depravatos istos motus gignebat, sic putant nonnulli podagram fieri non aliter quàm progenita materia ab articulorum occultâ qualitate.

Tandem inveniuntur, qui consensum præbent aliquantò cunctantius, ut *Dominicus Leonus*: Non fit gutta in articulis per congestionem paulatim factam; nam cum articuli sint membra motui dicata, consonum est, motum sufficere ad resolutionem superfluitatum proprii eorum nutrimenti, sed fit per viam fluxus guttatim stillantis. Ac *Peter Paulus Pareda*: Podagræ tumor fit à duabus causis, ab imbecillitate articuli & à fluxione humoris, fluxionis hujus causæ sunt plethora & cacochymia. Ab utraque solet Natura irritari. Neque Jacotius rectè sentit, cum scribit, arthritim fieri sensim in articulo congesto humore ob malam partis nutritionem; hæc enim non erit arthritis, cum neque à sanguine, neque ab alio humore naturali fiat. Humor enim, qui sensim coacervatur, sensim etiam mutat naturam, ut in atheromate & meliceride videmus. Neque in morbo gallico fit arthritis ex congestione sine tumore, ut voluit Rondeletius. Quia si humor in articulo inclusus non facit tumorem, neque distentionem efficiet, ac proinde non erit arthritis, in quâ ob distentionem excitatur dolor in articulo. *Hactenus autor.*

Cum suo cuique judicio sit utendum, hæc & nostrâ ratione nunc pendantur. Profectò ii quoque à veritate desciscunt, qui homines edocent *imbecillitate artuum* reddi maximè *arthriticos*, quam & vel *Adscititiam*, ut vocant, vel *naturalem* ac *hæreditariam* faciunt, quâ de sermonem protinus instituemus. Nonnulli, ut *Arculanus*, istam *imbecillitatem* tradunt etiam *ineptâ formâ artuum* cognosci. Quid? *Solenander*, quem sequitur *Sennertus*, *articulorum acetabula* ait esse *patentiora in primâ corporis in utero conformatione, efficta, ita, ut os exceptum ad amussim, utque decet, undique non complectantur. Ligamenta quoque molliora esse & laxiora.* Ac alii culpam in ipsam *facultatem Formatricem*, quam nominant, conferre non dubitant, quemadmodum *Fernelius*, *Vidus Vidius*,

Bertinus, *Mercatus*, *Ducretus* ac quoque *Paracelsus*. Præterea *Hieronymus Mercurialis* & *Adrianus Spigelius* etiam *Sanguinis vascula*, venas & arterias, vitio istius *Facultatis Formatricis* credunt *laxiora*, quàm oportet, esse & *magis lata*, ut humor tantò faciliùs recepte:ur. Quam opinionem *Sennertus* non solum probat, sed etiam tuetur disputando contra *Carolum Pisonem*, virum sagacem & ingenio acutum, qui aliquid veri & hîc deprehendit. Hic paucis novatis, ad me totus traduci potest. Cæterùm nihil illorum recto stat talo. Quàm multos notare licet, quorum artus vehementer distorti sunt, nec ii *podagrâ* vel *chiragrâ* unquam tentati fuerunt. Licet ossa sint vitiosa, maleque cohæreant, tamen ligamenta sunt æquè valida ac sat aptè ad juncturas conveniunt. Quâ, quæso, ratione *Sennertus* hoc loco dicit *Epiphyses?* Has Appendices *Galenus* tradit esse *opercula ossium medullam continentium*. Hanc quoque *Sennertus* credit, affluente *Tartareo humore & seroso*, intus *effervescere*, ut dolor inde augeatur. Quare in majoribus erratis est sententia Dn. *Honorii Heringii*. Proximum, *inquit ille*, & continens hujus affectionis *αἴτιον* est continui solutio seu unitatis divortium, ex tartaro cum sero misto in ossibus ipsis & eorum *epiphysibus* primùm hærente, dehinc in articulum ipsum infuso, ibidemq; successu temporis concreto & coagulato & tandem sensibiles τοῦ ἄρθρου partes distendente, vellicante, lancinante, acerbissimeque excruciante, ortum. *Et paulò post:* cum omni parti corporis sua attractrix, sua quoque expultrix sit facultas, attrahitur primùm in *epiphyses* ceu ossium ventres, cavernis præditas, unà serum tartaro permistum, & cum eo exquisitè coctus sanguis, quantum ossibus pro nutritione seu alimento sufficit. Hoc postquam officio suo functum est, si non ab expultrice valida egeratur, tunc temporis præternaturale excrementum evadit, naturale quod fuerat, copia vel qualitate vel utroque modo partibus istis vitium affricans, proindeque vel mite vel immite est. *Hæc ille*. Infantium in corporibus *Ingrassias* trecentas enumerat *Epiphyses*, ac plures quoque *Riolanus*. Hæque multò debiliores sunt. Quapropter juniores huic articulario morbo magis oportuni erunt. Illorum enim ligamenta sunt minùs stricta, ossa quoque multa veluti innatant, membrana venarum

ipsa

ipsa est tantò mollior. Eorum igitur artus quàm facilè torquentur, suis quàm facilè promoventur sedibus? At verò ne fando auditum est, recens editos infantes hoc morbi genere vexari. Contrà eidem obnoxii sunt viri, & quidem sæpè ii, qui præstitere articulorum valetudine. Omnes ferè *Imperatores* ad istud summum honoris fastigium fortitudine ac labore militandi olim provehebantur. Robore corporis excellebant maximè, ut *Tiberius*, qui articulis ita firmis fuit, ut recens & integrum malum digito terebraret: caput pueri vel etiam adolescentis, talitro vulneraret; ut quoque *Marius. Nullius manus vel ad feriendum vel ad impellendum fortiores fuerunt, cum in digitis nervos videretur habuisse, non venas. Nam & carra venientia digito salutari repulisse dicitur & fortissimos quosque uno digito sic afflixisse, ut quasi ligni vel ferri obtusioris ictu percussi dolerent. Multa duorum digitorum allisione contrivit.* Ac Claudius *digitis usque adeò fortibus fuit, ut sæpè equis & mulis ictu pugni dentes excusserit. Fecerat hoc etiam adolescens in militiâ, quum ludicro Martiali in campo luctamen inter fortissimos quosque monstraret. Nam iratus ei, qui non balteum, sed genitalia sibi contorserat, omnes dentes uno pugno excussit.* Severus Imperator fuit *teste S. Aur. Victore* bellicosissimus omnium, qui ante eum fuerunt. Ea virtute etiam appellatus est *Arabicus*, *Adiabenicus*, *Parthicus*, *Britannicus*. Hic verò quàm vehementer articulari tandem morbo conflictatus fuit? Idem cum in Syriam rediret victor & *Parthicum* deferentibus patribus triumphum, idcircò recusavit, quod consistere in curru affectus articulari morbo non posset. Ac artum pedis supra ostendi inde sauciatum fuisse. Hic quoque aliquando caput manu contingens ait, *tandem sentitis caput imperare, non pedes. Ser. Sulpi Galba* quoque manibus, pedibusque articulari morbo distortissimis fuit. Quid, quod, *inquit Hieronymus Gabucinius*, & priscis olim temporibus permultos Heroas podagra laborasse tradunt historiæ? quales fuisse primum illum Asiæ regnatorem, Achillem, Bellerophontem, Oedipum Thebanum, Plysthenem, Ulyssem, aliosque permultos Lucianus in Tragapodagiâ memoriæ prodidit? Inter Romanos verò Syllam Dictatorem eadem laborasse in Syllæ vita Plutarchus refert. Vespasianum podagricum fuisse, Dion

est autor. Item Septimium Severum. Itemque Carolum V. & Maximilianum secundum ferunt. Mox nomino Franciscum Marium Roboris ejus ex sorore Nepotem, ut in bello ducem clarissimum, ita domi principem justissimum. *Hæc ille.*

Atque *M. Aurelius Cassiodorus Variar. lib. X.* memorat virum, qui artuum firmitate insignis tandem in hunc morbum cecidit: *cum generis tui honoranda nobilitas & magnæ fidei documenta suasissent, ut tibi urbem Ticinum, quam per bella defenderas, gubernandam pace crederemus, limosæ podagræ subitâ inundatione complutus, aquas Bornitias, potius siccativas, salutares huic specialiter passioni, velle te petere postulasti. Desiderium tuum remediali jussione sanamus. Absit enim, ut bellicosissimum virum tyrannis gravissimæ calamitatis exarmet, quæ miro modo membra virentia infusione pœnalis humoris cogit arescere. Hæc passio decrescere facit corpora, quæ nulla sunt mutilatione truncata. Hoc licet omnibus videatur esse contrarium, illis maximè, qui armorum exercitatione floruerunt, ne membra illa durissima languoris decoctione mollescant, & qui ab hoste foris superari minimè potuerunt, ab internâ potiùs contrarietate vincantur. Absit, ut bellator noster ambulet passibus alienis.* Atque hæc quidem ille. Ac *in Lemmate Ænigmatum Symphosii legitur:* miles podager, hoc est, podagrosus. Quàm multi Medici, ut *Felix Platerus* quoque & *Peter Lotichius* podagrosos milites curârunt. Ipse multos scio, qui equo, ac qui pedibus meruerunt, qui fuerunt bellatores fortissimi, qui & robore artuum pollebant maximè, otio tandem & luxu in hunc morbum implicitos fuisse. Nunquam in vitio fuerunt artus. Ossa fuerunt solida, ligamenta quoque sat valida, nec infirmi fuerunt *Musculorum* tendines. *Rhases* certè vim humorum influentium agnoscit. Verba superiùs posui. *Ex quo genere* etiam *Valescus de Taranta:* causæ conjunctæ sunt debilitas membri suscipientis & fortitudo membri mandantis. *Atque Johannes de Concoregio:* debilitas patientis partis est & *fortitudo* mandantis. *Et Paschalius:* articulorum ad recipiendum propter imbecillitatem aptitudo, tum cæterorum membrorum ad *expellendum fortitudo.* Sic & B. *Bauderonius.* Item *Franciscus India*, & laudat *Galenum.*

Vis illa expellendi mali non privatis quibusdam membris,

un

ut *Hepate*, aut *Liene*, aut *Utero*, aut *Cerebro* sed *Massâ sanguineâ* continetur. Hanc illa vis agitat vehementius, utiturque arteriis, quæ inde pulsant concitatiùs. Aliquid intellexit *Hier. Gabucinius*, constat, *inquiens*, imbecillitatem articulorum non esse ad progignendum affectum sufficientem, ex intermedio accessionum tempore, in quo nihil omninò infestantur: quamvis nativa imbecillitas continua sit: siquidem confluente aliquo ad pedes humore superfluo, affectus progignitur: alioquin accessiones sine ullo temporis intervallo urgerent: præcipuè quàm infirmitas imbecillibus articulis semper incumbat. Quod si neq; hic humor unquã influxerit; manifestum est, quod neq; etiã unquam continget affectio. Non influet verò humor, si omninò vacans superfluitatibus corpus extiterit. *Hæc hic.* Nimirum arteriæ intrudunt eò humores, artubus haud imbecillis. Ubi miles *podagrâ* aut *chiragrâ* laborare cœpit, profectò non *manuum* aut *pedum* juncturæ prius infirmatæ fuerunt. Quapropter hic morbus primâ suâ accessione quàm maximos dolorum cruciatus creat; nam pori carnis ligamentorumque ac sanguinis meatus tùm temporis sunt contractiores. Et hoc est, quod juvenis cujusdam artus vehementius doleant. Illa senis caro est minus compacta, nec tantoperè renititur. Atque si illius integræ ætatis æger hoc morbo rursus tentatur & sæpius, ille artuum dolor quoque minuitur. Nam illorum membrorum partes fiunt magis perviæ irruentibus humoribus, ac minus obstant. Ob id verò hæ, ut quidem nonnullis suprà visum est, non trahent humores. Quo pacto debilis artus plus alimenti alliciet, quàm queat concoquere? Vis mali expultrix in sanguine residet. Hæc aut spontè surgit aut multitudine, injuriisq; humorum incitata. Moto sanguine, arteriæ humores in membra firma & debilia demittunt; in hæc quidem tantò facilius, quantò patentiora facta sunt itinera sanguinis. Atque si inibi phlegma, sedatis doloribus, jam consistit, nihilo probabilius est, illud ad se similes aut alios humores traducere. Vis illa mali expultrix rariùs tritas vias deserit, & quærit novas. Quare sæpè humor supervenit priori. Hinc illa collectio humorum & eorum sæpè tàm diversorum. Atque alteram causam, *Congestionem humorum jure Pareda* reprobat. Nonnulli quoque privatum *Cerebri*

 humo-

humorem censent in artus debiles provehi, hoc est, in eos, qui *Massæ Sanguineæ* humoribus multò antè referti fuerunt. Sunt commenta opinionum. Verè sentit *Franciscus Oswaldus Grembs*, Podagram, *inquiens*, Galenici volunt esse Catarrhum depluum, an autem is à capite vel ab hepate proveniat, non decernunt, interim nesciunt causam, cur podagra sit hæreditaria, volunt quidem nativam debilitatem contingere, quando caput seu processus osfis non proportionaliter se habeat ad cavitatem, verùm tunc luxatio potius contingeret, neque catarrhus depluus citra jacturam. Quamvis podagra defluentem humorem habeat, is tamen Catarrhus non est sed latex. *Hæc ille.*

Tandem si Arthritici humoris sedes non in cavo artuum, & in ipsa eorum compage extat, cur iidem autores, quibus non aliud videtur, ossium juncturas aut vitio valetudinis aut ipsius *Formatricis facultatis* in corpore horum ægrorum malè à primo vel ætatis vel morbi tempore efformatas fuisse opinantur? Non ossa ipsa, sed illæ potius artuum partes erunt debiles, quas occupat *Arthritis.*

CAPUT X.

Arthritidis humor non habet Naturæ cognationem cum ossibus: contra Dn. D. D. Sennertum.

NEcessarium est in hoc loco de illa peculiari *Sennerti* opinione meminisse. Præter articulorum imbecillitatem, *inquit ille*, alia adhuc mihi subesse causa videtur, cur hic humor ad articulos potius quàm alias partes moveatur, quam ut *paradoxum* saltem æqui lectoris judicio libero submitto. Sanguinem in corpore nostro non esse planè homogeneum, sed diversas partes obtinere, & diversis illis partibus diversas corporis partes ali certum est, temperatiore carnem, crassiore ossa, subtiliore pulmones, & ita reliquas corporis partes conveniens sibi nutrimentum ex sanguine attrahere. Id quod etiam lapis *osteocolla* dictus, quod insignem fracta ossa glutinandi vim habet, probare videtur, qui ad ossa potius quàm alias partes assumptus penetrat, & facit, ut calli brevi tempore generentur, imò in juvenibus callum nimis magnum producit, ut ex Guilh.

Fa-

Fabrit. cent. 1. obs. 90 & 91. videre est. Neque hæc solùm fiunt in corpore sano, sed & ipsi humores vitiosi non quivis ad quasdam *partes inclinationem* habent, sed alii ad alias, id quod cùm alii morbi, tùm imprimis *plica Polonica* docet. Ideoque cum rectè scribat Hercules Saxonia lib. de Plica cap. 20. humorem Plicæ causam habere proprietatem articulis, ligamentis, tendinibus, nervis, membranisque omnibus adversariam, cum pilis autem & extrema cute familiaritatem aliquam: etiam me rectè statuere posse puto, *humorem arthritidis causam etiam familiaritatem aliquam & naturæ cognationem habere cum ossibus, membranosis verò partibus esse adversam*, si non occulto modo, acrimonia tamen & facultate vellicante ac lancinante. Verisimile enim est, cum *ossa & ligamenta, tendines* sanguine magis terrestri & cum tartareo *humore cognationem habente alantur*, alios etiam humores *tartareos tàm crassos, quàm subtiles magis ad articulos quàm alias partes detrudi*, & præcipuè ad *articulos partium externarum*; cum natura, quantum fieri potest, vitiosos humores à regiis viis ad remotissimas partes propellere soleat. Etsi enim interdum *natura* non statim ad extremos pedum vel manuum articulos materiam arthritidis causam detrudit, sed in medio articulo aliquo subsistit, tamen postea, cum dolores incipiunt, eadem, si adhuc fortis sit, materiam per easdem vias, per quas influxit, rursus in majores vias repellit, & hinc usque ad extremos articulos depellit. De qua re plura, ut &, an in *ipsis ossibus aliquid*, quod *ad paroxysmum arthriticum excitandum faciat, delitescat*, infra in quæst. 8. dicemus. *Paulò post:* Tale quid in hepate ac liene accidere puto, quale quid in Renibus accidit. Multi enim sunt, qui caseo & aliis cibis, qui calculo generando apti perhibentur, vescuntur, tamen calculum non generant, alii contra, quibus insita est Renum arenosa, calculosaque constitutio, ut Fernelins appellat, seu vis in *Renibus* λιθοποιητική, ab iis facilè offenduntur. Non diverso mo do puto sese rem habere in arthritide, & esse in arthriticorum visceribus quandam vitiosam constitutionem salis seu tartari illius effectricem, existimo, ob quam humor ille arthritidis causa producitur, qui ubi abundat, postea ad articulos protruditur. Atque hæc vitiosa constitutio quibusdam à parentibus communicatur, aliis ex cibi

& po-

& potus similis usu & in diæta erroribus contrahitur. Patet ex his, quæ hactenus dicta sunt, nec sanguinem simpliciter, nec pituitam, nec melancholiam, nec aquam proximam arthritidis causam esse. Si verò omnia ea, quæ arthriticis accidunt, quæque ab hisce humoribus deduci non possunt, ut ex hactenus dictis manifestum est, perpendam, aliter statuere non possum, quàm humorem salsum, acrem, subtilem & spirituum salinorum naturam plerunque referentem arthritidis causam esse. Appellet eum jam quis bilem, pituitam bili permistam, salem, tartarum, vel prout libet, per me licet, modò res rectè explicetur. Ego vocabulum seri, salis & tartari usurpabo, ut rem à bile & pituita vulgari differentem peculiari etiam vocabulo explicem. Serum autem non solùm esse humorem aqueum, etiam Antiqui agnoverunt, scribitq; Gal. 6. Epid. comm. 3. t. 38. ἰχωρείδεα & serosum non solùm vocari ab Hippocrate & Platone aquam & aqueam humiditatem morsu carentem, sed mordacem & erodentem, qua scilicet spirituũ salinorum naturam refert, & propterea partes sentientes pungit, & mordicat, & acutissimos dolores in iis excitat. Est nimirum in terra, è qua Plantæ, quibus & homo & alia animalia nutriuntur, aliquid salsum, quod mineralibus respondet, & non incommodè sal terræ appellari reperitur, sed aliis corporibus miscetur, unde varia terrarum genera ortum habent, & proinde pro terrarum varietate varium est, limosum, argillosum &c. tandemq; in plantis & animalibus tartarum nominatur, & in hominem transfunditur. Verùm id etsi in plantis & homine in variis coctionibus subtile & volatile fiat, nisi antea tale sit, sicut id etiam ex sale urinæ patet, ac tandem etiam ipsi sanguini misceatur: quia tamen à prima origine ad corpus nostrum alendum ineptum est, & ut Hippocrates loquitur, ἀνεπιτήδιον, tandem, nisi mox per alvum in prima coctione excernatur, aut postea per sudorem aut urinam evacuetur cumulatum & naturæ molestum, *ad articulos, ut qui quandam cum tali materia cognationem habent*, protruditur, ubi sua acrimonia acutissimos dolores excitat. Neque quem moveat, quod hanc materiam modò spirituosam, modò tartaream, & ad tophos etiam generandam aptam esse dicimus. Nam, ut cum Chimicis loquar, ex corporibus possunt fieri spiritus, & rursum è spiri-

ſpiritibus corpora. Materia hæc in ſua origine,& dum in terra eſſet, corpus fuit, & quiddam quaſi terreum & minerale,attenuatum verò poſtea fuit in variis, in plantis & hominibus concoctionibus,& ſpirituoſum quaſi factum eſt. Quod Galenici etiam quidam agnoverunt,& inter eos Card.qui in aph.49. ipſi 47. ſect.6.Hipp. ſcribit, materia arthritidis ſcilicet cauſa eſt quaſi ſpiritus: & Lucianus in Tragopodagra, πνεῦμα βίαιον appellat. Poſtea tamen humor hic tenuis aut ſpiritus, ubi locum idoneum nactus eſt, oſſa ſcilicet & circa articulos loca, iterum in corpus abit & coagulatur, ſicut ſpiritum vitrioli & aliorum ſalium ſpiritus iterum coagulari poſſe, & in corpora redire,Chymicis notisſimum eſt. Si quis tamen ſtatuere velit, in ipſa terra eſſe ſalem volatilem, quem plantæ attrahant, id huic ſententiæ nihil officit; ſed res eodem redit. *Ac rurſus:* Partes corporis quælibet, ut ſibi conveniente alimento nutriuntur, ita etiam in neutris & ægris corporibus humores, qui *ad eas quandam analogiam habent*,alii ad alias partes feruntur, unde vitioſa nutritio accidit. In ſanis quod aliarum partium nutritioni inutile eſt, in ungues & pilos in homine abſumitur, in brutis quoque in ungulas & cornua. In ægris vitioſi humores etiam ad definitas ſibi partes feruntur, id quod cum in aliis morbis, tum in*Plicâ Polonicâ* videre eſt, in qua humor ille vitioſus non ſolùm ad *capillos capitis* propellitur, quos inviſcat & conglutinat, ſed & ad *ungues pedum*, qui inde duri & nigri fiunt. In fracturis osſium *oſteocolla* lapis aſſumptus ad oſſa tendit,& in callum, interdum etiam nimis magnum abit, ut exemplis id docet Guilh. Fabrit. cent.1.obſ.90 & 91. Si ergò humores arthritidi generandæ apti ſanguine ſunt commixti, credibile eſt, *eos ad articulos ferri, & cum alimento osſium in eorum ſubſtantiam ſeſe inſinuare, atque ibi excrementum osſibus proprium, futuræ arthritidis mineram & rudimentum colligi.* Non obſcurè hoc docuiſſe videtur Galenus, dum 5. aph.39. ſingulas corporis partes ut ſuum nutrimentum, ita etiam excrementum habere, & ſuperfluum derelictum ſimilem naturæ partis humorem eſſe docet. Et quidem iſtud excrementum tartareum præcipuè in *osſium epiphyſibus* colligi veriſimile eſt, quæ *reliquis osſium partibus poroſiores ſunt*, & ideo quoque, ut habet Andreas Laurentius lib.2. cap. 4. conſtructæ ſunt, ut

ſint tanquam ventres osſium, in quibus coquatur osſium alimentum, quod ſenſim in eorum cavernas percoletur. Si ergo *humor vel excrementum tale in osſibus colligatur*, *affluente ſimili humore efferveſcit*, quod cum fit, in vicinas partes diffunditur, & dolorem in iis excitat, atque id maximè fit in *epiphyſibus*, è quibus ligamenta oriuntur, & quibus partes circa articulos ſenſiles connectuntur. Si verò idem humor vel excrementum disſipetur, vel alio modo effundatur, ægrum ab arthritide planè liberari credibile eſt.

Proſper Martianus hoc quidem profert, verbo *cognationis* utens: abſcedit verò ad articulos potiùs, quàm ad aliam partem, tùm propter *imbecillitatem*, tùm etiam propter *cognationem*. Nam cùm partes poſteriores, ad quas fluxio fertur, ſint anterioribus nervoſiores, ita etiam cum articulis connexionem majorem habent, quàm cum cæteris partibus. *Hæc ille*. Ac *Geilfuſius* quoque *Salem* contendit ſuâ naturâ in *artus* ferri. Cùm verò ipſe autor, *Sennertus* præ ſe ferat, ſe prodere *paradoxum*, hanc tàm privatam opinionem Vir vehementer venerandus, ac eruditione, amœnitateque ingenii ſpectatior, *Jacobus Balde* libro, qui *Solatium Podagricum* inſcribitur, falsè damnat: Neſcio, quam aliqui Sympathiam ſomnient! ridiculè. Cur non potius Antipathiam? Quis enim, obſecro, occultus hic conſpirandi vel attrahendi modus? An ſicut magnes ferrum attrahit, ſic junctura dolorem infeſtum? Nova philoſophandi ratio. Dicamus ſaniùs, pituitam bile mixtam deorſum tendere, naturali pondere gravitatis ſuæ, velut fluxum cujuslibet aquæ, ſed in genuum internodiis, ſpisſitudine ſuræ carnoſæ nervos conſtringente, ſæpè intercipi. Prius apparet etiam ex eo, quod delapſus humor oſtia quærat. Idcircò tentat pollicem, calcaneum, talos & extrema pedum ac manuum, nullam moleſtiam facesſiturus, ſi emittatur. Cohibitus inſtar undæ ad ſaxum alliſæ, ad nervum ſtrepitat, rodit, æſtuat, furit, putreſcit, atque ut gutta cavat lapidem Deucalionæum, imò & lapides creat, quos tophos vocant, digitorum nodos. Tales ferias reſidendo agit, ut dolor tamen interim non ferietur. Nam lentisſimè ibi conſumitur.

Videt *hic* & alias ruinas. *Julius Cæſar Benedictus* ſuprà humorem ſentiebat ex mediis articulis inſtar *auræ Epilepticæ* erumpere

ac

ac *Arthritidem* facere poſſe. *Sennertus* nunc humorem ait in articulis ineſſe, nunc alium in eos vinculo neſcio cujus cognationis ferri. Quæ diſputationes quàm longè abſunt à vero? Artus non illâ, quam fingunt multi, *magneticâ vi* humores trahunt, ſed *arteriæ* hos ipſis infundunt. Atque *oſteocolla* in cibo ſumta æquè in alias partes, ac in artus fractos vehitur. *Helmontius* quidem alimenta confitetur ad ſanitatem conferre. Quare & iis, ut *oſteocollæ* eſu oſſa fracta coaleſcere dicuntur. At idem quoque hoc ipſum munus contendit ſine operâ illius facultatis ab Animâ proficiſcentis haud extare. Infantis oſſa creſcunt & ſaneſcunt quoque fracta, etiamſi ejus corpus de ſolo matris lacte alatur. Nec, ſi quis *Plica Polonicâ* urgetur, humor ille noxius ſuapte ſponte aut levitate ad *pilos* & ad ſummam iſtam capitis cutem iter affectat, ſed providâ vi expultrice, eò â ſanguine bonæ notæ amādatur. In Maſſa ſanguinea latet ſeminarium morborum. Nam ſi talibus humoribus non datur exitus, mala corporis ſubitò naſcuntur, ut ex *equo Trojano* ſe olim prorſpiebant hoſtes. *Tartarum* illum *Sennertus* ait oſſibus amicum, adverſum verò ligamentis eſſe. Cur non *oſteocolla*, quæ & oſſa eam, quam prodit *Sennertus*, cognationem inter ſe habent, æque perniotioſa ligamentis eſt? Ille terræ Sal, quem *Sennertus* vocat *Tartarum*, latenter quidem alimentis continetur. Atque hæc cùm à facultate Altrice corporis variè digerantur, eum *Salem Helmontius* negat cum fæce vini peritè comparari poſſe. Jam verò chylus, ubi homo magnam vim *oſteocollæ* ingeſſit, in omnes partes ex æquo per arterias funditur. Talis chylus tunc quoque ad pulmones pervadit. Ejus quidem quod ſupereſt, viciſſim cum ſanguine retrò commeat. Intereà talis eſca tàm commoda pulmonibus non eſt. Sic & potiones illæ, *ut vocant*, vulnerariæ in omne corpus penetrant, ac partes illas ſauciatas tandem ſiccant. Earum vi quoque interdum *ductus cholodochus* oppilatur. Quare cum arteriæ primum liquorem ciborum captorum circumvehant, iſta *analogia*, ut nominat *Sennertus*, non agnoſcitur. Idem *Sennertus Plicâ Polonicâ* affirmat non ſolum ad *capillos*, ſed etiam ad *ungues* trahi eos humores, quos inde is tantoperè miratur. Hi igitur *capillis* & *unguibus* æquè amici erunt aut æquè adverſi. Quid ſimile? Differunt ſanè *capilli* & *ungues*.

gues. Humor *Scorbuticus* gingivas infestat & ossa. Horum & gingivarum natura quàm diversa est? In *massâ sanguineâ* inest *arthritidis* aut *calculi* humor, qui & inibi variè versatur. In sanguine & ejus in vasis *calculi* fuerunt adinventi. *Renibus* solis aut *vesicæ urinàriæ* illam vim λιθοποιητικὴν assignare, fas non est. Et membranæ sæpius finguntur, in quibus humores spissi aut indurati concluduntur. *Helmontius* & quasi aberrantem vim *formatricem* tunc cognominat. *Osteocolla* certè non fingit callum, sed ea vis, quæ illâ ceu materiâ ad id magis aptâ utitur. Adhæc S*ennertus* humorem, quì facit *Arthritidem*, ait *cum alimento in ipsorum ossium*, ita loquitur, *substantiam insinuari*. Ossa quàm solida sunt? Eorumque foramina, quibus concipiuntur *venæ* & *arteriæ*, quàm exilia? Crassorum alimentorum de osteocolla petitorum transitiones igitur quàm difficiles erunt? Atque si humor *Tartareus* singulari cognatione, ut vult *Sennertus*, in naturam ossium convertitur, illa reddentur magis mollia. *Tartarum* illum *Sennertus* ait esse *salem terræ*. Hic *sal* & *ossa* ipsa quo, quæso, nexu affinitatis cohærent? Atque illæ *Epiphyses* hanc *salis* naturam maximè induent. Hæ quoq; ritu *Tartari* aquâ fervidâ tabescent? Quin etiam intima illa ossium medulla erit penitus salsa. *Epiphyses* sensu deficiuntur. At verò quantum creat hic morbus cruciatum doloris? Humorem quidem contendit *Sennertus* ab intimis, infimisque partibus ossium rursus emergere. Cur hic humor jam influens non facit dolorem? Primo suo appulsu certè tangit ligamenta & membranas, quæ sensu acriore gaudent. Ita minus peritè instituta ratio exitum reperire non potest. Ego & suprà professus sum, humores aliquando circa articulos relinqui, ac repetente A*rthritide*, eosdem aliis affluentibus confundi. Ast nego novos humores *occultâ analogiâ* aut *cognatione* in artꝰ concurrere, aut à relicta materia trahi. Sæpè emplastra imponuntur præproperè, quare tandem & alia requiruntur. Hæc paradoxa & reliqua commenta opinionũ primo aspectu mihi non placuerunt, ut illicò abnuerem, retineremque assensum. Facultas mali expultrix majori cura est memoranda. Hæc in artuum cutem movet humores, hi non suapte vi se agitant, ut apud *Homerum* instrumenta *Vulcani*. Omnium ferè partium inflammationes cientur, cur non

simili

ſimili ratione cutis articulos integens, accendi poteſt, quæ ad commiſſuras articulorum maximè annectitur, ut illa etiam eò loci admodùm rugoſa deprehendatur, cùm palmam facimus, diductis extenſiſque digitis. Talis cutis & ligamenta arctius cohærent. Non mirum, eam portionem cutis ſimiliter affici, inflammatis intus ligamentis. Ille tumor *Eryſipelas* dictus, quàm multis quàm ſolennis eſt? quàm familiaris aut pœnè proprius? Hic interdum æquè patrius eſt ac morbus hic articularis. Aliquid in abſtinentiâ, in ſalubritate victus, ac in cibandi ratione, fateor, auxilii eſt. Aſt quàm multos in ipſa vitâ parcâ & ſemper ſobriâ hic tandem tentavit aut exercuit morbus, uti *D. Gregorium Nazianzenum* &, teſte *Valleſio*, Perſonas Clericas. Ætate noſtra ſunt, *inquit Hier: Gabucinius. Julius Tertius* ejus nominis *Pont: Max: Pius quartus*, Laurentius Campegius, Rodulphus Pius, Petrus cùm Benibus, tum Bertanius *cardinales* ampliſſimi omnes doctiſſimique, Bononienſis primus, Carpenſis alter, Venetus tertius, Mutinenſis ultimus, omnes ſanè Romanæ Eccleſiæ veri cardines, ejusdemque lux clariſſima ac decus maximum, Johannes Caſa Archiepiſcopus Beneventi, Baptiſta Doria, Reip: Rector, Vidus Ubaldus Feltrius, Manardus. *Hæc ille autor.* Quid ego & de *Seneca*? quid de *Averrhoe* loquar? Quid de reliquis librorum heluonibus dicam, qui hoc corporis malo afflictati fuerunt? Quot quoque imperatores ſalubri victu, cultuque moderato valetudinem curarunt, nec ab hoc morbi genere immunes eſſe potuerunt, qui tamen ipſi, uti jocatur ille, tam varias dederunt immunitates. Nominatim cieo *Auguſtum Cæſarem*, *Severum*, qui cibi certè fuit parciſſimus, ut ſi quis unquam, vini aliquando tantum cupidus, *Veſpaſianum* & *Carolum Quintum*. Nihil opus eſt exemplis hoc facere longius. Quàm multi enim de hoc in vulgus apud Medicos queruntur, & de hoc injuriæ genere expoſtulant: ego ſumma temperantia & continentia, edendi potandique moderatione ſaluberrima, omni prætermiſſione voluptatum ac tandem ratione exercitationum corporis optima vitam meam ſemper traduxi, & nihilo minꝰ *arthritide* exerceor. Cur ego igitur inſons iſto corporis malo urgeor? Ejus omninò exortes fuerunt parentes mei, avi quoq; & proavi quà paterni, quà materni. Tùm Medicus reſpondendo viciſ-

cissim quæret, cur gemellorum alteruter hoc morbo articulari solus vexetur? Annon proprietas Naturæ utramque hîc facit paginam? Nonne hujus hominis corpus ita alitur, ut paulum relinquatur recrementi, ac quoque exterminetur quàm maturissimè; Contrà illius corpus noxiis subinde scatet humoribus; hi si depelluntur in artus pedum, podagra nascitur? Quis, quæso, ob redundantiam huic *articulario* morbo non est oportunus? Si solennis inhibetur fluxus *narium* sanguineus, iste morbus hunc subitò arripit, illum mox alius. Alvus fluens si subitò adstringitur, *podagra*, teste *Joh: Rhodio*, timenda est. *Febris* quoque *quartana* morbo articulario finitur. Si puellis non proveniunt menstrua, eæ etiam hoc morbo urgentur, quæ tamen & in salubri potu & cibo valdè quàm parcæ fuerunt. Ejusmodi *Arthriticam* puellam hoc ipso tempore curo. Est sedecim annos nata. Aliæ autem eâdem valetudine in alios potius cadunt morbos, Naturâ humores aliò agente. Ea verò si ad hanc expulsionem est propensior, illo articulari morbo homo tandem afficitur. Nec is *Fonticulis*, ut vocant, & *Cauteriis* semper juvatur, nec cibo levatur aut potu. Siq; Natura nõ exactè sabulosum humorem in artuum cutem per illam inflammationem promovet, pellit alium. Infra ego *Articularium* morbum facio duplicem. Non tàm proprietas humoris, quàm expellentis Naturæ est attendenda. Naturam si expellas furca, tamen usq; recurrit. Si cum illâ pugnas, pugnas cum gigantibus. Quanquam & hâc philosophandi viâ tandem relabimur ad id, quod profitemur ignorari. Eam naturæ proprietatem occulto modo nacti fuerunt homines, graciles pariter ac obesi; alii pallidâ facie sunt, alii verecundâ. Eandem Naturam nunc senes, nunc pueri, nunc puellæ obtinent. Aliquando spontè desistit illa vis expellendi. De vi astrorum aliàs. Nonnunquam eadem vis vel cibo vel potu vel aliâ ratione magis incitatur.

Nunc *Sennertus* aliam quoque reperit causam, cur humor pervadat in artus, hos ait â *Corde*, à domicilio caloris vitalis, longissimè esse remotos. Ea quoque in vulgus fertur. Sumitur de veterum, & *Græcorum*, ut *Aristotelis*, *Galeni*, *Aretæi*; & *Arabum*, ut *Avicennæ* monumentis. *Neque enim*, inquit Aretæus, *multùm interest*, *in*

in pedibusné an fiat in manibus, cùm utrique ejusdem naturæ sint, graciles, excarnes, externo frigori proximi, â calore interno remotissimi. Commodè quidem *Fredericus Vander Mye:* cur in articulis? an quod in continuo sint motu, qui coctionem prohibet, & quod magis vacuæ sint eæ partes, quàm reliqua totius corporis membra, frigidioris & ob hoc debilioris naturæ. Quin etiam situs eorum, quàm longissimus est à caloris fonte totum corpus gubernante. Ulteriora dabit Aristoteles 7. Probl. 6. *Hæc ille.* Id quod laudatus supra autor, *Jacob. Balde* etiam objicit hisce verbis: *sciscitanti causam* respondent *illa qualiacunque membra à cordis foco longius distare. Humorem salsum non posse excoqui. Sed refuto: cur interius apostema proximum cordi, ex vicino calore non citius maturatur, ut effluat, sed potius accrescens, cor ipsum suffocat.* Profectò si verùm volumus, est eadem ratio, quam premit *Sennertus*, *debilitatem artuum* subinde dicens. Nam & ante hunc, *non omnes homines*, inquit Johannes de Tornamira, *sunt podagrici, quia non omnes habent pedes debiles.*

Sed non deerunt, qui contra superius dicta hâc utentur argumentatione. *Podagrosorum vestimenta* & *canis vivus* in lecto ægri supra pedes cubans, illum venenatum halitum contactu trahunt, ut illud animal & ipse, qui ejusmodi tibialibus femoralibusque artus muniunt, in hoc idem morbi genus cadant. Quare quemadmodum novus *calceus*, qui ad pedem convenit aptiùs, hominem, ut in proverbio est, *podegrâ non liberat*, ita vetus, laxusque hominis podagrosi calceus eam facit maximè. *Georgius Fridericus Laurentius* in Hipp. Aphor. 30. S. 6. admodum dilucidè: recordor canis podagrici in inferiori Lusatiâ, qui ob frequentiorem linctum pedum sui hospitis podagrici, podagram contraxerat. Unde canis iste statis temporibus, quando affligebatur podagra, nec stare nec pedibus inniti & ambulare poterat, sed jacere cogebatur, ideò stans clamabat, atque adhuc magis clamabat, cum à somno expergefactus ê scamno citò se dimovebat. Post Paroxysmum verò circumcursitabat & obambulabat liberè, citra ullam doloris notam ac molestiam. *Hæc autor.* Ac *Aristoteles* quoque *canes* prodidit *Arthritidi* obnoxios esse. At *Peter Borellus* Cent. 3. obs. 28. ea addit,

quæ

quæ dubitationem omninò habent: Certum eſt, animalia infirmiora & teneriora mala citius ſuſcipere, morbosque tranſplantari, quare pueri cum ſenibus dormientes halitu ſuo maciem contrahunt. Sic podagra mirè levatur, ſi catelli cum podagrico recumbant, morbum enim contrahunt, adeò, ut vix incedere queant, æger verò levamen ſuſcipit. Cum etiam ignoratur malum internum cujuſdam, quæve pars in eo laboret, cumq; feneſtrâ careamus, ut momus olim optarat, quâ posſimus partem affectam detegere, illud in alieno ac ignobiliori corpore percipere valemus. Capiendi ſunt catuli, & cum per quindecim dies cum ægro decubuerint, & ciborum ejus reliquias & ſputa deglutierint, morbum ſimilem contrahent, tuncque ſi aperiantur, pars eadem, quæ in ægro affecta, reperietur, & ſic cognito morbo, & remedia admoveri legitima poterunt. *Hæc ille* ex *Marcello.* Quâ ratione idem viſcus vitiatum etiã in canis ita paſti corpore inciſo deprehendetur? Sed experimẽtis jam pateat, canes iſto asſiduo contactu reddi infirmos. At quid tum poſteà? Si talia veſtimenta caput ipſum obvolverent, ei nihilominus nocerent, ut ejus gravedo quoque inde naſci poſſet. Calcei ſi induuntur nimis madidi, homo etiam fit podagroſus, ut piſcator ſæpè. Tam variis de cauſis vis mali expultrix incitari poteſt, ut materia *Arthritidis* in artus tandem promoveatur. Ac liberi veſtibus podagroſi parentis ſe induere non dubitârunt, nec eo unquam arrepti fuerunt morbo. Nec ejuſdem contagia in uxores transferuntur, cum maritus hæreditariâ ſæpè teneatur podagrâ. *Borellus* teſtatur, cujusdam uxoris corpus non leviter purgatum fuiſſe, cum maritus operam liberis dediſſet, poto Cathartico medicamento. Quàm facilè igitur & hoc contagium in uxores tranſilire poſſit? Vidi ipſe aliquando canem, qui *arthritidem* fotu contraxiſſe putabatur. Impeditus quidem currebat. Clamores quoque, quos tollebat ſæpius, erant documenta dolorum. Cunctum corpus propè confectum erat & imbecille. Attamen veram *Arthritidem* aut *podagram* non exiſtimaverim nec dixerim quoque. Et *aer* ſpirando ductus *podagram* concitare putatur. Natura id, qûod adverſum eſt, maſſâ Sanguineâ expellere aggreſſa, ſæpè iſto motu humores mittit in ar-

artus. Minimè intelligendum eſt, contagium iſto fotu in artus ita penetrare, ut eum ſuapte vi inibi faciat morbum. Artus, ſi frigore uruntur, tument. In eos vis in ſanguine reſidens alios poſteà compellit humores, ut hinc podagra naſci queat. Aer plurimis de cauſis nunc prodeſſe poteſt, nunc nocere. *Cælius Aurelianus* memoriæ prodidit, *Alexandriam* & *Cariam* articulariis morbis patere, ut *Romam* quoque deſtillationibus *Franciſcus India*, *Barth. Paſchettus* & alii, quos *l. de Catarrhis* nominatim appellavi. Nunc reliqua videamus. Gallinaceum genus ac inprimis capones ferunt etiam *arthritide* laborare. Diſſectis, *inquit Franciſcus Bornius*, caponibus & gallinaceis podagricis tophi & calculi in eorum articulis reperiuntur. Ac *Claudius Deodatus*, ipſi, *inquit, veteres galli & capones tophis podagricis corripiuntur.* Aſſenſum quoque præbet *Georgius Bertinus*, ad canis, l. 11. c. 20. *inquiens*, & veteris galli articulos ſeroſus humor derivatur. Ariſtoteles docet canes arthritidi eſſe obnoxios. Præterea veteres galli & capones ſeroſis humoribus abundant, Græcorum, Arabum & omnium Medicorum recentium conſenſu, ut apparet ex horum decocto, quod ſeroſa ſubſtantia alvum laxat. *Hæc autor.* Noſtro libro quinto *de Catarrhoſorum Diætâ* carnem generis Gallinacei *Crato*, *Seyllerus*, *Piſanellus*, *Claudius Deodatus*, inde *Sennertus* arthriticis ſingulariter inimicam eſſe propoſuerunt. Quo ex genere quoque eſt *Reinerus Solenander*, caponum caro, Sect. 4. Conſil. Medic. 21. *humorem quendam habet, quem ad articulos natura extrudit.* Ac in parte *Franciſcus India*, *cujus verba l. 1. c. 9. hæc ſunt:* & ſecundum Apulei ſententiam comeſtio gallinarum & coturnicum eſt noxia, quam proprietatem nullam aliam eſſe reor, quàm humorum viſcidorum exuberantiam, quam ſanè hujuſmodi carnes parere aſſuetæ ſunt.

Verùm ea, quâ uſus eſt *Sennertus*, ratio *dicto libro* fuit refutata. Viciſſim *Petro Caſtellano* aliqua laus, & multò major *Dn. D. Melchiori Sebizio* attribuenda videbatur. Caponum pedes hyemali frigore facilè uruntur, veluti & ipſarum Gallinarum. Non germani tofi, ſed indurati humores in illis caponum & gallinarum articulis adinveniuntur.

CAP. XI.

Cur remotissimi articuli maximè afficiantur?

PRimo *Arthritidis* accessu Natura humorem quàm longissimè agit. Et hoc est, quod *pollex* plerunque princeps laboret. Unde *Aretæus:* articuli etiam ita ferè dolere incipiunt, magnum pedis digitum dolor occupat: rursum calcem in priori parte, quâ nitimur, deinde in concavam subit: malleolus autem postremus intumescit. *Item Esculapius:* Podagricos apprehendimus ex tardo dolore pedum, inchoante à majore digito, id est, â pollice aut vestigio aut capite plantæ. *Hæc ille.* Ex junioribus nonnulli an miserandi sunt an ridendi? *Johannes Raicus certè ita:* In his, quæ circum articulos contingunt, in maximum discrimen præcipitant pollices ac præcipuè pedum 2. prædict. Levinus Lemmius de nat.mir. hoc ascribit digito annulari sive medico. Rationem addunt nonnulli, quod ab eo digito venula ad cor tendat, at ejusmodi venulam in locali anatomia videre nihil dum licuit. E chiromanticis facilior conjectura est. Medicus quippe digitus ut solaris est, ita cordis signaturam gerit, Solaris est, prout enim Sol in Macrocosmo γενέθλιος affectus est, ita ad ejus imitationem sol microcosmi αὐτογενέθλιος signaturas suas in digito hoc medico explicare comprehensus est. conf. Hipp. 1. de diæta. At sol Macrocosmi soli microcosmi h. e. cordi συμπαθὴς est καὶ σύῤῥοος. Quare & annularis cordi, ut gerit ejusdem signa, ita συμπαθεῖ, tentatus igitur nodis annularis digitus, indicio est, cor incipere affici humore illo acetoso, podagrico, vapido καὶ συμπαθέειν. *Aliquantò commodiùs Constantinus Africanus:* materia podagrica in parva descendit membra, id est, pollices. Quorum concatenatio parva est, ut materiam pro parvitate sui capere nequeant, si multa sit. Unde nimium extenduntur & dolor augmentatur. *Hæc ille.* Non semper, sed sæpiùs pollex pedis aut manus affligitur, interdum alia pars. Tam variè ludit Natura expellendo.

CAP. XII.

CAP. XII.

Reliquæ causæ Arthritidis exponuntur, ut Catarrhi, cibus, potus, venus, Animi passiones.

CORizæ & *Catarrhi* in numerum causarum *Arthritidis* perveniunt etiam sententiâ vetustiorum autorum. *Galenus in lib. 2. Hipp. de morb. vulg. com. 2. ad hunc modum* : Podagrici toto nervoso genere imbecilles sunt, & fluxionibus obnoxii, præcipuè autem iis excrementis, quæ à pleno cerebro dimanant. *Ac quoque ex Arabum* Scholâ, *Avicenna :* Materia est sanguis aut phlegmaticus, aut cholericus, aut melancholicus & causæ divisionum hujus, sunt causæ quædam præteritæ & catarrhi & *coryzæ* sunt ex causis ejus. *Nunc* ex juniorum turbâ *Sigismundus Kolreuterus :* Causa Arthritidis quoque est firmatio aut retentio Catarrhi diuturni petentis pectus vel stomachum, exemplo est ille, cui catarrhus defluens ad pectus, expuebatur, qui postmodum juncturas occupans, dolorum ipsorum causa fuit, natura siquidem prioris viæ oblita, per meatus occultos materiam ad juncturas demittebat. Huc refer quoque quod *Osvvaldus Gabelchofer* apud *Schenckium scriptum reliquit :* superest apud nos Illustr. Principis consiliarius, qui cum ante vehementer affligeretur podagrâ : decumbente ad pulmones humore, & tussim cum rejectione copiosa excitante, planè à podagrâ immunis est per plures annos. *Hæc hic.* Nemini hoc mirum videri poterit. Nam *podagræ* materia per multas partes & vias excerni potest, ut *libris de* Catar. ostendi.

Intemperantia libidinis podagrosis nocet maximè, ut tradunt tùm *Græci*, *Hippocrates* ac *Galenus*, 6. Aphor. 28. *autor Græcus l. de podagrâ*, tum *Arabes*, & *Latini*, qui hoc mali, explicante *Barthio*, *Guttam Veneris* cognominasse vidétur. *Mulierẽ*, inquit Plini9 Valerian9, *omninò non contingat, quod si somniaverit tale quid, lavetur & accipiat potionẽ.* Unde juniores, & ex his *Constantin9 Africanus:* Hippocrates inquit: pueri & Eunuchi nõ sunt podagri. Quod consequitur, quia coitu nõ utuntur. Hæc enim hujus morbi causa est maxima. Ac

Franciscq de Pedemontio:coitus quoq; multus & supra repletionem, imò si possibile est,ab eo abstineatur, licet arthritici plurimùm appetant. Est enim causa proxima procurationis doloris arthritici & podagrici maximè. *Hæc hic.* Variasque causas,cur noceat *Venus*, afferunt autores, uti hanc *Antonius Maria Venustus* : Quo autem, *inquiens*, noceat, Galenus tacet, nisi tacitè inferre velle videatur, quod ait Hippocràtes lib. de Nat.pueri,â crebro coitu seu à venere venas reddi ampliores, quæ iccircò excrementa facilius ad partem imbecilliorem mittunt. Redduntur autem (mea quidem sententia) venæ ampliores à multâ venere ratione mot us & agitationis corporis,quo motu, quave agitatione calor excitatur, qui meatus aperit, humoremque superabundantem ad partes imbecillas fluere facit. *Aliam* exponit c. 6. Sectione 17. *Johannes Sophronius Kozak*, ex communi, *inquiens*, opinione vinosi & libidinosi videntur esse ad hunc affectum proniores; & ita est,non tamen quod vel vinum vel venerea libido podagram generandi præ cæteris rebus potentiam habeat, sed quod illi, in quibus podagræ vel salinorum morborum latitant seminaria, ad talia exercitia titillatione salis intrinseci stimulentur,& vel sitiant vel lasciviant magis, quàm illi,in quibus salia minus acria hospitantur. *Hæc ille.* Verùm nec experimenta erunt tàm certa. *Guainerius* quidem c. 27. *arthriticos uxoratos vidit, qui pro parte majoris temporis in lecto,guttâ deprehensi, permanebant & mortuâ uxore, rarissimè eam incurrebant,capti verò, facilè â paroxysmo liberabantur.* Ac vidua, *inquit l. 2. Observ. Felix Platerus*, podagrica per biennium liberata à podagrâ, cum finito biennio marito nuberet, prima nuptiarum nocte, podagrâ iterum correpta est, à qua etiam,quia medicamenta posteà neglexit, ad extremum vitæ usque afflicta fuit. *Hæc ille.* Contra *Franciscus Vallesius*, multi, *inquit*,Monachi laborant podagrâ,qui venere nunquam usi fuerunt. Quare quod dicitur, ante usum veneris,intellige, ante id tempus, quo solent homines uti venere : nam ab eo tempore incipiunt multi fieri podagrici, etsi non utantur Venere, quanquam multò magis, si eâ utantur immodicè. *Atq; etiam ex eadem notâ Prosper Martianus Aphor. sect. 7.* Perperam ex hoc aphorismo colligunt multi, coitum maximè ad podagricas affectiones dispo-

diſponere, præterquam, quod experientia hanc opinionem evidenter damnat, cùm videamus, maximam partem eorum, qui in monaſteriis degunt, à podagra vexari, cùm tamen caſtitatem obſervent.

Viros integræ ætatis ſcio primâ *Arthritidis* acceſſione in *Venerem* excitari, ſalſis illis humoribus motis. Iſta libido etiam eâ ratione arteriarum canales ampliat. Sunt certè, qui venereis voluptatibus nunquam in vitâ uſi fuerunt, ſunt, qui ab iis ſe poſteà penitus abdicarunt. Hi tamen eo *Articulario morbo* liberari non potuerunt. Sunt pauci, ſunt tamen *Arthritici*, quibus non inutilis fuit moderata venus nec adeò pernitioſa. Quin à nonnullis quoque excipiuntur ii, qui *pituitosâ*, ut vocant, podagrâ urgentur. *Venus*, inquit Hier: Gabucinius, *niſi admodum urgente materia, ſummopere vitanda. Arthriticum* maritum ſentio illam libidinem, commodo valetudinis aliquando explere poſſe, finitâ *Arthritide*. Magna vis conſuetudinis eſt. Et alia ſubeſt ratio. Pudoris ratio ubique eſt habenda.

Vinum peræquè damnatur. Adnotatum eſt, *inquit libro 16. de re Cibar:* cap. 13. *Johannes Bryerinus*, eos, qui inter initia podagræ, dolorisque articulorum vini potum ſubtrahunt & ad aquam confugiunt, magnificum ſentire præſidium ac pœnè divinum: fereque compertum & potatores aquæ raró aut nunquam podagricos aut chiragricos effici. *Rondeletius*: ego multos ab hoc morbo vindicavi vel potione aquæ, in quibus per defluxionem fiebat. *Atque Proſper Martianus Aphor: Sect. 6. ita:* nullum efficacius remedium excogitari poteſt, pro præſervatione ab hoc morbo, quàm vini abſtinentia & eorum omnium, quæ acrimoniam in humoribus inducere poſſunt. Sed vini loco, ſimplicis aquæ potu, cibisque omni acrimonia expertibus uti, quo quidem præſidio nonnullos in totum â podagrâ liberatos eſſe novi, in quorum numero fuit illuſtris ac Rev: Dn: Hier: Bernerius, Cardinalis Aſculanus nuncupatus, qui ſolo aquæ potu, quo per plures annos eſt uſus, â podagra perfectè eſt ſanatus. *Hactenus autor.* Verùm quædam ut *Bohemica*, vina majori ſtudio ſunt fugienda, aut magis parcè bibenda. Potus quarundam *aquarum*, item *Cereviſiarum* æquè noxius eſt. Sit quoque moderatus. Nam *Gabelcoverus cent: 2. cur. 55.* ſcribit, *in quodam viro arthri-*

ticum dolorem ex nimio aquæ frigidæ potu inductum fuisse. Nec *aqua Spadana* & *Egerana* semper præstitit usum. Equidem non ignoro id, quod *Heinricus ab Heer* obs: 23. scriptum reliquit. Dein vinum calore suo movet humores, unde *Arthritis* oritur. Atque hoc est, quod æger eâ sæpè tentetur aut magis affligatur, simul ac vinum potavit. Eoque qui se quotidiè ingurgitant, in hunc facilè conjiciuntur morbum. *Felix Platerus vinum* censet *Cerebrum debilitare*, ex illoque plus purgamenti provenire, ut hic inde nascatur morbus. Verùm hoc rationis nobis non probatur.

Ætâte *Homeri* & *Hippocratis*, teste *Galeno* 6. Aph: 28. tàm multi non fuerunt *arthritici.* Vita tùm victu parco colebatur. Ast Pater *Ennius* non rorantia & minuta, sed, canente Q. Sereno, iniqua siccabat pocula, ex eoque morbum articularem contraxit. Unde *Poëta* fortè:

Ut venus enervat vires, sic copia vini
Et tentat gressus, debilitatque pedes.

In hæc vitia graviter perorat *Hier. Gabucinius.* Verùm vita quàm multis gravis est sine vino. *Certè*, inquit *Savonarola*, *nostro tempore & in Italia & ultra montes homines ita dediti sunt vino, ut videantur cum dimissione vini perdere vitam, & ideò oportet, ut Medicus prudenter agat.* Multos *Arthriticorum* potus aquæ nunc morbo levavit, nunc quoque liberavit penitus, interdum & abstinentia. *Ponam*, inquit Valescus de Taranta, *Diætam, quam tenebat magister Bernardus Foresterus bonæ memoriæ in montepeso salano, qui multum in suo tempore fuit vexatus doloribus juncturarum, præcipuè à chiragra. Nam ita citò quod sentiebat magnos dolores guttæ, statim ponebat se in Diæta subtilissimâ, & imponebat taliter frenum ori, quod aliquando stabat per tres dies naturales, quod nil comedebat nec bibebat, & intolerabili siti. Lavabat interdum os cum aqua frigida, & sic faciendo cessabat dolor, & paulatim revertebatur ad Diætam grossam, & fatebatur, se non invenisse ita bonum remedium in aliqua medicina, sicut in ista Diæta & abstinentia & excusabat ipsum ab omni alio medicamine, & cum ista vixit 100. annos.* Abbas Conchensis, *inquit c. 4. obs. 11. Borellus*, podagrâ diu detentus fuit, cumq; potum ei nocuum esse percepisset, paulatim ab eo abstinuit, ut sex annos absque ullo potu transegerit, sicq; curatus fuerit. Quin & duritia vitæ aliquando

do prodest. Quidam, teste *Hieronymo*, convaluére *proscriptione bonorum*, ut *carcere* & aliquando *tortura*, enarrante *Fabritio Hildano* lib.1. obs.79. item *Wirsungio*. Verùm est & in exemplis, nonnullis tantam continentiam nocere. Agnosce Naturæ proprietatem. Ratio & consuetudinis habeatur. Quidam sunt cibo, potuq; reficiendi. Vinumque senescente morbo dari potest modicè. Est & Medicina. Nec illud continuò auget, ut vocant *Tartarum*. Nocet principio morbi, sanguine vehementiùs concitato. Nocet maximè suâ copiâ. Hanc vitet æger. Est in manu ejus tūc positū, ut liberetur hoc malo aut levetur. Sibi ipsimet bellum indicat, non succenseat Medico. Unde *Michael Majerus*, l. qui *civitas corporis humani* inscribitur, *ita philosophatur:* si hospes quidam deses & iners habitet in quadam domo sordida, & cloacis repleta, unde hæc minetur ruinam, quid illi agendum? an convitia in innocuam congerat domum? annon ipse potius culpandus, qui non tam expurget & exoneret? Sic quoque arthritici intemperantes in medicos insontes contumeliosi, sua vitia prius ingluviem, libidinem, furorem, ebrietatem & his similia detestentur & fugiant, & sic Medico non difficile erit, morbum hunc pernitiosissimum fugare. *Hæc ille.*

Illud, inquit autor lib. de Podagra, *Hippocratis oraculum verum est, si modica comedat, modicaq; bibat homo, in nullum incidit morbum.* Omnes Gentes pessundedit *Luxus*, ad quem & spectat *otium* maximè. *Ex isto capite*, inquit Johannes de Tornamira, *plures ecclesiastici podagrizant, viventes in crapula & in ocio, non continuantes exercitium pedestre ante prandium & ante cœnam.* Labor nimius vicissim facit *Arthritidem*. Unde *Serapio:* qui laborat supra mensuram, fit facilè arthriticus.

Animi Affectus vehementiores, ac ex iis *Ira*, concitant *Arthritidem*. Nam humor eâ incitatione non leviter movetur. Ac *Cælius Aurelianus* arthriticos quoq; pronuntiat plerunque iracundos esse. Plagosi præceptores ac cerebrosi plerunque sunt podagrosi. *Servius* & *pudore* in hoc malum corporis, enarrante *Svetonio*, incidit. *Servius* cùm, *inquit ille*, librum soceri nondum editum fraude intercepisset, & ob hoc repudiatus, pudore ac tædio successisset ab urbe, in podagræ morbum incidit, cujus impatiens veneno sibi perunxit pedes & enecuit.

Homi-

Homines & imprimis præpotentes opibus, negligentes de ſua valetudine eſſe videntur. Operam dant, ut ne equus à curſu potetur, ne catuli alieno lacte cibentur. Ipſi verò etiamnum irâaccenſi epulantur ſæpius, adeò non in propria valetudine curandâ diligentes.

Terror quidem morbum ſæpenumerò depuliſſe dicitur. Referunt, *inquit libr. de Linguâ Eraſmus Roderodamus*, veterum epigrammata, quendam multis annis podagræ vinculis affixum grabbato, quum adrepens vipera ſpiris eſſet complexa tibiam, ſubitò morbi veteris oblitum exiliſſe, nec poſteà ſenſiſſe malum. Ac *Bruno Seidelius libr. de morbis incurabilibus*: In Germaniæ oppido quodam ad Neccarum ſito accidiſſe audivi, ut podagricus quidam per angiportum à ſervis in ſellâ delatus obvium haberet urſum incitato curſu, iraque frementem, elapſum ſcilicet ex vinculis & irritatum à perſequentibus, ibi præ metu aufugientibus ſervis, ipſe quoque podagricus conſternatus vires ſubitò ex terrore & deſperatione ſumſit, inq; pedes ſe conjecit, quibus antea nullo modo poterat uti, idq; convaleſcētiæ ſuæ principium habuit. Nota eſt fabula, quā refert *Gul: Fabr:* cent. 1. ep. XLVII. *Podager tetricus & maledicendi ſtudio planè deditus erat. Cum quidā larvatus Æthiopis inſtar eum graviter laborantē effert extra cubiculum, pedes ægros vehemēter allidens, ſiſtit in pedes. Tum iis utitur, nec unquam podagra fuit correptus.* Tale quid & *Lotichius l. 6. obſ. 5.* Ita, inquit *Joh. Löſelius*, ex relatu venerandi hoſpitis D. D. Quiſtorpii habeo, Lubecæ fuiſſe Mercatorem quendam podagrum, cui in hemicyclo ſedenti, de improviſo vas butyro plenum in pedis pollicem à nauta quodam Roſtochienſi devolutum fuit, unde & conſternatus, & poſtmodum in vita ab omni podagræ inſultu liber exſtitit. Atque *Helmontius libr. de Sede Animæ ita loquitur*: Sicut pavor ingens plures fecit epilepticos in vitam, ita conſimilis pavor plures à podagra deinceps reddidit immunes. Item *libr. de ortu imaginationis morboſæ*: pavor ſubitaneæ mortis, ſæpè podagram necuit. *Atq; l. de morborum ſede in animâ ſenſitiva*: Prout & ſubitus mortis pavor quandoq; podagræ characterem enecuit.

At in aliam partē Sigiſ: Kolr: Arthritis cauſatur ex mœrore, curis; ira & reliquis animi perturbationibꝰ, hæ n. nō modò cōmovent humores noxios, ut juncturas petant, ſed & primariò & per accidens ipſos

ſos procreant, ſcio ægros quoſdã Arthriticos factos ex ſubito terrore, ſic ut etiã per plures paroxyſmos morbus cũ illis conſeneſceret. *Hæc ille.* Nimirũ prout Natura movet humores,ita ea nũc *terroris* vi creat *Arthritidem*,nunc tollit.Nam ea ſanguinẽ ab artubus revocare poteſt,poteſt & in eoſdem tantò vehementiùs conferre.Homines'q; terrentur diverſimodè. Plurimùm valet ſemper proprietas Naturæ.

De *affectione Siderum* ſæpius dictum. Eo nomine & *Pontanum*, *Ptolomæumque* laudat *Hieronymus Gabucinius*. Aſt ſubjungit: *quamvis ea potior cauſa fuerit, quam Divus Chryſoſt:in Evang: Joh. c.5.refert: Homil: 37. Nam veniunt quidam (inquit) & morbi propter peccata;uti magnos viros podagrâ laborantes videmus.*

CAPUT XIII.

DIFFERENTIÆ.

DEinceps nunc de *differentiis Arthritidis* ponemus. Ab aliis pauciores,ab aliis plures enuntiãtur.*Johannitius*,inquit Nic.Nicoli,*facit tres ſpecies,chiragram,podagram,& dolorẽ dorſalem.Multi dividunt in tot ſpecies, quot ſunt corporis juncturæ,& vocant collagram, humetagram,cubitagram,chiragram,dorſagram,ſciaticam,genuagram, Podagram.* Unde & *Ambr: Paræus:* Arthritidis ſeu Articularis morbi nomen generale eſt ad detentum quemlibet articulùm: varia tamen in variis partium articulis ſpeciatim nomina ſortitur, ut quæ in maxillæ articulum irruit, *Siagonagra* nominatur, quia Græcis *Siagon* maxilla dicitur. Quæ collum, *Trachelagra*,quia Trachelos, Græcis Cervix dicitur.Quæ ſpinam dorſi, *Rachiſagra*, Spina n.dorſi *Rachis* eſt. Quæ Scapulas,*Omagra*,quia humeri cum ſcapula articulus *Omos* dicitur. Quæ jugulorum articulos,*Cleiſagra*,quia *cleis* clavis ſeu jugulum Græcis nuncupatur. Quæ cubitum,*Pechiagra*,nam *Pechis* cubitus eſt. Quæ manus, *Chiragra*, quæ coxam, *Iſchias*, quæ Genu, *Chonagra*, quæ pedes, *Podagra*, quia *Chier*, *Iſchyon*, *Gony*, & *Pous*,Grais Manus, Coxa, Genu & Pes dicuntur. *Item Godofredus Steeghius:* Secundum Galenum Arthritis eſt dolor omnium articulorum vel plurium ſimul, ideoque Avicenna capite proprio, dorſi & colli dolores ad hunc locum refert, idem facit Matthæus de Gradibus commentario in Avic, fen.22.Tertii cap.5.7.10. Similiter Nicolaus Florentinus de doloribus juncturarum cap.1.& Fran-

ciſcus Pedemontanus ſupplemento in Meſuem tractatus proprii cap. 3. & 4. *Collagram* & *Dorſagram* appellat Jannitius, illam Trachelagram, hanc rachiſagram vocat Paræus. *Itemq́ Joh. Stephanus Strobelbergerus:* ſi verò unus ſolus & determinatus alicujus particularis membri articulus pravè afficiatur, particulare nomen ſumit à loco particulariter affecto. Hinc ſpeciatim Podagra, quæ pedum, χειράγρα, quæ manuum, Gonagra, quæ genuum, Pechiagra, quæ cubiti, Rachiſagra, quæ ſpinæ dorſi, Cleiſagra, quæ jugulorum, Omagra, quæ humeri cum ſcopulis, Trachelagra, quæ Coxendicum, δακτυλάγρα, quæ digitorum, σφυρονάγρα, quæ talorum articulos divexat, infeſtatque, dicitur. *Similiq́ ratione* genera *Arthritidis* enumerant plures, ut *Franciſcus India, Felix Platerus, Kolreuterus, Sennertus, Cneufelius, Heringius.*

Nunc rurſus prædictus *Strobelbergerus:* inprimis verò ex podagra, ſi in deterius prolabatur, tranſitus quoque fit in cæteras corporis partes. Non enim exinde tantum vertebræ dorſi, cervicisque dolent, & in ſummo ſacri oſſis dolor inhæreſcit, ſed & Tenontes, ac ipſius *dorſi, thoracisq́* muſculi cum diſtentione dolorem patiuntur. Nec non *maxillarum* & *temporum* muſculi. Facta etiam inſuper communicatione Renibus & Veſicæ, & in ſtomacho etiam nauſeâ vel vomitu jactantur ægroti. O rem admirabilem! Poſt omnia Nares, Aures, Labia & Fauces afficiuntur. Nam quoquoverſum nervi & muſculi in capite feruntur, eò populatur rabies iſta, dolentq; univerſæ *capitis ſuturæ*, imò dolorem imis in oſſibus & tota corporis compage defixum ægri perſentiunt. Imò etſi ipſa interna viſcera gutta arthritica conflictari quodammodo ridiculum videri poſſit, cùm hiſce viſceribus nulla adſit articulatio, unde nomen affectio ſumeret, apertè tamen interdum & *jecur* & *lienem* articulariis doloribus languere à Paulo lib. 3. cap. 78. ſtatutum eſt. Sive igitur impropriè vel propriè ita loquatur Paulus, haud multùm diſceptandum erit, dummodò exiſtimemus, illas partes propriisſimè Arthritide affici poſſe, in quibus oſſium, quæ moventur, involvuntur Artus ſeu Articulationes. *Hactenus Strobelbergerus*, aut potius *Franciſcus India.* Similiterque *Hieronymus Gabucinius:* tranſitus quoque in dorſi, thoracisque muſculis fit: incredibileque eſt, quàm latè ſerpat malum. Vertebræ dorſi, cervicisque dolent, & in ſummo ſacri

oſſis

ossis dolor inhærescit, sed & tenentes & musculi cum distentione dolorem patiuntur, nec non maxillarum & temporum musculi. Item communicatur renibus & vesicæ, & in stomacho etiam nausea vel vomitu jectantur ægri. O rem admrabilem! post omnia nares & aures & labia afficiuntur. Nam quoque versus nervi & musculi in capite feruntur, & dolent capitis suturæ, & qui doleat, ægrotus ignorans, indicat suturarum species, obliquam, rectam, transversam, posterius ac prius: tenuem autem dolorem & in ossibus defixum conqueritur. Universam enim ossium compagem morbus populatus haud secus atque pedis aut manus articulum. Quibus omnibus casibus Amplis. olim Cardinalis Fenestr. Petrus Bertanius miserrimè affectus, tandem interiit. *Hæc ille autor*. Non alienum erit, *Pauli Æginetæ*, cujus hic meminit, *verba subjicere*. In pedibus, dicitur podagra, ubi verò causa omnes corporis articulos pertransivit, arthritidem appellare solent, in qua & *verticula*, & *scapulæ*, & *maxillæ*, & omnes articuli morbo feriuntur. Quibusdam etiam *aures*, *dentes* & *fauces*, & quandoque etiam *hepar* & *splen*, articularibus morbis participant. *Sic &* autor libri *de Podagra*, qui & *Cordis* meminit.

Placet ire per singula. *Rhinagra*, inquit Honorius Heringius, *vocatur, quando malum in nasum irrepit, ut ibi dolores cieat, Græcis ῥινάγρα*, Germanis Nasenwehe. Ac simile quid ad *Gregorium Horstium* scribit *Jacobus Eckoldus*. Hi iterum vetustiores autores sequuntur, qui *narium* mentionem omnino inferunt, ut *Aretæus*: In Ischiade & vertebræ dorsi dolent & Cervicis. Post omnia *nares* & aures & labia afficiuntur. Nam quoquoversus nervi & musculi feruntur, dolent *capitis suturæ*, & quid doleat ægrotus ignorans, indicat *suturarum species*, obliquam, rectam, transversam, posterius ac prius. *Item Ætius cap. Sexto:* Qui extremè ab hac affectione apprehenduntur, his & spinæ, vertebræ & costarum juncturæ & *genæ* dolent, aliquibus autem & Iris sive corona, pupillam oculi ambiens, *itemque Alsahar:* passiones juncturarum sunt dolor pedis, dolor genuum, sciæ dolor, dolor coxarum, dolor *narium*; dolor dorsi, Gibbositas, *Elephantasis* & nervorum tensio.

Et *oculi* hoc morbo tentari videntur. Idque apud *Trincavellum consil. libro III. consilio XCI.* experimento cognovit *Bellocatus*,

tus: Nobilis juvenis vexatur dolore articulorum juguli, ſpatularum, manus & pedum atque dorſi. Primò affectus eſt oculus ſiniſter, deinde dexter, ut facta ſit opthalmia. Poſteà materia deſcendere cœpit ad inferiores omnes artus, & ſic per duos annos eſt vexatꝰ. Quamdiu illa fluxio ad oculos decumbebat, nondum articulorum dolore laborabat. *Hæc autor.* Suprà ex antiquis *Ætius oculorum Iridem* & *coronam*, quæ *pupillam oculi ambit*, item *Genas*, ut *Aretæus* quoque *genas* & *capitis ſuturas* commemorabat. Plures *collum*, *Guttur*, *Spinam* dorſi, *Coſtarum juncturas*, *Coxas* ſæpius dicunt. Unde *Peter Foreſtus*, qui verò, *inquit*, extremè ab hoc malo apprehenduntur, ut Johannes Foreſtus, iis ſpinæ, vertebræ & coſtarum juncturæ & genæ dolent, aliquibus & guttur, neque eſt aliqua oſſium connexio, quæ ab hac affectione ſit immunis. *Hactenus autor.* Arthritide quidem verâ ferè omnes partes membrorum laborant. Si morbus, *inquit Cent: 2. Cur. XCIX. Amatus Luſitanus*, ad univerſum corpus deſcendit, arthritis morbus, id eſt, articularis abſolutè appellatur, quem pati videmus Antverpiæ nobilem quendam virum Juſtitiæ protectorem, quem vulgo Burgimeiſterum appellant. *Itemque cent: 4. cur. XLV.* per artheticam arthritin, vocem Græcam intelligunt, quæ nihil præter morbum articularium ſignificat. Unde Hippocrates lib. 3. Aphor. 20. & Galenus comm: Porrò Arthritis aliâ ſignificatione apud Græcos accipitur pro ſæviſſimo & graviſſimo morbo, omnes totius corporis articulos apprehendente & vexante, ut apud Hippocratem quis legere poterit in fine libri de morbis, qui extra. Unde Galenus lib. 3. Aph. 16. Hic ex Hippocrate arthritidem morbum in omnes corporis articulos ſævientem vocat. Quod enim in omnibus articulis arthritis eſt, hoc in uno juxta coxendicem quidem, Iſchiada. Ex quibus Galeni verbis liquidò conſtat, arthritim morbum in omnibus ſimul articulis fieri, cui ſententiæ innititur Ætius, item Paulus Ægineta. *Hactenus autor.* Verùm ſæpius evenit, ut omnes ferè partes antè laborent, quàm vel manus vel pedes.

Quàm multi podagrici integræ ætatis eo morbi acceſſu avidiores Veneris redduntur? Nec id fefellit autores. At cauſa illius libidinis latere videtur. Podagrici, *inquit interpres Hollerii,* magna ex parte ſunt ſalaces, tùm ob aſſvetudinem, tùm ob frequentiorem

ner-

nervorum rigorem ac intenſionem. *Inde & Foreſtus*, *Heringius*, *Tuſſanus Ducretus*, cujus *verba* adſcribantur: podagrici magnâ ex parte ad Venerem ſunt proclives, vel quia flatibus, quibus ſæpè abundant, intendantur nervi ac rigeant; vel quia ex otio, quod eſt libidinis parens, rebus Veneris ſint aſſveti, vel quia ex Cerebri decubitu in dorſum, humores ad genitalia deferantur. *Ac Dan: Sennertus: Et retulit mihi vir nobilis, virum quendam podagrâ afflictum etiam graviſſimos in membro virili dolores percepiſſe.* Commotiore Sanguine, coles incaleſcit, ut homo quoque in Venerem incitari videatur. Id quidem moleſtum eſt, de eo quoque queruntur ægri; quin & *graviſſimos* dolores inibi perferunt, ut edoctus fuit *Sennertus*. Et verè. Id aliquando evenit. Teſtes ſunt ipſi ægri. Vocent *Penagram*, *Peagram* aut *Kerkagram*. Cæterùm eadem libidine quoque interdum accenduntur ii arthritici, qui Venere nunquam fuerunt uſi, quique ab ea ſe penitus abdicarunt. Sanguis eſt tùm temporis fervidior ac magis vapidus. Illi verò flatus tantam vim per ſe non habent. Nec Arthritidis humor nec liquor ille genitalis de *Cerebro* venit.

Nervi quidem etiam incaleſcunt, tàm vehementer agitato ſanguine. Quæ inde partes non affligi poterunt, usque dum humorum vis major in certa quædam membra erumpat? Hinc vel *podagra* vel *chiragra* naſcitur vel *arthritis*. Hujus acceſſione *viſcera* illa nobiliora, *Cor*, *Hepar*, *Lien* & *Pulmones* quandoq; æſtuant gravius, ea verò *arthritide* ægrotare non dixerim. Simili ratione ſimul dolet *caput*; pavimentum inde æger calcari non patitur. Quin capitis *ſuturæ* hiare videantur. Pulſant tempora, vultus ſanguine eſt verecundior, fervent labia. Quis *Rhinagram* vernaculâ linguâ unquam vocavit Naſenwehe? *Arthritidis* quidem materiam naribus excerni poſſe, non erit dubiũ. Nec quoq; negaverim, qui humor in articulis poteſt *arthritidem* facere, eundem vel *Ophthalmico* vel alio morbo ſuſpendi, ſubtrahi & tandem exterminari poſſe. Nonnulli ubi dolore *dentium* exerceri deſierunt, tentati ſunt *Arthritide*. Hâc ratione *Strobelbergerus* Podagram aut *Arthritidem dentium* cognominare potuiſſet. Ac *græcus ille incertus autor lib. de Podagra* haud vocat *podagram dentium*: membrum, quod affligitur, morbo nomen imponit. Tormentum enim coxendicis, Iſchiadē; pedum, podagram; articu-

Nnnn 3 lorum.

lorum, arthritidem; dentium, odontagram nominavit. Nam (ut ſapientisſimus Hippocrates aſſerit) nomina, morborum genera ſunt.

Arthritis plerasque omnes aut plures artus occupat. Inde *Q. Serenus*:

Quædam ſunt rabidæ medicamina ſumma podagræ,
Cui ter tricenas ſpecies Epidaurius ipſe,
Dixit ineſſe Deus,

Gabriel Hummelbergerus quidem eos verſus legit ſic:

Cui ter trigeminas ſpecies Epidaurius ipſe,

Hoc eſt, *inquit ille*, tres. Siquidem podagra in triplici reperitur differentia. Nam aut eſt in principio morbus & ſine tumore, quamvis non ſine dolore vehementi: aut eſt cum tumore, cui calor quoque accedit, aut altius radices fixit, & tumor jam induruit, occalluitque, qui vix aut nunquam curam admittit. Quam podagram Ovidius vocat nodoſam. Qui itaque podagram curare volet, conſiderare debet, quænam ſpecies membrum infeſtet. Nam, ut Celſus ait, ubi dolor vehemens urget, intereſt, ſine tumore is ſit, an tumor cum calore, an tumor jam etiam occalluerit. *Hæc ille. Verùm* magis ſcienter Clariſſ. Dn. *Robertus Keuchenius*:

Cui ter tricenas ſpecies Epidaurius ipſe
dixit ineſſe Deus.

Additque: *Nonaginta ſpecies numeravit Æſculapius, ut autor eſt Soranus Medicus, qui Romæ Trajani & Hadriani imperiis vixit.* Eandemque mentem illorum verſuum aſſecutus eſt *T. Helius Victor*:

Haud facile eſt genera & cauſas numerare podagræ.

Galenus ipſe quoque varia nomina l.2. Meth. Med. c.2. ait inveniri poſſe. *Cælius Aurelianus* ſic *ait l.5. tard. Paſ. c.1. à partibus, quæ dolore vexantur, hæ pasſiones nomina ſumpſerunt.* Quot artus, tot genera *Arthritidis*, tot ejuſdem quoque appellationes, quas autores juniores finxerunt ac multò plures reperire poterunt. De cætero *Q. Serenus Podagræ* vocabulo hîc *Arthritidem* indicare exiſtimatur. Nec illud ſilentio prætereundum eſt, quod *Hieronymus Gabucinius Q. Serenum* aliter interpretetur, oritur, *inquiens*, à quatuor illis humoribus, & etiam ab Melancholico, quanquàm raro, rarò à ſinceris humoribus, neque enim ſinceri cujusvis humoris morbus exquiſitè naturam refert, quin potius alter aut parùm, multum-

que

que exuperans alteri, vel pluribus commixtus morbum conſtituit. Quam ob rem non injuria, priſci olim Medici innumeras podagræ ſpecies eſſe voluere. Quemadmodum Q. Serenus hoc verſu:

Cui ter tricenas ſpecies Epidaurius ipſe.

Quo loco ſummoperè cavendum, ne decipiamur: quum difficile admodum ſit, humorum mixtionem agnoſcere: qualiſnam reliquos magis ſuperet: & ſi plures quantitate, num æquâ lance omnes, an alium magis, minus alium vincat. Hinc auxilia non proſunt. Hinc decipiuntur Medici. Si humor intus latet, neſcitur, an ſit frigidus.

Tres hæ *Species* maximè celebrabantur & quidem antiquitus, *Chiragra, Podagra* & *Iſchiagra*. Hæ ad arthritidem referuntur, quæ eſt *Genus*. *Alſaharavii* interpres *inter paſsiones juncturarum* quoq; *Elephantaſin* commemorat. Verba ſuperius habentur. *Eum* aut potius *Avicennam* dilucidè *l. de Tumor. 4. c. 25.* interpretatur *Antonius Saporta*, Chiragra una, *inquiens*, ex arthritidis Speciebus, à manibus defluxione infeſtatis nomen ſumens, ab Avicenna *Elephantia* vocatur, quod ob craſſorum humorum decubitum manus ſolæ nonnunquam cum toto brachio ita tumeant, ut digitis preſſæ œdematis more foſſam retineant. Quò fit, ut qui tali morbo conflictantur, graviſſimum in affectâ parte pondus ſentiant, & adauctâ defluxione maximè diſtorqueantur. Is morbus ab Elephante, immani beſtiâ, cujus extremæ partes ſunt maximè extuberantes, nomen (aſſerente Mauritanorum turba) adeptus eſt: qui cum organorum organa afficiat, horumq; functionem animanti apprimè neceſſariam lædat, præſentaneis, opportunis & ex arte excogitatis præſidiis eget. Eſt enim manus aptisſimum ad recipiendum inſtrumentum, artibusque accommodatisſimum. Nam ſi quis manus auferat, aut ſolos manuum digitos, ad omnes propè artes capeſſendas, facit inutilisſimum hominem. Quare ſolus homo, quia rationalis eſt & artium capax, manus à ſuo Creatore obtinuit. Solet hic morbus pituitoſos, magnos comedones & bibulos frequenter diſtorquere. Conſtituunt nonnulli Medici Elephantiam duplicem.

Ferè ejuſdem generis eſt illud, quod *Leonellus Faventinus de Victoriis c. 78.* ſcriptum reliquit: *Species juncturarum affectionum ſunt Arthritis, Chiragra, Gonagra, Podagra, Tenontagra, Paralyſis,*

Spe-

Scelotyrbe, Perosis & Ischiadicus dolor. Ea etiam de vetustiore Autore libri Finitionum Medicarum, *Galeno adscripti 48.* accepit: *Ischias est coxendicis dolor, Arthritis est phlegmone circa articulos, Podagra circa pedes, Paralysis est affectus, quo voluntarius motus impeditur. Scelotyrbe est species resolutionis, qua erectꝰ ambulare homo non potest. Perosis est privatio, impedimentumve naturalis functionis aut alicujus mutilatio particulæ.* Ast *Leon. Favent.* si mollius accipias, ridendus est. Ille enim Græcus Autor *Paralysin, Scelotyrbin* & *Perosin* non ceu *species Arthritidis* enumerat. Siquidem omnia morborum generatim ex ordine persequi instituit.

Nonnulli Arthritidem vel *humoralem* faciunt vel *intemperialem*, ut vocant, & *ventosam.* Verùm *Franciscus India* rectè eam ab intemperie solâ, uti frigidâ negat oriri posse. Nec ulla solo calore & fomentis cessat. Levissima sudationibus, quibus elicitur humor, curetur, oportet. Inde & illa in Scholis Medicorum fertur *differentia*: quædam & *levior* arthritis per *resolutionem*, per *maturationem gravior*, quæ verò rarior est, *gravissima* per *indurationem* desinit. Levior, gravior & gravissima deniq; interdum per *translationem*, his verbis utuntur Medici, finiri queunt, alio morbi genere nascente, quo humores aliò rapi solent. *Humoralis* nunc minorem, nunc majorem facit ruborem, ut illa, quæ *Biliosa* habetur. Et hoc est, quod *Felix Platerus l. de Hab. dolor. c. 15.* scribat, *talem tumorem tunc citius apparere, atque Erysipelatodem aliquam phlegmonem referre.*

Alia creat *calculosam* materiam & relinquit, alia non item, quam *humorosam* voces licet. Quo de genere est illud, quod *Bertrucius* distinguit. Arthritis, *inquit ille*, maximè est ex humore crudo, phlegmatico, viscoso, cui aliquid choleræ vel sanguinis acuti fuerit additum, ut ipsum veheret in loca profunda. Neque potest hoc apostema, quemadmodum reliqua terminari per sanationem, quoniam materiæ grossities & membrorum frigiditas & loci profunditas illud non admittunt, sed vel *terminatur per resolutionem vel lapidificationem. Hæc hic.* Multi integræ ætatis homines sunt facti Arthritici & diu manserunt, nec horum in articulis calculosa aut lapidosa materia unquam collecta fuit aut relicta. Ille inflammationis tumor facilè & semper ritu *Erysipelatis*, quo verbo utitur *Paulus*, discutitur. Qui humor

humor *febrim*, aut dolorem *Dentium, Aurium, Oculorum, Intestinorum* facit, idem jam revocatus, veram creat *Arthritidem*. Idemq; si rursus ab artubus remeat, superiores morbi iterum urgent. Hujusque rei testes locupletissimi sunt *Hieron. Gabucinius* com. de Podagra & *Victor Trincavellus l. 12. c. 1. libroq; de Consil.* Et ego, *inquit Antonius Guainerius*, plerunque artheticam incurrere vidi, qui chronicas tibiarum ulcerationes, seu quæ in ano sunt fistulas consolidare permiserunt, aut qui solitas ad membrum aliquod detineri superfluitates constringunt. *Forestus* profluvio *hæmorrhoidum* animadvertit depulsam fuisse *arthritidem*. Unde ita disserit *Franciscus India*: quod si alii ægri affirmabunt, se assvetos per hæmorrhoides copiosè expurgari & fæminæ per sanguinem menstruum, & post illas assvetas purgationes interceptas, in iis affectibus incidisse, hoc erit signum, humores ab interceptis hæmorrhoidarum vel mensium purgationibus provenire, & hoc idem de cæteris aliis consuetis purgationibus suppressis intelligere debemus, prætermitto enumerare, quæ de doloribus colicis & Renum antegressis dici possent. *Hæc ille* l. 1. c. 45. Nunc c. 9. l. 1. aspergit ea: *dolores colici in articulares & podagricos vertuntur, ut ex Hippocrat. doctrina 4. in 6. de morb. Vulg. part. 3. Et Paul. Ægineta l. 3.* Ac hæc experimentis cognovere multi recentiorum, ut quoque *Amatus Lusitanus cen. 4. Curat.*

Humor serosus simplex aut biliosus cur non veram queat facere arthritidem, dummodò is artuum ligamenta, membranas, cutem & alias, quas diximus partes, occupet? Talis humor nonnunquam unum atque alterum *Musculum* intus aggravat, ut homo vel brachium vel pedem ex facili flectere non valeat, qui affectus non vera Arthritis est, ut aliquid *Platerus* quoq;, *Steeghius*, & inde *Sennertus* ac alii animadverterunt. *Humoralis arthritis* quoq; vel cum tumore externo notabili vel sine eo prorsus exiſtit, ut primâ hujus morbi accessione, vel quoq; sine dolore. *Est*, inquit l. 4. de sanit. tuendâ c. 22. Hier. Cardanus, *genus podagræ aliud, quod non dolet, nisi cum motu, aliud cum extensione, & hoc est deterius. Et locus inflatur & incalescit, & musculorum ventres non vexantur, sed sola capita & impedit.* Tandem quasi privatim dicendus considerandusq; humor est ille, qui maximè alienus est, qui in articulis nunc

citius, nunc tardius concrescit in modum calcis aut cretæ aut lapidis durioris.

Nunc alia *Arthritis* est *adscititia*, & ut vocant, *accidentalis*, alia *hæreditaria* in vulgus habetur. *Omnes*, inquit Johannes de Concoregio, *passiones juncturarum sunt hæreditariæ, & maximè podagra. Sperma enim maculatum est, cum sequatur corporis complexionem: imò sicut lepra est morbus hæreditarius, sic est podagra.* Ac *Gordonius* hisce verbis utitur: *semen coinquinatum est culpâ parentum.* Unde & *Franciscus India:* ab *Avis* & Patribus podagricis origo trahitur, quibus *semen vitiatum* erat, atq; ideò filiis vehementiorem fecerunt partium imbecillitatem, ut Galenus 6. Aphor. *Hæc ille.* Exemplum affert A*matus Lusitanus cent. 4. cur. 51.* Soror Chyroci nobilis Anconitani à juventute suâ, etiamsi lunaris evacuationis respondentiam optimam & consuetam haberet, in podagram labebatur: nunc verò etiam, cum quinquagesimum tertium ætatis suæ annum agat, eodem vexatur morbo. Cæterum hujus parentes sani & liberi ab hac infectione semper fuere: at superiores, hoc est, *avi* sui, ut ipsa refert, gravissimè hoc morbo torquebantur. Contrahitur igitur à majoribus.

Ejus rei causam investigat l. 1. c. 3. *Liberatus de Liberatis*, quare, *inquiens*, morbus avi transplantatur non rarò in nepotes, illæso filio, qui hos genuit? Sciendum, habitum seu dispositionem vitiosam quandoq; leviter imprimi in fætu, cum seminis affecti labes emendatur à valentiori alterius seminis vel sanguinis menstrui cum vitium itaq; contractum debile ac obscurum fuerit, nisi multum in vitâ deliquerit filius, non elucescit, *ex sola enim partium imbecillitate non potest podagra fieri, Galenus 6. Aphor. com. 29.* Latitat itaq; sic vitiosus habitus, non est tamen obliteratus, at impeditur, ne facilè reducatur ad actum, potest tamen ad filiorum filios transferri vitium imbecillitatis, & aliis causis accersitis, manifestari. *Aliquantò copiosius Vincentius Alsarius â Cruce l. 6. de Epilepsiâ:* Clarè docuit nos Galenus 6. Aph. plerosq; hominum podagrâ corripi, quod parentes & avos podagricos habuerint, in quibus vitiatum erat semen, ex quo posteri majorem traxere partium imbecillitatem. Sæpè etiam podagricus evadit is, cujus parens ab hoc affectu liber omninò vi-

nò vixerit, avus attamen eo laborarit. Cur ergò podagræ ut & epilepsiæ hæreditas genitali semini adscribatur, & à parentum semine filii oriantur, non avorum? Similis Peripateticorum quæstio est, cur interdum filii alteri parentum, interdum verò amborum neutro, sed avo & abavo similes gignantur? Siquidem, ut ait Arist. l. 2. de gen. anim. c. 18. redditur post plura genera similitudo, ideò ex Helide, quæ cum Æthiope rem habuit, non filia Æthiopi similis genita est, sed ex filia natus seu Helidis nepos Æthiops evasit. Ita etiam Nicæus vates Bysantius à candido utriusq; parentis colore in avum Æthiopem degeneravit. Unde Zenon Citieus semen ad hunc modum definit: sperma est hominis spiritus, quem cum humido emittit, partis animæ spolium & generis proavorum permixtio, quale enim ipsum erat, tale permixtum excernitur. Lucretius:

Fit quoq;, ut interdum similes existere avorum
Possint & referant proavorum sæpè figuras,
Propterea quia multimodis primordia multi
Mista suo celant in corpore sæpè parentes.

Ego hanc meam super hac dubitatione sententiam liberè pronuntiabo. Ad immutandam in melius, deteriusq́; rationem conceptus concurrunt externa, internaq́; multa. Non enim parum refert, an quis tranquillo cœli statu vel conturbato, ob varias ventorum flatus oriatur, & an mense frigido vel calido, Lunaq́; an crescente vel decrescente. Ad quod similiter spectat ipsius genitricis natura, idq́; aut secundum ejus universum corpus, aut secundum uterum ipsum. Cum alterâ namq; muliere fæcundi, cum altera verò steriles multi extitere, & ab unâ sanos, ab aliâ morbosos procreari sæpè videmus: ad quam etiam in generatione diversitatem faciendam maximè omnium interna valent, nempè si corpus benè, malevé se habet circa concoctiones & cruditates, circa bonorum, pravorumq́; humorum plenitudinem, ut similiter circa reliqua omnia, quæ sub victus ratione continentur, causæ etenim, quæ in animalis generatione unà conveniunt, non adeò validæ aut necessariæ sunt, ut ab externis, internisq; occasionibus impediri, immutarique minimè possint. Nam ex aliquibus causis auferri impedimenta possunt, & robur addi naturalibus generationis principiis, ut intermedia ali-

qua generatio prorſus quidem vitiorum, ægritudinumque expers evadat, quæ priorem, poſterioremque generationem affligant, ſed cujus ſemen labem, infectionemque à patre ſuſceptam ſervet, quæ deinde in nepotis generatione, utpote qui fuerit iis auxiliis deſtitutus, quæ in eo vitium illud velut in parente celare potuiſſent, denuò pullulavit. Quare licet avitum ſemen ad nepotis generationem minimè concurrat, utpote quod jam evanuit, in patre tamen aliqua remanet labes, infectioque ex avi malè affecto ſemine relicta, cujus gratia nepos, in cujus generatione ea non adfuère auxilia, quæ in patris conceptu convenerunt, vitium illud patietur, quod ab avo pater còntraxit, ita ut nepos avo magis, quàm parenti in hoc quaſi hæres ſuccedat, quamvis labes illa in paterno ſemine inſignis admodùm non fuerit. Accidit enim in hoc, quod ſcripſit Ariſt.4. de Gen.anim. parva facta in principiis tranſmutatio, in illis magna conſpicuaq; apparet, quæ mox ab eis oriuntur. Ex quibus omnibus dici poſſe arbitror, quomodo ex vitiato parentum ſemine filii, &, quod magis admirandum eſt, avorum nepotes, quorum ſani vixerunt patres, hiſce morbis hæreditariis obnoxii naſcantur. *Hæc ille.*

Nunc ad ſuperiora revertor. Sperma parentis quî ſit maculatum, nihil prorſus intelligo. Gravidis ovibus aut vaccis atras res diu multumque intuentibus, tergora ejuſdem coloris maculis diſtinguuntur. An ſemen quoque fuerit tinctum? Pleriquc omnes liquore paterno, maternoque genitali ſemen morbi in corpuſculum fœtus tranſverti putant. Sal podagricum, *inquit Clariſs. Dn. Johannes Sophronius Kozak*, in ætate teneriore ſe manifeſtans, non afficit articulos pedum, ſed indifferenter alia membra plura aut pauciora; & vel in calculum deſinit, vel hydropem, vel tabem, vel dyſenteriam, vel fluxum hepaticum. Quamvis ſeminaria podagræ fætui cum ſpermate communicentur, æquè ac calculi vel aliorum morborum, quamvis maturitatem ſuam non aſſequatur, niſi in adultioribus. *Hæc ille.* Cohibeo me hîc ſilentio. Alio loco de tanta re dicam ſecretiùs.

Olim fuit quoque *Epidemia* & *contagioſa*, ſi *Athenæo* credimus. Accipe *verba: Pythernus, ut inquit Hegeſander, memoriæ tradidit,*

dit, ævo suo moros annis viginti fructum non edidisse, & popularem morbum podagram ita fuisse grassatum, ut non solùm viros, sed etiam pueros, virgines, eunuchos, mulieres hic morbus corripuerit. Adhæc an, *inquit Hist. LIX. Epiphanius Ferdinandus*, debeamus referre ad cœli statum & inclementiam vel astrorum influentiam, vel ad aëris particularem conditionem illius temporis, scriptores vaticinentur. *Hunc* sequens *Sennertus* enuntiat insignem aeris ἀνομαλίαν. Verè conjecit prædictus *Epiph. Ferdinandus*. Cur non à maligno aere vis mali expultrix in Massa Sanguinea residens ita ex occulto irritari potest, ut *Pleuritides, Paraphrenitides, Phrenitides, Ophthalmias, Dysenterias*, vel interdum etiam inflammationem cutis artuū concitet, quā nuncupamus *Arthritidem?* Quā sæpè *Arthritici* privatâ aliquâ affectione cœli graviꝰ, diutiusq́; decumbunt? *Criticæ Arthritidis* mentio infrà inferetur sæpiùs, uti à *Vido Vidio*, ac etiam à Clar. Viro ac Excell. *Dn. D. Georgio Friderico Laurentio parte primâ exercit. Aphor. XVI.* Podagra, *inquit hic, febri tertianæ superveniens, potuit Cancellarium Zicensem cognomine Avenarium sub mea cura ab ea liberare.* Sic ego memini cujusdam juvenis, qui febri continua multos dies jactabatur, & eâ tandem liberabatur, *Arthritide*, ut vocant, universali invadente. Quâ is quidem diu haud conflictatus fuit. Hoc est, quod *Fredericus vander Mye* scribit: *in articulorum dolores desinunt febres continuæ, quarum materia in venis continetur.* Quo nomine & *Hippocr. lib. de affect. & Sect. 4. lib. 6. Epid.* laudat B. *Bauderonius*. Quidam vicissim incidit, teste *Trincavello*, in febrim, suppresso per *repellentia* humore *Podagræ*. Cæterùm *Hier. Gabucinius* adspergit & hoc: sunt verò quædam regiones, per quas podagra grassari probatur, ut Caria & Alexandria, Cælio Aureliano autore, etsi Hippocrati Scythia. Nostris temporibus Italia, imprimis urbs ipsa Roma.

Gallicam Podagram, aut potius *Gallicum dolorem artuum* memorant *Ducretus, Fern:, Tussianus Ducretus, Theophr: Paracelsus*. Unde *Raicus:* de Podagra Gallica Paracelsus l. 6. c. 3. hanc tradit inter signa παθογνωμικὰ νοσογνωμικήν: Si cū podagra concurrunt serpigo, contractura, paralysis, tumores, φύμαϑ Gallica, censetur podagra. *Multoq́ distinctiùs Ludovicus Mercatus:* Arthritidem à Gallici mor-

bi doloribus, qui his ſunt ſimiles, non ita facilè diſtingues. Utrumq; enim doloris genus eaſdem partes videtur infeſtare, & eodem modo: cæterum disſident, quia Gallicus rarò aut nunquam fit cum tumore, qui ſi fortè apparuerit, non in omnibus articulis, ſed in aliqua ſignatim parte comparebit: at arthritis cum tumore in omnibus aut pluribus plerunque conſpicuo. Præterea Gallicus ſenſim paulatimque ingruit, & non ſimul in omnibus aut plerisque: arthriticus verò, licet paulatim cauſa in membro adhuc dolente gigni posſit, in articulos tamen ferè omnes ſubitò, affatim & confertim decidere oportet. Item Gallicus dolorem infert juxta perioſtion in intimâ particulæ regione: arthriticus autem in extimis, ubi tumor apparet, & in intimis etiam. Inſuper Gallicus plerunq; ſemper habet comitem diuturnum capitis dolorem: arthriticus rarò aut levem. Præterea Gallicus noctu & in temporum mutationibus, maximè auſtrinâ, & calore lectuli exacerbatur: arthriticus omnibus diei partibus citra ullam remisſionem, niſi præſtito auxilio. *Unde & Godofredus Steeghius;* Gallici dolores veſperi magis increſcunt, mitigantur ſolis reditu. Quare Fernelius requirit, cur hi dolores per intervalla invadant,

Cæterùm dolor Luis Venereæ & in commiſſuris artuum hæret. Homines Lue Venereâ infecti, *inquit Sigiſmundus Kolreuterus*, dolores ingentisſimos in juncturis patiuntur, ut etiam oculis meis viderim defuncti cujuſdam, poſtmodum Senis Italiæ ex hac lue oſſa, tumores maximos, poroſos, non in una ſed pluribus coarticulationibus contra quorundam opinionem contraxiſſe. Utinam non & apud nos lues illa ſæpisſimè pro arthritide venderetur, deploranda eſt hæc noſtri temporis in illicitis licentia. *Hæc ille.* Sermo ſenſim deflexus à *differentiis* eſt ad *Signa*, ut vocant, *Diagnoſtica.*

CAPUT XIV.

SIGNA DIAGNOSTICA.

HÆc igitur videamus excutiamusque, ut ſciatur, quàm certa ſint aut potius quàm vana. Vetus enim & jam usque ab *Hippocrate* ducta opinio eſt, eaque humano ſemper firmata conſenſu, humores ex *Cerebro* provolvi. Hæc tantas cunctis rebus hîc offudit

dit tenebras. Ejusdem commento multi *Arthritidem*, *Podagram Chiragram*, *Ischiagram* ab illis *Cerebri* humoribus defluentibus originem aliquando trahere existimârunt. Quin & eò credulitatis, ne dicam, temeritatis processerunt, ut profiterentur, se quoque quiddam præscium habere, inde nosceretur, illa corporis mala, quibus de loquimur, non aliundè, quàm à *capite* & à *cerebro* in *artus* jaci. Age, nonnullorum *verba* transcribamus. *Arculanus ita*: Si â cerebro passio ipsarum præcedit, hoc indicabit, ut *catarrhus* & materia secundum plurimum frigida phlegmatica, licèt aliquando calida, si in ea sit salsedo, quæ aliquando per gustum percipitur, & incidit à spondilibus colli, & procedit per collum ad humeros & ad juncturas pedum. *Nunc Paræus*: Quæ arthritidis materia à *cerebro* decurrit, pituitosa est, serosa, limpida, & tenuis, qualis ê naribus stillare consuevit. Fertur autem ê *cute musculosa* & pericranio, itemque ex eo foramine amplo, per quod spinalis medulla, cerebri vicaria in spinam propagatur per nervorum tunicas & tendines in dearticulationum spatia, fereque frigida existit. Cum instat fluxio, capitis adest gravitas, in somnum propensio atque hebetudo cum extimarum ejus partium dolore, tùm maximè perceptibili, quando *capilli invertuntur*; quin etiam *turgidula cutis cranii musculosa*, quodam quasi œdemate tumet: multum sibi à seipsis mutati esse videntur ægri, propter læsas humoris malignitate animi functiones, â qua non immunes sunt naturæ facultates, ut ventriculi cruditates, & ructus frequentes atque acidi testantur. *Reinerus Solenander*: A capite quidem fluens materia pituitosa est & *gravitas capitis*, colli, scapularum seu humeri dolorem articulorum præcedunt. *Et Sect: V. cons. 1.* est quasi *horripilatio*, per dorsum & lumbos percepta, lassitudo, musculorum, cervicis, lumborumque quædam imbecillitas, & in suris quasi convulsio. *Item J. Cæsar Claudinus*: Quod Cerebrum id præstare possit, ex præteritis & præsentibus facilè dignosci potest, ex præteritis quidem, quoniam sanguinis fluor è naribus cum mutatione caloris, tumor glandularum sub mento, *sternutatio* per intervalla. *Ac Franciscus India lib. 1. cap. 21.* Ægri si de capitis *gravitate*, *dolore* & *somno profundo* & aliis consimilibus anteà conquesti fuerint, quàm in iis doloribus incurrerent,

rent, quis negare poterit, humores aliunde, quàm â capite provenire. *Atque Henricus Petræus*: sinceri humoris signum edit *excrementi cerebri* pituitosi & serosi intra carnem & cutem profluvium. *B. Bauderonius*: si à capite duxerit originem, capitis aut Cervicis gravitas præcessit, aut frigus vel parvus horror sentitur. *Nicolaus Abrahamus Frambesarius*: cum somnolentus primùm fuerit, ac capitis gravitatem externumque dolorem, contactu vel *inversis* duntaxat *capillis* exacerbantem senserit, *cutemque densam, œdematoso ad occipitium tumore, ut cerâ molli distentam ac calvæ propius adhærentem* deprehenderit, ac deinceps frigido aquæ instar deorsum decurrente subter cutẽ humore, sentientes partes vellicante, *horrorem* perceperit: nemini dubium esse potest, quin articularis hic morbus ex supervacanea pituitâ tenui, ab externis partibus capitis, per summa corporis sub cute in articulos imbecilliores influente genitus sit. *Honorius Heringius*: Si à Cerebro, præcedit hujus gravitas, somnus immodicus, retenta per *nares & palatum evacuatio consueta*, si à capite proficiscitur, sub periostio tristis quidam in cervice sensus & in dorso frigus, ac horror, dolor minus acris, minor item venarum amplitudo. *Et tandem Franciscus Joel*: Si fluxionum vitiosorum humorum causa à capite est ad articulos, antecedit capitis gravitas, dolor cervicis & *horrores Cerebri*.

Nunc dicam, quàm hæc signa nulla sint. Nec *cerebrum est catarrhorum fons, sed Massa cuncta Sanguinea.* Capitis gravedo quàm multorum morborum est comes? Cui febricitanti non dolet caput? Eo malo & conflictantur fæminæ, ubi ex utero, & alii si ex *stomacho*, ex *hepate* aut ex *liene* laborare creduntur. Quàm multis ægris obrepit somnus, & is quidem altus, nec morbus ulla ratione de *capite* tunc nascitur aut de *cerebro*. Capilli *arthritide* rigeant, at cunctum corpus simul afficitur, refugiente sanguine. Tota cutis quasi algore tùm perfunditur. Nec lassitudo testatur morbum *capitis* aut *cerebri*. Qui podagrâ jam tentatur, is, fateor, interdum sternuit sæpius. At quid ex eo colligi, quid effici potest? Hac quidem argumentatione & mulierculæ utuntur, & ad hunc modum divinant: Simul maritus meus aliquando frequentius sternutavit, certa sum, fore, ut cum opprimat *Podagra*. Nonne cientur

quo-

quoque sternutamenta, ubi pueri *variolis* aut morbillis opprimuntur? Quàm multi quoque, quàm graviter hac pedum aut manuum valetudine ægrotant, qui tamen de tumoribus cutis capitis nunquam questi fuerunt? *Paræus* enim *turgidulam* ait *cutem Cranii musculosam* esse. Nec ejusmodi ægri me unquam docuerunt, *capitis cutem*, ut loquitur *Frambesarius*, *inversis esse capillis densam, œdematoso quoq; occipitium tumore, ut cerâ molli distentam ac calvæ propius adhærentem*. Quàm sæpè illa cutis capitis ad hunc modum est vitiata, nec homines tamen articulario morbo urgentur? Sunt meræ nugæ. Sunt ineptiæ, quarum pater est *Fernelius*. Hunc non sine jure *Franciscus India* lib.1. cap.8. figit maledictis, absurdissimum est, opinari, materiam tales affectus producentem, antequam ad articulos pedum irruat, prius in caput deferri, quia natura aggravata, faciliorem aditum sibi requirit ad exonerandum & parat, facilior autem aditus naturæ est ille, qui per breviorem & rectitudinem fit, at materiam vel uterum vel ventriculum vel renes occupantem, ad genua vel ad articulos pedum per viam capitis propellere, esset potius naturæ opus valdè difficile & laboriosum. Ergo Fernelii opinio rationi consentanea minimè esse videtur; propterea ego maximè optarem, ut vir iste acrimoniâ ingenii præditus, rationem saltem mihi redderet, quanam necessitate vel naturæ, vel morbi, coacti humores supervacanei, in visceribus geniti, antequam deferantur ad pedes, debeant priùs in caput adscendere. Amplius, si vera esset hæc Fernelii opinio, ex necessitate sequeretur, quod nunquam dolores articulares vel podagrici succederent, nî prius signa ab eo proposita in capite apparerent, videlicet, capitis gravitas, somnolentia, dolor externus, inversis capillis acueretur in capite dolor, tumor œdematosus, interdum mollis, ut cera, cuti præsertim ad occipitium subjectus, cutis densa &c. At non semper ex necessitate hæc signa in capite apparent. Quamobrem longè erronea est opinio hæc sua. Experientia enim quotidiana contrarium persæpè & ut plurimùm evenire videtur, quotidiè enim practicando, frequentissimè intueri potui, hujusmodi affectus accidere absque ulla in capite imaginabili anteacta alteratione. *Hæc autor.*

Si narium venæ reddunt ſanguinem, is non privatus eſt nec proprius Cerebri, quod ſæpè aliàs. Quid tandem *Franciſco Joeli* in mentem venit *horrores cerebri* enuntiare? Sibi fortè perſvadet, *cerebrum* ſub principio hujus morbi, ceu rigore quodam aſperiore perhorreſcere, & inde concuſſum fundere humorem *Arthritidis*. Hæc cordatus medicus nunquam extimeſcet. Tantùm anicularum lucubratione ſunt digna. Quo de genere quoque eſt illud, quod nonnulli ſentiunt, capitis humorem rectà fluere in membra illius lateris, in quod dormiens cubat. *Euſtachius Rudius* quidem ita ait: *à capite ſæpius materia ſponte & proprio pondere & inclinatione in articulos ſubjectos deſtillat, quo fit, ut ad eos tunc articulos præſertim feratur, in quos patiens, dum dormit, inclinatus decumbit.* Præclarè *Peter Salius Diverſus*, hæc expulſio, inquit, *fit vi facultatis naturalis*. Humores non ſuopte motu ruunt, nec eâ ratione inflammationem ciere poterunt.

Nunc indicia & reliquarum partium, unde mittatur materia *arthritidis*, ab autoribus produntur. Si à *venis* magnis, *inquit Gulielmus Rondeletius*, oritur, cognoſcitur, ſi citra *dolorem capitis vel gravitatem* dolor aliquam partem occupat, ſed *cum febricula* vel aliqua inæqualitate fit, & pars citò intumeſcit, rubet, dolet, ab una parte in aliam movetur; Si eſt cum bile, fit cum majore ardore, ſi â *ſanguine*, cum majore rubore, ſi â pituita, œdematis naturam habet. Tales defluxiones non ſunt ſynceræ, quæ per defluxionem, ut illæ, quæ per decubitum. In cauſa eſt, quia in venis ſunt humores permixti. *Ambroſius Paræus:* Quæ ab *hepate* eſt, per venam magnam & arterias differtas turgidasque diffunditur, quatuor humorum, ex quibus ſanguinis maſſa conſurgit, naturam redolens, intemperie calidâ ſæpius inſignita. Ejusmodi arthriticis calet Hypochondrion dextrum, imò interiora viſcera, ſanguinis & bilis dominium adeſt, *venæ amplæ* & *tumentes* exiſtunt, fluxio repentè irruit, ſi præſertim bilis, quàm reliquorum humorum in ſanguinis maſsâ major exiſtat copia. At ſi, ut ſæpè fit, ſanguis totus, cruditatum occaſione, in pituitam & ſeri naturam degeneret: tùm continget, ut ea etiam, quæ *ab hepate* ortum habet, *arthritis pituitoſa* ſit, & œdematis naturam, ut illa, quæ à cerebro eſt, redoleat. *Fredericus van-*

der

der Mye: E jecore deducit Avicenna: probatur ratione: qui arthritidem incursuri sunt, non tantum mingunt aut sudant, quàm solebant; ergo quod ante expurgabatur per venas & cutem, defertur ad articulos. Cur caput & hepar prærogativam obtinent ad articulos depellendi? quia nempe ab utroque viæ satis manifestæ ad articulos derivantur. Jecur vino afficitur, cerebrum vaporibus repletur, eos per densam capitis cutem non sinit expirare, sub qua in extremas partes prolabuntur. Signa humoris â capite, ejus tumor œdematosus, aliquando mollis, excrementa spumosa. E cervice, dolor per humores sentitur, capitis gravitas, nonnunquam cum frigore horror & catarrhus. Si à jecore: copia venas gravans, jecur imbecillum & ejus indicia. *Reinerus Solenander:* ab *hepate* oritur, cum materia per venas extruditur, plerunque *inappetentia* ægri laborant, & urinas pauciores solito emittunt, venæque pedum intumescunt aliàs magis, aliàs minus. *J. Cæsar Claudinus:* Humoris sanguinei & biliosi origo est in *jecore*, *qui humores mixti cum ipsa pituita in cerebro* decumbunt in articulos per fluxionem factâ transmissione, tùm per spatia inania, tùm per spinam, venas & nervos. *Henricus Petræus:* mixti, si per venas, in quibus humores misti continentur, fiant. Quanquam, utut humor sincerus primò fluxerit, tamen ob dolorem alii etiam accersuntur. *Johannes Oberndorfius:* Sanguis mittitur à toto corporis ambitu, præcipuè autem ab ipso jecore, cùm ab eo gravatur. Bilis sæpè mittitur à jecore. Sed hæc omnium vehementissima & intolerabilis est podagra. *Franciscus India:* si ægri retulerint, se prius à *febre* fuisse cruciatos, & posteà in dolores pedum, manuum & coxarum incidisse, hoc erit indubitabile signum, hujusmodi doloris initium habuisse ab *humoribus* per universum corpus diffusis. *Honorius Heringius:* Signa loci affecti hæc sunt: fieri arthritidem propter materiam in articulos expulsam à toto, plethora & cacochymia, *à cerebro*, præcedens hujus gravitas, somnus immodicus, detenta per nares & palatũ evacuatio consueta, *à capite*, sub periostio tristis quidam in cervice sensus & in dorso frigus ac *horror*, *dolor minus acris*, *minor item venarum* amplitudo, *à ventriculo*, cruditates præcedentes, prava ejusdem constitutio aut consueti vomitus suppresio, obstructiones item hypo-

chondriorum, ab *utero, suppressio menstruorum* &c. indicant, *colici* autem, lumborum & renum dolores præcedentes, inde materiam ad articulos devenisse commonstrant. *Henricus Petræus:* Si à ventriculo, vomitus, si ab utero, mensium suppressio, si ab aliis partibus, alia signa præcurrunt.

Si humor à *venis magnis* fluit, motâ febri, caput itidem dolet. Ac quò magis fervet sanguis, eò vehementiùs tument vasa. Adhæc *Paræus* fatetur, pituitosum, ut vocant, & frigidum humorem æquè à *Cerebro* ac ab *Hepate* interdum oriri posse. Quid certi igitur prænuntiatur? Cur non cibi appetentia extinguitur, si humor *Cerebri*, ut fingunt, influat? Si is ab *hepate* manat, cur urina erit non multa? Ac quo modo humores *Cerebri* & *Hepatis* confundi poterunt? Qui humor vasculis provehitur, is penetrat altiùs. *Cerebri* autem humor in intima artuum pervadere non potest. Si humor *Capitis*, ut comminiscuntur, subter cutem fertur, etiã inhorrescit corpus. Quo igitur pacto fluxiones *Capitis* & *Hepatis* internosci queunt? Signa sunt commentitia. Si *Arthritis*, venis *Narium* aut *Matricis* strictis, supervenit, non de *Capite*, non de *Matrice* nascitur, quemadmodum de hoc aliàs.

Nunc signa etiam cujusque humoris *Arthritidem* facientis magno studio persequuntur autores, quos nihil attinet ex ordine & nominatim appellare. Satis erit *Francisci India verba* super eâ re hîc ponere. Si *â sanguine, inquit ille*, plenitudo & venarum tumor apparebit, non sine gravedine & ponderositate, & æger quandoque *in fronte* & *in facie sudorem* emittet, atque interdum â *somnolentia* & capitis gravitate turbabitur, in *ore*, *lingua* atque *palato* quandam *exiguam dulcedinem* degustare videbitur. Dolor erit extensivus, non quidem superficialis, sed potius profundus valdè. Si *â bile*, dolor manifestabitur lacerans, acutus pungitivus, acris & valdè intensus, *amaritudo* in ore, lingua atque palato ab ægrotante degustabitur. Si *â pituitâ*, dolor non erit ita acutus, & pungitivus, color cutis loci affecti non erit admodum à statu naturali alienus, os, lingua atq; palatum languentis insipida erũt, & ea, quæ degustabit, insipida illi videbuntur. Si autem salsa fuerit, dolor paulò erit acrior, excrementa procul dubio pituitosa, verùm tamen aliquam cali-

caliditatem præ ſe ferentia,os, lingua atq; palatum ſalſedine prædita,& quæ deguſtabit, ſalſa apparebunt. Si à *melancholia*,dolor affecti membri parvus erit, absq; ulla penitus inflatione, gravitas tamen atq; ſtupiditas quædam perſentietur,& hujuſmodi exacerbantur alterationes de quarto in quartum diem,cutis ſuperficies quandoq; livida,quandoq; nigra apparebit, frigiditas ad tactum manifeſtabitur,in ore,lingua atq; palato *acerbitas* aderit, & quæ manducabit,guſtui acerba erunt.

Cur *frons*, cur *facies* inſudat, ubi *arthritis* oritur à *ſanguine*, cur non itidem madet, ſi ea de frigido liquore *pituitæ* naſcitur? Ingruente hoc morbo, ſomnus ſemper eſt inquietior. Saliva cur non æquè dulcis eſſe poterit, pituitoſâ, ut vocant, *Arthritide* infeſtante. Si bilis in artus confertur, ejus non multum ſupererit. Quare ſaliva potius erit dulcis. Quin & magis amara erit, ſi pituita facit *arthritidē, reſiduâ bile.* Nunquam *Arthritis* majores quarto quoq; die fecit dolores. At tale quid obſervatione cognoſcitur. Imò fingitur potiùs. Initio hujus morbi dolor ſemper magis urget.Quo modo à ſe diſtant *amaritudo & acerbitas*, hanc in ore efficit *Melancholia*, illam *Bilioſa Arthritis*? Admodum ſollicitus quoq; eſt *Hieronymus Gabucinius*. Nunc bilioſus, *inquit* is, pituitoſo miſcetur. Dolor quoq; nunc ab aliqua cauſa externa fit : nimirum ob cœli ſtatum impensè- calidum, aut medicamenti cujuſpiam ſuperpoſiti nimis quam par eſt,calidi appoſitionem. Hinc rubor, frigido exiſtente humore. Dein humor ſæpè intus deliteſcit. Non poteſt cognoſci. Et frigidus humor tantum dolorem facere poteſt, ut hinc febris, vigiliæ, arteriarum pulſuum frequentia & inæqualitas ſequantur.

Ex *Urinæ* colore Medici naturam *Arthritidis* augurati ſoliti fuerunt. E quibus quantus vates eſſe videtur *Johannes Rhenanus*? Spuma, in Urocrit. *inquit ille*, in exteriore urinâ abſolutè podagram,nec quicquam aliud indicat. Quando ſedimentum in urina rubea neque album, neque rubeum eſt,Iſchiadicum denotat. Rubea in Iſchiadica aliquandiu perſeverans,apoſtema illic latitare dicit.Alba urina cum circulo livido obſtructionem Cerebri & caducum oſtendit. *Ex eodem genere Sigiſmundus Kolreuterus*: commune

müne signum esse volunt urinam, continentem corpuscula exilia, atomis similia, per substantiam earum dispersa, & prout partes infernas vel supernas occupant, superiores quoq; vel inferiores juncturas laborare, ex ipsa prognosticandum esse, & si per totam substantiam ferantur, omnes articulos simul affici, addunt quidam per colorem ipsius & substantiam etiam materiam peccantem indicari. *Hæc ille.* Ac inter autores penè convenit, *urinam, arthritide frigidâ* urgente, esse *pallidam*, uti certè *Nic. Nicoli, Savonarola* & *Joh. de* Concoregio tradunt. Ast *Gulielmus* Placentinus *de Saliceto* eam & aliquando *rutilantem* esse confitetur, *in frigidâ*, inquiens, *podagra est urina sæpè rubra, quia hepar & membra inflammantur.* Ac ipse *Johannes de Concoregio* Medicos ait humores ipsos *Arthritidis* tàm exactè internoscere non posse. *Nota*, inquit ille, *quod in cognitione causarum Frequenter decipiantur Medici.* Quapropter ii bis tùm falli poterunt. Ad hunc modum edisserit *Franciscus India:* Signa permixta tum in dolore, tum in exacerbationibus, coloribus & caloribus spectantur, nosse porrò operæ pretium est, inquit Ætius, quod aliquando fluxus fluxui commiscetur, aut calidus frigido, aut vicissim frigidus calido, & secundum utriusque horum qualitatem, exacerbationes fiunt, & continget quandoq; , ægrum bis in die exacerbationum accessionem sentire, quo quidem in casu Medicus accuratissimus esse debet in veritate hujùs negotii indagandâ, ne decipiatur, quoniam valdè obscurum, perdifficileq; admodum est, miscellam humorum interstinguere, debet investigare, si varii adsunt humores, quisnam illorum superet ac prædominium habeat, & hoc præscire maximè est necessarium ad medicamenta imperanda. Prætereà in humoribus mixtis, calor, colorq; membri læsi Medicum non parùm decipiet, nam exempli gratia, si bilis cum pituita permiscetur, non alienum à ratione erit, ut bilis ipsa ad membri malè affecti circumferentiam & superficiem propellatur, cujus causa rubedinem & colorem citrinum ostendat, caloremque mordacem præbeat, & tamen in interiore parte pituita residendo, non levem dolorem efficiat, ex quibus potius exterioribus signis, bilem doloris esse causam falsò opinaretur, materia enim in profunditate membri existens, est illa, quæ dolorem efficit & prædominium

nium habet & caloris & coloris membri læsi superficiem pro aliquo temporis spatio non mutat. Quare à calore & colore vel frigiditate membri nullum certum indicium elici potest. Veluti quandoq; bilis commixta pituitæ erit illa, quæ præcipuè cruciando infestabit, cum tamen pravè affecta membra in eorum superficie pallida, albaq; videantur, tepidiora vel frigida potius ad tactum appareant, & hoc non ratione humoris biliosi jam fluxi, prædominantis, qui intimiores occupat partes, sed aeris nos ambientis frigiditate, vel alterius externæ rei causa. Cum igitur talia signa sæpissimè Medicos decipere soleant, idcirco nos jure optimo ad *rationem victus* jam præcessam debemus confugere, ad *totius corporis temperiem* dignoscendam, ad ætatem, temporum constitutionem præsentem & jam cursam, ad urinæ qualitatem & ad reliqua alia ad id attinentia, omni sedulitate perpendenda, Urinæ præsertim exuberantem & prædominantem humorem patefacere facillimè possunt; verùm quoniam inspiciuntur interdum albæ ac tenues & valdè perspicuæ, in quibus quædam albæ, *atomosæ* innatantes materiæ commiscentur, & ita albæ spectantur, quoniam aut à juncturis proveniunt aut à materia frigidâ pituitosa, in iis resolvuntur, rotundæ verò & atomorum figuram præ se ferunt, quoniam exempli gratia sicut minerale aurum, quod in quibusdam fluviorum arenulis inspicitur, per continuam revolutionem, in parvis rotundatur granulis, ita resolutiones illæ atomosæ atq; rotundæ propter ipsarum in descensu continuam revolutionem ad formam rotundam atomis similem facillimè reducuntur, quod si bilis aut sanguis fuerint, prædictæ illæ atomosæ resolutiones rubeæ aut subrubeæ, subcruentæ aut subflavæ apparebunt. At si caliditas talis, tantaq; fuerit, ut humores colliquescant, materiæ illæ rotundæ innatantes & commixtæ urinis, præterquã, quod rubeæ & adustæ spectabuntur, urinæ quoq; rubeæ, crassæ & colliquativæ inspicientur, tandem *si turbatæ aut lividæ fuerint urinæ, inferiores juncturas & articulos laborare argumentum est, quoniàm humores, qui tales affectus progignunt, per spinalem medullam, ad inferiores articulos defluentes, per urinas etiam aliqua ex parte exeunt*, quamobrem ita turbatæ & lividæ fiunt. Exploratum autem omnibus esse debet, quod signa ex urinis deprompta,

per

per se sola non sunt valida atq; idonea ad essentiam & naturam podagræ & cæterorum articularium morborum demonstrandam, signa namq; superius proposita maximè necessaria & quæ ab ægrotantium relationibus elici possunt. *Hæc ille.*

Si humores, uti præ se fert omninò *Johannes de Concoregio*, non nisi dubiè cognoscuntur, quid igitur minus ab iis, qui ex urinæ contemplatione sapiunt, dici debet, quàm quidquam certi significari illo signo tam incerto? Quàm difficilè erit, qui humor sit potior, ducatq; familiam, conjicere. Ex æquo etiam ii aliquando commiscentur. Ac quo modo quis humorem *Cerebri* præsentiendo assequetur? Non Medicus, sed vates requiretur ac Oedipus. Ac jam dudum palàm feci, hos humores ita confundi non posse. Id igitur, præterquam quod fieri non potuit, ne fingi quidem potest. Ipse quoq; *India* fatetur, membri ægri calorem, coloremq; mentiri sæpiùs. Juvenes sæpè sunt magis pituitosi, quàm senes. Nunc *Urina* per se magis fallax est. Quas atomos, si Diis placet, *Arthritidis* prænuntias dicunt? Nonne eæ & aliis morbis, ut *Nephritide* & *febribus* urgentibus, deprehenduntur sæpiùs? Ob hæc & ejusmodi alia deliramenta jure *Helmontius* l. 2. de Lith. *Thurnheiserum* insectatur, *nasoque suspendit*, ut Poeta loquitur, *adunco*. Quo modo *Turbatæ* aut *lividæ* urinæ, *inferiores articulos* ceu digito monstrant? Nonne pudet Medicos hæc dicere? Ex *Spinali Medullâ* quæ humoris facta unquam deductio est? *Rhenanus* tàm audax nititur autoritate veterum. Gilbertus, *inquit Nicolaus Florentinus*, dixit, quod urina tenuis & alba cum resolutionibus albis & rotundis velut atomi arthritidem significat. Et Ægidius in versibus dixit, quod cum fuerit in urinâ sedimen atomosum, non aliorum duorum deerit, sc. quin vel conceptus adsit vel dolor articulorum. Et dixit Gilbertus, cum virtus membrorum juncturalium deficit in digerendo, & humores ad articulos decurrunt, tunc apparent in urinâ resolutiones parvæ & albæ, quia ex flegmate, vel quia â membris spermaticis albis, rotundæ ex continuâ revolutione, quam habent in descensu. Et sedimen quidem atomosum significat guttam in inferiori, aliud superiori modo vel inferiori corporis sc. situm, quem tenet in urinâ supremum, medium vel infimum. Et dixit Gilbertus; urina livi-

da

da ſpiſſa, cujus lividitas eſt in ſupremo, in artericâ apparens ſignificat, cauſam ejus fore reumaticam. *Hactenus autor.* Nihil eſt, quod cum his magnoperè pugnemus, diſputantes, adeò usq; hiſce ſignis credi haud oportere. Ipſe *Franciſcus India* ad extremum ſigna de *urinâ* ægri agnoſcit ementientia. Ex parte etiam *Hieronymus Gabucinius*: *His autem ex urina deſumtis notis, quùm & alios morbos indicent, in hoc dignoſcendo non ſunt magnoperè ex uſu: ſed unà cum reliquis uti quis tutiùs poterit.* Imò hæc ſunt nunquam ad hunc modum attendenda. Fruſtrà quoq; erit *Bricius Bauderonius*.

Ac ſi *Arthritis* quoq; *Cerebri Capitisq́; morbus* ſit, ejus ſigna tamen ex *urinâ* per ſe haberi non poſſunt. Cunctam rem *Vincentius Alſarius à Cruce l.2. de Phrenitide c.9.* ſignificanter exponit *hiſce*: Galenus 2. Pror. 2. manifeſtè dicit, ex urinis nihil haberi de indiciis Phrenitidis, quia vis urinarum, inquit, eſt, ut de veſicæ affectibus & renum & venarum, præterea de robore facultatis, quæ humores gignit, ſignificet. Propterea in Progn. urinarum differentias omnes percurrens, nullius omninò mentionem facit, quæ phrenitidem indicet. Contra verò eſſe videtur, quod Hipp. in hiſtoria Virginis in Lariſſa cauſo cum vigiliis laborantis, poſtquam ſcripſit ipſam quarto die minxiſſe tenue, paucum & in illius urinâ apparuiſſe enæorema ſublime, ſtatim infert, ipſam deliraſſe. Eoq; oſtendit, ait Galenus, ex his enæorematis delirium ſequi; Et in conc. prænot. l. 1. ſect. 2. Aph. 11. ſcribit Hipp. progreſſo morbo ſurditas, cum urinæ rubræ, ſubrubræ appareant, quæ nihil deponant ſedimenti, ſed ſublimamentum habeant, emovendæ mentis ſignum eſt. Idem 6. Epid. urinas in phreniticis multum habentes ſedimenti tanquam maximè ſalutares laudat, urina, inquiens, multam ſubſidentiam habens, à mentis motione liberat, qualis Dexippi fuit: quamobrem ſcitote, hanc dubitationem tolli, ſi dicamus, urinæ ſignum per ſe nunquam ullum delirii genus denuntiare, ita ut inter pathognomica ſigna phrenitidis minimè connumerari debeat, ſed inter ſigna potius mortem indicantia & ad prognoſin ſpectantia, quoniam quotiescunq; hujuſmodi apparent urinæ, claræ videlicet & diaphanæ, ſi præſertim anteà craſſæ, turbatæ & ſubjugales fuerint, oſtendunt gravem phrenitidem ex eo, quod calidorum humorum quidam de-

monſtratur raptus ad ſuperiores partes. Non tamen negandum eſt, quin etiam imminentem phreneſin ſignificare poſſint, ut Hipp. & Galenus aliquando voluiſſe videntur, ſed hoc omninò per accidens erit, quatenus videlicet flatuoſum continent enæorema, ea prorſus ratione, quâ idem Hipp. præſentem aut futurum capitis dolorem, ex turbatis urinis prænuntiat 4. Aphor. Non enim primò & immediatè illud evenire voluit Hipp. ſed per diſcurſum quendam conjecturalem, eò, quod multitudinem crudorum humorum & vehementiam caloris exagitantis oſtendunt, & ex conſequenti multam in caput efferri vaporationem. Concludatis itaque urinas inter phrenitica ſigna, quæcunque illa ſint, recenſeri tantùm per accidens, non quod vel partem affectam vel affectum ipſum, ejusq; eventum per ſe ſolæ demonſtrare poſſint.

Avicennas & hoc pronuntiat: *accedente podagrâ, Scrotum fit longius.* Unde *Arculanus:* prolongatur oſſea teſticulorum. Quare *Hieronymus Gabucinius:* Scrotum, in quo teſtes continentur, impensè longum fit, eâ, ni fallor, ratione, quod, quùm humores deorſum ferantur, nî podagricis (ad pedes enim confluunt) eorum pars quæpiam ad ſcrotum etiam, ut defluat, veluti & ad reliquas omnes artuum compages prius confluere, quàm ad pedes veriſimile exiſtit. *Similemque rei rationem Franciſcus India* l. 1. c. 27. exprimit hiſce: *Annotatione etiam dignum cenſeri debet, quod ſenes, qui à tophaceâ podagrâ cruciantur, nullo alio remedio, quàm à ſuperveniente fluxu perſanari poſſunt, quod non artis, ſed potius naturæ auxilium eſt. Hoc infortunii tandem podagricis contingit, ut ſcrotum, ſcilicet burſa, in qua teſtes continentur, longum fiat, quoniam cum podagrici humores deorſum ad pedes ferantur, neceſſarium eſt, ut etiam per illam partem defluant, veluti ad reliquas omnes artuū compagines acligamenta.*

Sunt teſticulis duo *muſculi*, quorum alter eſt *proprius*, & vocatur *Cremaſter*, alter verò *communis*, & *Dartos* cognominatur. Uterq; eos ſuſpendit. Dum vir, *inquit l. 5. Anthropogr. c. 34. Johannes Riolanus,* proſperâ valetudine fruitur, horum muſculorum beneficio ſublatos habet teſticulos, ne in ſcrotum ſidant, quod tum contractum, corrugatumq; ſentitur, inde laſciviores fæminæ conſtitutionem virorum, ſine ullo alio indicio promtè dignoſcunt. Nam in virium infirmitate exoluti flacceſcunt hi muſculi, quod

in ægris longo morbo attritis & ſenibus evenire ſolet. *Hæc ille.*

Non privata hæc nota *Arthritidis*, ſed plurimorum morborum eſt, quorum longinquitate vires ægrorum magis, magisq; atteruntur. Cur verò *Arthriticus* ſuprà in venerem incitari perhibetur, aſt in eam nunc exiſtimatur infirmior? Rem igitur ſic habeto. Sanguis, unde & interdum accendi poteſt libido, effervеſcit acceſſione illius morbi, ejuſdem autem progresſione æger tanto dolorum cruciatu, tamq; moleſtis vigiliis exanimatur, ut in eum venereum uſum pigrior ſit, ſcroto magis laxo, magisq; dependentibus teſticulis.

Nonnulli ægri, aggravante *Arthritide*, delirant, ut obſervavi ſæpiùs. Nec mirum. Nam autores, ut *Joſephus Pornius, Jacobus Lavellius, Vincentius Alſarius à Cruce* & alii Inflammationibus aliarum quoque partium, ut *Pleuritide*, *Peripneumonia* & *inflammatione ſtomachi* mentem ſæpè diminui confitentur. *Helmontius lib. de Lithi:* delirium ſcribit tum denuntiare urinam claram. Verùm cum quidam arthriticus, doloribus genu vehementer ardens, mentis alienatæ eſſet, ejus miniſtri *urinam* confitebantur ſat turbidam redditam, viſamq; fuiſſe. Cæterùm talis arthritis eſt periculi plena: Nam *Hieronymus Gabucinius* ita prædicit: in vehementi pedum dolore *mentis commotio*, cordis tremore & ſpiritus difficultate ſuperveniente, mors proxima eſt.

Hic prædictus *autor com. de Podagrâ* ſubjungit & hæc: Erunt præterea ægrotantes parvis ex cauſis mobiles atque iracundi. Siquidem motum vel actum non ſine querelâ recipiunt. Mox adſunt illi atroces dolores, & dolores comitantia atrociora: veluti defectus animæ, ad manuum contactum immobilitas, ciborum averſatio, ſitis, vigilia. Qui ſi diſcrimen evaſerint, tanquam ab inferis elapſi laxiorem vitam degunt, incontinentes, ſimplices, avari & in victu molles ac delicati. Si bilioſa eſt, ſubinde febris in ipſo acceſſionum ſtatu accedit. Et ex Aretæo ac Cælio *Aureliano*: Sequitur articulari morbo tentatos torpor atq; formicatio eorum articulorum, qui tanguntur, & difficilis flexio, atq; rurſum extenſio, gravedo item & ad parvum motum vehemens dolor, atq; dormientibus

ſenſus quidam reſonantium articulorum, & quùm à ſomno ſurrexerint, veluti ſaltu earundem partium afficiuntur. Tum horror vel rigor atq; tremor ſine ulla manifeſta partium ratione ſequuntur. *Sic & Fredericus vander Mye:* Arthritidem præſentem indicat torpor, formicatio articulorum, gravedo &c. Tum frigus, horror & rigor. Comitatur arthriticos plerunque tremor, depravatæ facultatis Symptoma. Calor ſanis & laborantibus partibus non diſſimilis; ſæpè ſine tumore manifeſto (hoc levibus & incipientibus eſt commune) poſteà inflatio cum rubore, aliquando veſicæ & majorum nervorum conſenſus, adeſt ſæpè nauſea, ſæpè vomitus. Ad iram proclivis eſt arthriticus & parvis ex cauſis mobilis.

CAP. XV.

PROGNOSTICA.

NUnc ad *Prognoſtica* veniatur. Ex ſcientiâ prædicendi maximè nobilitatur Medicus. Eam igitur optimus quisque excolit diligentiſſimè. Vulgus habet opinionem, *Arthritidis* ſpecies omnes eſſe inſanabiles, & quidem culpâ Medicorum. Illudque ſermone *Gallico* dictum ubiq; fertur:

En la fieure quarte & goutte,
Le Medicin n'y voit goutte.

Aſt longè ſecus ſentiunt vetuſtiores, *Hippocrates 6. Aph. 49. Galenus l. 11. de comp. Med. per cap. 1. Aretæus, Ægineta, Ætius.* Ergò ſcire, *inquit l. 4. de loc. aff.* curat. c. 118. *Oribaſius, convenit eos, qui temperatam vitam ducunt, quique diætâ utuntur, neque in podagricis doloribus inveterarunt, poſſe levari, ſi ineunte vere aut per venæ ſectionem aut purgationem evacuentur.* Quare & juniores ſpem faciunt, ut *Bruno Seidelius, Epiphanius Ferdinandus, Adrianus Spigelius, Franciſcus India.* Inſanabilis, *inqnit Alexander Benedictus, non eſt credendus, quippe qui & in quibusdam cœlo duntaxat mutato deſivit, in aliquibus etiamnum curatur.* Sic *Cornelius Perdeus Picardus* à ſeptimo ætatis anno *arthriticus* conſilio *Caroli Piſonis Quæſt. 10.* perſanatus fuit.

Alexander Trallianus requirit cauſam, cur hoc morbi genus cura-

curatu ſit tàm difficile. Humores, qui confunduntur ſæpius, retur non poſſe pernoſci. Quod idem *recentioribus* videtur, ut *Joh. Michaeli Savonarolæ* & *Franciſco Indiæ.* Ex antiquioribus *Aretæus* quoque adjicit, ægros Medicis ſæpè de morbo celare. Doloris cauſam, *inquit ille*, non legitimam afferunt, aliqui novæ crepidæ attritum, aliqui longam obambulationem, alius plagam aut calcationem, nullus inteſtinam, domeſticamque cauſam explicabit. Quia etiam ægrotis verum audientibus incredibile eſſe videtur. Quamobrem in inſanabilem affectum inciderunt. Quoniam principiis, cum debilisſimus morbus eſt, medicus non reſiſtit. Quin ut temporis ſpatio vires acquiſivit, nihil Medici diligentiâ proficitur. *Quem in morem* ſalsè jocatur *Lucianus.*

Hoc denique privatim proclamat *Arculanus :* artetica cum curatur, ſecundum plurimum non redit, oppoſitum eſt de aliis doloribus juncturarum. Nam licet curentur, redeunt & propriè podagræ. *Galenus* enim lib. 6. de Sanit. tuen: cap. 7. ſic: podagra eſt adeò diuturna, ut hominem ad mortem uſque comitetur. Et *Aretæus:* quibuſdam in pedum articulis uſque ad mortem reſidet morbus. At *idem autor* & hoc ſcriptum reliquit: *& in ludis Olympicis podagricus, morbo ſedato, curſu victoriam adeptus eſt.* Ac ex recentioribus *Johannes Rhodius*, adoleſcens, *Obſ. Med. cent. 3. obſ. 77. inquit*, Anglus rari habitus & coloris fuſci à ſævisſimis articulorum doloribus cum febre lenta & purulentis alvi dejectionibus, febre non obſtante, Johannis Prævotii dexteritate curatus fuit pertinace hypocauſti & decocti uſu. Cujus in Analectis Cautionum medicarum memini. Hieronymus Cardanus in vita ſua cap. VI. memorat ſe à podagra perſanatum.

Cæterùm inveterata illa *Arthritis* calculoſa ſeu lapidoſa ſenili corpore radicitus expelli haud poteſt. Ita *Græci* ſentiunt, *Hippocrates* 2. prædict: *Galenus*, *Oribaſius. In doloribus articulorum*, inquit hic, *in quibus jam tophi conſtiterint, artus ad priſtinum ſtatum redire nullo modo poſſunt.* Hoc quoque eſt illud, quod *C. Celſus* lib. 2. cap. 8. ſcribit: *articulorum vitia, ut podagræ, chiragræque ſi juvenes tentârunt, neque callum induxerunt, ſolvi poſſunt.* Poeta *Nodoſam* vocans, aſſenſum præbet. Ac nunc de eâ ipſa quoque inter junio-

res constat. *Thomæ Erasti* verba lib.2. ponentur. De eadem *Arthritide Excellentissimus Vir, Dn. D. Johannes Conradus Wechtlerus lib.2. de homine occid. Disp. XV. eandem quoque fert sententiam:* An podagra curabilis sit, vide infrà disp. 19. de præsagiis, signisque medicis diffic: 12. Nam cùm affectus *arthriticus* sive podagricus non consistat in congestione materiæ morbosæ, nec in affluxu alicujus humoris, nec in hujus ebullitione aut fermentatione, nec in dolore, nec etiam propriè & primariò in intemperie aut tumore aut divulsione, sed realiter & formaliter in eversa, destructa vel labefactata sive majori sive minori integritate totius articuli, quæ consistit in laudabili primarum qualitatum temperie, debitâ partium unitate & justa earum compositione, hujusmodi autem constitutio restitui non possit ab ullo agente creato, manifestum est, nec hunc affectum ullis remediis naturalibus esse curabilem, quia restituere non possunt integritatem substantialem articuli, quæ plus, minusque sublata est.

Hûc autores referunt *Hæreditariam*, ut etiam *Franciscus India*, qui, *inquit*, solo prognostico sunt relinquendi, sunt ii, qui valdè confirmati sunt, & qui in senectute constitutis corporibus reperiuntur, malum enim ac inveteratum habitum removere, impossibile est; ægritudines enim illæ per se laboriosæ & perdifficiles sunt, at in senibus Medicorum prudentiam negligunt, quia tunc in subjecto reperiuntur, in quo Natura nihil boni operari potest, in senibus enim vires sunt imbecilles & calor admodum debilis & coctiones non fiunt, ut dicebat Hipp: 2. Aphor: 40. Quare senes ad mortem comittatur. Hæreditariæ quin etiam sunt de illarum serie, quoniam articulorum imbecillitatem insitam, infixamque à generationis principio habent, quam immutari medicamentis prorsus â ratione distat. *Huic perquam congruenter differit consil: undec: Benedictus Victorius Faventinus:* qui podagrâ ex generatione paterna vel avitâ laborant, non sanabuntur. Ex vitio enim seminis oritur hæc podagra, ut ait Galenus, ex quo membra nervosa genita sunt. Quod si ab hujusmodi podagræ genere defendi deberent, omnium rerum opificem oporteret, nova compagine atque temperie ipsa de novo facere ac agglutinare. Propterea hujus poda-

podagræ ſanationem Deo opt. relinquamus. Ex arte autem noſtra eam deſperemus. Ac *idem paulò ante ſic :* Medici non debent deſperare curam podagræ & morbi articularis, quæ longo ante tempore hominem corripuere,& plus non debent aſpernere curam earundem affectionum , quæ adhuc incipientes ſunt & nondum tophos circa juncturas genuerunt. Quoniam non deeſt Medico modus curationis utriusque & podagræ, ſcilicet jam factæ ante & nunc incipientis & doloris arthritici, ſimiliter ſermonem iſtum, dixit Galenus,ſexto Aphoriſmorum,commento quadrageſimo ſeptimo, ubi ait: Nos itaque plurimos ita ſervavimus annos, qui longo ante tempore ſingulis annis morbis capiebantur, atque podagram & morbum articularem, adhuc incipientem & nondum tophos circa articulos facientem.

Alia *Arthritis* ſuperiore capite, quo exponebantur *differentiæ*, erat maximè *calculoſa,* alia magis *humoroſa*, uti vocabatur. Hæc ſudore ita pellitur, ut nullum ſui relinquat veſtigium. Interdum quidem ſanie & ichore quodam emiſſo finitur, quo cutis *articuli* quaſi ſauciatur. Ritu inflammationis, ut Medicè loquar, venit ad *ſuppurationem.* Animadvertendum eſt, *inquit Franciſcus India,* ex Hippocratis ſententia: cum podagra ſit morbus articulorum cum inflammatione,propterea intra quadraginta dies conquieſcit, nam locum ignobiliorem occupat,neq; lethalis nec acutus dicitur, verũ quoniã eſt cum inflammatione,propterea inter acutos & diuturnos mediam naturã ſervat,morbi enim acuti quatuordecim diebus terminantur, diuturni ultra quadraginta protrahuntur, ergo podagricus, qui medius eſt, pro termino quadraginta dierũ habet. *Hactenus autor.* Arthritis *humoroſa* citiùs finitur,maximè illa,quâ ſanies ſeu ille ichor paucꝰ movetur. Hæc rarius repetit,ſæpius illa *humoroſa* Arthritis, quæ ſudationibus curatur.De hac quoq; *Sen:* l. de vita beat: *non perveni ad ſanitatem,ne perveniã quidem. Delinimenta magis quàm remedia podagræ meæ compono; contentus ſi rarius accedit, & ſi minus verminatur.* Attamen & hæc ita perſanari poteſt, ut hominem penitus deſerat, nec exerceat unquam. Ex hoc genere fuit ille, cujus meminit *Aretæus,* qui alios currendo ſuperavit. Quàm multos ſcio firmitate artuum, *pedum* & *manuum* rurſus valere, qui

hac

hac *humorosâ podagrâ* & *chiragrá* graviter ægrotarunt. *Calculosa* autem, *Lapidosa*, & quemadmodum appellat Poeta, *nodosa*, aut ut loquitur *Cassiodorus*, *limosa* ac *marmorea* est illa, ex qua homines nunquam emergunt. *Humorosa* & *Calculosa* nihilominus est vera *Arthritis*. Non dixerim solam *calculosam*, & ut vocant Medici, *tophàceam* esse germanam *Arthritidem* & genuinam. Nunc *Senes*, inquit 2.Porrh. Hippocrates, *qui jam circa articulos, callos tophaceos, concretos habent*, & *in alvi siccitate vivunt*, *arte humanâ sanari non possunt*. Quo plus sabuli inest Sanguini in artus influenti, eò gravior est *arthritis*. Unde *canon ex Tacuin:* si tophi in articulis crescunt, Medicus mendax in curâ. Verùm *Humorosa* tantum periculi non affert. Hunc quoque articularium morbum ἐ θανάσιμον, *minimè lethalem* esse edocet *Hippocrates* lib.1. de morbis, ἢν μήτι αὐτῷ προσγίνηται, nisi quid illi superveniat. Ut summatim loquamur: simplex humor influit in artus, quod leve est, *sudationibus solvitur* discutiturque, aliquando similis humor per *maturationem*, ut loquuntur Medici, exit, quod pejus est, &, teste *Laurentio*, fit rarius. Interdum Sanguis sabulo, aut si vis, calculis confusus articulos occupat, ut similem inibi in materiam convertatur: quod pessimum est. Hanc *Arthritidem* Medentes ajunt per *indurationem* finiri, uti primo loco dictam, ut loquuntur, per *resolutionem*. Tandem *Arthritis* alio morbo superveniente interdum tollitur, Medici eam tunc dicunt per *translationem* finiri.

Articulares morbi maximè *vere* & *autumno* exercent homines, ita nos erudit *Hipp:* 6.Aph.45.3.Aph.20. τοῦ μὲν γὰρ ἦρος τὰ φύματα καὶ ἀρθρίτικά. Sic & L.*de San.tuen:* 2.94.*Galen:*, ac quoq; *Lucianus in Tragopodagra: sed vere maximè*. Ex junioribus *Joh. Raicus l.de Podagra* latentem causam quærit *hisce:* Podagræ vitia & autumno moventur ferè 5. Aph.55. & 3.Aphor.20. Quod ut eo rectius intelligatur, quædam de commotione tartari præmonenda sunt. Est autem commotio, quando τὰ συμπαθέα simul afficiuntur & moventur. οἰκεῖα autem οἰκείοις συμπάσχει doméstica domesticis compatiuntur haud secus atque florentibus vitibus vina in cellis simul tanguntur & moventur, aut florescentibus arboribus cerevisia haud prompte acescit. Fit autem illa commotio trium principio-

rum

rum ratione. Tria enim principia in natura universali, sive in universa rerum parente natura totius cujusdam præ se ferunt rationem, quod totum cum particularibus ejusdem est naturæ. Particularia verò habent vim quodammodo, etiam cum quiescunt, quorum totum ubi motum fuerit, protinus commovendi vim consequitur τὰ ὁμογενῆ μόρια. Cum ergo aperit annum aries, sulfur movetur, sublimatur, elevatur usque ad criticum ortum primi cinguli Orionis. Ab hoc ortu critico sal incipit moveri usque ad occasum criticum vespertinum Antares sive cordis scorpii. Ab hoc occasu vespertino critico incipit motus Mercurii usque ad æquinoctium vernale iterum. In hac commotione simul Cardinalium punctorum Συμπάθεια complicatur, quorum ratione ver, autumnus, æstas, hyems describitur. Ita enim magicè ver orienti, autumnum occidenti æquiparat Hipp. lib. de aer. loc. & aq. Hic annus Macrocosmicus particulari anno Microcosmico viginti quatuor horis circumscripto proportionabilis est. Tempora enim vel longiora vel iterum contractiora numeris & harmonicè proportionabilia inter sese proportionabilia sunt. Hipp. lib. de sept. part. Ita vespertinum tempus autumno respondet 2. epid. s. 1. & hora sexta usque ad duodecimam exclusivè veri συνάριθμος καὶ ἐυσυνάριμος erit, atque sic de cæteris: ita de sexta matutina ad secundam pomeridianam sulfur, ab hac usque ad decimam noctis sal, ab hac usque ad matutinam sextam vicissim Mercurius movetur. Ex his dependet harmonica tartari commotio: accedit erronea, qua sæpiùs tartarus movetur præter harmonicam commotionem, ut vel anticipet vel sæpius afficiatur. Id fit, quoties exacerbatur cunque aut conjunctione aut oppositione Saturni & Martis: aut præternaturalibus temporum universariorum dispositionibus: aut aereis, igneis, aqueis, terreis ventorum, pluviarum, siccitatum & similium meteorum generationibus irritatur, uti solet omnis in humoribus aut cavitatibus situs tartarus, aut ingrato, vel non satis commodo cibo potuve, repletione; nimio motu, excessu rerum venerearum. Quæ omnia tartarum citius & sæpius possunt proritare, quàm ejus harmonica est revolutio. Ex his patescit, aphorismum hunc Hipp. de harmonica intelligendum esse commotione, sub

Rrrr vere

vere enim moventur ii humores, qui ſalium de ſulphure non fixo participantium proprietatibus infecti ſunt, quales verè nitroſa ſunt. Moto igitur ſulfure, vim commovendi ſtatim ſal quoque, cui ſulfur ἐπιπολῆς adhæret, conſequitur. Fieri enim poteſt, inquit Ariſtoteles 2. de anim. procr. cap. 1. ut hoc ab hoc moveatur & hoc ab hoc. *Ante hunc aliquantò rectius lib. de Arthr. & calc: Joſephus Quercetanus:* fiunt autem dolores arthritici vernis & autumnalibus temporibus, ut Hippocrates docet: quippè iis temporibus terra, calore ſolis vivifico, excitata, ſinum ſuum aperit fœcundum, ut balſamicos ſpiritus ſuos per naturalem ſublimationem, plantis omnibus communicet, easque ſemiſepultas & veluti mortuas vivificet, vegetetque, ut revireſcant. Tunc res omnes, quæ in eâ degunt, commoventur. Imò ipſa etiam vina, licet dilutiſſima & limpidiſſima turbari ſolent. Ita & ſanguis & humores, & ſpiritus corporis noſtri. *Hæc ille.* Eam ob rem & *Hier: Gabucinius* legi poteſt, item *B. Bauderonius.*

Nunc *autor Lib: 13. de decub. progn: ex Math: ſcientia* hoc denuntiat: *Articulorum dolores fiunt Lunâ in conjunctione Solis, Saturno in tetragono.* Eam in rem haud parùm multa lib. *4. de catarrhis* diſſerui. Ac obſervatione etiam ſatis compertum eſt, *Arthritidem Lunâ* ſeneſcente homines maximè tentare. Illiusque rei cauſam eodem quoque loco expoſuiſſe poſſum videri. Cave credas, *Lunam* ipſum, cui illud ſidus præeſſe dicitur, *Cerebrum*, uti credit *Helmontius*, ſuâ cæleſti virtute tangere, de quô *Arthritis*, ceu ſpecies *catarrhi*, poſteà naſcatur. Vis illa in ſanguine reſidens, ex occulto afficitur, ut humores tandem vel in viſcera promoveat vel in artus. Quâ in re explicandâ multus eſt *Vincentius Alſarius â Cruce lib. 5. de Epilep.* Tanta eſt ſupercæleſtium corporum in hæc inferiora vis atque facultas, ut quælibet illorum immutatio nos ipſos non parùm afficiat. Quam rem ſignificare voluit Ariſt: 1. Meteor: dicens: mundum hunc inferiorem ſuperioribus lationibus contiguum eſſe, ut inde omnis ejus virtus gubernetur. Cujus quidem contiguitatis rationem afferens D. Thomas in com. tradit, corpora cæleſtia inferioribus contigua eſſe oportuiſſe, quia impoſſibile eſt, locum eſſe vacuum, nec non quia niſi ſe tangerent hujuscemodi

cor-

corpora, ſuperiorum vis inferioribus non communicaretur. Oportet enim, quod agens corporale tangat paſſum & motum ab ipſo. Horum verò corporum adinvicem connexio fit per aerem nos ambientem, qui â ſupercæleſtibus corporibus alteratus, nos quoque alterat, immutatq́;, veluti ex temporum viciſſitudine, varia, diverſaque locorum natura, & demùm ex varia hominum formâ, temperie, morumque diſſimilitudine, pro varietate climatum, aſpectuumq́ue cœli cuivis conſtare facilè poteſt. *Paulo poſt:* Quò alludit Julius Maternus lib. & cap. aſtrom: 1. quædam gentes ait, â cœlo ita formatæ ſunt. Hinc Scythæ barbari, apud eos unus philoſophos, apud Athenienſes longò plures. Tantum valet aer, & teſte Platone in Timæo. Item Gal: de Bœotis. Item Pindarus. Luna verò inter cæleſtia corpora maximè omnium (excepto ſole) in terrenis rebus afficiendis ac permutandis principatum obtinet, tribus præſertim de cauſis, â Ptolomæo relatis, prima eſt, propter viciniam, ſecunda, quia in Luna virtutes omnes moventium ſuperiorum continentur, tertia demùm, quia ex lumine â ſole accepto, quaſi ſol alter efficitur: quarum quidem cauſarum quæ poſtremo loco adducitur, probabilior mihi videtur: lumine enim potiſſimùm agit in noſtra corpora, quod â ſole ipſo accipit, unde Luna ab Ariſtotele minor ſol appellatur. Imò idem cenſet 4. de gener. animal. cap. ult. Lunam calefacere & ſiccare, ut ſol ipſe, eò verò minus, quò repercuſſum lumen recto debilius eſſe par eſt. Hinc merito luminis fit, ut Luna humiditatibus præeſſe dicatur. Augentur Lunæ augmento omnia, ut Mirandulanus in Præn: oſtendit. Et ante Ariſt: Plin: Gellius. Sed hoc intelligendum eſt de omni humore utili & alimentali, tempore verò interlunii, cum Luna luce prorſus caret, imminuuntur quidem utiles, ſed inutiles procreantur ſucci, humiditasque excrementitia tunc magis redundat, hinc eo tempore menſtrua. Notum eſt enim vi luminis, quod â ſole accipit, Lumen calefacere, rerumq́; omnium calorem fovere, lumine quidem non per ſe, ſed ex accidenti, quatenus videlicet luminis comes eſt ignis ad analogiam. Luna ſplenre, homines ab humoribus frigidis lædi ſe ſentiunt, qui rheumatibus obnoxii eſſe ſolent. *Hactenus autor,*

Attamen non negaverim, *arthriticos* integræ ætatis & eos, ut vocant, ſanguineos Lunæ accretione interdum hoc morbi genere multò gravius urgeri, quemadmodum *Fabricius Hildanus* memoriæ tradidit, id quoque de puero verum fuiſſe.

Nunc *Epiphanius Ferdinandus* hæc diſputat: *cur podagrici melius Aſtrologis perſentiant motus Lunæ, temporumq́; mutationes & certius nautis? An hoc provenit propter eorum ſenſibilem naturam, quæ à quavis cauſa levi alteratur, cùm hujuſmodi corpora cauſaria ſint debilia.* Quo ex genere & *Antonius Mizaldus:* Arthritide correpti, ſolitô infenſius ſe vexari, aut labores periodon antevertere ſi ſenſerint: aerem in pluvias ſe apparare, hinc certò colligunt. Auſtri ex Hippocrate & Galeno, corpora replent, & caput gravant: partesque exangues, & proinde frigidas, nec non excarnes (in quibus arthriticus dolor ſeſe potisſimùm prodit) omnium maximè exercent, petunt & commovent. Cauſæ aliæ ſuperiori aſſentiuntur. *Ac quoque Leonhardus Jacchinus Quæſt. Natur. LVIII.* cur adventante pluvia lapides quidam, quaſi rore perfuſi, madeſcant? An id præcipuè videtur, cùm diutinæ imminent pluviæ? Cùm, inquam, Auſtrinis flatibus aer omnis udus, crasſiorque efficitur, quamvis ſæpius mutationem eam minimè præſentiamus. Quâ in re multa ex brutis ſagaciora reperies; noſtri ingenii vires, eâ fortaſſe ratione compenſante naturâ. Sive enim imbribus gaudent, ſeu oderint, manifeſtò monſtrant prænoſſe ſeſe eorum adventum, veluti anſeres clangore, laſciviâ inſolitâ ſues hilaritatem oſtendunt: contra apes intra alvearia ſe continent, ac mœſtæ ſubmurmurant: ſic muſcæ plus ſolito ora infeſtantes, vixq; verberibus fugatæ; pluviam æſtate prænuntiant: prægravantur enim aeris madore minutula hæc atq; imbecilla animalia. Quin & in hominum genere, ſi qui nervis aut articulis laborent, nocentes pluvias multò ante præſentiunt.

Multi autorum, ut quoque *Nicolaus Nicoli, Arthritidem* prædicunt *hyeme* graviorem, leviorem *æſtate* futuram eſſe. Horum dux eſt *Hippocrates.* Cæterum & hoc, *inquit Ludovicus Duretus,* notandum eſt, quòd, qui ſunt arthritici vere & autumno, illo propter gargariſmum, hoc propter cacocthiam, ſi non fiant, de vita periclitantur, & ſic multi moriuntur.

Eunu-

Eunuchi podagrà non laborant: ad hunc modum judicat *Hippocrates 6. Aph. 28.* Unde Eunuchorum alii, *inquit Dominicus Leonus*, sunt *Spadones*, alii θλίβιαι seu *Thlibiæ*, alii *castrati*; his ante pubertatem virilia execta sunt, aut qui naturaliter sine testibus progeniti sunt, & ii propriissimè *Eunuchi* dicuntur. *Thlibiæ* sunt, quibus attriti sunt testes eo modo, ut generare haud possint. *Spadones* sunt, quibus pudendi meatus, per quem semen ejaculatur, contortus est propter vinculum, quod ad virgam habent: isti generare non possunt, non quod semen fœcundum non habent, sed quod in virgæ flexibus hærens rectà non emittitur. De Eunuchis, *Thlibiis* & castratis, non de Spadonibus fuit Hippocratis & Galeni sententia. *Hæc ille.* Verùm *Galenus* & ex recentioribus *Brassavolas, Hollerius, Libautius* noverunt *Eunuchos Arthriticos.* Horum fortè parentes fuerunt *arthritici*, ut conjiciunt *Mercurialis, Fonseca, Stupanus, Vallesius, Petræus.* Aut ipsi in luxum & Venerem fuerunt effusi, quemadmodum ratiocinantur *Galenus* ipse, *Gordonius, Savonarola, Garcias Lupius, Franciscus India, Fred. vander Mye, Quercetanus.* Ex iis *Bartholomæus Vicarius l. de Ægrot. opt. assist. c. 27.* contendit & *Eunuchorum podagram à capite* oriri: *Podagram, articulorumque cruciatus, omnes, qui de re Medica benè sentiunt, à capite, tanquam à primo omnium principio, emanasse arbitrantur. Quamvis enim Hippocrates Eunuchos, & mulieres ante menses deperditos minimè podagra scribat laborare, hanc divini senis sententiam partis potius recipientis quàm mandantis vitio adscribendam esse judicabimus. Nam cum immodica Venere summa fiat totius corporis agitatio, & magna pars innati caloris deperdatur, articulos debilitari, crudarum humorum copiam procreari, totum corpus frigidam intemperiem contrahere, omnes denique virtutes labefactari, necesse est. In mulieribus verò, quæ omnes in victu perpetratos errores continua uniuscujusque mensis humorum evacuatione corrigere & emendare consueverunt, postquam mensium purgationes, vel suapte natura vel aliis de causis, retentæ fuerint, iidem in articulos, aliasque corporis partes humores per uterum expurgari consueti demandantur; & ideo dicebat Galenus in comm. ejusdem Aphor. sui temporis Eunuchos ob immoderatam victus rationem Hippocratem mendacio notasse. Est itaque*

que arthritis humorum à capite in articulos profluvium. Est pudenda opinio: nunquam *Arthritis* à *Capite*, nunquam à *Cerebro* diffunditur in artus, sive illa *Eunuchos*, sive *Thlibias*, sive *Castratos* arripiat. Eorum in corporibus cur non sanguis ita vitiari potest, ita quoque moveri, ut faciat *arthritidem?* Ast id fit rarius. Quare illa sententia sic corrigenda est: *Eunuchi podagra non* sæpè *laborant.*

Idem Hippocrates & hoc *6. Aphor. 30.* significat: *Puer podagrâ non laborat ante usum venereorum.* Ei *Constantinus Africanus* adstipulari videtur; At aliquantò cunctantius *Cælius Aurelianus.* Ac *Galenus ipse*, *Eunuchos*, inquit, *vidimus quosdam podagrâ laborantes, pueros autem non vidimus.* Atque ex recentioribus *Brassavolas Alphonsum Tassonum anno suæ ætatis quinto decimo podagrâ laborasse* scribit. Sed ego, inquit *Michael Johannes Paschalius*, vidi, quod Hippocrates & Galenus non viderunt, nobilem videlicet puerum septem aut octo annos natum Vallesium laborantem non tantùm podagrâ, sed arthritide vere & autumno, cui non fuit hæreditarius morbus articularis, & satis ille biliosus erat. *Item Hollerius* annorum decem *puerum Epilepticum* novit. Testis quoque *Alexander Benedictus:* Juvenes in Creta vidimus podagra & chiragra cruciari. In Italiâ fæminæ nec rustici aut servitia hunc dirum morbum sentiunt. Ac *Fabricius Hildanus:* Puer quinque circiter annorum imprimis circa plenilunium arthritide exercebatur, erat patre Arthritico natus. *Ballonius l. 1. Epidem. & ephem.* Puero annorum duodecim exanthemata, extinctis his dolores cutanei oborti sunt implacabiles, ad solum manuum appulsum irritati: ab eo tempore statis temporibus articulorum doloribus est conflictatus. *Hercules Saxonia lib. X. de Plica:* Apud Brassavolum, Hollerium, Paschalium hæc pauca tanquam rarissima & admirabilia sunt proposita, cum tamen nunc in Polonia non unus vel alter tantùm, sed plurimi, non pueri duntaxat, sed adhuc lactentes, affecti conspiciantur. *Ac tandem* apud Nobilissimum autorem, *D. D. Georgium Fridericum Laurentium*, *D. D. Janus:* Podagræ hæreditariæ à matre honoratissimæ familiæ, in filios tres derivatæ, novennes adhuc & decennes pueros affligentis exemplum & historiam observavimus in Misnia. Curata quoque à nobis est illustrissima quædam

dam puella duodecennis, quæ arthritidem ſcorbuticam lienis culpâ, quod hoc malum à matre quoque hauſiſſet, contraxit. Qui affectus plus pedes & articulos imorum artuum, quam brachia fatigavit. *Hæc ille.*

Quis medentium non aliquando curavit Arthriticos pueros? Horum parentes aviq; non ſemper eo morbi genere impliciti fuerunt, ſed ab eo etiam prorſus immunes. Ego & *infantes podagricos* & *arthriticos* vidi, eosque *libris Obſervat. mearum* nominatim appello. Ac pronuper quidam puer novem annos natus omnium ferè articulorum doloribus mirificè ardebat. Quid de illis pueris & infantibꝰ ſentiendum, qui vinum, ut vocant, ſabuloſum quotidiano potu ſumunt? Si à bile, ut nonnullis placet, ſæpiſſimè oritur *arthritis*, ei magis oportuni erunt adoleſcentes; ut ipſe præ ſe fert *Hippocrates*, quem ob id *Nicolaus Rorarius libro Contradict.* ad hunc modum *interpretatur*: Articulorum dolores ſenibus fieri auctor eſt tertia aphoriſmorum ſectione aphoriſmo ultimo his verbis: Senibus ſpirandi difficultates, deſtillationes cum tuſſi, urinæ ſtillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum paſſiones, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ. Quod etiam libro Sexto de morb. vulg. com. V. com. VI. comprobavit, & calidis admodum & frigidis articulorum doloribus, ſenes corripi oſtendens, quemadmodum Gal. in commento innuit: verba autem Hipp. hæc ſunt: Morbi ſimul nutriti, in ſenecta relinquunt & per concoctionem & ſolutionem & rarefactionem: qui autem ſunt hi, qui ante ſenum mortem, diſſolvantur, & qui ante ſenum mortem non abeant Galen. in commento his verbis ex ipſo Hipp. nobis expreſſit, inquiens, in aphoriſmis ipſe patefecit ſic ſcribens: Ravedines & gravedines in valdè ſenioribus non concoquuntur, igitur cum hîc frigidorum meminerit, de quibus etiam 2. Aph. 40. articulares dolores notans atque alios quoſdam à frigida cauſa ortos morbos, qui ſenes ad mortem comitantur: conſtat & ipſum concedere, quoſdam ex calidis in ſeniori ætate diſſolvi poſſe, ſiquidem contraria contrariorum medicamenta ſunt: rari autem hi ſunt, veluti calidæ cephaleæ, & eterocraniæ vocati dolores capitis, & renum calidi affectus & articulares dolores, quicunque

que ex valdè calida causa oriuntur: iste siquidem, ex senecta proveniens temperatura, solutionis modus inter concoctiones reponitur; concoctione scilicet, omnem, ad mediocre temperamentum, adductionem, significante, ut in maturescentibus fructibus conspicitur. Libero verò *de affectionibus*, circa medium, *articulorum dolorem junioribus magis quàm senioribus contingere solere scripsit* in hæc verba: Articularis morbus, quum tenuerit, corripit calor & dolor capitis articulos, corripit autem acutus, & in alium atque alium articulum dolores incumbunt, tum acutiores, tum molliores: huic conducit adhibere, qua parte dolor hæret, frigefactoria, & quæ insunt, ex alvo subducere per clisteres aut glandem subditam: ad sorbendum verò & bibendum dato, quodcunq; tibi conducibile visum fuerit; quum verò dolor intus fuerit, pharmacum infra purgans bibendum dato: & post hoc serum coctum & asininum lac, hic enim morbꝰ à bile fit & pituita, quum commota in articulos decubuerint: & brevis quidem fit & acutus, non autem lethalis, solet autem junioribus magis quam senioribus contingere. Pro resolutione istius contradictionis, duo nobis præcipua sunt consideranda; quorum alterum est, articularem morbum duo hæc parere, neq; unum absque altero quicquid præstare posse, humor nempè præter naturam redundans & corporis partium imbecillitas, quemadmodum autor est Paul. Ægin. l. 3. c. 78. atque Ætius Serm. 12. c. 8. cæterique omnes scribentes, decretumq; erat à Gal. 6. Aph. sect, commento 28. Alterum, quod notare debemus, est arthritidem ipsum ab omnibus, qui in nostra sunt corpore, succis fieri posse, eodem Paulo autore, licèt fortassis Gal. sententia non sit, ab atræ bilis succo procreari posse, quemadmodum in meis autorum antithesibus uberius forsan adnotabo: Quibus ita habentibus, & seniores & juniores articulari morbo prehendi posse dicendum est, quum singuli in utrisque succi ad imbecillas natura partes, detrudi valeant. Et licet ut plurimum arthritis senum propria sit pasio, quum à pituitoso excremento, quo ipsi maxima ex parte abundant, magna ex parte procreetur affectio; neq; aliunde fiat, quàm & fluentibꝰ ad juncturas superfluitatibus & propter instrumentorum, quæ natura ad eorum motionem fabrificavit, frigiditatem, quemadmodum Gal. as-

servit

ſeruit eod.comm.ult.3.aph.ſectionis, quæ duo ſenibus inſunt.Poteſt tamen & junioribus accidere, ſanguine,bilioſisve vel etiam pituitoſis ſuccis,qui ad juncturas,continuo inordinatoq; motu imbecilliores redditas,deducti ſunt. Atq; eò adhuc maximè, quod articulorum morbum promovet libido, qua juniores ſenioribus magis ſunt laceſſiti ac detinentur. Quapropter arthritidem & ſenioribus & junioribus contingere poſſe,ambigat nemo. Neq; ibit inficias quiſpiam,illis magis,his verò minus frequentem eſſe,facilius, difficiliusq; ſolubilem. Qui namq; ſenioribus articulares morbi contingunt, licet à calidiori materia quandoque enaſci valeant, quemadmodum l. 6. de morb. popul. comment.5.commento 6.teſtatur Gal. à quibus quoq; evadere poſſunt,à pituitoſo tamen frigidoque excremento magis fieri par eſt, qui ipſos etiam comitantur ad mortem; Quæ verò juniores vexant arthritides, à calidioribus tenuioribusque ſuccis magis procreari credendum eſt. Atq; propterea, dum Hipp. juniores hoc morbo magis affligi *ſcripſit lib.de Affectionibus*, à bile, vel à pituita,affectum fieri voluit,quum commota in articulos decubuerint,ipſisq; frigefactoria dolenti admovenda docet, corpusq; vel ſero cocto vel aſinino lacte purgandum eſſe hortatur,brevemq; eſſe atq; acutum,non autem lethalem hunc morbum aſſeruit. Qui verò ſenioribus adveniunt articulares dolores, eos, à craſſioribus frigidioribusq; excrementis cum Hipp. tertia aphoriſmorum ſectione, ortum habere dicamus,cum quibus ipſos commori contingat. Quocirca dicere breviter hoc pacto poſſumus,Hipp. in aphoriſmis de articulorum doloribus loqui, qui à frigida materia fiunt; libro verò de affectionibus,de illis,qui à materia calida, illosque ſenibus,hos verò junioribus magis contingere voluiſſe. *Hactenus autor.*

Hoc tandem reſtat, ut *D.Helidæus Padoanus de Forobivio & hâc viâ philoſophetur :* puer in noſocomio pro ſcabie depellendâ inunctione quadam uſus convaluerat. Statim verò dolores articulorum vehementes eum corripuére,ex pituitâ cum bile miſta ortum habentes, quæ materia ex capite ad totum corpus deſcendebat, ut apparebat ex colore ſubpallido & tumore faciei. *Hæc ille.* Tam longè,tam latè falſum hîc diffunditur.

Mulier, inquit 6.Aphor.29. Hippocrates, *podagrâ non laboрat, nisi ipsam menstrua defecerint.* Atque 6.Epid.fin. *Phaethusa, Pytheæ uxor, pulso in exilium marito, ex diuturnâ menstruorum suppressione in articulorum inciderat dolores, barbamque produxerat.* Sic & *Polemarchi uxor fuit arthritica.* Astipulatur certâ ratione *Galenus.* Atque *Nicolaus Nicoli, Joh.M. Savonarola, Foresius* & alii adjiciunt, Matricis venis strictis, vitiosum sanguinem in artus congeri. Quin & compertum habetur. Pridiè, *inquit Thomas Bartholinus* Cent.3. *hist.63.* quàm menses consueti fluant honestissimæ mulieri juvenculæ meæ fidei commissæ, post chronicum splenis morbum, incredibiles artuum dolores excitantur, qui brachia primùm invadunt, inprimis sinistri, per vices ad dextrum recurrentes, deinde pedes tantâ occupant acerbitate, ut nulla dolorum intensissimorum sit intermissio. Infestant illi præsertim articulos omnes, chiragramque & podagram & gonagram specie simili mentiuntur. Exasperantur fomentis calidis, nec ullum levamen nisi à Theriacæ inunctione, quam pro doloribus sedandis peropportunam suasi. Mensibus verò supervenientibus, omninò, quasi illuc translata dolorum materia, cessant. *Ac* quoque rationem *Joseph. Quercetanus conf. de arthri* affert: Videmus mulieres rarissimè arthritidis doloribus divexari, quod hæ sanguinem habeant copiosiore humore refertum atque contemperatum. Quemadmodum & in universum maribus sunt humidiores, ut vel ex eo pateat, non quà humor, sed quà salsus, quà tartareus, quà nitrosus, vitriolatus, aluminosus (neutiquam verò adustus, quum tale quid in humore non fiat: neque sal aut tartarum humor adustus est, sed quiddam ab humore secretum) ejusmodi morbos procreare posse. *Hæc ille.* Verùm est in exemplis, & *virgines* ac *puellas infantes* hoc morbi genere tentari, uti ostendunt *Fonseca* Consult.35.de arthrit. & *Horstius* l. 1. obs. de febr. 17. Ac *mulieres* similiter ægrotare interdum, experti scribunt *Amatus Lusitanus* Cent.4.cur. 51. *Gabucinius* autoritate *Avicennæ* subnixus, *Vallesius* in Aph. *Mercurialis, Forestus, Henr. Corn. Agrippa, Scholtzius, Spigelius, Eugalenus, Joh. Oberndorfius* in cista Med. *Riverius, Helmontius,* & *Fami. Strada,* nunc *grandævas* quoque *Henricus ab Heer,* observ.rar.23. & *Felix Platerus* l.2. obs. item *puerperas* Cent.3. cur.6.& Cent.2. curat.71.

Gabel-

Gabelchoverus. Quin ipsæ, quibus proveniunt,feruntur que menstrua, recidunt aliquando in *arthritidem.* Non omninò, *inquit Vallesius in com.* Aphor. deficientibus mensibus vidimus mulieres podagricas quasdam. Ac *Joh. Günth. Andernacus* hoc scriptum reliquit: non sæpè arthriticæ sunt mulieres,quæ menstruis adhuc purgantur. Quanquam ego Argentinæ viderim etiam nonnullas, quæ licet menstruis purgarentur, eo vitio laborasse. *Illudque Julius Alexandrinus in Gal. de alim.c.10.* Verè vereor,ne quemadmodum verum esse non reperit Galenus, quod ab Hippocrate proditum olim fuerat,mulierem podagra non laborare,nisi cui menstrua prius purgatio defecisset, erratorum, quæ in victus ratione committebantur,luxusque nimii culpa,pariter nos eandemque ob causam falsum esse experiamur â Galeno collatum. Ego enim quasdam vidi, quibus inculpatè prorsus procederent menses, atque easdem non leviter ægrotasse non semel scio, unde, nisi ex malâ victus ratione. *Ac simile quiddam Johannes Rhodius cent.3. obs.76.* Anno CIↃIↃCXXVI. Martii IIX. fæminam conspexi artuum doloribus aggravatam, cui menses ordinati fluxêre. Senex Cous tamen lib. VI.Aphorism. XXIX.ait: γυνὴ ȣ̓ ποδαγρῖᾷ, ἤν μὴ τὰ καταμήνια ἀυτῆ ἐκλείπῃ. Sic etiam MS Biblioth.Mediceæ. Ubi meus liber MS cum cod. Vaticano 279.ἀυτῆ.Vatic. 280. ἐν ἀυτῇ. Eadem planè sententia, Johan. Heurnio interprete, mulier ex podagra non laborat, nisi menstrua illi deficiant. Ac *hæc* tandem apud laudatum *Georg. Frider.Laurentium* scripta offenduntur: Exempla fæminarum podagrâ laborantium, menstruo fluxu non obstante, ita multa sunt,ut vix illorum haberi possit numerus. Imò observavimus nos aliquoties, podagricos dolores invasisse fæminas unà cum mensium fluxu,& durasse eosdem, usque dum post mensem iterum ordinatissimè recurrerent menses, nihil commodi ex tali evacuatione bis iteratâ, ad ægras redundante. Quæ tamen elapsis 7 vel 7 septimanis iterum valetudinem aliis præsidiis recuperarunt. Ipse quoque novi hîc Hambugi fæminam origine Bohemicam, quæ quovis anno laborat paroxysmo podagrico ter hæreditario, cum optimâ mensium respondentia. *Hac autor.* Hæc tandem *Hieronymus Gabucinius subjicit*: Tiren-

rentiam M. Ciceronis uxorem artuum doloribus laborasse, ipsemet Cicero lib. epist. 1. testatur ad Atticum. Frequentat igitur podagra in viris magis, quàm mediis ætatibus, difficilè tamen mulieribus, atq; castratis & pueris & juvenibus fieri compertum est.

Vim patrui morbi admirantur multi, ut *Vallesius* & *Johan. Viscerus* in com. Aphor. multi quoque exclamant: *O tempora, O mores!* ut ex Græcis *Galenus* ipse, & ex Romanis *Seneca, mulieres*, Epist. 95. inquiens, *cum virorum licentiam æquarent, corporum quoque vitia æquaverunt. Quid ergò mirum est, maximum Medicorum in mendacio deprehendi, cum tot fœminæ podagricæ sint. Beneficium sexus sui vitiis perdiderunt, & quia fœminam exuunt, damnatæ sunt vitiis virilibus.* Compari modo philosophantur ipsi Medici, quos illa ætas tulit, ut prædictus modò *Vallesius, Savonarola, Gordonius, Benedictus Vict. Favent.* Christophorus *à Vega, Mercurialis, Fonseca, Heurnius, Stupanus, Frambesarius.*

Nonnullis tandem fortè visum erit, Arthritidem vitio *Cerebri* privato aut tanta *Catarrhi* gravitate *puellis fœminisque* ac *puerperis* aliquando supervenire posse. *Wolf: Gabelcoverus* certè cent: 2. cur: 71. præ se fert, se *puerperam ex catarrho arthriticam* curâsse, ut matronam quandam nobilem *Laurentius Scholtzius*, & *Forestus* fœminam aliam, quæ vehementer *catarrhosa* fuit. Per omnia se inserit damnanda illa opinio, cujus in perniciem quasi fataliter juravi. De cætero rem *Aretæus* sat benè expedire videtur: *viri ut facilius in hunc morbum incidunt, ita mulieribus levius torquentur. Mulieres autem licet rarius, quàm viri, difficilius tamen hoc vitio laborant.* Ex hac notâ *Christophorus Balista, Parisiensis in concert:* Podagræ:

Crebrius afficitur podagrâ *mas, fœmina* rarò,
Ejus causa rei clara & aperta liquet.
Fœmina matricem naturæ munere sumsit,
Unde fluunt sordes, *menstruus* atque liquor.
At cum desierint solito procedere cursu
Menstrua, tunc podagram fœmina ferre potest.

Profectò illud est premendum, quod fœminarum in corpore Massa

ſa ſanguinea iſto ſolenni profluvio magis expurgetur. Adhæc hic ſexus gulæ deditus non eſt,nec vino indulget. Quibus de cauſis non adeò patebit *Arthritidi*. At ſi quæ parentibus arthriticis pronatæ ſunt,ac ſe inſuper implent, illæ huic morbo admodum opportunæ erunt. Quandam ſcio non niſi puerperam, fluente matrice, in hunc articularium morbum implicari. Hujus parentes olim & fratres etiamnum erant podagroſi. In quo autem per mihi mirum ſemper viſum eſt, hanc non niſi, profuſis Lochiis,ex artubus laborare. Mox autem & alia mihi nota facta fuit, quæ eodem tempore in hoc morbi genus recidebat, quo menſtrua ferebantur. Et rurſus alia, cui eadem ſubitò proveniebant, ubi potionem purgantem ſumſerat. Vis expultrix vel pharmacorum virtute vel aliâ ratione concitatior humores diverſimodè propellit. Nonnulli fæminam arthriticam videntes, *diſpoſitionem corporis* & *articulorum* accuſant, ego verò tum vitium ſanguinis, tum maximè facultatem mali expultricem, quæ à primo ætatis tempore, nonnunquam in muliebri corpore,humores in artus congerere conſuevit. Hanc mirari licet. Præclariſſimè ratiocinatur *Georgius Fridericus Laurentius*: Propterea inquit Foreſius, ſi mulier juncturas & nervos habeat debiles, tunc ſanguis menſtruus ad eas partes expellitur, fitque articulorum paſſio. Hæc ratio non eſt abſolutè vera, niſi naturalis quædam & latens diſpoſitio in podagram ſimul adfuerit. Eſto,detur mulier juncturas & nervos habens debiles, cui ſanguis menſtruus ad pedes confluat, exinde tamen non ſequitur neceſſariò, quod podagra corripi habeat,cum etiam poſſit eryſipelate cruris corripi, quale exemplum obſervavit Guarguantus, cum etiam poſſit ulceribus in tibiis corripi, quale exemplum habet Renealmus, cùm etiam corripi poſſit tumore pedum œdematoſo, imò & paralyſi. Et ego memini ſuperioribus annis à menſium in pedes confluxu, enatum fuiſſe ulcus fiſtuloſum in caſu Lipſienſis fæminæ. In virgine ulcuſcula circa malleolum rotunda calloſa dyſepulotica, ex diuturnâ menſium obſtructione enata obſervavit Freitagius. Quin & omnes ſuppreſſione menſium laborantes, corriperentur podagrâ. Cur non illæ puellæ ob collum matricis clauſum, referentibus,FabricioHildano&Paræo,nō fuerunt arthriticæ,cum

ſanguis menſtruus non fuerit emiſſus. Cur quoque quædam puellæ & fæminæ Podagra laborarunt cum menſium reſpondentia? Melius certè feciſſet rationis autor, ſi pro verbis his: *ſanguis menſtruus in corpus fluens â naturâ ad membra debilia expellitur:* poſuiſſet, *ſanguis menſtruus in corpus refluens à natura ad membra debilia impellitur;* ita magis propriè ſcripſiſſet, magisque verè. Nam quod expellitur verè, id citra noxam & damnum partium expellitur, nec infert morbum. Neque etiam ſola fluxio ſanguinis ſuppreſſi menſtrui, ad membra debilia fluens ad podagram inducendam ſufficit, ſed requiritur ſimul hæreditaria diſpoſitio, niſi enim hæc requireretur & ſimul in podagram inclinatio, indifferenter podagrâ corriperentur virgines & fæminæ menſium ſuppreſſione laborantes. Braſſavolus, Duretus, Martianus uxores nunquam in vita menſtruatas & tamen fœcundas memorarunt. *Hactenus autor.*

Calculoſi plerunque ſunt *Arthritici*, & hi vicisſim *calculoſi.* Idq; de exemplis colligere eſt. *Johannes Chiffletius* enim ita: Johannes Vaulderet Mercator mortuus 28. Jan. 1594. anno ætatis ſuæ 42. ab anno 21. plus minus, cùm alioquin ſanus vixiſſet, & vegetus, cœpit malè habere primò, *quartanâ* afflictus diuturna, poſteà doloribus renum, tandem arthritide; modò in manibus, modò in pedibus, modò per totum corpus cum pedum contractione, & tophis gypſeis in artubus & ferè in toto corpore. *Ac Johannes Guintherus Andernacus:* potisſimùm infeſtari podagrâ ſolent, qui pleniori habitu ſunt prædіti, Renum imbecillitate & calculo affecti. *Item Lælius à Fonte:* cùm vir illuſtrisſimus duobus affectibus præter naturam potisſimum affligetur; altero longinqui temporis inflammatione podagricâ, cujus materia heterogenia partim ex jecore fervidiore & ventriculo imbecillo ac *cerebro* calidiori & humidiori, ex parte verò ex erroribus exterioribꝰ originẽ ſuã trahit: reliquo verò recentiori renũ ſcilicet dolore in ea inanitate, quę eſt inter extremam coſtam & coxendicem, ex lapide oborto, ex arenulis majoribus inter ſe colligatis mutuo adhæſu coagmentato; cum minores fluentis urinæ impetu raptæ prolabantur in veſicam, per ureteres & urinam reddant arenoſam, qui vicinas partes, quæ circa præcordia ſunt, & circa lumbos, & circa coxendicem & pubem atque partes obſcœ-

nas

nas distentione convellit, quarum affectionem indicia exhibent alterius affectus, dolor ad articulos decumbens, calor mediocris circa partes affectas & rubedo moderata ad albedinem & flavitiem vergens: reliqui verò extremorum frigus, cruris sinistri stupor, mictio cruda & tenuis, deinde crassa & arenosa mixtio, crebraque vomitio. *Itemq; Julius Cæsar Claudinus:* Vix unquam aliquis fuit, qui doloribus articulorum obnoxius, nephritidem non fuerit passus, id quod nullâ alia ratione contingere puto, nisi quia ambo hæc vitia solent corpora succis crudis, & pituitosis præcipuè redundantia apprehendere, quæ cum à primo semine, aut etiam alia occasione, articulationes imbecillas valdè, renes ac jecur æstuantia nacta fuerint, facilè fieri potest, ut succis prædictis modò ad articulos demissis, modò à jecore, atque à renibus calidioribus attractis, modò pariter *arthritis*, modò *nephritis* suboriatur, quod hoc tempore Illustrissimo ac Reverendissimo viro contigisse observo, cum etenim pluries gonagra & podagra tentatus fuerit, ut ex præcedenti sermone patet, nunc etiam nephritide corripitur, sicut inter alia, urinæ turbatæ, crassefactæ, arenosæ, & calculosæ testantur; Quæ mala dubio procul virum illustrissimum invaserunt, non solum quia succus pituitosus tum *in capite* tum in ventriculo frigidioribus copiosius quàm deceat genitus est, continuoque generatur, ut in habito discursu constitutum fuit, verùm etiam quia vir illustrissimus articulos à primo semine valdè ad fluxionem suscipiendam ob raritatem & frigiditatem, itemque ob jus hæreditarium pronos habuit, ac renes & jecur, ut luce clarius constat, fervidiores, ut exinde non sit mirum, si arthritidem pluries passus, nunc dolorem nephriticum patiatur, nam præter fluxionem, quam venæ & ex *consequio renes à capite recipiunt*, jecur suo fervore cibum ferè crudum, pituitamque à ventriculo, *renes verò æstuantes à jecore successivè* eosdem succos continuò trahunt, qui quidem succi cum eò pervenerint, si experiuntur operam fervoris renum, & jecoris, necessariò incrassantur, in arenulasq; & lapillos demũ mutantur, lapilli autem utq; arenulæ per loca urinalia maximè sentientia cum impetu delata abradunt, contundunt, hinc in locis illis dolorẽ acerbum & contusivum inducunt: ad quod non parum conducit

col-

colluvies excrementorum crassorum in renibus, insignem pariens obstructionem, merito cujus, sicuti excrementa in renibus iisdem recepta detinentur, ita etiam ibidem retenta facilius à calore indurari possunt, quemadmodum ubi non retinentur, sed ad vesicam statim amandantur, operam caloris præter naturam renum non suscipiunt, ac proinde non indurantur, urinasque turbatas & crassefactas reddunt. *Nec non Franciscus Bornius:* Medici ferè omnes in eo conveniunt, causam podagræ esse humores *è capite defluentes*, qui ut varias partes occupant, sic diversæ fiunt morbi appellationes. Ego hujusmodi defluxiones ab ea materia denominarem, in quam tandem degenerant: cùm verò in Tartarum seu calculum tandem degenerent, nisi artis opera resistatur, malim illos *Tartareos* appellare. Nullum enim novi podagricum, qui tandem non laboraverit calculo. Cæterùm Tartarus seu Calculus etiam in partibus principalibus, *ut suprà dictum*, invenitur. Quemadmodum igitur calculus non simpliciter ex cibo & potu, sed ex frigore & otio, item ex indigestione humorum, nimio calore; sic etiam podagræ generatio fieri solet. Hinc firmiter credo, unam & eandem materiam esse calculi & podagræ, unde quicquid prodest ad calculum, idem etiam ad podagram confert, ut olea transmissa. De Lapide nephritico hoc affirmo, ipsum insignem virtutem habere, non solùm ad calculum, sed etiam ad podagram. Memini me ejusmodi lapidem armillis insertum donasse cuidam fæminæ podagricæ & calculosæ, quæ ex sola gestatione plurimùm fuit adjuta.

Videt *hic* materiam *Nephritidis Arthritidisq;* massâ sanguineâ contineri, & inde vel in *Artus* vel in *Renes* ferri posse. Multos tamen vidi calculosos, qui arthritici non fuerunt, ac non paucos vicissim arthriticos, qui & calculosi fuerunt. Nec mirum. Renes plus seri emittere queunt. Ast *Lælius à Fonte* & *Julius Cæsar Claudinus* persuasissimum habent, humorem de *Cerebro* rectà in *Renes* fluere. His tamen *Fernelius* repugnabit, qui *Cerebri pituitam* negat *Cerebri venas* rursus ingredi posse. Quapropter *Sebastianus Nasius* se involvere videtur: Utraque sententia firmis rationibus nititur, cùm utraq; vera sit, sed non absolutè, quia scilicet non solùm utroq; modo fieri potest Arthritis, sed etiam aliis, ut plurimum modo, quo Fernelius

lius explicavit, rarò ut dixit Rondeletius, per defluxionem ſcilicet *à capite ad venas*, quia ubi pituita venas ingreditur, potius per urinas expurgatur vel in ſudores digeritur, quàm tranſmittatur ad habitum corporis & artus, quod verò fiat tranſitus ab arthritide ad nephritim, id accidit, vel cùm cauſa eſt in venis & ſanguine, vel quia ſi commisſione principium & origo fluxiônis eſt caput, in ipſo ſtatim poteſt materia fluere per diverſas vias, ita, ut ſi *venas ingrediatur*, ad renes deſcendat, ſi extra caput, ſub cute ad artus. *Hactenus autor.* Certè *Rondeletius* eſt adſtipulator *Fernelii.* Igitur utriusque de ſententia pituita *Cerebri* non intrat easdem *Cerebri* venas. *Galenus* quidem ait, de *Cerebro* humorem in teſticulos uſque trahi. At hunc non audit *Fernelius*, qui talem Cerebri humorem contendit ſub cute in artus ferri. Sunt cuncta plena errorum. Unde & periculum accerſitur. Nam plures, ut inprimis *Johannes Riolanus* l. Prax. edocet, capiti, Cerebroq; ceu parti mittenti majore ope mederi oportere. Ego ſatis habeo dicere, humorem ex *maſſa ſanguinea* in *artus*, interdum ſimul in *Renes* fluere poſſe. De gemino hoc malo carmen condidit *Buchananus.*

Arthritici ad ſenectutem plerunque veniunt. *Johannes de Tornamira* quidem ſic ediſſerit: Quidam moderni opinati ſunt, quod guttoſi & podagrici ſunt magis longævi, quod ſuperfluus humor, qui naturaliter aggregatur in venis corporis, per naturam expellitur certis temporibus melius, quàm per medicinam, puta ſemel bis, ter in anno. Verùm iſti à longinquo locuti ſunt, quod tale ſuperfluum in tanta quantitate non generatur, niſi ex magno errore digeſtivarum, putà primæ, ſecundæ & tertiæ, nec expellitur per naturam expulſivam naturalem membrorum, nec vitalem arteriarum regulatas in actionibus ſuis, quare tunc talis materia expelleretur per ſeceſſum, & urinas & ſudores, per pulſum & anhelitũ, propter quod podagrici nec alii guttoſi non poſſunt ex hoc eſſe magis longævi, imò minus vivunt, nam guttoſi cõmuniter, paucisſimis exceptis, finiunt dies ſuos circa LX annum, pauci attingunt LXIII annum, & paucisſimi LXV annũ ratione debilitatis virtutum naturalium in venis & aliis viſceribus principalibus. *Hæc ille.* Verùm ſecus ſentit *Joh. Michael Savonarola*, Sunt ibi, *inquiens*, cauſæ longitudinis vitæ. Ac *Godofr; Steeghius* l. 13. Med. Pract. c. 2. quoque: Bilis & ſanguis,

guis, ex iisdem & ferè febrem habent sociam, lentioremque pituitosus, intensiorem biliosus, quâ impellente & irritante, partes internæ collectum intus humorem vi sua expultrice ablegant in partes, remotiùs à corde dissitas, ut ea ratione vita producatur, quamvis aliquando non sine magnis ærumnis. Ex quibus hoc sine febre fit, sunt ferè vivaciores, habet enim Natura in talibus articulos cloacas, in quas sua excrementa deponit, quæ & dolore naturam in auxilium provocant, fluxumque eâ ratione commovent. *Hactenus autor.* Possum nominatim appellare *senes Arthriticos*, qui sexagesimum, septuagesimum & jam octogesimum annum excesserunt.

A pollice pedis Podagra plerunque oritur, ut suprà ostendunt *Const: Africanus*, *Aretæus*, *Esculap*:, quibus & *Arculanus* jungatur. Illud verò perridiculum est, quod *Levinus Lemnius* scribit, *neminem mori posse, quàm diu digitus annularis non affligatur vel intumescentiâ vel nodo*. Sapit hoc *Ægyptiorum* deliramenta, quæ & *Gellius* prodidit.

Nec illud *Johannes Raicus* majore autoritate in medium profert: Quod si ex aphorismo 70. s. 2. Prænot: Coac: conditio ægri æstimanda venit: si dolores sensim ingravescentes ad jugulum & superiores partes transeant, perniciem minantur, conclamatum est. Vitalia namque illius Tartari impatientia sunt. *Ejusdemque generis est id*, quod *Nicolaus Nicoli Florent:* hoc loco memorat: Et dixit Haly, quod si fuerit artetica in latere sinistro, deterior est, unde Filagorius, Avicenna, & Rhases. *Si est*, inquit hic, *in ancha sinistra, est vehementior quàm in dextra*. Unde *Kolreuterus*, *dolores*, inquit, *in latere sinistro sunt pejores*. Ego & alibi disputavi hisce præsagiis credi non oportere. Sæpius dolores artuum sinistri lateris sunt multò leviores. Ac interfui non semel querelis muliercularum, quæ actum esse existimant de vitâ illorum arthriticorum, qui caput movere non queunt. Et tenacissimæ tùm fiunt liberales, jubentque Medico honorem haberi. Metus est inanis, humoribus *Cerebrum* haud obruentibus. Quidam in omni ætate immunis ab arthritide fuit, tandem caput eâ tentari cœptum erat, me nîl mali prænuntiante. Citius spe convalescebat, insudante vehementius corpore.

Nec

Nec minus fallax indicium est *magnitudo Oculorum*. Namque *Leonellus Faventinus de Victoriis* hoc addit: parvos habentes oculos non facilè podagrâ corripiuntur, sed magnos & prominentes, Galenus in Sexta Aphor: partic: comment: 47. & alibi. Simile quid & *Ætius* prodit. Unde & prædicit *Sigism: Kolreuterus* ita: Parvos *oculos* qui habent, non facilè podagrici fiunt.

Nec hoc omittatur, quod monet *Avenzoar lib. 2. cap. 30.* Et accidit podagra pro majori parvos pedes habentibus, & ambulantibus superfluè propter consuetudinem, & paucos vidi cursores, qui vivant ex arte illa, quin patiantur ex hac ægritudine. *Serapio* quoque laborem suprà prodebat esse aliquando causam *Arthritidis*. Sic & *Paulus Ægineta* lib. 3. Hic, *inquit Franciscus* India, recordatur importunus ac vehemens labor, longa, laboriosa & intempestiva ambulatio & equitatio. *Et fortè, inquit Valescus de Taranta*, ars, ut *piscatoria*, & quæ cum istis concordant. *Atque Johannes Michael Savonarola*: Item exercitantes artem podagræ proportionatam, ut piscatores, facientes fictilia, artifices, fullones, viatores & hujusmodi. *Clarius Laurentius Joubertus*: Arthritis ex motu intempestivo & inordinato sæpius, quam ex multo otio provenire solet. *Quid? Campanella 6. Med. S. 5. Equitandi* studio *Neapolitanos* scribit fieri podagrosos, ut simile quid de *Scythis* jam dudum *Hippocrates*. Verùm & aliam, eamque potiorem causam subesse censet *Christophorus à Vega lib. 3. Sect. 11. cap. 2.* Qui post longas & valentes exercitationes subitò se ad otium transferunt, quales sunt, qui in juventute laborarunt, accepta verò mercede aut multâ conquisita pecunia, in senectute otiantur, plus æquo, cæterò Baccho & veneri indulgentes. Has sanè putamus causas esse, ob quas divites laborant podagra præ aliis.

Raro modicæ, tempestivæque exercitationes hominem efficiunt arthriticum. Si quis verò, laboribus abdicatis, vitam in eo otio agit, ut se deliciis, luxuque solvat, is sibi hoc mali omninò accersit. Ac multi in hoc suburbio vivunt *piscatores*, nec ex iis ullus arthritide vexatus fuit. Nec unquam *viator* aut cursor offenditur podagrosus. Motio corporis non semper tempestiva fuit. Quare non habeo, quid *Laurentio Jouberto* assentiar. Equidem non nega-

verim, & viatorem podagricis parentibus natum, huic morbo maximè objectum esse. Ac pedes quoque illâ nimiâ defatigatione ingravescere poterunt. *Savonarola* cur memorat fullones, hoc est, coriarios, quos nonnulli potius eximunt, cùm eorum pedes urinâ sæpius perluantur, quam iis quoque multi infrà tradunt valdè utilem esse. Et cur parvi pedes sint huic malo magis expositi? Cui *Avenzoar* non ineptire videbitur?

Aphoris. Hippocratis fertur: *Quod si super podagram superveniat quartana, solvitur.* Hunc sequens *Avicenna libr. 3. Can. Fen. 22. tract. 2. cap. 5.* debes, inquit, scire, quod est una ægritudo alterius ægritudinis medicamentum, sicut *quartana*, ex qua sanantur multoties epilepsia, & podagra, & *varices* & articulorum dolores. *Varicum* quoque meminit *Galenus lib. 6. de morb. Vulg. com. 6.* Hinc recentiores, *Valescus de Taranta, Nicolaus Nic. Anton. Guainerius, Arculanus, Joh. Baptista Montanus. Observandum,* inquit Franciscus India, *est in podagricis morbis succedentes varices & urinas turbidas exeuntes, eorum medelam esse, quoniam materia perturbans, tunc naturæ adminiculo ad alias partes fluit, & per urinam expurgatur.* Disputat in utramque partem *Hieronymus Gabucinius.*

Atque vicissim *Arthritis* ingruit, non ampliùs urgente *Quartanâ* aut *Varicibus* persanatis. Nec mirum. Si humor noxius sanguine rursus concipitur, is vehementius agitatur, & nonnunquam in artus ipsos movetur.

Novissimè *Aretaus* hoc adjicit: *multis in hydropicorum morbum podagra concessit, quibusdam in depravatam spirationem, hoc est, Asthma.* Id ita esse, edocent experimenta. Scripsi, *inquit Ludovicus Duretus not: Holler:* pro illustrissimo Principe: Quand vous aves la goutte, vous estes â plaindre, quand vous ne l' aves pas, estes à craindre. Polemachi de Brissac & de Termes erant arthritici vere & autumno. In illo cùm non esset arthriticus, ut anteà, suppressa materia fecit carcinoma in mesenterio, hic suppressione illius materiæ ob irarum æstum, quo incanduerat, factus est asthmaticus, sicq; interiit.

Proh Deum immortalem! quàm multi arthriticorum *asthmate* seu suspirio extinguuntur? Eorum artus aut emplastris minus idoneis

doneis aut aeris injuriis ſæpius læduntur. Tàm noxius ſanguis inde in pulmones tendit interdum, ut quoque fit menſtruis non reſpondentibus. Sanguis ſuopte motu in pulmones & cor tendit. Tam facilè arthriticus vitâ periclitari poteſt. *Quidam Baro*, inquit conſ.377 Crato, *ob uſum repellentium & ſtupefacientium ex podagrico aſthmaticus factus eſt.* Id quod & *Trincavellus* libr.12. cap.2. *experimentis firmat:* quidam rebus adſtringentibus & repellentibus voluerunt crura & manus roborare: alter aſthmaticus factus eſt, & tandem ſtrangulatus: Alter in gravisſimam & vehementisſimam febrim incidit. *Hæc ille.* Nobiliſs. Dn. *Flachsland* podagricus cùm prius thermis *Hirſchbergenſibus* uſus eſſet, lethifero aſthmate Deſſavii in aula *Sereniſs. Princip. Anhalt.* repentè tollebatur. Eo adhuc vivente quàm graciles erant pedes? quàm aridi? Ille *Conſiliarius* immunis â *podagra* erat, quàm diu morbo pectoris fuerat oppreſſus. Ac *Dodonæus* obſervavit etiam, quendam juvenem aſthmate levatum eſſe, ſuperveniente podagrâ. Legatur & *Hier: Gabucinius.*

LIBER SECUNDUS,
De
ARTHRITIDIS CURATIONE.
CAPUT I.
De
PURGANTIBUS,
& quidem
De
VOMITU & CLYSTERIBUS.

QVam hic morbus articularius facit valetudinem, pænè insuperabilis â vulgo pariter ac ab eruditis habetur. Meritò requiritur causa. Quam D. D. *Sennertus* quidem exponit *ad hunc modum:* Est hic morbus curatu difficilis tùm ob diætæ errores, tum sæpè ob Medicorum imperitiam, qui vel quod *veram morbi causam* ignorant, vel medicamenta parum idonea adhibent, quibus articulos & viscera magis debilitant, quàm roborant. *Iterum:* De causa proximâ arthritidis excitante Medici non parum dissentiunt & alii aliter statuunt: quem Medicorum dissensum non postremam causam esse puto, quod parùm feliciter arthritis sæpè curatur. Ubi enim de *causâ morbi* non satis constat, curatio rectè institui non potest. Ac *rursus.* Quod Fernelius de alterâ opinione conqueritur, quod ob eam evenerit, ut arthritis ferè pro *incurabili* derelicta sit,

ſit, ego, ſalvo cujusque judicio, potius de *Fernelii* opinione verum eſſe exiſtimo. Hæc *Sennertus*. Hanc *Fernelii* opinionem ſequitur *Johannes Riolanus* : unde fiat influxus, diſputatio eſt magni momenti, ut diſcamus inprimis parti mittenti conſulere.

Pars *mittens* ſententiâ *Fernelii* eſt *Caput* : ad hoc multi Medicorum curationem dirigunt, telum in jugulum ipſius morbi jam intendere ſe rati, cum tamen nec caput ejus nec caudam petant. Adeò nihil illâ medendi ratione proficiunt, omittenda facientes. Qui *Arthritidis humorem* quoque opinantur eſſe naturâ ſuâ *Tartareum*, vinique fæcibus adeò ſimilem, ii à rectâ viâ curandi itidem avertentur. Nunc igitur, depulſis his & ejuſmodi aliis erroribus, vis remediorum multò veriùs expendi poteſt. Inter ea autem maximum locum & pænè principem obtinent *purgantia.* *Galenus l. 1. de locis affectis ac libro decimo de compoſ. pharmacis ſecundum locos* certè hunc ad modum. Auxiliantur etiam vomitus ipſis Iſchiadicis magis, quàm evacuationes infernæ per ventrem, ut qui revellant repetentem deorſum humorem. *Faciendi* itaque *ſunt vomitus in principio ab accepto cibo : poſteà verò etiam per vomitoria medicamenta, initio à mediocribus facto.* Hinc pedarii autores ſunt quà vetuſtiores, ut *Ætius*, *Aretæus*, *autor Græcus* l. de podagrâ, C. *Celſus*, *Avicenna*, *Rhaſes*, *Haly*, *Alſaharavius*, quâ juniores, *Gordonius*, *Lanfrancus*, *Gulielmus de Saliceto*, *Nicol. Florentinus*, *Crato*, *Rondeletius*, *Euſtachius Rudius*, *Hier. Gabucinius*, *B. Baudeτonius*, *Joh. Pigræus*, *Liberatus de Liberatis*, *Honorius Heringius*, *Henricus Petræus.* Nos, inquit *Alexander Benedictus*, Johannem Spinellum civem Venetum quotidianis vomitionibus ſanavimus. *Tempus* nonnulli definiunt; quemadmodum *Reinerus Solenander* *hiſce* : Alterum genus evacuationis, quod in præſervatione ab iſto morbo cum magno ſæpè ſucceſſu adhibetur, *vomitus eſt*; quem ſi natura facile admittis; permagnum ad præſervationem auxilium habiturus es. Nam ſi debito tempore iſte provocatur, plus ferè emolumenti ex eo, minusque incommodi fuerit, quàm ex purgantibus aliis exſpectandum. Illud *Alſaharavius* inſignis Medicus his verbis comprobat : vomitus, inquit, utilior eſt laxativo ad eradicationem groſſorum humorum, qui ſunt ab infra genu, & usque

ad

ad pedem,ſicut in dolore ſciatico , & dolore genuum & ſimilium. Sed laxatio ſæpè addit in hujusmodi ægritudines , ſi fiat ante vomitum. Hujus exercitatisſimi medici experientiam ego magnifacio,quod etiam illa ratione maximè conveniat. Nam vomitus non ſolum *bilem*, *ſed pituitam* moleſtantem potiſſimùm evacuat, atque is humor lentus craſſusque , item tenuior commodiſſimùm hac,tanquam à ſua minera,vacuatur viâ. Nam ſæpenumerò etiam natura vegeta , in ſanis pituitam crudumque humorem eo expellit. Ita non ſolùm vomitus ventriculum emundat , Concoctionesque meliores poſtea efficit, ſed etiam commodius ab *omnibus corporis articulis revellit* , influentemque aut influxurùm humorem promptius detinet, quam quævis alia evacuatio. Quapropter conſulo , ut, ſi difficilis ad vomitum penitus non ſis,eo aliquoties utaris,qui enim eo in tempore utuntur,magna ex parte ſemper ſani eſſe conſueverunt.Velim in eo Hippocratis conſilium ſequi,qui ſingulis menſibus vomendum eſſe præcipit. Et hoc potius continuo biduo,quàm diebus quindecim interpoſitis. *Ac quoque Ugo Senenſis:* Et debes ſcire , quod vomitus omni menſe ſemel duobus diebus uno poſt alium in mane poſt aſſumptionem prandii eſt de rebus maximè conferentibus;eſt modus iſte: comedantur cibi diverſi,unctuoſi,ſaliti,molles, ſcilicet ſunt fercula ex brodio pingui,& caulibus aut malvis,aut bletis,aut porris,aut cepis. Et carnes caſtrati elixæ pingues & benè ſalitæ,& bibatur vinum dulce,& comedatur feſtinanter,&poſt moveatur celeriter per gradus aſcendendo & deſcendendo & ſe incurvando , & in fine mediæ horæ ſuperponat oculis ſperulas de coto & liget,& poſt habeat faſciam,& faſciet oculos cum illis,& tunc pennam intinctam in oleo dulci toties gutturi imponat, ut totum vomat. Et ſimilem modum ſervet ſequenti die & hoc omni menſe,ſed non ſervet eundem numerum dierum menſis,imò quinque X. die XV. quinque XX. *Veluti & Bertrucius:* Faciat vomitum omni menſe duobus diebus continuis. *Sic & Gualterus Brüel.* Tandem *Antonius Saporta* l.3.c.47.ita pronuntiat; In arthritide,à frigida materiâ,ortâ concitandus erit vomitus,qui non ſolum omni ſpeciei arthritidis , ſed etiam dolori nephriticorum, maximè eſt ſalubris.

Vomitu

Vomitu etiam *arthritis* cavetur. Vomitus, *inquit Sigismundus Kolreuterus*, in curâ præservativâ commendatur, præcipuè materiâ existente in inferioribus. Novi ego Medicum celebrem & doctissimum in Academiâ Pisanâ, qui vomitu se per plures annos à podagræ recidivâ liberum reddidit, sed debilitatem visus maximam conciliavit. *Tale quid etiam Paræus comprobat*. Ad præcautionē morbi articularis, *inquit Rondel.* & nephritici doloris fugere cruditatē, *necesse est*, & si fiat, castigetur frequēti vomitione. Nā sola vomitio hosduos morbos maximè præcavet. *Amat. Lusit.* cent. 3. cur. 5. *rē experimento firmat:* Doctor Castiliꝰ podagra morbo familiari singulis annis per duos aut tres menses affligi solebat, at quum ante statutum tempus, in quo eum morbus invadere solebat, per vomitum purgaremus, factum est, quod cum per tres, ut diximus, prædicto morbo torqueri soleret, leviter per tres dies ab eo tantùm corriperetur.

Idem *Kolreuterus mitiora*, ut vocant in vulgus, *vomitoria* suadet: Inchoandum tamen in vomitu à lenioribus, præcipuè materiâ existente indigestâ, deinde ad fortiora transeundum, gradatio enim securior & naturæ magis accepta. Possumus & quandoque à fortioribus initium facere, ubi scilicet materiæ sint præparatæ & aptæ, ut educantur, non crassæ, crudæ & ineptæ, in qua autem specie magis vel minus conveniat, in particularium dolorum cura conspicietur. Initium, *inquit Fredericus vander Mye*, fiat à levioribus, sic digitum aut pennam oleo tinctam in fauces injicimꝰ, aquâ cum oleo utitur Galenus, Alexander mulsa. Paulus & Ætius aquâ tepidâ, eadem utebatur Æsopus, ut ficuum proderet osores. ℞. aq. hord. vel juris pulli ℔j. ol. amygd. d. ℥ij. M. vel ℞. sem. raphani ℥iij. cum aq. hordei. Præ cæteris mihi placet Asarum, 5 vel 6. folia cum conveniente liquore. Hæc ille. *Rodericus à Fonseca* Diasarum ad ℥ß dat. *Rulandus* suam Panacæam, *Blochvvitius* oleum ê baccarum *sambuci* acinis confectum, *Frambesarius* Ambrosiam emeticam & Crocum Metallorum, alii *Mercurium vitæ, specificum podagricum ex sulphure, antimonio & mercurio vivo*, *essentiam antimonii* collaudant. *Chioccus* sect. 3. *Musæi Calceol.* scribit, *quendam arthritide generali acerbissimâ conflictatum, infuso sex granorum stibii*

bri alternis diebus quater exhibito & per vomitum multa ejectâ pituitâ & bili, liberum ab omni artuum dolore evasisse. Calix etiam ex *Antimonio*, sive *stibio* confectus, *Arthritidem* depellere fertur. Sed *Jocobus Primerosius*, & ante hunc *Smetius*, eâ de re tulerunt judicium. Reliqua hujus generis *l.4. de* Cat. memoravimus.

Fortiora tamen *vomitoria* nonnulli aliquando necessaria esse arbitrantur, ut *Rhases:* Si est frigus, curetur cum vomitu forti, ultimo multotiens. *Ac rursus:* Deinde curetur clysteribus, qui educunt viscositatem, & faciunt *excoriationem* ex iis, quæ dicemus & cum suppositoriis similibus. *Et libro primo capite decimo de affectibus juncturarum:* post purgationem major cura sunt clysteria fortia, quæ attrahunt materiam tali attractione, quod *vulnerant intestina, & exire faciunt sanguinem*, & tunc cessat dolor eadem die, quod *ego vidi in plus* quam mille hominibus, & nunquam vidi hominem, qui uteretur istis medicinis, quin ex toto sanaretur & alleviaretur, nisi sit ita fortis, quod indigeat adustione, & ego de istis clysteriis aliquas materies pulchras & expertas vidi. Clystere forte, valdè attrahens phlegma crudum, & aufert ægritudinem. Recip. corticum radicum capparis, corticis colocynthidis, centaurii minoris, cucumeris asinini, corticis agarici, an. drachm. 5. coque in tribus lib. aquæ, donec remaneant duæ, cola & appone mel & oleum, fac clysterem, & sustinant, quantò magis poterit, & antequam fiat illud clystere, præcedat clystere factum de herbat quæ dicitur atelgas, vel cum sale & aqua, & melle, ad mundificandum intestina ex fecibus, deinde sequatur clystere prædictum. Aliud. Recip. hellebori nigri, esulæ, colocynthidis, nasturtii, centaurii, chamædrios an. M. i. coque in tribus lib. vini, & mitte ℥. 5. olei lentisci, & fac clystere, istud autem est minus forte & calidum, & non debes eo uti, nisi in corporibus phlegmaticis & pinguibus. Aliis verò sufficiet aqua antelgas & nitri & aqua salis. Aliud. Accipe nasturtium, anisum, mitte in aqua die & nocte, & fac clystere, cum fuerit calefacta, est enim optimum. Aliud: Accipe 3. libras aquæ, & mitte libram 1. nitri, & cooperias, & mitte ad solem duabus septimanis, & cum opus fuerit, fiat clystere. Aliud. Recip. corticum colocynthidis, co-

que

que in aqua calida,& mitte parum nitri & olei,& fac clystere. *Ac iterum:* posteà dabimus vomitum, vel fluxum ventris provocabimus vel clysteria fortia faciemus. *Sic & Haly* ac *Serapio*, nec non *Esculapius.* Quin & *autor Isagoges:* At coxæ dolor,quem Græci ἰσχιάδα nominant, in ipsius articulo ortus,ad talos usque non raro extenditur. Præsidio erit sanguis ex talo missus, cucurbitulæ coxis admotæ, *clysteres acres, quiq; intestinorum tormina quodammodo faciunt.* Unde absque dubio *Avicenna*: Tunc tibi convenit uti suppositoriis ex medicinis facientibus excoriationem,& solutione educentibus sanguinem, sicut est decoctio cucumeris asinini & coloquinthidæ & fel vaccinum,& pyrethrum & centauria,& nasturtium & thapsia & elixatura piscium, omnia illa juvativa sunt iis in hac hora & fortè sanant. Et quandoque ponitur in clysteribus euphorbium,& dicitur,quod illud est nocivum valdè, prohibens à reliquis administrationibus, in fine verò eis est juvativum & propriè quando sequitur vesicatio. Et multoties quidem accidit excoriatio per se,& evenit cum ea sanitas: clystere bonum excoriationem faciens;decoquantur coloquinthida & nasturtium & radix capparis & centaurium & cucumer asinin9 & thapsia & rubia,& fiat Clystère cum aqua. *Sic ferè* & *Almansor.* Ac *iterum,iterumque Rhases:* Et si habenti illud sunt hæmorrhoides fluentes sanguinem, suppone eis ex collyriis, quæ excoriationem faciunt sine calefactione. *Item Serapio:* fortasse cum clystere evacuatur sanguis & sequitur hoc juvamentum magnum.Unde *Franciscus de Pedemont.* item *Joh. Michael Savonarola*; atq; etiam *Sigismundus Kolreuterus:* fortiores sunt ex cucumeris asinini radice, colocynthide,felle vaccino,pyrethro,centauria,nasturtio,Thapsia,jure piscium salsorum, Rubia,radicibus capparorum, Euphorbio,hoc tamen non nisi ultima urgente necessitate adjiciatur, clyster acris. ℞. mellis,olei an. cyathum 1.5. aquæ centauriæ cyathos ij.nitri ʒ viij. Terebinthinæ ʒiiij. mixta infundantur calida, calidumq; fomentum ano subdatur, quo diutius retineatur (quod & in aliis observandum) evacuat enim phlegma quandoq; & sanguinem, perseverante malo pro aqua centauriæ decoctum ipsius infundendum, eoq; frequentius utendum: Evacuant etiam sanguinem enematis modo injecta,se-

men Thlaſpeos, ſuccus delaterii, oleum ſycionium, muria etiam ſalſorum piſcium, decoctum alliorum, item ſuppoſitoria ex colocynthide, ſarcocolla. *Penè ſimili ratione Joh. Bapt. Montanus*, conſ.232. *Christophorus à Vega, Alexander Benedictus.* Hoc enemate *Honorius Heringius* utitur:

℞. rad. bryon. vel cucum. aſinin.
hermodact. a. ʒvj.
agarici trochiſc.
michracannæ elect. a. ʒij.
herb. eryſim
puleg. utr.
abſinth. a. Mj.
ſummit. centaur.
ſem. rutæ pj.
eryſim a. ʒij.
F. Decoct. in ſ. q. aquæ, poſteà colentur in colat. ſ. q. aquæ, poſteà colentur, in colaturæ ſ. q. diſſolve
mellis ℥iß.
urin. puer. ℥ij.
Hier. Lagad. ʒiij.
ſucci naſturtii aq. ℥j.
ol. amygd. amar. ℥iij.
ſalis parum
M. F. Clyſter.

A Lenioribus, ut vocant, *Vomitoriis* initium fieri, par eſt. Humores tenues & lenti tam exactè internoſci non queunt. Nec *Rhaſes* in humore melancholico purgando paulò minus conſideratus eſſe vult: *Et cave in purgando melancholiam, quia non debes ſemel purgare, ſed ſæpè, iſti enim humores non ducentur in multâ quantitate in unâ purgatione. Et nota, quod purgationem humoris melancholici ſemper debent præcedere balneum & digeſtivum.* Ac hujus præceptoris ductu *Sigiſmundus Kolreuterus*: *in Melancholicâ Arthritide non convenit Vomitus, quia humor ad inferiora tendit.* Verùm & humor melancholicus aliis confuſus eſt. Nec *Rhaſes* jure commendat fortia illa purgantia & *Enemata*, quæ ſanguinem faci-

faciunt, etiamsi ipse *hoc in plus quam mille* (sunt verba Interpretis) *hominibus vidisse se* asseveret. Quàm vetus via curandi hæc est, tàm non recta. *Thomas Erastus* propè à vero abest. Leniora purgantia probans, plurimum referre ait, spontè fluat alvus an pharmacis ciatur. Verba autoris ponantur: Blandè purgantia meis ægris præscripsi, quod Hippocratem quoque viderem maximè his confidere. Sic enim lib.2.Prædict·scribit: De podagricis hæc dico: Quicunque aut senes sunt, aut circa articulos callos tophaceos concretos habent,aut ærumnosè vivunt, aut siccam alvum habent, hi omnes sani fieri non possunt humanâ arte, quantum ego cognovi. Sanant quidem hos optimè Dysenteriæ, si successerint. Sed & aliæ eliquationes valdè prosunt, quæ ad infernos locos repunt. Qui verò juvenis est, & circa articulos nondum callos tophaceos concretos habet, & accuratè vivit,& amans est laboris, & alvum bonam habet ad obediendum pro studiorum ratione: hic sanè medicum nactus intelligentiam habentem,sanus fieri poterit. Ex hac Hippocratis sententiâ liquet, quantam in hoc morbo tollendo purgationes vim habeant. Videtur autem parùm interesse, sive spontè oriantur. *Hæc ille.*

A tàm validis medicamentis abhorrent ii, quibus cum ratio est. Ubi vis mali expultrix,quæ sanguini inest, spontè surgit,ac eos humores, de quibus nascitur *Arthritis*, in stomachum movet, ut ii frequentioribus vomitionibus rejiciantur, illud naturale molimentum quidem ægris est emolumento. Ast sæpenumerò evenit, ut articularii hominis stomachus vehementiâ pharmacorum in vomitum provocetur, aut injectis istiusmodi clysteribus adeò irritetur, ut sanguis inde proferatur, arthritide nihilo minus urgente, imò jam magis aggravatâ eâ valetudine. Illa enim vis mali expultrix in massa sanguineâ residens, interdum eâ medendi viâ multò vehementius incitatur, ut etiam tantò plus istius sanguinis *Arthritidem* facientis, in artus convertat. Adeò diversa Naturæ molimina sunt & Medici. Hic sæpius eam admonet frustrà & irritat, ut irrita sit ipsa tandem excretio. Quin talia remedia convertuntur ad pernitiem. Proinde tàm vehementia *suppositoria* & *enemata*, quæ faciunt sanguinem, pronuntio medicinam esse incertam ac prorsus

ſus ancipitem, imò periculoſam. Quanquam M. *Gatenaria corpus* excipit, ut vocat, delicatum: *Fiant ſuppoſitoria & clyſteria acuta & fortia, ut propter dolorem materia divertatur & attrahatur â partibus ſuperioribus ad partes inferiores, & ſic divertatur à ſuo curſu ad juncturas, caveantur tamen hujusmodi in corpore delicato timentes excoriationem.* Verùm & in corpore non *delicato* ſæpè inteſtina extant infirma, ut iſtorum medicamentorum vehementiâ lethaliter ſaucientur. *Rhaſis* verò & *Foreſti* experimentis nihil movemur, quibus conſtet, *arthriticos laxatos purgatoſque pluries & factos dyſentericos, â Schiaticâ curatos fuiſſe.* Ac *Heringii* clyſter nonnulla habet, quæ ſimili vanitate adjiciuntur. Admiſtam *urinam* credet ille itare in ſanguinem, ac humorem *Tartareum* inibi liquare. Iſtius generis *clyſteres* plures qui quærit, cenſeo volvat *Plateri* ac *Minſichtii* ſcripta. Nunc prædictus *Gatenaria*, ſi *verbo partium ſuperiorum* indicat *caput* & *cerebrum*, is in eandem incidit reprehenſionem, in quam *Andreas Laurentius, inter purgantia*, inquiens, *inprimis egregiè proſunt vomitiones ad evacuandam materiam, imprimis ſi defluxus arthritidis procedat à cerebro & ſtomacho.* Hoc eſt ejusmodi, quivis ut perſpicere poſſit falſitatem jam penitus nudam. Credit ille *autor* de *cerebro* humores in ſtomachum gulâ ceu cannâ quadam fluere. *Alsharavius* ex Arabibus & ex junioribus *Solenander* haud audiendi ſunt, qui vomitum contendunt magis hîc eſſe ſalubrem, purgatione alvi. Non tantùm ſtomacho egerente, ſed etiam fluente alvo, *bilis* & *pituita* exturbari queunt. Ac quo modo vomitus ab omnibus articulis vehementius commodiusque revellat, haud videtur. Qui ex facili vomunt, ii eâ viâ curentur. Natura eos humores, unde provenit *Arthritis*, etiam per arterias in ventrem inferiorem conferre poteſt. Igitur hic morbus arceri poteſt, citatiore alvo.

CAPUT II.

De PURGANTIBUS.

QVæ purgantia aſſumuntur, ea valentiora eſſe perhibentur. *Hollerius* & *Caſp: Wolphius* hanc ajunt *Arabicam* viam curandi eſſe.

di esse. *Rhasis* quidem verba hæc sunt: *aqua aloes mirabilis est ad hoc, quoniam quandoque frequenter accipitur, donec fit dysenteria, sed tamen antequam fiat, curatur ægritudo.* Ac illa: *Et similiter da medicinam, phlegma purgantem fortiter, & species phlegmatis purgantes.* Et paulò post: *potiones laxativæ debent esse fortiores.* Verùm ejusdem sententiæ autor princeps ipse *Hippocrates* esse videtur. Unde *Reinerus Solenander Sect. 4. Consil 24:* quicunque aut senes sunt, aut circa articulos tophaceos callos concretos habent, aut ærumnosi vivunt, aut siccam alvum habent, hi omnes humanâ arte sanari non possunt, quantum ego cognovi. Sanant quidem hos optimè dysenteriæ, si successerint. Sed & aliæ eliquationes valdè prosunt, quæ ad inferiores locos repunt. Qui verò juvenis est, & circa articulos nondum callos tophaceos habet concretos, & accuratè vivit, amansque laboris est, & alvum bonam habet ad obediendum pro studiorum ratione, hic sanè Medicum nactus intelligentem, sanus fieri poterit. Hæc Hippocrates lib. 2. prædict: Ex quibus manifestò constare poterit, quantum tribuerit multis & frequentibus in hoc morbo purgationibus, quæ aut naturæ beneficio spontè succedunt, aut ab experto in operibus artis Medico, administrantur. *Hæc ille.* Profectò ex Græcis *Alexander Trallianus hunc ad modum:* Quod si materia fuerit frigida, laxatio fiat cum eo, quod educit phlegma cum violentia. Et noli facere illud, quod faciunt aliqui, qui dant in potu medicinas modicæ virtutis, ad educendum phlegma, quoniam talis medicina calefaciet phlegma, & non educet illud, & auget ei nocumentum. *Galenus paulò aliter:* In quibus autem vehemens humorum densatio, quæ ægrè dissolvi potest, à medicis intempestivè acribus pharmacis utentibus facta est, his cucurbita affixa auxiliatur & purgatio per efficaciora infusa, quale est & quod ex colocynthide constat. *Sic ferè Paulus Ægineta* & *Ætius.* Ac sub hac conditione ipse *Avicenna*: Deinde administra solutionem ventris & incipe à re forti, si non prohibet privatio *maturitatis & grassitudo materiei:* quamvis facilis sit incolumior & gradatio convenientior. Deinde sequere cum solutivis mundificantibus secundum gradationem, & sunt de hominibus, qui describunt initium cum facili post facile & sigillant cum forti post

matu-

maturationem. Et rectius quidem est in hoc, si materia est subtilis cholerica, festinare evacuationem, quum videtur maturatio, & si est grossa, non est malum præmittere, quod eam subtiliet & maturet & præparet ipsam ad hoc, ut expellatur ad partem evacuationis. Et tu interim allevia cum solutione subtili. Et si materia fuerit composita, fac, ut solutivum & emplastrum sint composita, licet tamen melius sit, ut blandè tractetur in principio & non fiat phlebotomia.

Quin *Avicennam Franciscus Valleriola* longè secus *lib.2.Enarr.* pag. 119. interpretatur: Quoniam verò & de vacuationis modo in accessione rogatus sum, sententiam dicere, brevibus respondeo: Aut nihil omninò aut levissimè per accessionum impetus vacuandum esse. Nam etsi nostri omnes vacuationem, quæ per valentia fit medicamenta, consulunt ad humoris fluentis revulsionem; tamen quum experientia didicerimus, multos aut fermè omnes ab hujusmodi vacuationibus deterius in posterum habere longiusque ægrotare, exagitatis utique à medicamento humoribus, & ad imbecillas partes deductis: consulerem omninò, aut parcendum vacuationibus esse, aut quàm levissimis id perficiendum medicamentis, quod his verbis suasisse videtur Avicenna. Facilis, inquit (de vacuatione loquens) forti est incolumior, & gradatio convenientior. Et paulò post: Non fiat, inquit, Evacuatio, si autem plenitudo exigit, tunc fiat cum eo, quod assellare facit semel aut bis. Et clysteria (subdit) sunt rectiora. Nam fortes vacuationes humores movent à locis suis, & ad loca ægritudinis trudunt, ut idem paulò post affirmat: Et cave, inquit, ne in potu des imprimis medicinam debilem, quoniam ipsa movet materiam, & non facit currere aliquid, de quo sit curandum. Imò fortassè (subdit) attenuat materias coagulatas, & facit eas currere ad membrum. Quamobrem cum id nos experimentum doceat, etiamsi aliud ratio suadere videatur, experientiæ hærendum prorsus consulo: Avicennæ in hoc sententiam sequutus, qui cum invicem ratio & experimentum in uno quopiam pugnare videntur, experimento standum monet, quod in saphænæ & scyathicæ venarum sectione his verbis declarat: Et ratio (inquit) facit oportere, ut scyathica & saphænæ similis sint juvamenti in

dolo-

dolore sciæ & podagræ: sed experimentum facit, ut scyathicæ apertio plurimùm conveniat dolori sciæ: sicut si hoc esset debitum. Itaq;. per accessionem impetus vel nullo omninò vel clysteribus levibus, aut solo rhabarbaro aut agarico utendum censeo. Ante morbi accessionem cum jam proximè ventura speratur, paulò audentius vacuandum suadeo viriũ habitâ ratione. Sic certè Gal: fluxionibus hujusmodi paratos apparata & præveniente vacuatione incòlumes & à morbi impetu immunes servabat. *Hæc ille.* Ex *Arabibus* etiam *Haly*: Cavendum autem ne fortè medicaminibus utaris, quæ fortiùs laxant, ut pilulis, antequam *maturitatis* signa appareant. Quod si faceres, quod subtile esset, emitteres, *grosso* superstite, unde & ejus fieret difficilis maturatio, & tempus fieret morbi prolixius & nonnunquam in habitudinem defertur res incurabilis eò, quod humor abinde durescat, & quasi lapis fiat. Atque *Janus Damascenus* rationem humoris *biliosi* habet: evacuamus humorem biliosum non unâ vice, imò multis vicibus, quando illo indigemus, donec mundificetur ex superfluitatibus & materia, quia secundum hoc servantur juncturæ, quod non aggregatur in iis aliquid. Et sit medicina solutiva simplex, levis, cui non admisceatur ex materia calefaciente, nisi parùm, sicut medicina facta ex rosarum succo & melle & scammonea, quæ dicitur Syrupus rosatus confortans, & medicamen solutivum, factum ex carne cotoneorum & reliquis medicinis solventibus humorem cholericum.

Nunc leniora purgantia probant & hujus & superioris sæculi autores, quemadmodum *Bernh. Gordonius, Nicolaus Florentinus, Rogerius, Theocritus, Johan. Matth. de Gradi, Joh. Michael Savonarola, Peter Hispanus, Gatenaria, Bertrucius, Leonellus Faventinus, Forestus, Platerus, Eustachius Rudius, P. Salius Diversus, Fonseca, Duretus, Lælius à Fonte, Feyneus, Peter Bruhesius, Petræus, Weickardus, Martinus Pansa, Dominicus Bucius.* Quare deseruntur *Gilbertus Anglicus, Antonius Gazius, Frambesarius, Paræus*, ac hinc *D.D. Sennertus.* Atque ex altera parte autores & experientia nituntur & ratione, ut *Rodericus à Fonseca*: Empirici, ut Bovius & alii hujus farinæ viri articulares morbos omnes curant validissimis medicamentis purgantibus, tum suprà, tum infrà, quale est antimonium, lathiris se-

mina, gratiola, hermodactyli, turbith, hermodactylata dicta, quæ adhibent per tres vel quatuor dies continuos. Item *Sigismundus Kolreuterus:* volunt quidam, additis rationibus non rejiciendis, medicamentum purgans in arthritide debere esse robstum, ut à longinquo trahat; materiæ enim ipsius non ampliùs in corpore, sed in juncturis habentur, credo ego, difficulter & non sine noxa imbibitas jam juncturis posse retrahi (licet purgantia quædam medicamenta etiam, in sequentibus ad hanc intentionem posita reperies) sed potius per localia resolvendas & evacuandas, commodum esset, ut medicamenta purgantia materias redundantes in corpore, antequam ad juncturas fluerent, educerent & eradicarent. *Liberatus de Liberatis:* An catharticis uti liceat ad præcautionem, & quæ à juncturis trahant, contendunt nonnulli. *Rhases* & ejus enarrator *Matt: de Grad:* id negant, *Moses* concedit, sed fortia quæcunq; medicamenta apud plerosque damnantur, nam cùm violentiâ humores educant multos, etsi juvare videantur, tonum viscerum ita enervant, ut nemo sæpius repetenda suadere audeat: iis tantùm modò concedenda, qui fortis sunt corporis & succi pleni, & quibus viscerum constans & firmus est tonus: at in iis, qui sunt habitu graciles, facilè resolubiles, nec satis validæ naturæ in morbo inveterato, cùm ventriculi ac intestinorum infirmâ facultate, à valentioribus hisce abstinendum omnis ratio suadet; in his enim facilè calor dissolvitur, dum humidum pingue, nativi caloris pabulum, in eisdem facilè absumitur, facileq; *dysenteria* sciscitatur. Certum est, felicius ac tutius rem agi leni ac iteratâ medicatione, qualis est per Epicrasin, celebrata à Galeno 10. Meth. Med. 14. nam sic paulatim, quod vitiosum est, educitur, & quod salubre, paulatim adjicitur. Nonnullos novi podagricos per intervalla ac blandè medicatos, & si non undequaque victores, frænatâ tamen morbi ferociâ facilius ac minori dispendio sustulisse insultus & nunquam impotentes cessisse: at violentis frequenter qui usi sunt medicaminibus, fracto nativo calore, universaque corporis œconomia perturbata jugi oppressi morbo tandem conciderunt, ut principi viro ex purpuratorum Senatu evenisse reor: pro hujus salute, cùm podagrâ molestaretur validâ, chymica fuêre administrata pharmaca, debilis hinc ubique

que factus, labantem inde vitam duxit & miſerrimam, ut tandem ferè calamitosè vitâ conceſſerit. *Et paulò poſt:* Medicina enim purgat & inveterat, Avic: ſcilicet fortis purgatio: igitur lenis & repetita melior, dicebat Domitius Corbulo, hoſtis dolabra, hoc eſt, ſenſim vincendus, idq; magis cautè agendum, dum cum principibus res agitur, qui ex Galeni conſilio tutisſimè tractandi. Tandem & *Antonius Saporta lib. 3. cap. 47.* Si magna ſit bilioſi humoris redundantia, cholagogo medicamento purgandum erit corpus, eoque leni cathartico facultate prædito, cum adſtrictione aliqua. Nam quæ alvum maximè ſubducunt, & è longinquis partibus non tantùm *cœcâ proprietate*, ſed caliditate ſuccum noxium attrahunt, humores aliquando, ductus aperiendo & corpus rarefaciendo, fluxiones in imbecillas partes magis promovent, & robur ventriculi proſternunt, quo fit, ut reliquæ corporis partes affligantur, & nervi per conſenſum ampliore vitioſi humoris fluxione impetantur. Quapropter ab aromaticarum pillularum, fœtidarum, artheticarum & de hermodactylis potisſimùm circa initia abſtinere fas eſt, & medullæ casſiæ, fiſtulæ, catholici, rhabarbari aut tripheræ Perſicæ uſus nobis arridebit. *Hæc ille.* Examinentur nunc diſputata.

Non *Arabibus* modò, ſed etiam *Græcis*, & quidem *Hippocrati* ipſi placuit, *Arthriticorum* corpora valentisſimis ventrifluis pharmacis purgari. Meum verò judicium eſt, ea ſi alvum eviſcerant, ducunt ſanguinem & *dyſenteriam* ipſam faciunt, nec accedente nec urgente nec deſinente denique *Arthritide* utilia fore. Forſitan aliquando ſpontè ſupervenit *Dyſenteria*, qua hic morbus ceſſavit. Unde iſta olim invaluit opinio. Atque fluentibus venis *hæmorrhoidibus*, hoc malum deſinit aliquando. Illarum quidem fluxus, adhibitis purgantibus, cieri poteſt. Ceterùm multi hâc curandi ratione torqueri poterunt. *Alexander Trallianus* & hinc *Avicenna* ac *Haly* hîc meminère *frigidi phlegmatis*. Verùm & illud vel valentisſimo medicamento ſolùm moveri poteſt, non verò foràs ejici, niſi annuente Naturâ. Rectèq; judicat *Franciſcus Valleriola.* Nec *bilioſus* humor doctore *Jano Damaſceno*, eam vehementiam purgantis pharmaci requirit. Qui igitur leniora purgantia omni hujus morbi tempore ſuadent, erunt audiendi. Nec iiſdem tàm validis pharmacis hoc

 ma-

malum corporis averti potest, imò potius accersi, quemadmodum verè *Rhases, Joh. Matthæus de Gradi* & *Liberatus de Liberatis* sentiunt. *Moses* & reliqui, quibus secus videtur, secum taciti pensitent, quàm vehementer inde agitetur sanguis. *Dysenteria* plus periculi affert, quàm *Arthritis*. Erit igitur Medicina admodùm damnosa. Et firmissima corpora istorum purgantium vi, & eâ sæpius adhibitâ tandem ad *dysenteriam* proclivia redduntur. Nonnunquàm in robustissimo corpore stomachi intestinorumque debilitas inest patria. Ac quis cogitando assequi potest, quo pacto validiora purgantia medicamenta de extremis articulis ac de intimo *cerebro*, quod fons habetur *Arthritidis*, istos humores trahere possint? Non me fugit id, quod *C. Celsus lib. 4. cap. 25.* scriptum reliquit: *purgationem alvi Erasistratus in podagricis expulit, ne in inferiores partes factus cursus pedes repleret, cum evidens sit, omni purgatione non superiora tantummodo, sed etiam inferiora exinaniri.* Nunc verò *Antonius Saporta cœcam* vocitat *proprietatem*, quam agnosco nullam. Medicamentorum *calor* non eam efficit purgationem alvi. *Vis expultrix naturalis alvi* irritatur vehementius, inde interdum & *facultas expultrix naturalis Musculorum* incitatur, ut hinc *convulsio*, hinc *motus convulsivus & Epilepsia* nascantur.

Ac priores quoq; opinionem illā antiquitus vulgarunt, *Hermodactylos* corpora horum ægrorum singulariter salubri ac privatâ virtute purgare, ut *Alexander Trallianus*. Plurima, inquit *Ætius*, & varia medicamenta purgantia à nobis in tertio hujus tractationis sermone tradita. Propriè tamen in podagricis & morbo articulari hæc exhibentur. Universale ex Hermodactylis, quô assiduè utor. *Mesue* ait *esse Medicinam artetica magnam. Rhases* hoc componit: ℞. *Sarcocoll. rub.* ʒiij, *Zirunger. nitri ana aur. 2, distempera in* ℥j. *ol. nuc. &* ℥j. *decoctionis anethi & bibat parum, purgat sine nocumento, dolorem aufert ancha omninò.* Ex recentioribus multi, ut *Johannes de Tornamira, Harculanus, Arnol: Novicom: Johannes Matth. de Gradi, J. M. Savonarola, Pareda, Theophrastus Paracelsus, Johannes Andreas à Cruce, Solenander, Pamphylus Montius, Freitagius, Poppius, Petræus*, & alii *Hermodactylos* eâdem de causa tàm pleno ore collaudant.

Ludo-

Ludovicus Duretus inter alia hoc adjicit: *Hermodactylorum loco Avicenna id præscribit, quod quid sit, nondum rescire potui.* Verba *Avicennæ* recognoscantur: Et in hermodactylis quidem creditur esse plurimum juvamenti, propterea, quod ipsi solvunt statim humorem frigidum. Verùm hermodactyli sunt nocivi stomacho: quare oportet, ut misceantur cum iis, quæ sunt sicut piper & Zingiber & cyminum, & quandoque admiscentur ei ea, quæ sunt sicut aloes & scammonea, ut confortetur eorum solutio. Et dixerunt quidam, quod *pedi cervino* inest operatio hermodactylorum, & non est ejus, nocere stomacho. *Avicennæ* interpres *pedem Cervinum* appellat. *Paulus Ægineta* verò *Coronopodium*: Novi quendam, qui non ipsam hermodactyli substantiam exhibet, neque aliquod medicamentum ex ipso compositum, sed *herbam* ipsam coquit, cum aliquo ex consuetis pharmacis, velut aniso aut apio, & decoctum bibendum præbet, & mirum est, quo modo per ventrem evacuati à fluxione liberantur. Oportet autem propterea quod stomacho incommodus est, posteà stomacho gratis & corroborantibus, cum moderata caliditate, osculum ventris corrigere. Cæterùm purgationem ex *coronopodio* meliorem esse dicit ea, quæ fit ex hermodactylo, ut quæ eandem evacuationem & doloris sedationem efficiat, cum hoc, quod neque stomacho incommoda est. *Atque etiam Alexander Trallianus*: Sciendum non solùm potionem ex *Hermodactylo* ad podagrici doloris levationem parari, sed etiam alia esse pleraque, ex quorum numero antidotum ex *coronopodio* quoque habetur, quod & ipsum meo judicio non ita, ut hermodactylus stomachum offendit: mitigat autem similiter, si non amplius, certè non minus. Datur quaternis scrupulis, interim quidem per se, interim vero cum piperis granis quadraginta. *Hæc ille.* Unde multi juniorum aut *Coronopodii* aut *pedis Cervini* etiam mentionem inferunt, ut *Johan: Michael Savonarola*, ac *Hieronymus Gabucinius*. Illud præterea, *inquit hic*, cognoscendum est, non solùm ex hermodactylo potionem ad podagrici doloris levationem parari, sed etiam alia esse pleraque, ex quorum numero compositio ex coronopode existit: *Διακορονοπώδιον* vocant, quam Alexander inprimis, Paulusque summoperè laudarunt, veluti ad eadem

efficacem , ad quæ ex hermodactylo confecta compositio potest. Neq; enim ita,ut hermodactylus,stomacho negotium facessit,mitigatq; eodem pacto,si non amplius,haud sanè minùs, daturq; quaternis scrupulis, interim quidem per sese , interim verò cum piperis granulis quadraginta. Multi sanè in hunc modum composuerunt: alii verò pluribus etiam additis utilius medicamentum fecerunt. Habet autem in hunc modum: ℞. Gingib. ℈ij.pip.℈j.agaric.℈x. cruci partis interioris ℈iiij. Coronopodis radicis ℈vj. contusa cribrataq; reponito. Dantur ℈iij. iis verò , quibus alvus est difficilis: siliquæ viginti tres , quæ faciunt omninò obolos septem aut ferè octò: vel amplius vel minus dabitur. Illud præterea non reticendum est , medicamentum hoc in magnis etiam accessionibus datum dolorem mitigare. *Hactenus autor.* Cunctam rem *Nocolaus Leonicenus l.3. de Medicorum erroribus c.10.* hisce exponit: Quantum ad pedis corvini radicem attinet , interpretes Avicennæ & hic autor ipse errant. Neque enim Paulus usquam herbam *coronopoda*, sic enim Græci *pedem corvinum* nominant,hermodactylis comparat,in juvando podagricos: sed compositionem,quæ nominatur apud Græcos διὰ κορωνοπόδος , id est, pedem corvinum , alteri præfert,quæ apud eosdem Græcos δι᾽ ἑρμοδακτύλων , id est, per hermodactylos nominatur: quarum utramq; describit Paulus l.7. propriis ambas inscriptionibus notans. Primæ compositionis inscriptio atq; descriptio hæc est : Podagrica per hermodactylum. Hermodactyli obolos tres annisi,cymini æthiopici,ammeos,corymborum,thymi,piperis longi,zinziberis ana obolos tres , epithymi unciam mediam. Dosis oboli quatuor aut sex,datur manè cum condito vel hydromele. Secundæ autem compositionis per pedem corvinum inscriptio atque descriptio talis est : per pedem corvinum compositio , quæ facit ad ea , ad quæ & altera per hermodactylon , stomacho utilis: Zinziberis oboli duo , piperis oboli tres , agarici obolus unus, cnici interioris oboli quatuor, radicis pedis corvini oboli sex. Dosis, oboli octo. His autem quibus venter non facilè solvitur , siliquæ viginti tres faciunt omninò septem vel octo ferè alvi dejectiones. Harum duarum compositionum Paulus libri sui de medicinâ volumine tertio se-

cun-

cundam, per pedem corvinum nominatam, dicit ex Alexandri autoritate prima esse meliorem, ut quæ eandem faciat evacuationem, & æquè sedet dolorem, cum hoc, quod nihil obest stomacho. Quorum verborum sententiam malè Avicenna duobus in locis anteà allegatis, de solo *pede Cervino* scribit, ipsum *hermodactylis* comparando: quasi radix *pedis corvini*, de quâ loquitur Paulus, sit par in cienda alvo radici hermodactylorum, & non habeat potiùs adstringendi facultatem, quemadmodum de eâ sentit Dioscorides, & Avicenna ipse. Verùm Avicenna illud non rectè scribit, quod faciat operationem hermodactylorum. Si quis verò miretur, quo modo tota compositio per *pedem corvinum* nominata, eandem possit facere evacuationem, quam altera per hermodactylos, quum pes corvinus vel radix ejus vim adstringendi habeat, hermodactyli autem magis purgandi, sciat, dictam per pedem corvinum compositionem, non habere vim purgatoriam ex pede corvino, sed ex agarico & cnico, quod Carthamum Medici recentiores appellat. Purgat autem æquè atq; altera compositio per hermodactylos nominata: quoniam dosis ejus est dupla ad dosin alterius: & in durum habentibus ventrem majorem multò, quàm duplam habet proportionem, ut ex his, quæ anteà scripsimus, ex Pauli sententiâ patere potest. Atq; medicinis Arthriticos purgantibus antiqui adjiciebant adstringentia, ut infrà dicetur. Nunc qualis herba sit Coronopus, dicendum. Eam Dioscorides l.2.c.117. describit. Vocatur Gramen Dactylon, herba pueris nota. Sic vereor, ne Avicennæ atq; ejus expositoribus magnam pariam ignominiam, qui in re notissimâ hæsitarint. Verùm ista cælare, non est tàm parcere antiquis, quàm vitam negligere, quæ sub Avicennæ atq; ejus expositorum autoritate periclitatur.

Nunc *Satyrionis* radices *Hermodactylis* adjectæ fuerunt. Unde *Rhases ita*: Si arthritis est à causâ frigidâ, catapotia majora de hermodactylis porrigenda sunt, quorum mixtura talis est: *hermodactyli, Satyrii*, chamæleæ, cujusque drachmæ quinque, hieræ picræ drachmæ decem, cucurbitæ sylvestris, centaurii minoris, utriusque drachmæ quinque, euphorbii drachmæ duæ, turbith drachmæ decem, thapsiæ Indicæ, Zingiberis, sinapis, piperis, castorei ana drachmæ

ma una. Item *autor lib. secretor.* ac *Almansor:* pillulæ majores de *hermodactylis, satirion* mezaathara omnium a. ʒ.v. hier. picr. ʒx. coloquinth. centaur. min. amborum a. ʒv. euphorbii ʒij. turbith. ʒx. scitarig. Indi zingib. sinapis, piperis, castorei a. ʒj. formentur ex iis pillulæ, ex quibus à duabus ʒ aut iij. sumatur. Hæ namque pillulæ valdè conferunt: quare non valentes surgere incedere faciunt. *Hæc ille.* Ne quid fallat, addit *Johan. Arculanus,* interpres *Almansoris:* Et quia in pilulis ponitur Satyrion, est sciendum, quatuor esse species Satirionis: unam geminas habens radices, ut testiculos una semper pinguior est altera. Sed secunda singularem tantum habet radicem similem prædictis, nisi quia grassior est. Tertia unam radicem habet similem modo dicto, super quâ veluti filum oritur, cui radiculo alia parva suspenditur, subterq; grossiorem dicta in terra moratur, quarta verò species, cui ob similitudinem manuum duarum nomen à modernis datum est, palma Christi dicta est cujus interdum folia maculis violaceis notata apparent. Orchis etiam videtur esse species satirionis maximè, quæ cinosorchis dicitur, cujus expositio est canis testiculus. Omnes species satirionis calidæ sunt cum multo humido ventasabili, propterea excitant coitum. Radices enim eorum confectæ cum melle mirabiliter valent ad coitum & valdè prosunt arteticis præcipuè suc. eorum cum melle exhibitus. Mechezera id est, senæ setaragi indi, id est, capsia. *Hæc autor.* Quin multi recentiorum eadem radice ferè similiter utuntur, ut *Gulielmus de Saliceto.* Ego vehementer ipse, *inquit Antonius Gallus in Epistolâ ad Petrum Brehusium,* in catapotiis utor & hierâ picrâ, myrobalanis, hermodactylis, rhabarbaro *& Satyrionibus.* Ac idem *Petro Bruhesio* sic scribenti: *Quod officinis Satyrium dicitur, est Dioscoridis cynosorchis; possunt tamen Satyria omitti, & si hermodactyli veri non adessent, eorum loco accipi duplum agarici:* respondet hisce: *Quod ad Satyrium attinet,* loquimur de triphyllo, quod rumicis folia habet, non de *Cynorschi,* quæ olivæ mollis aut potius scillæ gerit foliola. In quo subesse mendum putat Marcellus. Nec te moveat *testiculum canis* id esse, quod duplicem gerit radicem, habet enim & duplicem *satyrium,* quod bulbi hujusmodi singulis annis aggignant novam sobolem,

sed

ſed aliud te angit, quàm quod ad radices ſpectat , nimirum cur in compoſitum indiderim? Profectò non temerè à nobis factum aut inconſideratè; non quod ſciebam humidæ calidæque naturæ eſſe,& porrò apiſtothonis ex vino exhiberi auſtero, quàm,quia *ſubſtantiam ejus eſſe talem, quæ nervòſum genus familiaritate quadam confoveat,& ad eas partes medicamentorum facultates deducat,ergò à compoſito medicamento abeſſe non poſſunt.*

Cæterùm ex *Hermodactylis* multa compoſita conſtant, quemadmodum *Alexandri Train* Electuarium,& *Pilulæ Arthriticæ Nicolai. Meſuis* quoq; *tria catapotia* ferũtur:*Catapotia ex Hermodactylis majora ad podagram & dolores frigidos aliarum juncturarum, catapotia ex Hermodactylis minora ad podagrã calidam.Catapotia ex Hermodactylis à nobis deſcripta ad utramque podagricam intemperiem.* Tria etiam diſtinctè perſequitur *Gulielmus de Saliceto.* In Pharmacopœiâ *Auguſtanâ* extant pilulæ *de Hermodactylis majores Meſuis,* ut & in *Pharmacopoeiâ Cordi*, earum virtutem exponit,ut creditur, *Salomon Albertus hiſce:* Sic à baſi dicuntur,quæ ſunt hermodactyli, pituitam fortiter educentes. Baſin juvant Myrobalani, Aloe, turbith, colocynth.Sagapenum. Quamvis hæc ſex medicamenta pro una baſi completa poni videantur. Bdellium inſigniter pituitam in articulis incidit,& acrimoniam ſagapeni atque colocynthidis infringit ac ſuo lentore mitigat. Opoponacum,ſarcocolla & euphorbium operationem purgantium promovent. Humores craſſos incidendo & attenuando præparant,& medicamentis viam aperiunt caſtoreum , ſem. rutæ & apium,quod etiam ventriculum aromaticâ virtute confirmat, flatus diſcutit ac per urinam purgat. Quo munere crocus etiam fungitur,præterquam, quod ſingulariter purgantia exuſcitet. Hæ igitur pilulæ mixtos humores, tum calidos, tum frigidos, qui dolores artuum,Iſchiadem & luem Gallicam producunt, è remotisſimis etiam partibus evacuant efficaciſſimè,& magis quàm Artheticæ, tutiùs quam fœtidœ. Potentiores tamen ſunt ad frigidos humores & cerebri affectus. Dantur â ʒj. ad ℈iiij. Pilulæ de Hermodactylis minores, cum eorum uſus non adeò ſecurus ſit, non parantur.

Sunt & *pilulæ de Hermodactylis Rhaſis* , quarum mentio

jam facta fuit. Occurrunt & pilulæ de *Hermodactylis Græcorum.*

Ugo Senensis rationem *utendi* ostendit hisce: ℞. pilularum de hermodactylis minorum descriptione Mes. ℈iiij. sumat una hora ante diem & non comedat, nisi transactis sex horis. ℞. pilul. fœtid. de hermodact. maj. a. ʒjß. F. septem. ℞. pil. de Sarcocolla ℈iiij. F. Pil. IX. Ac *Hieronymus Capivaccius*: pil. de Hermodact. Mesuæ quadam affectæ sunt malignitate, sed oportet, ut castigentur. Formula talis erit: ℞. pil. de Hermod. ʒj. cochiar. mastich. a. ℈j. cum syr. de beton. F. pil. numero V. *Forestus*: ℞. pil. de hermod. fœtid. artheticarum a. ℈j. F. Pilulæ. v. vel vij. Unde *Michael Johan. Paschalius*: Vacuant pituitam à juncturis ʒj. pilularum hermodactylorum majorum ad ℈iiij. vel ʒv. Diacarthami ad ʒvj. Atq; *Helidæus Pedoanus*: ℞. pill. de hermodact. major. (minores enim in materiâ calida exhibentur) ℈ij. rhabarb. mundi & ℈j. cum syr. violar. F. pil. numero v. *Johannes Rhenanus* Extractum Carthami conficit, addendo *Hermodactylos*:

℞.	medull. sem. Carthami	℥iiij.
	turbit. alb. gum.	
	fol. sen. s. s.	a. ʒjß.
	Diagrydii	ʒv.
	rhabarb. opt	℥j.
	agaric. troch.	ʒvj.
	hermodact. albiss.	ʒjß.
	myrobal. cheb.	℥iij.
	polypod.	℥ij.
	zinzib. alb.	ʒij.

F. l. a. extractum panchymagogum. ℞. hujus extr. ʒj. Acidi ♀ ℈j. Vini Mal. ℥j. vel plus. *Hæc ille.* Igitur Pilulæ *de Hermodactylis* quàm vehementer in vulgus laudentur, attendite. Sic ex multis quoq; *Clementius Clementinus*: pilulæ ex hermodactylis sunt utiles iis, qui patiuntur podagras, purgant enim frigidos humores juncturarum, & sedant dolores & podagras. *Pilulæ Artheticæ* quoq; solvunt humores phlegmaticos & cholericos, aquosos & acu-

cutos mixtos, qui penetrant in juncturas, & sanant podagras & artheticas.

Reliqua, quæ in *Pharmacopœiâ Augustanâ* extant, habentque *Hermodactylos*, sunt *Benedicta laxativa*, *pilulæ fœtidæ*, *pilulæ de opopanace*, *pulvis solutivus magistralis Stockstaldi*, *Diacarthamum*, quod tantoperè laudat *Frambesarius*. Celebratæ sunt *pilulæ Magistri Ursonis*. Accipe & *Electuarium O. M. Papæ valens contra chiragram, podagram, artheticam & Sciaticam*. ℞. succi foliorum fœniculi ad ignem depurati, lib. iiij. mellis despumati lib. ij. bulliant lento igne usque ad consumptionem succi, & tunc deponatur ab igne, & infrigidari permittatur, & tunc permisc. cum eo pulv. *hermodact.* grossorum & bonorum ℥iij. & sumat de eo in modum castaneæ de mane ter in hebdomada cum aqua decoc. cimini, carvi, maratri, senæ, agarici a. ℥ij. *Huc spectant pilulæ & pulvis R. Solenandri* purgans, pulvis *N. Abr. Frambes.* ex turpeto & Hermod. *pulv. antipodag. T. Paracelsi*, pulv. podag. *Poppii.*

Maximè decantatum purgans est hodiè *Electuarium* & pulvis *Caryocostinus*. Illud tantoperè celebrarunt *Peter Bayer*, *Forestus*, *Solenander*, *Horatius Eugenius*, *Montuus*, *Johannes Matthæus*, *Fontanus*, *Jac. Mosanus Vesius*, *Sennertus*, & mox *Riverius*, *Alexander Deodatus*, *H. Heringius*, & *Liberatus de Liberatis*. *Petrus Bayerus*, inquit hic, *illud mutuavit ex Galeno*. Nec tale quid occultè fert autor ipse, *Bayerus*. Talem Medicinam *Alexander Trallianus* vocat δὶ ἑρμοδακτύλου, aitque adjici cuminum, gingiber, & piper, imò & nonnunquam euphorbium. Simili ratione *Avicenna & Nonus Hermodactylos* temperari jubent. Ego bonum *Bayerum* existimo *Gariopontum* compilâsse, cujus *verba accipe*: Pulvis catharticus inventus à peritis medicis & nimium expertus, qui mirabiliter mitigat furiosos podagricorum dolores, & *ignitum extinguit calorem*, & statim cum ventrem solvit, mox paragorizat & temperat patientis membra, in tantum, ut à *sella sine alterius adjutorio ad proprium redeat lectum*: quod recipit

Hermodactyli
Diagrydii a. ℥ij.
cymini

costi
gariofill a. ʒj. Dabis pensum solidi j. cum vino albo aut cum mulsa. Et si vis conficere cum melle, dabis cum aqua ʒv.

Nunc *Peter Bayerus l.18. Pract. c.1.* ita: Electuarium mirabile ad auferendum dolores juncturarum, subitò solvens sine molestia, *ignitum calorem extinguens*, & contemperans membra patientis in tantum, ut *à sellâ redeat ad locum* proprium sine alterius auxilio. Galenus 2. ad Glaucon. cap. de podagrâ calidâ, appellat pulverem catharticum, inventum à peritis Medicis, & dat de eo pondus duorum denariorum cum mulsa aut cum vino albo. Ego verò in hunc, qui sequitur, modum composui, & appellavi *carycostinum* ex garyophyllis & costo ejus compositionem ingredientibus: est enim mirabile ad præmissa, sicut in meipso expertus sum. Quapropter eos flocci pendendos esse puto, qui dicunt, librum illum ad Glauconem non esse Galeni, quia non reperitur in ejus codicibus Græcis antiquis. Verùm horum ignorantia non debet electuarii perfectionem impedire: cujus hæc est descriptio: ℞.

Hermodactylorum
Diagrydii a. ʒij.
costi
cymini
zingib.
garyophyllorum a. ʒj

Trita & cribellata conficiantur cum syrupo, facto ex melle & vino albo invicem coctis, donec formam syr. benè cocti recipiant, & fiat Electuarium in formâ opiatæ. Dosis ejus est ʒij. vel ʒiij. vel ʒiiij. Detur cum vino. *Hæc ille.* Ac in *mysteriis chymicis Mülleri* occurrit pulvis & Elect. *Turqueti*: ℞. Hermod. Diagryd. a. ℥jß. costi, cumin. zz. carioph. a. ℥ß. F. Pulvis, cribretur, cum triplo mellis. Fiat Electuarium.

Verùm *Gariopontus*, superior autor hujus medicinæ præ se fert, *hermodactylos* minus tutò adhiberi posse. Subjungit enim: *qui hermodactyli sunt potionem accepturi, inprimis bibant aquam aut tria vitella ovorum & panis modicum accipiant & gallinæ pectoris*

ris modicum. Æquè conſiderati ſunt *Theocritus* & *Rogerius.* Multi verentur, ne *hermodactyli Colchicis* confundantur, ut *Manardus*, *Coſtæus*, *Foreſtus*, *J.C. Arantius.* Noſtris temporibus, *inquit c.CXIX. de Podagra Donatus Antonius ab Altomari*, univerſus ferè medicorum cœtus ex quadam prava conſuetudine ſeu abuſu ductus, nedum in articulorum doloribus ſeu podagra ex pituita ortis, ſed in omnibus ex quacunq; cauſa fuerint geniti, hermodactylis alvum purgatione ſollicitant: quandoq; etiam catapotiis de Hermodactylis à Meſue ſeu Rhaſe compoſitis utuntur, verùm ipſe penitus abſtinendum eſſe conſulo ab hermodactylorum uſu. Nam quo ſeplaſiarii hodiè pro hermodactylo utuntur, non eſt hermodactylus, ſed bulbus quidam â Græcis κολχικὸν appellatum, huic enim omnibus numeris arridet, ut liquet ex Dioſcoride, quod quidem in cibo ſumptum (ut ipſe inquit) fungorum modo enecat. Si contingat, ipſum exhibitum non enecare, ejus exiguæ quantitati, quæ offertur, adſcribendum erit: nec propterea negandum eſt, quod ſuapte naturâ enecet, & ſi non ſuffocat propter ejus exiguam quantitatem, ſaltem magnum infert corporibus detrimentum, quemadmodum ſæpius experientiâ etiam obſervatum eſt. At eſto, quòd ſit hermodactylus (quod negatur) adhuc ab eo abſtinendum erit, niſi valdè robuſtis corporibus tribueretur. Nam etiam verus hermodactylus ſtomacho faceſſit negotium, cibi faſtidium ex repletione & ventriculi redundantia movens, cùm eiſdem ſit inimicus & nimis adverſetur Paulo auctore C. de Podagra, & cap. de Hermodactylo. *Hæc ille.* Noviſſimè objecta etiam firmant Arabes, ut *Avicenna.* Purgandum, *inquit Antonius Saporta*, corpus erit Catapotiis Aſſari & Avicennæ, de Hiera, aut ex rheo, agarico, maſtiche, & aloe paratis, *ſpretis his*, *quæ hermodactylos ſuâ naturâ ventriculum lædentes recipiunt.* Præterea & eam cautionem adhibent autores, uti *Johannes Tagautius*, *vere*, inquiens, *colligendum, eoq; tempore collectum in uſum ante annum dimidium non eſſe aſſumendum.* Hermodactyli non quidem ſunt tetri ſaporis, attamen Naturæ humanæ omninò adverſa. Pharmaca, *inquit l. qui poteſtas Medicaminum inſcribitur*, *Helmontius*, in prima ſui facie inſipida, ut ſunt turbit, *hermodactylus*, Zelappa, Mercurius, ſtibium &c. multo larvata ſaccharo, ſi tamen iteratò

ſumuntur, horrorem atque abominationem faciunt. *Hæc hic*. Nunc cunctæ hujus rei judicium differre non ſuſtineo.

Rurſus non ſolùm *Arabes*, ſed etiam *Græci* autores exquiſito *Hermodactylos* proſecuti ſunt verborum honore. Nec minus indignè *Coronopodium* prædicarunt. Intuendum autem prius *Nic. Leoniceno* videbatur, quidnã eſſet *Coronopodium*. Hodiè Medici nec herbâ iſtâ, nec illâ mixturâ, aſt *Hermodactylis* maximè utuntur. *Peter Bayerus* nihil invenit, notavit nihil, nihil deniq; comperit. Nonne is & *Gariop:* verbis ac rebus ipſis congruunt? Quare dixit hic junior autor id, quod dictum eſt prius, quod quoq; prius cognitum fuit. Purgantia medicamenta, incurrente *Arthritide*, ſunt adhibenda. Electuarium *Caryocoſtinum* non ob *hermodactylos*, ſed potius ob Diagrydium levat ægros, veluti & reliquæ compoſitiones, quibus *Hermodactyli* & valentiora laxantia admiſcentur. Hujusq; Medicinæ origo vanitatis plena videtur. *Hermodactyli* oſtendunt faciem eorum nodorũ, qui in articulis horum languentium tandem reperiuntur. Quare ii adverſus hanc nodoſam podagram ſingulariter occultèq; valebunt. Eademq; fortè conjecturâ utentes, *Satyrion* addunt, cujus radices ob eam, quam ferunt, ſpeciem manus vel pedis privatim proderunt. Verùm habent vim concitatricem, Veneremq; ſtimulant. Hâc ægri ſpontè interdum accenduntur, quare illo remedio ignis addetur camino. Quid quoq; de *Coronopodio* ſentiendum, quæ herba & *pes cervinus* cognominatur? Hæc ſuâ quaſi ſpicâ diviſâ imitatur *digitos manus* & *pedis*, ob id & appellatione graminis *Dactyli* ſignatur. Quanquam non negaverim, eam ob vim adſtringendi, ut rectè conjicit *Leonicenus*, admiſceri, quàm efficaciter autem, paulò inferius dicetur. Quis non quovis pignore contendet, has radices illis ſolis tàm frivolis conjecturis peculiariter, proprieq; utiles credi? *Hermodactylis* & radicibus *Satyrionis* quidem autoritatem fecit ætas, ac pietas eſſet, ſequi priores, ſi hi rectâ præceſſiſſent viâ. *Hermodactylus* eſt ignota, dubia & anceps Medicina, ſi *Altomario* credimus. In eo eligendo quàm diligentes debent eſſe pharmacopœi? Tutiora purgantia idem afferunt utilitatis.

Eaſdem & propè majores laudes *Colocynthidi* attribuunt *Galenus*, *autor lib. de Dynamid.* & *Oribaſius*. Unde pilulæ de *Nitro*, *Alexandri*

xandri Tralliani, *Diacolocynthidos*, dictæ, pilulæ de *Colocynthide*, ſeu *Joh. Damaſceni, Diacolocynthidis Rhaſis* & *Meſuis*, Pilulæ de *Sagapeno Meſuis*, & *Serapionis* tantoperè decantantur. Decoctio, *inquit lib. 1. de affect. junct. cap. 7. Rhaſes*, quæ facit homines ſurgere de lecto, quâ utimur in podagra & dolore anchæ ex phlegmate, eſt mirabilis, ℞. colocynth. &c. *Ac l. d. cap. 21.* Et dixit mihi quidam phyſicus Monachus, quod cùm quidam ſocius ejus eſſet podagricus, & fuiſſet multo tempore in cura ejus, vidit in ſomnis Galenum, qui dixit ei: accipe *colocynthidem* & pulveriza cum bdellio, confice cum aqua caulium & majoranæ, & pone deſuper tepidum, qui altera die idem fecit & curatus eſt ex podagra frigida. *Atque ex recentioribus Gemma Friſius* Hieram *Diacolocynthidos* pluris facit, Arthritidem curans. *Pilulæ Antipodagricæ Argentinenſium* habent trochiſcos *Alchandal*, Diagr. & aloem roſ. De quibus judicium *l. 6. Ep. 14.* fert *Auguſtus Thonerus*. *Pil. de ſarcocolla Varign.* etiam continent *Colocynth.*

Turbit pænè ſimili encomio afficitur. Medicamen laxativum, *inquit Rhaſes libro de affect. juncturarum cap. VI.* mundificans inteſtina à febribus & à phlegmate ſalſo, & *extrahit phlegma à juncturis.* ℞. turbith. drach. dec. Zingib. drach. 2. ſacchari dr. 20. & fac pilulas, & da à drachmis tribus uſq; ad quatuor. Syrupus de *turbith educit phlegma de juncturis & ancha* fortiter, & eſt aptum & optimum eis, qui odiunt medicinas. ℞. *turbith.* libr. unam, mitte in tribus libris aquæ frigidæ, & moretur tribus diebus ad ſolem, dein cola, & dein ſi ſaporem amiſerit, projice, & aquam ſerva. Sin autem, appone aliam aquam, & iterum appone ad ſolem, donec amittat ſaporem, poſtea aggrega illas duas aquas, & mitte libram unam ſacchari, & coq;, donec fiat ſicut Juleb. Educit multoties humorem phlegmaticum, & ſi volueris citius facere, coq; ad ignem, quoniam non eſt debilior primo, ſed poſtea non erit ita clarus. Aliud laxativum ad *dolorem juncturarum* ex phlegmate purgat fortiter, educit ſæpè. ℞. Zirungem drach. 1. & 5. eſulæ drach. 1. *turbith* drach. 1. & 5. Zingib. ſeptimam partem ſacch. quantum omnes aliæ ſpecies. Pilulæ, quæ *phlegma juncturarum purgant.* ℞. *turbith.* drach. 1. 5. colocynthidis drach. 3. bdellii drac. 4. forma pilulas, & ſunt mirabiles in attrahendo

do phlegma crudum ab anchis. *Thaddæus Dunus* & *Avicennam* ac *Mesuem* eo nomine laudat: in altera epistola pastillos de tuis violaceis commendasti, quos cum ego respuerim, respondes, magnoperè à *Mesue turbith* laudari in doloribus articulorum: id verò pastillorum compositionem ingredi, ut alias rationes mittamus, age traditionibus Arabum insistamus. *Mesues* & princeps ille tantus *Avic:* turbith in doloribus articulorũ unicè laudant, non pastillos, horum enim compositio non aliud quid est, quàm turbith, quam quidam autores iidem ad pectoris thoracisve passiones accommodarunt: habet enim mannam, & violas & glycirrhizæ succum. Quod si pastillis uti liceret æque ac ipso *turbit*, Mesues in cap. de pastillis monuisset, & in capitibus de doloribus articulariis pastillis usus esset.

Veratrum quoque seu *helleborum* iisdem de causis collaudant ex Græcis *Aretæus*, & ex Arabibus *Mesues* & *Serapio.* Hinc *Joh.de Concoregio: Purgetur cum ℥v. vel iij. elebori de succo rosarum cum saccharo albo. Fiat unus bolus. Hoc enim est appropriatum juncturæ.* Item *Joh. Michael Savonarola*, *Josephus Quercetanus*, nec non *Johannes Daniel Mylius lib.6. Basil. Chymiæ cap.18.* Contra podagram ex defluxionibus capitis, non verò contra eam, quæ fit à sanguine, veteres genuini Medici elleborum adhibuerunt, & per illum præbitum podagricos purgârunt. Est optima medicina ad defluxiones arcendas, & ex toto corpore extrahendos; *paulò post:* hæc radix nativâ & congenitâ suâ facultate fluxiones ita curat, ut nedum ulla ex omnibus radicibus aut herbis huic inventa similis sit. Hoc curæ ac cordi esse debet Medico, ut ex solâ hac radice purgationem sufficientem quærat. *Et tandem:* Radix hellebori nigri virtutem ac vires quatuor sanandi morbos habet, sc: caducum, *podagram*, Paralysin & Hydropem. Jam *Rod: à Fonseca hunc ad modum:* Secundum medicamentum, quod præ omnibus in podagra laudatur, est helleborus niger, in quo præcipuè consistere videtur cura podagræ cujuscunq;, præsertim cum fit ab aliis humoribus præter sanguinem, & ejus debet esse usus frequens, imò quotidianus, si moderatè exhibeatur, & per intervalla saltem in septimana ℈ʒ.circiter. Sunt autem diversi

præ-

præparandi modi, primus in pomo, in quod infigimus radices hellebori nigri ʒj.posteà charta madida pomum involvitur, & coquitur sub cineribus, deinde extractis radicibus datur pomum mundum cum saccharo edendum, & est rarum medicamentum ad molliendam alvum non solùm in hoc morbo, sed ad sanitatem tuendam in his, qui alvum siccam habent, potest minui & augeri quantitas radicum pro diversis naturis & ætatibus, ita ut moveat semel aut bis. Secundus modus præparationis, ut fiat extractum radicum ex aqua vitæ, & est optimus præparandi modus, & qui maximè à P. laudatur. Dosis à ℈j. usque ad ij. plus minusve, pro diversa corporum natura, item si exhibeatur cum saccharo rosaceo hora matutina per aliquot dies, præservat, & curat podagram. Tertius modus præparandi, coquuntur radices hellebori nigri in umbra siccati ad ʒij. in tribus lib. vini optimi, coquitur per tres horas, & dum consumitur vinum, novum adde, postea coletur, & rejecto helleboro fac exhalare vinum sensim, apposito vase in aqua calida seu balneo mariæ, remanebit in fundo residentia ad consistentiam mellis, quæ refrigerata fit velut gummi nigrum amarum. Dosis grana 12. ad 15. cum saccharo rosaceo. Quartus modus exhibendi helleborum est in decocto, ut ℞. radicum hellebori nigri ℈iiij. anisi, cariofyllorum, fœniculi, cinamomi ana ℈j. coque secundum ar. & hujus decocti dato ℥iiij. Quintus modus exhibendi est in substantia; ℞. pulveris radic. hellebori nigri ʒj. Zinzib. mastyches, rosarum rubrarum, cinam. anisorum, dauci, conforæ pulverizatorum an. ℈j. misceantur, de quo sumere poterit ʒj. si per intervalla purgandus est, si frequenter, ℈j. sufficiet. Si corpus robustum fuerit, frequenter fiat purgatio, & in majori dosi, si debile, rarior & in minori dosi. Atque hæc tanta de helleboro nigro attulimus, quia inter omnia purgantia medicamenta nullum præstantius censetur non modò in hoc morbo, sed in multis aliis. *Hæc ille.*

Præterea admodùm varia feruntur purgantia, ut apud *Rhasem pilulæ purgantes Joannitii urgente dolore calido juncturarum.* Et incipe, *inquit*, curam per minutionem sanguinis, & posteà per fluxum ventris cum medicinis, quæ possunt purgare diversos humores, sicut pilulæ Cochiæ Galeni & hujusmodi. *Apud Franciscum Pedemont:*

demont: Electuarium solutivum ad artheticam frigidam, & est secundum Morangium. *Tragea solutiva*, inquit Joh. Michael Savonarola, *ad dolorem ex causa frigida: ℞. turbith gummosi albi ʒj. ZZ. ʒj. hermodact: ℥j. piperis longi ʒj. anisi ʒj. garyophyll. ʒij. pulv. ossis humani ʒij. tribulorum marin: pulver: ʒjß. rosʒj. myrobal. citr. ℥j. sacchari ad pondus omnium. Dos. cochlear unum: post quod bibantur aquæ coctæ ℥iij, & sit plus quàm tepida. Mox pilulas ad materiam mixtam cujusdam Judæi, & vinum solutivum.* Electuarium suum optimum judicat *Lanfrancus.* Eclegma *Manardi* etiam à multis prædicatur.

Locustas Sambuci istis laudibus primus effert *Theophrastus Paracelsus:* locustarum sambuci primarum (locustæ juniperi quoque id faciunt) ℥j. sileris montani ʒij. sacchari tabarzet ℥ij. cinamomi, macis, nuc: musch: ā. ʒj M. Fiat pulvis. Dosis à ʒij usque ad ʒiij. Locustæ sambuci sunt primæ extremitates; dum recentes ac teneres existunt. *Unde Johannes Raicus:* ℞ locustar: sambuci pulv: ʒj bibatur in Vino vel jusculo, vel sumantur folia senæ. Nam inter hæc & podagram magna intercedit analogia & indicatio. *Atque Honorius Heringius*: purgatio fiat & ex foliis senæ (inter hæc & podagram magna intercedit analogia & indicatio) Locustæ sambuci pulverisatæ pondere ʒj in vino vel jusculo. *Nec non Martinus Blochwitius:* vinum baccarum sambuci, fortius & validius est Quercetani, aqua ex corticibus succulentis. Exhibeantur Rob seu succi inspissati ʒij cum cornu cervini præp: ℈j vel extr: gran: Actes ℈ij vel spiritus baccarum cochlear unum. Utilis quoque ad podagram & omnem ferè Arthritidem præcavendam pulvis ex Turionibus in umbra siccatis. De quo in vere & autumno manè per aliquot dies ℈ß in ovo sorbili cum pauco sale assumatur. Aut usurpetur conserva turionum magnitudine castaneæ.

Liberatus de Liberatis hæc affert: At in quibus suas morbus radices altius egit, ubi robur & tonus partium est plerumque disjectus, purgationes etiam illæ universales leviores sunt suspectæ & vanæ, & jamjam descriptæ leviusculæ potius stercorariæ ex se scopum non attingunt. Primis itaque posthabitis Eclegma blandè sensimque quod vitiosum est educens, insimulque viscera & arti-

culos

culos etiam ſpecifica vi confirmans, mihi probatiſſimum invenio & experientia nuper & non ſemel mirificè celebratum, cujus formulam doctiſſimus Manardus præſcripſit ſic: ℞. Chamæpityos, Eupatorii vulg. Agrimoniæ, Centaurii an. dr. j. Agarici, Senæ, Polypodii an. dr. ij. Zinzib. dr. jſ. Mellis Roſati ex Succo Roſar. parat. lib. ſ. medicamentis in pulverem redactis paretur Eclegma. Datur purgationis vice veris tempore ad unc: ſ. vel dr. vj ſingulo mane continuando quouſque calores ingruant, res perficietur abſque labore & violentia. Poſt Autumnale Æquinoctium Eclegma hoc modo paretur: ℞. Senæ, Rhabarbari, mirobalan Citrin. an. dr. ij. ſem. melonum, Intybi an. dr. jſ. Diapruni ſol. lib. ſ. Syr. Roſ. ſol. q. ſ. Ad formam Electuarii ſumitur ſingulo mane eadem doſi nempe ad unc. ſ. circiter quouſque frigora fuerint vehementiora, niſi inſultus podagricus ingruat. Sed in eundem ferè uſum Jo. Crato in ſuis conſil. conſil. 229. MaſſamPilularũ extollit in multis ſaluberrimã expertam, quæ in hunc modum paratur: ℞. Myrrhæ Aloes epat. Ligni Aloes, Cinamomi electi, Maſtiches, Rhabarb. electi an: dr. ij. Moſch. gr. v. Miſceatur, fingatur cum oxymellite maſſa, ex qua formentur pilulæ N. 36. Per integrum menſem alternis diebus unam accipe manè, poſteà verò ſingulis ſeptimanis unam, donec numerus abſumatur, præcedens tamen Eclegma ut magis ſpecificum efficax magis probo. Hac medendi ratione, quod fluere ad articulos conſueverat, ſenſim ad naturalem excrementorum locum revocatur, nec partium effœta vis diſſolvitur, ubi enim habitualis eſt affectio, quò minus purgabis, minus lædes, noxia recidenda quidem, ſed per intervalla potius. *Hæc ille.* *R. Solenander* magni facit *Agaricum*, inq; Elect. *Caryocoſtinum* addit. Laudatq; ſuum pulverem purgantem *Sect. conſil. 24.* Similia apud *Plater: Maroldum, Gruinlingiũ, Minſicht: Hering:* offenduntur. *Joh: Matt:* commendat *Mercurium*, item *Hartmannus*, nec non *Joh. Raicus Antimonium*, ſed *hunc in modum:* inter hermetica purgantia ſunt: ℞. extr. cathol: deſcripit Auguſt: gr. v. F. Pilulæ no: v. vel ℞. extr. melampodii gr: iij, Fiant Pilulæ no. iij. vel ℞. extr. panchym. gr. xv. fiant cum oleo deſtill. fœniculi pil. n. viij. vel ℞. extr. ſolutivi ℈j. ſyr. roſ. ſolut. ℥ij. Miſceantur l. a. & in vino propinentur q. ſ. ſuperbibendo parum vini,

ut amarus ſapor ex ore eluatur. Rulandus etiam utitur eo, quod recipit ℞. extr. eſulæ ℈j. fiant cum ol. deſtill. fœniculi catapotia n. x. Purgat ſupra & infra : vel ℞. arcani corallini g. iij. theriacæ ℈jß. Miſceantur & propinentur in aq. ivæ artheticæ vel centinodii. Laudat ſic Rulandus etiam aquam ſuam benedictam, quæ recipit ℞. croci metall. fol. ſenæ alex ſ. ſ. Zinzib. ana ℥ij. infundantur ſena & Zinziber per noctem in ℔ iix. vini albi, fiat levis expreſſio, cui injicias crocum. met. p. d. iij. poſteà per veſicam puram deſtilla, doſis ab ℥j. ad ℥ij. vel ℞. aq. bened. Querc. ʒjß. propinetur, vel ℞. croci metall. ℈jß. infunde per noctem in vini albi Rhenani optumi ℥iiij. manè per linteum purum tranſcola, colaturam propina tepefactam: vel ℞. terræ ſigillatæ & conſtellatæ Kimriæ trochiſc. j. Propinetur in vino poſtridiè plenilunii. Eſt vehemens purgans per ſuperiora & inferiora: vel ℞. fæces reguli per ignem naturæ præparat. quantitate piſi. Infunde in aq. ivæ arth. ℥iiij. bulliant, tepeſcant, colentur, de colatura propina ℥j. habebis antimonium per inferiora tantùm & blandè purgans. Communicatum id fuit mihi ab amico meo ſummo Dn. Macaſio M.D. & apud Egranos practico. In omnibus his ſtimmiatis cautiones hæ etiam atq; etiam obſervandæ ſunt, nempe ut ventriculus ſit vegetus, robur ſolidum, nullum principale viſcus læſum, neq; venaſecta aut paulò poſt ſecanda, & quas prætereà circumſtantias jubet obſervare Hipp. in ver. 4. aph. 13. 14. 15. 16. Tandem ne propinentur illa στιμμίσματα καθαιρετικὰ ſtatim poſt uſum ſpiritus vitrioli, aut aciditatis ſulphuris. Hi quippe ſpiritus, præſertim acetum minerale, omnium purgantium vim inhibent ita, ut purgantium στιμμισμάτων poſtridiè hauſtorum vim inde imminutam evidentiſſimè ſenſerim. De antimonii vitro hoc ἐπιτεχνάδην moneo, quod non ſit vera medicina. In vitrificatione namq; antimonii terreum minerale magis commiſcetur, forma verò metallica, quæ non debuit ſeparari, ſed à centro ad ſuperficiem educi, in fumum abit. Relinquitur ergo in vitro Antimonii τὸ minerale venenatum, poſtquam forma metallica, in qua inhæret ignis purgans vivus, exſpiravit. Minuenda igitur eſt horum opinio, qui vitrum antimonii tam audacter exhibent, utcunq;

κενὸσφύγετον possint quærere sub scyphis ex vitro antimonii à Rulando & Quercetano fusis,ut Virgilianus Roetus

Magnum metuens se post cratera tegebat.

Qui verò succipleno & sanguineo est corporis habitu sanguinem potest mittere,ita tamen, ne quid de stimmiatis aut mercurialibus purgantibus sit vel fuerit adhibitum: sed eorum loco extracta alia substituantur.Hactenus *Raicus*. Attamen hoc adjicit *Jacobus Mosanus Vesius in cons. Joh. Matth.* Mercurius vitæ quàm tutò exhiberi possit,si exemplum deesset,possem præter vulgus hominum,multorum generosissimorum comitum & nobilium fæminarum & virginum nomina recensere, quæ ipsius usum non solùm suo exemplo approbant, sed etiam in cœlum laudibus extollunt,nisi putem in re tàm manifesta,non opus esse probatione. Hujus Mercurii vitæ dosin quatuor granorum, singulis diebus accipere post Lunæ mutationem potest, idq; quater in mense.

Hisce purgantibus *Humana ossa Cranii,brachii & femoris* addunt multi, uti & ille *Judæus, apud Johannem Mich. Savonarol.* ac *Theophrastus Paracelsus* ipse: ℞. oss. human. calcin. ℔j. lentium, fabar. cicera. qj. sen.℔j. sacch.q. s.F.pulvis. Cui adde turbith.℥v. Hermodact.scamm.a.℥iij. M.F. Pulvis. Dosis ʒj. Alius ejusdem farinæ fertur:

℞. Hermodact.trid. in aq. vit. macer. & exiccat.
turpeth.opt.
Diagryd.
fol.sen.s.s.F.Pulvis. Alchoor. Usus: De hoc per tres vel quatuor dies ʒß. potest exhiberi Luna decrescente in aqua Ivæ artheticæ vel centumnodiæ. *Unde Rodericus à Fonseca in lib.2. consult.* Primùm propono medicamentum purgans P. qui,ut verum fatear, nonnulla remedia adinvenit, quæ mirabiles effectus producunt. Ego verò in illius remediis aliqua notabo, ut cautius & oportunè exhiberi posſint, quod faciebat Galenus in libro de medic.per loca,dum examinat antiquorum remedia. Hæc enim, ut ipse scribit, ex se nihil sunt, & si à perito medico exhibeantur, manus DEI rectè appellare debent. Igitur purgans P.tale est: ℞. rasuræ ossis corporis humani, scammonii, hermodactylorum,

turbith: an. partes æquales: de quo medicamento exhibet ʒſ. manè & veſperi, & dicit, quod hoc medicamentum eſt mirabile, propter proprietatem oſſium corporis humani, quod medicamentum debet corrigi per ea, quæ deleteriam vim illius confringunt, addendo pulverem cinnamomi, aniſorum, fœniculi. Secundùm non eſt temerè dandum bis in die in ea doſi, quia vires non ferent tam validi pharmaci quotidiè binam exhibitionem. Satis eſt, ſi ſemel in die & alternis diebus exhibeatur ʒſ. per aliquot dies & in robuſtis. *Ac Marcus Antonius Zimara P. 2. lib. 5. Antri Magici:* Paracelſus commendat Arcanum Corallinum: item ſequentem pulverem Arthreticum:

℞. Hermodact.
turpethi opth:
Digryd.
fol. ſen.
raſur. Cranii.
Sacch. a. ʒj. M. F. Pulvis ſubtilis; Doſis ʒß. manè ex aqua

Ivæ arthet. per dies 3. vel 4. Purgat ſecurè & leniter omnes defluxiones podagricas. *Hinc Henricus Petræus:* Si pulveri purganti pulvis oſſium humanorum adjicitur, erit multò efficacior. *Itemq; Johan. Hartmannus;*

℞. Hermodact.
turbit.
diagryd.
fol. ſen.
oſs. hominis juvenis violentâ morte perempti calcinatorum, ſi chiragra, manuum, ſi podagra, pedum.
Sacch. Candi a. ʒj.
M. F. Pulvis. Doſis à ℈ß. ad ʒij, manè ex aqua ivæ arthetica per tres aut quatuor dies.

Poppius reliquis oſſibus, aſt *Heringius* utitur *Cranio humano.* Sunt, qui oſſibus humanis & illis purgantibus, quæ cenſent validisſima, aliquid foliati, ut vocant, auri adjiciendum curant, Achillem, credo, imitati, qui non fortibus modò, ſed etiam fulgentibus armis præliari fingitur.

Nos

Nos *l. de Cat.4.* palàm fecimus,purgantia aliquantò soliciti-ùs eligi ac multa adjici minus efficaciter. Verùm superioribus autoribus inde aliqua fortè venire potest defensio,quòd illa ossa cremata spectent ad adstringentia, ex quibus hæc purgantia & de veterum consilio componuntur, ut olim Medicamentum διὰ κοραλλίου ποδὸς & διὰ κοράλλιον erat. Et hoc est,quod *Nic. Leonicenus l.3. de Medic.erroribus* scriptum reliquerit: Neq; verò quipiam miretur compositionem purgativam διὰ κορωνοπόδος ex medicinâ ventrem adstringente suam sortiri appellationem: quoniam in podagricis doloribus atq; Ischiadicis, non minus quærimus humorum fluxum ad loca dolentia reprimere, quā eorum, qui jam fluxêre,evacuationem. Unde & apud Paulum invenitur alia compositio ad podagras; quæ *percorallium* nominatur,in quam tamen veniunt rhabarbarum & aristolochia,medicinæ evacuantes. *Hactenus autor.* Priscos imitati fuerunt juniores; ut *Gulielmus de Saliceto*; *Harculanus*, & alii, qui *Hermodactylos* succo *cydoniorum* temperabant. Secundus canon,*inquit M. Gatenaria*, est, quod cum evacuativis simul permisceamus styptica, quia constringendo vias faciunt,ne materia ad locum fluat; ideò ad hanc intentionem valent pilulæ de hermodactylis. *Atque Forestus ad hunc modum:* In sequendo nunc vestigia *Arabum*, qui in Praxi nullo modo sunt contemnendi; pro curatione doloris juncturarum à causâ frigidâ, canones ab *Avicenna* positi (ut dicebat Gatenaria) observandi sunt. Primus: quod in pituitosæ materiæ evacuatione etiam ea addamus, quæ bilem quoq; expurgant; quia phlegma ex se non flueret,nisi cum eo esset mixta cholera. Secundus canon est: quod cum evacuativis simul permisceantur styptica, quia ea constringendo vias,faciunt, ne materia ad locum fluat: ideò ad hanc intentionem præscribunt autores (ut Rhases) pil. de hermod. maj.sed sunt fortes, neq; dandæ,ut dicebat Gradus, nisi post unam aut alteram solutionem. *Inde & Peter Bayer:* Semper animadvertendum est,ut cum solutivo sint mista styptica & confortantia. Nam vidi ego quandoq; & communiter vidi, propter inadvertentiam hujus rei, quod statim post solutionem insurgunt dolores longè fortiores. Eapropter non debent à principio dari agitantia pharmaca,

maca. *Item Victor Trincavellus, itemque Leonellus Faventinus de Victoriis*: In purgantibus regulæ tres sunt. Prima est, quod cùm medicinis solutivis misceantur styptica, *quæ prohibeant dilatationem viarum ad juncturas*. Secunda est, quod à levioribus & non à fortioribus incipere debeamus. Tertia est, quia rarissimum est, quod cùm materia frigida ex se non penetraret à natura, ideò oportet aliquid admiscere, quod respiciat choleram. *Tuss. Ducretus*: efficacioribus purgantibus, sunt adhibenda mediocriter adstringentia, quæ fluxiones ad articulos prohibeant, interim tamen obstructiones viscerum referent. *Gul. Adolphus Scribonius*: Pilulæ ita sunt contemperandæ, ut adstrictionem aliquam in partibus relinquant, ne nimium humores agitentur. *Sic & Fontanus, & Antonius Saporta. Sigismundus Kolreuterus ita*: debent purgantia stipticitatem quandam sive à naturâ sive ab arte adjunctam habere, ut facta evacuatione confortent & stringant meatus, ne rursus ad juncturas currant humores. *Ac tandem Johannes Marquardus*: in evacuatione observetur hæc regula, ut ejusmodi pharmacum laxans detur, quod post relaxationem restringat, ut est rhabarb. myrobal. pilulæ recipientes aloen.

Quin articulis & *adstringentia* remedia adhibebantur, assumtis purgativæ virtutis medicamentis. Idque & vetustiores autores quodammodo præcipere videntur, ut *Aretæus* ac *Ætius*. *Ante purgationem*, inquit hic, *modicè adstringentibus utendum, atque id magis ideò circa initium fluxionum*. Unde juniores, ut *Hieronymus Gabucinius*: metus est, ne in inferiores partes factus cursus pedes repleret. Cui tamen timori neoterici succurrunt: dum per sexqui horam aut etiam duas antea, quàm purgatio incipiat, affectum locum & roborant & humorem exagitatum ab affecto loco repellunt, linteolo rosaceò imbuto cum aceti momento agitato, paulo supra affectam partem posito. Sunt & qui idem in vino nigro madidum, in quo tamen absinthium, rosa, gallaque immatura, atq; id genus alia incocta fuerint; eodem modo cruribus involvunt: sæpiusq; non sine utilitate & ante purgantis medicamenti potionem & posteà non semel repetunt: quem morem pleriq; eâ ratione improbant, veriti, ne humores in affecta particula congesti medica-

men-

mento purgante exagitati hujuſcemodi proviſione educi prohibeantur. Id quod fieri non poſſe perſpicuum eſt. Neq; enim in curatione doloris affectæ partis,ſed in præſervatione tantùm id genus medicamenta adhibemus;alioqui rectè illi ſenſiſſent,ſiquidem dum urget acceſſio, in qua locum affectum purgare, nobis conſilium eſt, nullo modo extrinſecus ſunt applicanda,quibus tamen in præſervatione innoxiè uti ſolemus,ne ſcilicet expurgatione, quæ tunc fieri ſolet, univerſi corporis humores loco affecto infixi exagitarentur. *Hæc ille.*Itemq; *Reinerus Solenander:* intercipiendæ ſunt viæ, per quas humor illabitur: in quem uſum utriq; cruri obvolvendæ faſciæ oblongæ madefactæ in poſca chalybeata, quæ incoxit roſas, cortices granatorum,& parum aluminis diſſolvit. Quod etiam fieri velim toties, quoties medicamentum aliquod purgans per os aſſumendum erit: nam ſic fiet, ut exagitatus & ad motionem expeditus humor,minus illabatur in juncturas.*Rurſus hic autor:* Quod defenſiva inter lavandum & in uſu purgantium medicamentorum præſcribo, ea admovere, neceſſarium eſt: neq; ullum periculum regreſſus aut repulſus humoris in coxam vel aliud internum princeps viſcus timeri debet ex iis,quæ præſcripſi. Nam roborant & firmant partem, & vias *defluxionis ſupra partem blandè intercipiunt*, non autem repellunt,aut humorem regerunt. *Et paulò poſt:* purgandum, interceptis viis & ductibus, per quos humor aliàs in partem affectam defluere conſuevit, commodis defenſivis, quod in purgationum adminiſtratione maximoperè obſervatum profuerit. Hoc loco Reverendiſſime Princeps,mihi monendus venis,diligenter in iſtis purgationibus adhibendis obſerves,ut cum iſtæ ſtatutis temporibus ex profeſſo ſumendæ ſunt,extrema tum muniantur aliquo ex iis medicamentis,quæ vias defluxus intercipiant,parteſq; ab iis tueantur atq; defendant. Quapropter priuſquam medicamentum purgans capiatur,obvolvendum utrumq; brachium ſupra cubitum,item utrumq; crus ſupra genu faſcia madefacta poſca, quod ſatis erit in levi purgatione, aut in vehementiore faſcia, cui inductum ſit linimentum ex bolo, ſanguine draconis, ovorum albuminibus & omphacino oleo roſaceo exceptis factum.Idq; ita retinendum diem integrum & amplius,quamdiu purgatio fit, in ſequenti

die adhuc ſemel reiterandum. Quippe dum medicamentum purgans humorem movet, ſæpe non ita ad ſe trahit, quin facilè in partes affectas aliquid commotum labatur atq; inſtillet, id ut non fiat iſta ratione cautio eſt. Iſtud monere non minus neceſſarium erat medicos, quam quod doceant in iſtis affectibus ſtyptica ſolutivis, roborantiaq; eſſe admiſcenda. Etenim ego non ſæpe cum alterum omiſſum erat, vidi ægros in iſtorum uſu non parum lædi, ſtatim ſcilicet ab aſſumto ſolutivo medicamento doloribus articulorum ſubortis, id tamen rerum imperitis Medicis vix rarò animadvertendum. *Ex eodem genere Sigiſmundus Kolreuterus:* Dum evacuantur (quod & in reliquis omnibus obſervetur) juncturæ, ſtipticis confortandæ (animadvertendo, ne in principem aliquam partem irruant) ut ſunt Acacia, ſuccus virgæ, paſtoris, lycium & reliqua inferius ponenda. *Itemque Lazarus Rivenus:* In purgatione duo notatu digna obſervanda ſunt, à Solenandro, practico inſigni pluries annotata. Primum eſt, ut purgatio illa fiat non blandiori aliquo & lenienti medicamento, quo humores magis commoventur, quàm evacuantur, & in articulos præcipitantur, unde dolor & tumor acerbior iis ſolet ſuccedere, ſed aliquo ex fortioribus, quod humorem commotum evacuet & ab articulis avertat. Alterum eſt, ut exhibito medicamento artus ſupra genua & cubitos obvolvantur aliquo defenſivo, quo humor fluens, ſi quis ab aſſumpto medicamento commotus eſt, intercipitur, ut minus minoreq; impetu in articulos decumbat. In eum uſum ex bolo, malicorio balauſtiis, radicibus biſtortæ vel tormentillæ roſis cum albumine ovi & aceto, conficit unguentum, idq; inductum tæniis, ſeu faſciis palmam latis & mediocriter longis ſupradictis locis obvolvit. Si nec iſta ad manus ſint ſimplici porca tinctas circumdat, atq; quod minimum eſt diem totum relinquit. Ubi autem fluxio eſt vehemens, faſciæ inducit linimentum ex bolo, ſanguine draconis, albumine ovi, oleo roſarum omphacino, vel priori ſine oleo compoſito, cui, ne ſiccatum & induratum dolores excitet, parum olei prædicti aut unguenti comitiſſæ addendum erit. *Ac Liberatus de Liberatis:* Petrus Bayrus, Solenander, Hofmannus & cæteri non pauci inter Neotericos obnixè hanc tuentur opinionem, ut ſcilicet fluxuri humoris

præ-

præcidatur materia, retrahaturq; à locis fluxione tentatis longa experientia id confirmatum prædicant, præmunitis tamen partibus ſupra articulum dolentem aliquo defenſivo, omnem enim tumoris præcipitem in articulos motum ſic inhiberi volunt. Huic doctrinæ & ego aſſentior, ſi fortes ſunt podagrici & nondum adhuc confirmatus ſit morbus. Pilulæ hæ Rhaſis faciunt ad rem: ℞. Aloes hepat. unc. ſ. Roſar. rub. ſcr. ij. Hermodact. dr. jſ. Diagrid. dr. I. cum aqua vitæ & mel. roſ. fiat paſta. Valent & pilulæ Holerii & Cariocoſtina jam à Bayro præſcripta, habita cautione de defenſivo: faſcis ſcilicet imbutis poſca aluminoſa vel aqua chalybeatâ aluminoſa cruribus obvolutis. *Nec non & Honorius Heringius:* Deinde etiam obſervandum, ante catharticorum uſum crura debilia ſtipticis confortanda eſſe, ne materiam à cathartico motam recipiant, admittantq;. *Sequitur D. D. Sennertum*, qui itidem bonos viros ſecutus fuit. De purgatione, *inquit ille*, duo imprimis monenda. Primò ut aptum tempus, ut antea dictum, eligatur, & ea non nimis diu differatur. Etenim ſi jam ad ipſos articulos influxerit totus humor, fruſtra inſtituitur purgatio, neq; humor facilè revocatur. Ideoq; ut is, qui ad articulos fluxurus eſt, ad alvum vertatur & per eam evacuetur, mox in principio paroxyſmi, imò etiam quam primum is inſtare animadvertitur, purgatio inſtituenda. Hoc modo enim humor, qui in fluxu eſt, & qui fluxurus erat, per convenientia loca evacuatur, & ne ad partem affectam ruat, impeditur, ac doloris & tumoris incrementum prohibetur, & ita quod influxit in parte affecta, facilius diſſolvitur. Teſtatur ipſa experientia, curationem hanc multis profuiſſe. Ita de ſe ſcribit Petrus Bayerus, ſe à quatuor hominibus ad ſellam geſtatum poſtquam alvum quater depoſuiſſet, ſumpto ſuo electuario Caryocoſtino à doloribus alleviatum fuiſſe, & ſine adminiculo alterius ire potuiſſe. Deinde conſiderandum, quibus medicamentis purgatio ſit inſtituenda. Nonnulli à validioribus medicamentis abſtinendum cenſent, & non niſi lenioribus utendum vel validioribus in minima quantitate, cum fortis purgatio humorum copiam à partibus ignobilioribus & externis trahat ad internas & nobiliores, & accidat aliquando, ut nonnulli à vehementi purgatione in febres ar-

dentes, malignas & lethales incidant. Quod ut libenter concedimus, & vehementioribus purgantibus humores antea fervidos non magis accendendos, aut motum naturæ planè interturbandum censemus : ita etiam cavendum putamus, ne humores saltem agitentur & in venis commoveantur, & non educantur ac sufficienter evacuentur. Quod ubi fit postea majore impetu ad partem affectam ruunt, utpote ad quam natura antea eos detrudere conabatur, & ad quam simul à dolore attrahuntur. Purgantia itaq; in principio paroxysmi, vel imminente eo, paulò fortiora eligi debent, talia tamen, quæ ventriculum non offendant. Si enim, ut modo dictum, leniora sumantur, humores saltem commoventur, & nihil affatu dignum evacuatur, unde postea major ad partem affectam fit confluxus. *Ne autem durante purgatione ad partem affectam confluxus fiat, & humor purgatione motus ad partem affectam ruat, præcavetur, si pars affecta sublimiori loco in lecto ponatur, donec purgatio absoluta sit, vel quod certius, defensivum purgante exhibito supra caput partis affectæ imponatur.* Ex. gr. *si dolor sit in manu, defensivum ad humerum apponendum, poteståq; id parari è floribus rosarum, balaustiis, radicibus bistortæ, tormentillæ, consolidæ majoris, corticibus granatorum, bolo Armeno, cum albumine ovi & aqua rosarum vel aceto mistis. Et ne cataplasma hoc siccatum & induratum dolores excitet atque ita fluxum concitet, parum unguenti comitissæ aut olei rosacei omphacini addi potest. Aut loco cataplasmatis fascia satis longa poscâ, in qua muscus quernus, rosæ rubræ, vel alia adstringentia modò enumerata cocta sint, madida parti superiori, exempli gratia in podagra parti supra genua, induci potest. Atque ista defensiva tamdiu continuanda, quamdiu purgatio durat, etiam per diem integrum.*

Hæc ad extremum dicta erunt cogitatu faciliora, quàm re ipsa & opere. Mihi hæc ratio medendi à vetustioribus, non à neotericis, ut quidem sentit, loquiturq; *Gabucinius*, profecta esse videtur. Sed fac, aliquem (ejusmodi chiragricam & simul podagricam fæminam curavit *Johannes Paulus Turrianus*) podagrâ sinistri pedis & dextræ manus chiragrâ teneri, illumq; pedem ac manum, quoad ejus fieri potest, haberi sublimè. Hoc quoq; artuum habitu ægrum ad sellas familiaricas proficisci, primùm dextro pede

niti

niti ad gressum, ac assultare, insultare mox quasi morbo, manu dextrâ sublatâ. Nonne plus inde incommodi quàm auxilii accidet? Manus venis sanguis in cor refluit copiosius, quã oportet, ut Natura inde plus quoq; humoris per arterias in artus remittat. Eâ irritatâ, hoc malum increscit facilè. Ac quis quoque non memor erit illius histrionis lib. 5. de cat: S.2. dicti, qui capite sauciatus, & ea de causa vinum potare vetitus, se tamen implevit, ast sublimè fixit pedes in lecto, capite admodum humili, quasi certus, fore, ut vinum petat pedes. Corpus non est simile utri, de quo potare solent navigantes. Non ita sursum deorsum, quò is inclinat, fluitat humor. Nec illa est medela certior, quâ à potu laxantis medicamenti vel caput vel summum humeri aut femoris adstringente liquore perfunduntur, aut inde succidis integuntur linteis. Verum verbum *Comici* est: *qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cùm etiam cavet, etiam cùm cavisse ratus est, sæpè is cautor captus est.* Arteriæ infundunt humorem, sive membrum sublimius habeatur, sive ejus extima cutis *poscæ* virtute adstringatur. Ecquid? Eo, si diis placet, remedio cutis spiracula sic clauduntur, ut sudor inutiliter reprimatur. Quanquam *Hier: Gab*: scribit, *in præservatione tantùm id genus medicamenta adhiberi.* Supervacuum tamen est semper, nec ullo modo prodest, sic foveri artus, sic constringi, cursus sanguinis & in iis nunquam sit non liber. Quare non sunt ferendi, qui primâ specie quidem ingeniosè, at parùm ad depulsionem morbi, suadent talia, nec ii quoque, qui in laxantia præcipiunt ejusdem virtutis medicamenta, dicunt *styptica*, addi, quæ ut *Gatenaria* & *Leon: Fav: de Victoriis* loquuntur, *prohibeant dilatationem viarum adjuncturas.* Quænam sunt illæ viæ? Sunt venæ & arteriæ jamjam in articulos latæ. Ast ea, quæ medicamentis illis inest, vis adstringendi multò efficacius afficiet proxima sanguinis vascula, quæ ad stomachum, ad intestina, ad hepar & ad lienem pertinent. Quid de bilis itinere dicam? Ac quanta lucta erit: quanta repugnantia? Quantus nisus? Mox quanta cohibitio? Claudunt certè vias adstringentia, reserant laxantia. Juniores non solum ab *Arabibus*, quos solos memorat *Forestus*, sed etiam ab ipsis *Græcis* sibi verba dari passi fuerunt. Nec *Cranium humanum & ossa reliqua* purgnatibus vel ob eandem vim, ut vocant, *stypti-*

cam vel ob *Cephalicam* ſeu *cerebralem*, ut dicunt, ac ob *occultam quandam qualitatem* adjecta, unquam auxilio eſſe poterunt. *Arthritide* oſſa non vitiantur, nec tali pulvere tàm exiguo pulviſculo adſperſo firmari queunt. Sunt, qui aliquot guttas *olei deſtillati Cranii* vel aliorum oſſium *laxantibus* affundunt. Pulvis certè & oleum *oſſium* ſunt diverſarum virium. Ac illa *occulta qualitas* in oleo requiretur, niſi æquè fingatur. Nec *oſſa artuum* illos *Arthritidis* humores trahunt, ſed arteriæ ſubinde micantes membris, & iis quaſi repugnantibus, eos infundunt. Nec hi de *Cranio*, de *Capite*, de *Cerebro* egeruntur: hic *Catarrhorum Arthritidisque* fons, credo, jam exaruit, meâque unius operâ jamdudum eſt clauſus. Nec oſſa purgantibus admiſta, â commiſſuris artuum humores revocant, ut alvo rejiciantur. *Meſues* certè *Cranium* & *oſſa* eo nomine non memorat. Ad caput, *inquit Meſues in canonib. Univerſ.*, medicamenti purgantis facultatem deducunt. Nux moſchata, poeonia, ſtoehas, acorus, Xyloaloe, ſal Indus, ſal Gemmæ, balſama, anacardus, thus, myrrha, chamædrys, chamæpitys, ſchænanthos, ſcilla lapis cyrenaicus, ſpica nardi, caſtorium, gentiana, thymus, hyſſopus, piper. Ad thoracem & pulmonem thymus, hyſſopus, ſcilla, calamus aromaticus, cardamomum, opoponax. Ad hepar ſpica, folium, chamædrys, ſchænanthos &c. Ad ſplenem ſpica nardi, ſal gemmæ, ſal Indus, chamæpithys, ariſtolochia. Ad juncturas denique medicamenti purgantis vim deducunt Zingiber, ruta agreſtis, lapis Cyrenaicus, opoponax, thapſia, cardamomum, aqua porri, ſuccus braſſicæ, acorus, triplex piper, ſcordium, chamæpitis, thymus, Amomum, polium & ſimilia. *Hæc ille.* Oſſa igitur, adſtringentia medic: tùm purgantibus confuſa, tum artubus impoſita, ac Hermodactyli reprobentur. Et hâc viâ proficitur. Magna pars medicinæ eſt, noſſe omittenda ac reſpuere.

Nec illi ſunt audiendi, qui *purgantibus* indunt *incraſſantia*, maximè ob *agaricum*. Hos refellit *Thaddæus Dunus hiſce:* Neque animadvertis, quod ſi agaricum pituitam craſſam, craſſamque bilem (ut fingis) detrahit, facilius eaſdem tenues educet: imò primo loco tenuiorem pituitam & bilem, poſtea verò craſſiorem educet. Etenim Galenus in libro de purg. pharmac. facult. ſcribit: trahunt nam-

namque medicamenta omnia, inprimis quidem ſibi obnoxia liquidiora, deinde craſſiora etiam. Hæc ille. Iccirco turpiter errant, qui incraſſandos humores cenſent, ut facilius à medicamento trahantur. Non enim, quemadmodum ſupra de humoribus è pulmone per ſputa ejiciendis diximus, in epiſtolis ad Cigalinum datis, oportere mediocrem quandam craſſitiem habere, ut facilè rejici posſint, ne à ſpiritus impetu diviſi in pulmonem recidant: ita & humores per pharmaca purgandos craſſiores eſſe debere, putandum eſt, quia utrinque par ratio non eſt, ſed longè diverſa. Quippe quò tenuiores ſunt; facilius à medicamento trahuntur, flacilius-que à natura pelluntur: quoniam nuſquam hærent, nec moram trahunt, ſed citò permeant, corporis facultatibus illos è loco in locum ad exitum uſque propellentibus. Imò ſi incraſſantia medicamenta dederis, non bilem duntaxat, ſed alios quoque humores craſſiores facies, & meatus obſtrues, quo fiet ut difficilem moleſtiæque plenam & moleſtam purgationem ægri perferre cogantur. Multò aliter facit ipſe Galenus, qui non modò talia medicamenta, quæ ſcilicet incraſſandi vim habeant in acutis morbis, in quibus bilis peccat, non exhibet, verum etiam ubi materia turget atque ideò tenuiſſima eſt, ea propinat, quæ tenuant & incidunt, ut in comment. primæ aphor. ſect. penultimo paulò ante citato videre licet. Actuarius præterea, cujus nondum meminimus, ſimpliciter ſcribit: Agaricum pituitam & bilem ſed non celeriter pellit. *Hæc ille*. Nec pulmonibus, qui tenuiſſimis ſint repleti humoribus, conveniunt *incraſſantia*, ut *libro quinto de Catarrhis* oſtendi. Sed dictis autoris ſuperioris nunc acquieſcamus.

Purgantia in paroxyſmo & in principio Arthritidis illi dari ſentiunt oportere, ut *Galenus ipſe l.10. de comp. med. ſec. In podagra principium curationis ab evacuatione fiat*. Sic ferè & *Autor l. de Dyn. Alexander Trallianus*: εἰδέναι δὲ δεῖ καὶ τοῦτο, ὅτι τὸ βοήθημα τοῦτο καὶ ἐν τοῖς μεγάλοις παροξυσμοῖς διδόμενον παρηγορεῖ. Ex eadem ſententia *Almanſor*. Inde juniores, ut *Gulielmus Varignana*: ad hanc intentionem etiam ſunt pilulæ noſtræ, quæ non valentes ſurgere, incedere faciunt & ambulare. *Ludovicus Duretus*: Hæc ad προφυλακήν. Sed obſertâ arthritide, ſi quid conſilio proficì poteſt, hæc videtur ratio

tio consulendi. Primò si sit orgasmus, detur opera purgationi eo ipso die, quo materia in articulos influit & orgasmum habet. Cunctari enim periculosum. *Paulus Renealmus:* purgatio, cùm humores sunt ἐν ὀργασμῷ, non parùm prodest. *Lazarus Riverius:* purgatio quamprimum & in ipso paroxysmi initio instituenda est: sic enim fluens & fluxurus humor ab articulorum viis avocatur, & ad intestina attrahitur. *Peter Bayer:* correptus fui à doloribus juncturarum octo aut decem vicibus, qui omnes meas juncturas in parvissimo tempore citissimè & furiosè occupabant, accepi itaque de eo ℥ß. in aurora involvendo in nebula madefacta in vino albo, illinc ad duas horas incepit operari fortiter absque ulla molestia. Eram adeò impotens, quod solam linguam movere poteram, & quando ibam ad sellam, oportebat me habere quatuor homines, qui me ponerent super eam, & maxima cum difficultate. Postquam solutus est venter quatuor sedibus in quinta sensi me à doloribus multùm adjuvatum, & cum auxilio Dei absque alterius adminiculo ivi ad sellam, & ab eadem redii, & eodem die ambulavi liberè per musæum meum, in sequenti verò die liber evasi, & illudmet expertus fui duabus aliis vicibus. Sic & *Martinus Pansa*, item *Johan. B. Sylvaticus* & *Lud. Septalius*. *Contra* autem *Rondeletius:* Si morbus per defluxionem in articulos, in principio multis medicamentis laxantibus ægrum movere non oportet, sed quietem imperare & statim dare oportet theriacæ recentis ʒj. cum pauco bolo armeno pulverisato. *Ac sic quoque Ludovicus Mercatus* Lib. de inter. Morb.

Maximo etiam *arthritidis* æstu seu paroxysmo medicamenta leniter purgantia per se aliena non judico, & quidem assentiente *Galeno*, quem & *Hieronymus Gabucinius* sequitur. Iis ægri sæpius adjuvantur, non tamen semper, tàm insigni Naturæ diversitate. Hæc & hanc medicinam reddit dubiam, ut nihil sit perpetuum, ut nihil in universum pronuntiari queat. Et hoc fortè est, quod comperit *Rondeletius*. Non verò id evenit, quando *humores arthritidis* de *capite* ac de *cerebro* dejiciuntur, ut illius autoris fert sententia. Siquidem ii semper ex Massa sanguinea proveniunt. Nonnulli proprietate Naturæ ne levem purgationem alvi perferre possunt, accedente jam *arthritide*, & invalescente. Fortè ex hoc genere *Johannes Riolanus*

lanus Sectionis quartæ Tractatu quarto: *Purgatio quibusdam nocuit, præsertim vehemens, attracto humore ad partem afflictam, non vacuato.* Quare hoc remedii genus aliquando differre expedit.

Purgantia *Novilunio* utiliùs dari contendunt *Theophrastus Paracelsus & ejus asseclæ.* Item *Reinerus Solenander:* Senæ pulvis, cujus supra mentionem feci, cujusque usum circa *novilunia* esse velim, hic esto:

℞. fol. sen. Alex. select. ℥j.
♀ Albiss.
Rhabarb. opt. irrorati aqua cinamomi a. ℥ß.
Cinamomi acuti interioris,
Caryophyllor.
galang. a. ʒj.
Sem. aniſ.
Amyli a. ʒß.
Diagrydii ℈vß.

Pulverata subtilissimè misce. Signetur, senæ pulvis solutivus. Istius unâ vice sesquidrachmam usque ad duas drachmas assumere poteris in jusculo pisorum, vel pulli, vel carnis, vel tenui cerevisia, vel æstate in tantillo seri lactis optimè percolati. *Hæc ille.* *Antonius Gallus* purgativam potionem quoque *Lunâ silente* propinari imperavit: Ad hæc *Peter Bruhesius:* Quod verò ante novilunium in ultima quadratura, dum scilicet Luna minimo est lumine, hanc purgationem imperet, forsitan mysterio non caret; nam tùm corpora nostra minus quàm in plenilunio humoribus abundare credat quispiam, perinde atque conchæ marinæ, & ostrea & alia multa, cùm plenilunio maximè plena inveniuntur, decrescente luna eorundem humiditas imminuitur. Cur verò catapotia sub noctem exhiberi velit, non intelligo; nam omnia purgantia, quæ procul & legitimè sunt purgatura, jejuno ventriculo sumi debent.

Cautionis ergò *Galenus* alvum, appetente vere, duci vult, A podagra, *inquit libr. quos oportet quibus med:* multos sanavit Galenus, eos ineunte vere evacuans. *Atque Oribasius lib. de loc. affect. curat. 4.* Ergo scire convenit, eos, qui temperatam vitam ducunt, quiq; diætâ utuntur, neque in podagricis doloribus inveterarunt,

 posse

posse levari, si *ineunte vere* aut per venæsectionem aut purgationem evacuentur. Ex qua notâ *Hieronymus Cardanus libr.4. de Sanit.c.22.* item *Symphonianus Campegius:* constat, quod de his hoc à Galeno loco agitur, qui benè valeant quidem, sed quibus sit ægrotandum, nisi vacuentur. Tales etiam prius vacuandi sunt *ineunte vere*, vel solutione venæ, si satietatis morbus affligat: vel purgatione, si labes succorum fatiget. Ad hunc modum multos observamus sospites, qui pridem quotquot annis in morbum inciderant. Quin etiam podagram & item articularem morbum adhuc nascentem obrepentemq;, nondum topho lapide facto in artubus, vel nondum poros circa articulos facientem, ex tali evaporatione multis jam annis fieri prohibuimus. Itidem sanguinis screationem, lapsum epilepticum, atram bilem, attonitum, & alios affectus longos istiusmodi prælata curatione sæpenumerò sedavimus. Itaque solutio venæ promiscuum discretumque remedium morborum est, qui ex repletione affligunt. Purgatio verò si consideretur in universum, singulare & solitarium præsidium intelligitur, si speciatim spectetur, multifariam distracta variis morborum generibus subvenit, pituita infestante, & item flava bile aut atri fellis succo & excremento dilutiore. Vir nobilis Castelnan nomine, Aquitanus, articulari vexabatur morbo singulis annis posthabita purgatione. Vidisses quonam modo vel ipse primariam prehendentis articuli genituram confestim internosceret, meq; arcescens vindicabatur articulari morbo statim vacuatione flavæ bilis succi confecta. Talis enim purgatio bifariam proficit, tum quia vacuantur excrementa, tum quia materia acrior excernitur. Purgabam igitur ipsum non *vere* tantùm, sed & *autumno*, & sicut dixi, si ex contentione aliquando purgationem prætermisisset, statim affectionis accidentia sentiebat. Quidam alius apud Lugdunum, nomine Barondean tempore æstivo semper febribus acutis corripiebatur. Sed multis jam annis non febricitavit, quoniam per venæ sectionem circa principium & medium Veris anticipavit, cui singulis annis singulæ purgationes abundè medebantur, sed his derelictui habitis continuo innotescente affectu. Morbi itaque hujuscemodi cruoris exigunt purgationem. Comitialis autem & apoplexia & articulares, si cum

ſi cum multa fuerint caliditate, amaram bilem volunt evacuari. Sì verò frigidis tumoribus, pituitam. *Hæc autor.* *Petrus Bayrus:* Tan-dem cogitavi longè præſtantiùs eſſe, uti regimine præſerva-ſtatim cùm ſentiebam me habere ſigna repletionis, capiebam tivo, quàm expectare, quod dolores me ſurriperent. Nam de dicto electuario ut ſuprà, & hoc ter aut quater in anno ita, quod ſunt modo pluſquam viginti ſex anni, quibus nullo modo à dictis doloribus fui moleſtatus, & adhuc nunc eundem modum obſervo. Quod non ſolum in meipſo, ſed in innumeris hominibus probavi experimento. *Martinus Panſa:* Nos etiam podagram & articulorum dolores inter initia tamen, qui non adhuc circa articulos fecerant nodos, ejuſmodi evacuatione complures annos inhibuimus.

Quin autores aliquantò ſæpiùs purgandum ducunt, quemadmodum ex antiquis *Alexander Trallianus:* cæterùm poſt hæc data antidota conſulo omninò, per intervalla duorum aut trium menſium corpus purgari, eò, quod vitioſus humor admonitionem morbi, generationemq́ue iterum excitat. *Atque Tacuinus:* Et continuè utatur purgatione corporis. *Item Joh. Serapio p. X. l. VII.* Et in omnibus diebus adminiſtra medicamen ſolutivum lene, quod evacuat illam ſpeciem humoris vincentis. Et confert hoc regimen propriè ei, cui ſtercoris natura eſt ſicca naturaliter valdè. Ex *recentioribus Joh. Michael Savonarola, Pilulas Comitis de Terra nova in præſervatione* nominans. *Ac quoq; Platearius*, pilulæ, *inquiens*, arteticæ communes à Magiſtro Ferrario, & Mag. Petricello, & Mag. Plateario compoſitæ, bis vel ter in hebdomada ſerò cum vino datæ conferunt. Pulvis Petricelli conſtat ex Eſula. *Bertrucius:* & reiteretur purgatio de hebdomada in hebdomadam. *Joh. Michael Paſchalius:* Longus uſus pilularum terebinthinæ abietis decies lotæ cum aqua ivæ artheticæ, curat arthritidem antiquam.

Adrianus Spigelius novum præceptum purgandi tradit hiſce: Obſervandum eſt, quòd ego nunquam, ubi præſervari debent ab arthritide ægroti, in purgationibus utor iis, in quibus ingreditur hermodactylus. Non enim opus eſt, educere humores ex iis partibus, in quas adhuc nîl decidit (niſi antiqua & nodoſa ſit arthritis, quæ per frequentes acceſſiones ſuos habet dolorum receſſus) &

 ideò

pico simus contenti iis, quæ venas & caput, si consentit, purgant, post leves purgationes. *Mox inde Honorius Heringius:* In regimine præservativo à podagra non tutum esse, offerre digestiva & solutiva fortia, quibus hîc non opus est, materiam à pedibus evacuare, quandoquidem nullus adsit dolor, & materia lædens in pedibus non existat, (nam si materia in pedibus jam existeret, non esset intentio ad præservandum, sed ad curandum) sic enim boni succi membris utiles exhauriuntur, unde pedes debiliores redduntur; ideoque turpiter errant, qui in præservando pilulas de hermodactylis exhibent. *Hæc ille.* Verùm ante hos *Hieronymus Gabucinius* hunc in modum: Illud meminisse oportet, ne in præservatione ab artuum doloribus ob humorum defluxum genitis, iis medicamentis utamur, quæ propria facultate, latentiq; naturâ articulos purgant, qualia sunt, quæ ex hermodactylis inprimis, aliisque id genus constant, etsi in iis, qui ab humoribus paulatim congestis fieri solent, prius quàm vehemens oriatur dolor, incessusque jam impediri cœperit, ut vehementiorem vitemus dolorem, in præservatione, si vera præservatio dici queat, ejusmodi medicamentis innoxiè uti possimus.

Hermodactyli quidem, ut & superiùs comprehendi, humores ab articulis extremis, purgatione alvi factâ, revocare creduntur. Namq; *Antonius Gazius* ad hunc modum: fortibus uti necesse est, ut cùm oportuerit, materias grossas & difficiles in membris longinquis existentes purgare, easque ab illis eradicare, quod nequaquam benedictis cum medicinis fieri posset, eò, quod ipsæ ad loca tàm remota suâ cum virtute minimè possent pervenire, ut de podagricis, scabiosis & hujusmodi est videre, quibus aut nihil aut parum profectò rheubarbarum, cassia, manna & his similia conferent, sed hermodactylis, turbit, & talibus fortioribus indigent, quæ suis cum juvamentis non habent modicum nocere. Quin *Adrianus Spigelius* illâ viâ philosophatus, *Dominicum Leonum* imitari videtur: Dicimus, quòd in principio nondum concoctâ materiâ, lenis & minorativa exhibetur medicina, vel lenis, id est, in pauca dosi: in fine verò, ubi eradicativa expetitur vacuatio (quoniam humor est contumax & in profundo abditus) fortis & multùm solutiva pro-

pina

pinari debet, ut sunt hermodactyli, agaricon, scammonium, & hujusmodi alia.

Non alienum erit, eorum, quæ hoc loco prædicantur maximè, *purgantium pondera* notis signare.

Hermodactyli veri dosis est à ℈jß. ad ʒjß, in infusione à ʒij. ad ℥ß.

Agarici Dosis à ʒj. ad ʒij, in infusione à ʒij. ad ʒv.

Turbet Dosis à ℈ij. ad ℈iiij, in infusione à ʒj. ad ʒiij.

Scammonium à gr. v. ad gr. xij.

Colocynthidis dosis à gr. vij. ad ℈j.

Hellebori nigri dosis à ℈j. ad ℈ij, in infusione à ʒj. ad ℥ß.

Elaterium à gr. j. ad ij.

Mercurius vitæ ad gr. iiij, uti suprà testatus fuit *Jacobus Mosanus Vesius*.

Diacarthamum seu Diacnicu Arnoldi tritum à ʒjß. ad ʒiiij. vel ad ʒvj, in infuso à ℥ß. ad ℥j.

Pilulæ Arthriticæ Nic. à ʒß. ad ʒij, quæ dantur semel aut qualibet septimanâ.

Pilulæ Indæ à ℈j. ad ʒj.

Aureæ à ʒj. ad ℈iiij.

de Hermodactylis majores & minores à ʒj. ad ℈iiij. aut ʒij.

de Opoponace Mes. à ℈ij. ad ʒj.

Fætidæ maj. & min. Mes. à ℈j. ad ʒj.

Harum usus per se non est tutus. De his ferè inter autores convenit. Maximè autem hinc intelligitur, *Hermodactylos* non validè purgare. Престереà accedit testis locupletissimus; *Ætius*, universale, *inquiens*, est ex Hermodactylis, quo assiduè utor. Hermodactyli sicci recentis unciã I. anisi, cumini, piperis communis, croci, piperis longi, seminis enici interni, cujusque scrup. II. myrrhæ drach. I. euphorbii recentis scrup. IV. mastiches scrup. VI. cassiæ scrup. I. moschi siliquam I. Dantur ex eo scrup. IV. cum aqua mulsa, confestim minuit dolores. Quandoquidem autem hujusmodi medicamenta fortem evacuationem facere non possunt, & quod ex ipsis intus relinquitur, resiccatum & condensatum tophos in artubus generare con-

 sue-

ſuevit, convenit uſus tempore ad ſingulos exhibitionis modos ſcammoniæ tres ſiliquas addere. *Hæc ille.* Quoniã itaq; *Hermodactyli* non vehementiâ purgandi præſtant, quâ vi humores illos à tam diſſitis articulis retrahere poterunt? Eam inveſtigat *Henr. Smetius:* Ego ut tandem finem faciam, ſic ſentio: medicamenta purgantia, quibus hactenus utimur & quæ cognoſcimus hodiè, in ventriculo & inteſtinis hærentia promiſcuè ex omnibus corporis partibus expurgare, quod pro ſua natura educere ſingula poſſunt. Si tantum humoris, quantum ducere queant, circa hepar, ventrem, inteſtina, meſenterium inveniatur, non vel ex capite vel pedibus expurgare ea potius exiſtimo, quàm ex his ipſis partibus, in quibus humorem aptum reperient. Impoſſibile namq; eſt, agens naturale in præſens objectum, quod ab agente pati queat, non pro totis viribus ſuis agere, ut non modò univerſa ratio & Philoſophia, ſed etiam Galenus teſtificantur. Quomodo verò vel ex his locis, exturbaſſe humorem vitioſum, remotis quoq; partibus prodeſſe queat, expoſitum verbosè ſatisfuit. Certum eſt aut bonos aut malos, in locum, ex quo vacuati alii ſunt, reponi, præſertim ſi ea quantitate vacuati ſint, ut vacuum reddere ſpatium aliquod videri poſſint. Utrum horum fiat, perveniet tandem motꝰ iſte ad membra etiam longius diſſita: in non plenis corporibus temporius, in plenis tardius, ſive poſt plures vacuationes. Quare quæ aliquibus ex articulis ſingulariter evacuare humores certos putantur, unde vulgò depravatè tamen arthetica appellantur, illa ego humoris illius expurgandi vim habere exiſtimo, qui plerunq; in articulos decumbere ſolet. Ratio ſimilis eſt pharmacorum capitalium vocatorum, de purgantibus loquor, & cæterorum omnium talium. Si quis aliter ſentit, me non minus æquum propterea ac amicum habebit. Quin imò ſi meliora argumentis docuerit, immortali me ſibi beneficio devinciet.

Ne quidquam hîc injudicatum relinquatur, noviſſima quoq; reguſtemus. Medicamenta alvum ducentia, maximè Lunâ jam ſeneſcente, dari, admodùm ſalubre eſt, uti *l.4. de catarrhis* oſtendi. Quam opinionem & *Theophr. Paracelſus, Reinerus Solenander, Antonius Gallus, Petrus Bruheſius,* hoc loco probant. Ac *vere* nec non *an-*

autumno eadem conveniunt. Quæ curandi præcepta à *Galeno* & ab *Oribasio* proficiſcuntur. De veterum ſententiâ etiam ipſo, ut vocant, *Arthritidis* paroxyſmo, purgatoria medicamenta hiſce ægris offeruntur. Ac aliquantò citatior alvus eſt auxilio, teſtibus, quâ vetuſtioribus, ut *Alexandro Tralliano, Avicennâ* & *Serapione*, quà junioribus quàm plurimis. Cæterùm *Dominicus Leonus*, hinc Adrianus Spigelius ac *Honorius Heringius*, vanè metuunt, ne *Hermodactyli* humores aliquando de articulis intempeſtivè trahant. Nam iſti eâ vehementiâ eâq; virtute non valent. Alia medicamenta ad id magis apta erunt, ut *turbith*, *Colocynthis*, *Scammonium*, *Helleborus*, *Elaterium* & id genus alia; quæ ob id quoq; *Hermodactylis*, confitente *Ætio*, adjiciuntur. Nec hi *occultâ vi* aut *qualitate* præſtant, quâ humores artuum alliciant ad alvum. Quis ſanæ mentis, *ſignaturâ*, ut vocant, nuſquam non illudente, movebitur? Hiſce & ſimilibus opinionibus ſimplicitas priſcorum initium dedit, incrementum tantum verò credulitas juniorum. Ex iis tamen intellexit aliquid *Henricus Smetius*. Profectò grana *ſcammonii* duodecim plus humorum ciebunt, quàm *drachmæ tres Hermodactylorum*. Eſt enim *l. 4. de catarrhis* conſtitutum, potâ purgatoriâ medicinâ, vim expultricem ſtomachi & inteſtinorum incitari, ut primum ii, qui juxtà fuerunt, humores egerantur, mox & illi, qui longiùs abfuerunt. Quô fieri poteſt, ut humores *arthritidem* facientes per alvum tandem detrahantur. Quò valentior itaq; eſt illa purgativa potio, eò vehementiùs illa vis movetur, eoq; largius purgatur æger pedibus. Hic inde etiam levatur ſæpè morbo. Evenit contrà, ut ille eodem morbo tantò gravius opprimatur, quantò crebrius, quantoq; vehementius evacuetur alvus. Nam ſtomachi, inteſtinorumq; facultate expultrice concitatiore, etiam ſimilis ferè expultrix mali in Maſsâ Sanguineâ reſidens, irritari poteſt, adeò, ut plus humoris illius vitioſi in artus promoveatur. Quare languentes inde non explicantur, ſed urgentur vehementius. Ob id verò *Theophraſtus Paracelſus*, *Helmontius*, *Grembs*, *Poterius*, *Joh. Daniel Mylius*, ex parte *Johannes Riolanus*, parùm rectè abnuunt, purgantia & ea quidem validiora, profutura eſſe. Agnoſce proprietatem naturæ cujuſq; ægri. Sunt, quibus alvus tantùm

cita

cita, plurimum affert utilitatis. Quare hi *pilulis Francofurtensibus, Angelicis, Marocostinis Pestilentialibus* sæpiùs utuntur. His non annumerentur *pilulæ antipodagricæ Argentinenses.* Habent validiora purgantia, ut *Colocynthidem* & *Scammonium.* Oppidò inanem opinionem *Gulielmus Adolphus Scribonius* prodit hisce: *purgantia illa magis prosunt in formâ pilularum, quàm in potionibus assumta. Pilulæ enim purgantes propter tardiorem dissolutionem è longinquis partibus commodius possunt educere.* Pilulæ suâ rotundâ formâ efficaciores haud reddentur. Quin eæ ex leniter laxantibus compositæ, quantò *tardius* (hisce verbis utitur *Scribonius*) in stomacho *dissolvuntur*, tantò imbecillius ex longinquo trahunt. Illud quoq; ex similibus præceptis manet, ne *pilulæ de hermodactylis* inutiliter adhibeantur. *Nisi defluxus*, inquit c. 46. Jacobus Fontanus, *fiat à capite, pilulis hisce non erit utendum.* Interpres veterum mixturarum quoq; suprà *hermodactylos* de *Cerebro* ipso asseverabat humores trahere, ac *adstringentia* iisdem *hermodactylis* admixta, contrahere Cerebrum, fontem *Arthritidis.* Insuper summum stomachi arctare, ne vapores eò ferantur. Quin nonnulli, humili capite dormire jubent. Hos nemo à risu defendere poterit. Tam vapidè de vaporibus dogma se habet. Incurvicervici homines non erunt *catarrhosi*, cùm vapores, unde nascuntur *Catarrhi* & quoq; *Arthritis*, in Cerebrum penetrare haud queant. Nunc de *Sanguinis missione* dicendum esse videtur.

CAPUT III.

De SANGVINIS MISSIONE.

HÆc res quoq; controversiis implicata est, & iis maximè tribus, quarum prima est hæc, an *sanguinis missio sit profutura?* Certè *Avicenna* sic: *in principio non fiat phlebotomia; illa enim commovet seu accrescere facit humores, & facit eos currere in corpus, & non extrahit illud, quod necesse est, ut extrahatur.* Unde *Bernhardus Gordonius*: debemus considerare de phlebotomiâ, quod non fiat in principio, quoniam reddit humores cursibiles, nisi materia esset

san-

ſanguinea & quod alia particularia convenirent. *Similiter* quidem *Johannes de Concoregio*, at de curâ, ut vocat, *præſervativâ* loquitur. Quare *Johannes Michael Savonarola ad hunc modum:* in principio non fiat phlebotomia, phlebotomia enim facit accreſcere humores, & facit eos currere in corpus,& non extrahit illud, quod neceſſe eſt,ut extrahatur, quod intelligit Dynus de eradicativâ. Unde faciebat ſecurcè minorativam in principio, & ei videtur aſſentire Gentilis. Gordonius eam negavit, dicens, eam in artriticis his directè non competere, eò,quod reddit humores curſibiles. Nunc *Alexander Maſſarias* deciſionem quodammodo facit,non de *arthritide*,ſed de *vertigine* diſſerens: utrum in vertigine liceat venam ſecare, nec ne? Pleriq; omnes ab hoc remedio abhorrent, partim quod ſectio venæ commovet humores & ſpiritus, quos alterâ ex parte expedit quieſcere, partim quod redundat materia pituitoſa,quæ à naturâ ſanguinis eſt aliena. Ego verò aliter cenſeo, putoq; hoc remedium non ſolum utile,ſed etiam neceſſarium eſſe;quod inter cæteros confirmat Avicenna per hæc verba: phlebotomia eſt optima in curatione omnium ſpecierum vertiginum materialium. Et quatenus ad primam eorum rationem,ego illam non ſatis intelligo: etſi enim ſectâ venâ, moventur humores & ſpiritus, tamen utriq; & ſpiritus & humores ducuntur ex parte laborante, adeò, ut veriſimile & neceſſarium ſit,illos,qui remanent in capite,faciliùs quieſcere, minimè agitari & moveri & ad naturalem ſtatum redire. De alterâ autem ratione jam ſæpè diximus,ac, nî fallimur, demonſtravimus, indicationem mittendi ſanguinem ſimpliciter nunquam ſumi ab humoribus: quare ſi vertigo fuerit magna, conſentientibus cæteris, perpetuò vena ſecanda eſt,ſicut ſecat Galenus in Lethargo & aliis morbis id genus,quicunq; ab humore frigidiore oriuntur.

Galenus Sanguinis miſſionem *l. 10.de compoſ. pharmac.ſecund. loc.* valdè ſalutarem exiſtimat. Quâ de Scholâ *Ætius* ſic: cæterùm in omnibus diei horis venam ſecare convenit his, qui vehemẽtioribus doloribꝰ ſunt apprehenſi,adeò, ut etiam ſi quis pranſus ſit, nihil veritus tamen venam ſecare poſſit, atq; id maximè, ſi ex ventris locis cibus ad inteſtina fuerit dilapſus. Ubi verò in ven-

tre adhuc cibus deremeatur, evacuatione prius per vomitum facta, ita paulatim sanguinē detrahes. Secanda est autem ê directò cruris fluxione infestati vena præsertim in brachio inferna: Si verò hæc non appareat, media. Quod si verò manus dextra dolore infestetur, venam in dextro crure secamus juxta talos, aut poplitem, aut plantam pedis, post sectam verò venam si dolores adhuc perseverent, & fortis tensio sit in affecto membro, sæpè in ipso inflammato crure venâ incisa, & multo sanguine detracto, hominem liberavii. Memini itaq;, inquit Philagrius, cuidam, in quo humores æqualiter omnes & multus inprimis sanguis redundabat, bis sanguinem ex secta vena detractum, in quo manifestè cognovi, quantam vim habeat vena ê directo membri affecti secta. Quum enim dexter pes ea fluxione infestaretur, vena dextræ manus incisâ, confestim â molestiis est liberatus: quumq; tribus interpositis diebus alterum item crus fluxus infestaret, venâ sinistræ manus secta, similiter â dolore liber evasit: modò corpus sit plethoricum. *Hæc ille.* Inde *Rhases:* Cum cognoscimus, quod materia est sanguinea, incipiamus minuere ex latere contrario, & hoc propter duo commoda, quorum unum est, materiam declinare ad locum, & secundum est, retardare fluxum ad locum apostematis. Si ergò dolor fuerit in pede dextro, debemus minuere de manu dextra & Basilica, vel de quibusdam ramis ejus, & non debes ire ad aliam venam. Si autem non poteris minuere ipsam, neq; aliquem de ramis ejus, minue de mediana, quia quidam ramus de vena basilica & de vena Cephalica conjunguntur, & ex ea conjunctione fit Mediana. Minuere autem de Cephalica non multum juverit in hac causa, quoniam illa vena non derivatur nisi à parte superiori duarum partium venæ concavæ, deinde illic ascendit spina, & tendit ad manum, & propter hoc evacuat sanguinem capitis & colli citius, ex parte autem inferiori tardius. Basilica autem vena ab ista dividitur intra & extra à clibano pectoris inter latera, & venit ad manum super parte axillarum, & propterea evacuat sanguinem à partibus inferioribus citius. Et debemus minuere sanguinem secundum magnitudinem doloris & vigorem corporis, & faciemus multis vicibus, quoniam ego probavi hoc, & inveni perfectius in declinando materiam à lo-

co,& attrahēdo,quod currit ad ipſum, & ratio etiam concedit hoc. Sed non eſt locus dicendi. Si autem ægritudo fuerit in manu,poſſumus materiam declinare duobus modis,aut ad alteram manum, aut pedem oppoſitum. Et fortè minues de duobus locis brachio & pede,& primò de minutione ex manu,& poſtea de pede. Et debes minuere ſanguinem ſecundum virtutem corporis & ſecundum accidentia apoſtematis,& ſecundum pulſationem & extenſionem, & calorem,& ruborem, & multoties ſufficit cura iſta ſola. Et ego narrabo vobis,quod jam vidi de quadam muliere,quæ vociferabatur de dolore in die & ſerò in dextrò aſceta, cum magnum eſſet apoſtema calidum rubei coloris, cum extēſione forti & pulſatione, mulier autem erat pinguis & multum ſanguinolenta, quæ ante acceſſionem uſa fuerat lacte & carnibus,cujus virtus fortis fuerat. Eo minui ipſam in manu ſiniſtra de Baſilica,& pede dextro de ſaphena eadem hora,& de quolibet extraxi libram media m, & poſt tres horas ſolvi ligamen,& poſt iterum extraxi libram ſ. & poſt cibavi etiam ipſam;& poſt tres horas extraxi de Saphena libram mediam, & tunc ceſſavit dolor & punctio. Et mulier rogavit etiam, quod iterum extraherem de manu , ſenſerat enim maximum adjumentum. Sed ego volui materiam declinare inferiùs propter duas cauſas,quarum unam non dicā hoc loco, &altera eſt utilis, imò neceſſaria in locis talibus. Scias , quod ipſa mulier patiebatur in ſiniſtra manu dolores debiliores,& propter hoc volui,quod materia declinaretur inferius, quoniam medicus debet conſiderare hoc;quoniam ego curabam quendam hominem,cui contingebant dolores conjuncturarum ex materia ſanguinea & incipiebant dolores in juncturis, quæ ſunt inter aſcetam & raſcetam in dextra manu,& interrogavi,ſi accidebant dolores in manibus & pedibus,& dixit mihi,quod ſimilis dolor accidebat ei in manu ſiniſtra, ſcilicet in ejus juncturis,& adhuc magis fortis,& quod nunquam in pedibus ſimiliter accidit,& tunc nolui minuere in manu ſiniſtra omninò,ſed in pede dextro. Quidam autem medicus primò curabat eum & minuebat in manu dextra,propter apoſtema calidum , quod habebat in juncturis manus , ſcilicet manus ſiniſtræ,& quievit dolor in manu illa,ſed declinavit in manu dextra cū apoſtemate calido majore

altero,& quando ego iſtud quæſivi ab illo homine,intellexit,quod ego ſciebã pluqs uam aliꝰ de phyſica,& hæc erat una de rationibꝰ, propter quam tu declinare debes materiam ad alteram duarum partium,& maximè quando fuerit dolor in diſpoſitione tali,quod poſſit augmentari,& hoc in principio doloris, quoniam in tali diſpoſitione debemus cavere à minutione & frictione & aliis, quæ attrahunt materiam,& etiam debemꝰ dirigere derivationem materiæ ad aliam partium, quando in aliqua partium fuerit membrum nobile,quando materia currere poſſit. *Ac paulò poſt:* Et cura Iſchiadicæ paſſionis eſt,minuere ſanguinem ex vena Anchæ,ubicunq; apparuerit ex parte ſiniſtra, ſi autem non apparuerit,minue aliquem de ramis,qui ſunt in dorſo pedum & in medietate extrinſeca,ſcilicet in parte auricularis &medii digitorum pedum,quoniam rami, qui ſunt in iſta parte,ramificantur ex vena ſaphena,& iſta & anchæ vena quamvis ambæ dividantur ex eadem vena apud genu, tamen melius eſt minuere ex vena anchæ,aut ex ejꝰ ramis,quam ex ſaphena. Imò melius, quam ex vena, quæ in genu eſt, ex qua vena iſta & ſaphena dividuntur, & propter hoc medici utuntur minutione iſtius venæ,per experientiam nos autem conſideravimus & experti ſumus multotiens,& invenimꝰ,ipſum eſſe ſicut diximus,& laboravimꝰ multum ad inveniendam rationem in ipſo, & credimꝰ, quod jam inventa eſt, ſed non eſt locus eam docendi,& debemus ex iſta vena minuere poſt minutionem de Baſilica ex manu pedi oppoſita, & maximè quando corpus plenum fuerit, poſtea ſubtiliamus diætam, & prohibemus motum & equitationem, & iſte modus non indiget alia cura. Secundus modus eſt, ut minuas in principio de eadem vena,poſtea damus medicinas laxativas. *Et ſtatim:* Si acceſſio fuerit, citò minuemus. Et ego curabam quendam hominem ex paſſione calidâ juncturarum , cui etiam ſolebat venire acceſſio fortis in fine veris,& præſervavi ipſum ab acceſſione annis tribus, in quarto autem anno contingit eum agere iter, qui non potuit cavere à contrariis, & poſteà vidi ipſum , & dixi ei,quod ſi non minueret ſibi, veniret ſibi acceſſio, ipſe verò credebat,ſe ſanum eſſe ab ægritudine, & ideò non curavit,poſt paucos autem dies ſenſit dolorem parvum in nocte in genu,quod non curavit, ſed vinum bibit,

cum

cùm autem pervenit in nocte, arripuit eum dolor fortis, & manè ego veniens ex traxi de ſanguine lib. ß. & permiſit ſic duabus horis, & poſui deſuper & ſantalum rubrum, & acetum, & aquam roſatam, & extraxi de ſanguine iterum lib. ß. Poſteà addidi cum eo emplaſtro balauſtias, & nocte illa ceſſavit pro majori parte dolor, & aliâ die extraxi de ſanguine lib: ß. & omninò ceſſavit dolor, & multotiens ſimilibus iſtis illud accidit. *Hactenus autor.* Hæc *Sigiſmundus Kolreuterus* non ſolùm verbis, ſed etiam iisdem experimentis refert: Phlebotomia in plethora tantùm propriè convenit. Quidam verò ex quacunque fuerit cauſa, venæ ſectionem in principio fieri jubent, rationem reddunt, quia materia plerumque in venis continetur. Quidam ipſam prohibent ex autoritate Avicennæ, quoniam phlebotomia ſecundum ipſum efficit materias fluxibiles & curſibiles ad juncturas, locaq; doloroſa. Cùm ergò affectio plerumq; ſit ex cacochymia (niſi eſſent mixti vitioſi & redundantes humores cum ſanguine in venis) non ex plethora, magis mihi purgatio probatur, quàm venæ ſectio. *Adhuc:* venam aperiri ſuadent nonnulli & in pituitoſâ arthritide, dicentes humorem illius cauſam in venis quàm maximè contineri, quantitate magis, quàm qualitate offendentem, eamque potiſſimùm fieri debere, cùm morbus incipit, quibus refragari jam non licet, ſed olim dabitur occaſio, ſcimus eos, ex morbo hoc ſæpiſſimè moleſtatos, per imperitorum conſilium ex venâ ſecta ingens hauſiſſe damnum, præcipuè naturæ frigidioris, quales plerumque eo laborantes ſunt, evacuato enim caloris naturalis fundamento, corpus frigidius relinquitur, generationique pituitoſorum humorum aptum. Vereor ego, ne etiam crudi humores extra venas per corpus vagantes ex ipſarum apertione, per conſequentiam ad id, quod vacuatur, in ipſas retraherentur, motus exemplis. Memini enim paucis elapſis menſibus cuidam arthritico tempore paroxyſmi, apertam fuiſſe venam & ad libram unam ſanguinis extractum, pituitam ſanguineam potius, quàm ſanguinem pituitoſum dixiſſes, ſuo enim damno prognoſticationis meæ periculum experiri voluit, judicet quilibet, utrum vera poſſit eſſe ſententia, materias extravenatas vel extra venas vagantes in ipſas non poſſe retrahi, forſan meam ex

dictis habetis opinionem,totum enim corpus confluxile & conspirabile est, neque me inconstantem quis proferat, si invenerit, dicentem, materias jam occupantes juncturas difficulter per purgantia medicamenta posse retrahi, nisi enim hic refluxus per venas fiat ad placitum Avic: alia non est in promptu via, benè verum est, ipsos in principio eam suadere, concedunt ergò & tunc & semper pituitam in venis cum sanguine mixtam contineri, & per corpus ferri. Quare enim phlebotomiam suaderent. *Et deinceps:*In sanguinea Arthritide venam aperiant in vere potissimum. Nam huic differentiæ propriè convenire videtur,& ipsius utilitas sequenti exemplo manifestatur. Quidam curatus ex Arthritide sanguinea, per quatuor annos nullum habuit paroxysmum. Unde victus rationem & curationes spernens, licet admoneretur à Medicis,& periculum recidivæ vel alterius mali prædiceretur, tandem nocte quadam ipsum corripuit dolor fortis, ad quem rursus vocatus Medicus, qui anteà sub curâ ipsum habuerat,statim ℔ß. sanguinis extraxit, postquam quatuor horas dolori imposuit sandalos, acetum & aquam rosaceam, & iterum detraxit ℔ß. sanguinis & addidit emplastro balaustias, dolorque illâ nocte quievit, secundâ die illi iterum extraxit ℔. unam sanguinis,& dolor omninò cessavit, simile quid ego multis evenisse scio, unde eò libentius adhortandi gratiâ posui. *Hæc ille autor.* Ex eodem genere *Franciscus India lib. 1. cap. 7:* Sæpè à calidis humoribus oritur Arthritis, nam nonnullos scio à doloribus infestissimis secundum omnes ferè articulos correptos fuisse cum tumore & rubedine, præcipuè circa genua, & pedum articulos, quibus per alios multa remedia administrata fuerant,& ego posteà vocatus,cùm ætatem considerassem,inspexissemque temperaturam corporis, naturam morbi, vires & plenitudinem,& Galeni præceptum maturo consilio animadvertissem 10. de comp.medic. cap.2.dumque meam sententiam profero,statim proposui, ut illis vena secaretur dexteri cubiti, & copiosiùs inde sanguis extraheretur, quo facto omnes dolores eadem die cœperunt mitigari, adeò ut postridiè à doloribus immunis evaserit: atque iis præteritis diebus vocatus à nobili Joh: Baptista Zaccaria, qui quatuor dierum spatio doloribus circa articulos *pedis dextri* vehemen-

menter laborabat, adeò ut ob doloris importunitatem de sua salute valdè suspicaretur, & cum locum dolentē vidissem, tetegissemq́;, & nullum cognovissem tumorem, sed potius calorem intensum, & venas habere turgentes & plenas, statim, ut illi extraheretur copiosus sanguis à *venâ cubiti ejusdem lateris*, ordinavi, quo, me præsente, facto, illicò à dolore illo molestissimo liberatus fuit. *Hactenus autor.* Ac in dolore Arthritico, *inquit Peter Paulus Pareda*, semper secanda est vena, idque non semel nec bis solùm, sed aliquando ter, quater & decies & amplius, si opus fuerit, inspecto virium robore, quod consentit, & fluxione, quæ est affectus postulans evacuationem omnium humorum, quoniam hi fluunt ad locum tumore affectum, ac proinde revellendi sunt. *Hæc ille.* Adjicit & hoc *Vidus Vidius* lib. 5. venæ sectio non modò iis egregiè succurrit, quibus ob sanguinis concursum articuli dolent, verùm etiam si vere & autumno adhibeatur, sæpissimè per integrum annum solet homines ab ejusmodi doloribus præservare, præterquam quod, ubi illud ab initio fuerit adhibitum, nonnunquam perpetuam valetudinem polliceatur. Hæc *V. Vidius*, *Galen.* lib. de cur: rat: per sangv: miss: cap. 7. & *C. Celsum* lib. 4. cap. ult. nominatim appellans. Hujus verba ipsa accipe: *articulorum vitia ubi sentiri cœperunt, sanguis mittendus est. Id enim inter initia statim factum, sæpè annuam, nonnunquam perpetuam valetudinem bonam præstat.*

Hæc eadem quidem magis firmat *Alexander Benedictus*, at meminit *digestionis*, cujus mentione nunc *secunda controversia* significantiùs prodetur. Autoris hujus verba ponantur: *Ubi quis initiò tentari arthritide cœperit, sanguis protinus mittendus est, quando ejus causa & passio provenerit, eo misso, sæpè annuam, nonnunquam perpetuam valetudinem præstat. Alioqui, nisi* digestâ materiâ, *sanguinis missio non necessaria habetur, humores enim ad pernitiem agit.* Et hoc est, quod scribit *M. Gatenaria:* de phlebotomia videtur controversia, nam Serapio non concedit, phlebotomiam esse fiendam *materiâ non digestâ.* Avicenna verò vult, quòd fiat in principio. Respondetur, quòd Avicenna habuit intentionem ad dolorem, qui est fortis & multùm attrahit, ideò ad divertendum concedit phlebotomiam in principio, posteà dicit, incipe à re forti, quamvis debilor sit in-

colu-

columlor. Iſte autem ſermo veſter contradictorius, ſed dicatur, quòd nulla eſt contradictio, quia quando dicit, incipe à re forti, intelligit, incipe ab evacuativo electivè evacuante.

Nunc de tribus illis *controverſiis* hæc extrema eſt, *ex quibusnam artubus ſanguis ſit detrahendus;* quidam ex adverſis ſemper contendunt, *Avenzoar* autoritate forſitan nixi. *Cum hujus*, inquit ille, *eſt phlebotomare cephalicam ex oppoſita parte pedis, ſubtrahendo de ſanguine ſecundum conditiones notas.* Similia ſuperius occurrunt. *Avicenna* autem ſanguinem ex affecti lateris artubus mitti jubet. Hanc controverſiam *Johannes Michael Savonarola* dirimit, phlebotomiam, *inquiens*, facias, ſi non obſtent aliqua, & maximè ſi fuerit ſanguinis multitudo ac dolor, ab ipſo pendens ſanguine aut humore ipſi ſanguini admixto: unde Avicenna: Et ſi fuerit ſanguinea, aut cum dominio ſanguinis, oportebit, ut adminiſtres phlebotomiam ex parte contraria, & ſi fuerit communis juncturis, tunc ex utriſq; partibus ſimul. Et adverte, quod 12. continen: ſcribitur: ſi quis habet dolorem in pede dextro, fiat phlebotomia de baſilica dextra: ſi in ſiniſtro, de ſiniſtra: Et ſic videtur convenire dictis Avic: Propter quod Gentilis dicit, dictum Avicennæ debere intelligi, quando eſt ultima repletio. Nam tunc, quia intentio eſt ad evacuationem & diverſionem à toto, licet tranſire per duos diametros. Quando verò non eſt ultimata repletio, & non intendimus ad evacuationem, ſed ad diverſionem ſolùm, ſic poſſumus phlebotomare de Baſilica ſive de ſaphena ejuſdem partis, & ſic ceſſat contradictio. *Hæc hic.* Cæterùm *Almanſor* idem tradit præceptum, quod & *Avicenna.* Unde *Nicolaus Nicoli:* dixit Almanſor: æger ſi dolet in dextro pede, ex dextra manu eſt phlebotomandus. Ac *M. Gatenaria:* ſi eſt in manu dextra, fiat phlebotomia, in pede dextro tantùm per unam diametrum & ècontra. *Sic verò Bertrucius:* à principio fiat flebotomia diverſiva de baſilica ſiniſtra, ſi dolor eſt in brachio dextro, vel de baſilica dextra, ſi dolor eſt in ſiniſtro. Et flebotometur à principio ſalvatella pedis dextri, ſi dolor eſt in manu dextra, & è converſo fiat, ſi dolor eſt in cruribus aut pedibus. Et poſt iſtam phlebotomiam, fiat flebotomia prædicta, quoniam, ut ait Avicenna 1. com. fen. 4. de flebotomia diverſiva, quod flebotomia fieri poteſt per diame-

metrum unam, nequaquam verò per duas simul. *Ac Vidus Vidius* etiam autor est, ut chiragrâ premente, ex pede detrahatur sanguis. *Verba ponantur:* Ubi omnibus seu pluribus simul dolor communis sit (nisi ætas, vires, anni tempus, aut aliud quippiam impediat) continuò sanguinis missio aggredienda est, secanda autem imprimis est vena media seu interna dextri sive sinistri cubiti. At si ex suppressione mensium, hæmorrhoidum sive varicum credas dolorem ortum duxisse, provocatio eorum prodest. Cæterùm si inferiores potissimùm articuli dolorem experiantur, quemadmodum in Ischiade, gonalgia ac podagra, & ingens sanguinis copia in corpore redundet, ex cubito primùm lateri dolenti opposito, tùm ex eodem mittendus est, at si materia non nimis redundet, satis erit ejusdem lateris duntaxat cubitum eligere: quemadmodum utrumque cubitum, si dextri ac sinistri inferiores articuli uno & eodem tempore æqualiter doleant: sin autem superiores potius, & præcipuè manuum articuli infestentur, sanguis mittendus est ex vena tali sive poplitis, & hac dextrâ vel sinistrâ sive ex utraque, prout dextra duntaxat vel sinistra, sive etiam utraque manus simul dolorem experiatur. *Hæc ille.* Præservationis gratiâ *F. Platerus, qui & ita loquitur*, venā pedis secari jubet. Sunt, quibus non placet, venam pedis incidi, urgente *chiragrâ.* Ex qua nota *Paschalius*, in arthritide dextræ manus, *inquit*, venam cubiti sinistri secamus, & in podagra dextri pedis venam cubiti dextri incidimus: quamvis aliqui cum Galeno venam poplitis sinistræ secandam esse volunt. *Unde Pareda:* si omnes articuli afficiantur, secabis basilicam dextram aut sinistram. Si articuli dextri brachii affecti sint, ex sinistro evacuabis & contrà. Si sit podagra dextri pedis, seca venam brachii dextri aut sinistri, quia hæ partes eandem habent vasorum rectitudinem cum loco affecto. *Ac Spigelius:* si universalis est per omnes corporis articulos, brachii vena media secanda: si verò pedes laborant, similiter in brachio mittere sanguinem convenit ejus lateris. Et tandem *D. Dan. Sennertus:* si omnes aut plurimi articuli afficiantur, basilica in dextro vel sinistro brachio aperienda. Si unus tantùm articulus, in opposito vena secanda. Ut si in dextro brachio articuli afficiantur, in sinistro brachio vena aperienda, si in sinistro, dextri brachii vena tun-

denda. Si dexter pes laborat, vena dextri brachii ſecanda, ſi ſiniſter, vena in eodem latere in cubitu aperienda. Hoc enim commodius eſt, quàm venam in pede lateris oppoſiti aperire. Illa enim venæ ſectione humores fluentes revelluntur, hac tantùm derivantur. Eadem ratio eſt, ſi dolor ſit in coxendice. *Hic* & quantum ad novisſima imitatur *Spigelium*: ſi verò pedes laborant, ſimiliter in brachio mittere ſanguinem convenit ejus lateris, cujus pes afficitur. Hoc enim melius eſt, quàm venam poplitis oppoſiti lateris ſecundum aliquos Galeni autoritate ductos, aperire. Illa namque humores fluentes intercipiuntur & revelluntur, hac tantùm derivantur, quemadmodum alibi plenius demonſtrabimus contra vulgarium medicorum receptam opinionem. Non enim habent eandem vaſorum rectitudinem, ut putant illi, cum loco affecto pes ſiniſter atque dexter. *Et mox Platerum* ac *Paredam ſequitur*: Si dolor ſit in coxendice, diſtinguendum eſt: nam in principio, quia ſcopus revulſionis magis urget, ex brachio eodem ſecabimus venam, aut ex altero crure, potisſimum in mulieribus, in quibus ſuppresſi ſunt menſes: tunc enim revellemus & evacuabimus ex parte, magis tamen revellemus. Quòd ſi in principio, ex eodem pede venam ſecare auſi fuerimus, magis attrahemus humorem (deorſum impetum habentem) ad partem affectam. Factâ, revulſione, quando jam humor ex parte evacuandus eſt, quod indicat affectus factus, tum ex eodem pede ſecanda vena eſt. *Hanc eandem ſententiam* exprimunt verba *D.D. Sennerti*.

Nunc curæ ſit, prolato rerum ordine, quid ſentiendum, finire tandem ac ſimul breviare. Ut multa remedia, ita etiam detractio ſanguinis non ſunt ſine mixtura incommodorum. Incisâ venâ, humores redduntur commotiores, at corpus evacuatur iisdem, horum ut impetus compeſcatur. Quo nihil melius accidere poſſe videtur. *Avicenna* ſanguinis misſione curat vertiginem, quâ humores ſunt multò concitatiores. Hoc remedii igitur quô jure hîc timetur? *Paulus Ægineta* pituitæ rationem maximè habet. Aſt non multitudo ſanguinis tantùm, ut præclarè oſtendit *Alex: Maſſarias*, ſed etiã ejus impetus & gravitas morbi hoc auxilii genus aliquando requirunt. Nec non ſunt, qui afferunt, *Arthritide* accedente, vitioſos humores à principibus partibꝰ internis in externas, & eas quaſi ſer-

vas

vas depelli. Unde eos ægros & animo & corpore valere. Imò illo morbo, ceu medicinâ quadam, ad longam plerunque perduci senectam. Hunc igitur tàm salutarem motum nunquam missione sanguinis non inhiberi. Nec nos hoc remedii genus semper, sed tùm demum adhibendum ducimus, ubi dolor est intolerabilis, cui homo haud par, jam succumbit & sibi metuit incursum ab epilepsiâ. Nonnunquam corpus humoribus adeò scatet, & eorum vis tanta in artus commovetur, ut concipi nequeat, utque metus sit, ne similis in vitalia fiat impetus, tàm vehementer redundantibus humoribus, iisdemq; tàm impensè concitatis. Si ergò tã gravis, tàm periculosa, & horum artuum inflammatio urget, mittendus utique est sanguis. Sed iidem urgent, *Arthritidem* quandoque *criticam* esse. Cujus quoque *Vidum Vidium* lib. 4. de curat: cap. 3. meminisse. Si quis febre maligna diu jactatus, *Arthritide*, ut vocant, *universali* opprimitur, profectò humores, incisâ venâ, in sanguinem & in viscera ad vitam necessaria pernitiosè allicientur. Nos verò haud ii sumus, qui destinavimus sanguinem semper detrahere. Nec illa *critica* tàm gravis erit. Sæpius finitur sudationibus. Satis est, aliquid loci esse huic remedio, quod admodùm salutare prædicant experti, ut *Rhases*, *Kolreuterus*, *Franciscus India*, *Vidus Vidius*. Hi & autoritate priscorum nituntur, *Galeni* & C. Celsi. Si *Pareda* semper, urgente necessitate, sanguinem emitti censet, ego nihil contrà dico. Appetente vere maximè incidenda est vena, cùm cavendi morbum cura suscipitur. Ubi hic repetit sæpius, ceu malum familiare, sanguis singulis accessionibus mittendus haud est. Quam multi explicantur omni opinione citius, bononè Naturæ an quasi negligentiæ. Nonnulli manè sudant leviter in lecto, ac *pilulis Francofurtensibus* utuntur, reliquis remediis posthabitis. Si quis integræ ætatis primo *Arthritidis* incursu decumbit, ac sanguinis missione statim curatur, eâ adjuvatur plurimùm. Quin eo morbo hominem nunquam posteà tentatum fuisse, nonnullis observationibus est compertum. Nec ratio desiderabitur, cùm hoc mali in ipso hæreat sanguine. Scio quendam articulario morbo implicari cœptum, sanguine ter detracto, penitus convaluisse, at calculosum posteà fuisse. Hic manè sabulosam reddebat urinam, cæteroqui sanissimo simi-

lis ac sui negotii gerens. Interdum verò nephriticis ardebat doloribus.

Quod ad *secundam controversiam* attinet, impuri certè, crudique humores ac ii Massæ sanguineæ associati, tantum dolorem, tantumque impetum in artus facere queunt, ut sanguis omninò minuendus sit, incisâ quadam venâ. Quidam ætate provectus, naturâ pituitosus, aliquot dies genio, corporique indulgens, gravissimâ tandem arripitur *arthritide*; genu rubebat maxime, ipse animam ducebat ægrè, ac mentis prorsus alienatæ erat. Quare ei de nocte mittebatur sanguis; Manè resipiit penitus, â meridie privata etiam obibat officia, nec gressu amplius deficiebatur. In sanguine notæ sat crudorum humorum deprehendebantur. Peritè *C. Celsus*, *cum* sit, lib. 2. cap. 10. inquit, *minimè crudo sanguis mittendus, tamen ne id quidem perpetuum est. Neque enim semper concoctionem res expectat.* Quin sanguinis missioni est interdum locus, admodùm notabili *Cacochymiâ.* Quamobrem *Constantinus Lucas* lib. 1. in Avic: cap. de phleb: cap. 33. *humorum peccatum in quali, ac intemperiem aliquam simplicem partium venæ sectionem quandoque indicare, ac etiam illâ convenienter tolli, quemadmodum c. 34. ipsam sanguinis missionem à cacochymiâ indicari* ostendit, cacochymia, *inquiens*, licet primò ipsam purgationem indicet, secundo tamen loco etiam ipsam venæ sectionem indicare potest, quia & si cacochymia dicatur humorum peccatum in quali, in quantitate tamen etiam peccatum existit, & sicut essentiale plenitudinis est sanguinis augmentum, ita essentiale cacochymiæ est aliorum humorum à sanguine supra naturalem statum incrementum: unde sui natura evacuationem indicare potest. Et cùm phlebotomia non modò sanguinem educat, sed etiam alios humores cacochymiam facientes, propterea dicendum, quod cacochymia venæ sectionem uti evacuans auxilium indicare poterit. Tertiò si ex cacochymia magnus expectetur morbus, adeò ut celeri ac præsentaneo egeamus remedio, eo quoque tempore indicare poterit venæ sectionem, tanquam præsentaneum & expeditissimum auxilium. Quartò cùm cacochymia fieri possit citra & ultra sanguinem, citra intelligo in cruditate, & ultra in biliosis, ideò si ultra sanguinem excesserit, tunc

tunc uti intemperiem calidam habens sanguinis missionem, uti refrigerans indicare valebit. Denique si dicatur, quod humores ex illorum vitio poterunt irruere ad partes, tunc etiam affluxus ratione indicare poterit sanguinis missionem, vel tanquam revulsorium, vel tanquam derivativum auxilium. Iis itaque conspicuum fit, quo modo cacochymia indicare poterit sanguinis missionem, uti *evacuativum magnum, præsentaneum refrigerans, revulsorium* ac *derivativum auxilium.*

Consequens est, ut venæ nominentur. Nam non nunc id agitur amplius, detrahendus nec ne sit sanguis, sed quænam venæ artuum sint incidendæ. *Galenus lib. de Sangv. miss. 19.* tradit, *podagricos ex cubito, comitiali morbo & vertigini obnoxios potius ex cruribus vacuandos esse.* Simile quid *lib. 2. de morbis Vulgaribus* præcipit. Idem venam pedis incidi jubet, unde *Arabes*, ac mox juniores, *Bertrucius* & *Vidus Vidius. Paschalius* autem & *Pareda*, quos sequitur D.D. *Sennertus*, sunt autores, ut sanguis, etiam urgente *Chiragrâ*, ex brachio mittatur. Et M. *Gatenaria* eam adhibet curationem: *si est in manu dextra, fiat phlebotomia in pede dextro. Si tamen pedes sint debiles à natura, non debemus hanc facere, ne materiæ attrahantur ad pedes, sed tunc fiat à basilica.* Accedit & hoc, quod humores ob directam, rigidamque staturam corporis humani magis vergant deorsum. Itaq; incisâ pedis venâ, ii magis magisque alliciuntur, qui quoque insident; hi, licet inde mittatur sanguis, tamen remanent, tumorem jam facientes. Affligente dextri lateris *Ischiade*, sanguis ex brachio sinistro, mox ex pede ægro, rursus ex brachio, sed dextro detrahatur. Si fæminæ articulariæ non respondent menstrua, vena tali non semper incidenda est. *Johannes Paulus Turrianus* fæminam, *dolore manus dextræ indicem digitum & minimum lævæ occupante, ac etiam interdum sinistrum genu impetente*, curans, *intereà*, inquit, *scopum dirigerem ad curationem ægritudinis, quæ nunc instat. Nam menses posteâ ciemus ad præcautionem, eos tamen neq; in curatione negligentes.* Verùm menstrua tali detractione sanguinis sunt provocanda eo tempore, quo ea ferri solita sunt. Verendum est, ne pedes attracto sanguine onerentur. Si fæmina uterum gerens vel infantem lactans, *Chiragrâ* laborat, sanguis ex pede haud detrahatur. Hisce rarò eo

tempore proveniunt menſtrua. Sunt & aliæ circumſtantiæ,quas ritè expendere, artis eſt, & curæ. Multas fœminas Arthriticas curavi, quæ poſteà convaluêre. Abhorrui ab inciſione venæ pedum, qui tam facilè & ſponte interdum intumeſcunt, collectis humoribus. Idoneis pharmacis menſes poſtmodum moveri poterunt. Podagrici,deſperatâ quaſi valetudine, ſimul ac repetiit morbus,venam in pedis dorſo incidi jubent. Quo levantur, non verò liberantur,exercentur ſæpiùs,pedibus ſemper tumidioribus.

Neſcio quo modo tam rarò & quaſi inviti ad inciſionem venarum pedis deſcendimus,certè non ob id,quod cubitus & brachium ſint partes ſuperiores & magis vicinæ capiti, quod fons *catarrhorum*, *Arthritidisq́ Rheumaticæ* in vulgus habetur. Quâ mente *Rhaſes* cephalicum ſanguinem,cephalica cubiti venâ incisâ, retur emitti. Et ex recentioribus quoq; *Platearius:* Rheumatica cauſa perpenditur ex hoc, quod accidit cum capitis gravedine & humorum motu titillatio & fluxus per nucham & ſpatulas à patiente ſentitur,ſi ſanguinea materia eſt,fiat minutio de ſaphena ante acceſſionem, vel de cephalicâ,ſi cauſa eſt rheumatica.

Eſt hæc antiquitùs, vulgoq; recepta perſuaſio, id mali de *Cerebro* venire. O inſignem! O inveteratam delirationem! Sunt, fateor, influxiones humorum, ſunt & *catarrhi* ac eorum quidam, uti ego interpretor, etiam *cephalici*,nunquam verò, ut contendit plebs Medicorum ſuperioris ætatis, *Cerebrales*. Hi de *Cerebro* fluere, ſat diu crediti fuerunt, nunc ego eos in alium curſum contorſi, deflexiq; in Oceanum ipſum, in Maſſam Sanguineam,ex quâ deduci queunt omnes. Ut omnium rerum,ita & opinionum quaſi naturali, fataliq; lege mutatio eſt.Eſt terminus falſi. Hoc celare nec jus nec fas eſt. Si videmus deteriora, cur non meliora ſequamur? Ingenium humanum veri inveſtigandi deprehendiq; ergò eſt tam ſagax,tam inquietum, tam indeſinenter nititur. *Supervacuus*,judiceFabio,*foret in ſtudiis longior labor,ſi nihil liceret melius invenire præteritis*. Quoties quæſo, antiquitatem vel uſu vel doctrinâ & eâ quidem religioſâ videmus immutatam. Quare *Aur. Prudentius l.2.contra Sym.*

Nunc-

Nunc etiam quoties solitis decedere prodest,
Præteritosq; habitus cultu damnare recenti,
Gaudemus compertum aliquid, tandemq; retectum,
Quod latuit, tardis semper processibus aucta
Crescit vita hominis & longo proficit usu.
Sic ævi mortalis habet se mobilis ordo,
Sic variat Natura vices.

Cucurbitulæ artubus cavendi morbi gratiâ admoveri solent, non autem iis jam dolentibus, fit uti ab *Ægyptiis. Hi,* inquit l.3.c.11. Guilandinus apud Prosperum Alpinum, *in usu frequentissimo habent in podagricis doloribus ex sanguinis defluxu obortis post universalem vacuationem, tumefactos digitos dolentes scarificare, ea enim scarificatione modico defluxus sanguinis vacuato, mirificè eis conducit.* Cæterùm coxis efficaciter accommodantur. Unde *Barthol. Vicarius:* At si in parte exteriori nihil appareat, sed in ipso articulo mali causa resideat, iis potiùs, quæ foràs evocandi vim obtinent, dolori medebimur. Et ideò in coxendico dolore cucurbitulam sæpè propè partem dolentem infixam, corpore prius evacuato, profuisse comperimus.

Eadem Passio *Ischiadica* & fluxu venarum *Hæmorrhoid.* curatur. Testes sunt *Joachimus Camerarius* apud *Schenckium*, & *Peter Forestus.* Ejus observatio extat l.29. & est numero sexta: *de arthritide, podagra & chiragra, tertianæ intermittenti succedente ex hæmorrhoidibus restrictis: quibus denuò fluentibus podagra & chiragra cessarunt.* Unde *Liberatus de Liberatis:* Universali peractâ purgatione per venas hæmorrhoidales sanguinem iterum exhauriendum puto, maximus est harum venarum cum coxendice consensus: Nec displicet fluxione majori ex parte compressa, cucurbitularum parvarum supra natem affectam cum scarificatione multiplicatâ appositio.

Non solum ad Anum, sed ad partes ipsas dolentes admoventur *hirudines.* Præstò sunt autores, ut *Joh. Matth. de Gradi, Savonarola, Aubertus, Douynetus.*

Hirudinum adhibitione fluxus venarum *hæmorrh.* salubriter cieri solet. At nec earum suctu violento nec *cucurbitularum* scarifi-

rificatione membra dolentia vulnerari convenit. Commodè igitur *Johannes Michael Savonarola c. 22. de Arthr.* Et si phlebotomia fieri non posset aut propter ætatem aut propter aliam causam, tunc utere ejus vicaria, quæ est scarificatio, facta cum ventosis circa crura vel spatulas divertendo, aut provocabis hæmorrhoides aut menstrua. *Hæc ille.* Cavendi curâ cucurbitulæ cum emissione sanguinis adhibeantur. - Ea ratione quidam podagrosus senex singulis diminutionibus Lunaris luminis *cucurbitulas* plantis suis affigi patiebatur, levari inde se affirmans. Ubi verò adolescens tàm viridium annorum tentari podagrâ cœptus est, ei hoc remedium vix licebit hunc in modum experiri.

CAPUT IV.

De EXTERNIS REMEDIIS.

& quidem de REPELLENTIBUS.

NUnc ea, quæ articulis laborantibus adhibentur, remedia ponere destinamus. Hæc diversas habent facultates. *Hieronymus Gabucinius illud maximè expendendum ducit*, an à partium tantum modò imbecillitate, an ab humorum à naturâ alienorum multitudine, an ab utroq; is morbus prodierit: neq; enim fluxiones ob materiæ tantùm in articulis confluxum, sed etiam propter nudam qualitatem solam calidam, frigidam, humidam & siccam fieri solent. Quamobrem diligenter observanda vera effectrix causa morbi: remediumq; unicuiq; idoneum ac proprium, quoad ejus fieri potest, accommodabitur. *Hæc ille.* Nunc si simplex, *inquit Valescus de Taranta*, *Avicennam* secutus, *qualitas lædit juncturas, solis alterantibus curatur.* Verùm talis *Arthritis* fingitur potius: ea nunquam est simplex intemperies & sine materiâ, uti loquitur plebs Medicorum: ex inflammationis genere est: hæc verò nunquam extat sine humore. Qui certè si non multo sudore aut madore, tamen fotu & inde orto halitu dissolvitur. Quàm scienter itaq; *Galenus in comment. Aphor. 6. Aph. 49.* Hippocrates podagricis in-

inflammationibus terminum non integræ ſolutionis diem quartum decimum, ſed quadrageſimum poſuit, quia, qui in dearticulationibus humores inſunt, per ligamenta ipſos amplexantia oportet *per modum vaporis* evacuari. Commodè *Philotheus* etiam verbo ἀτμοειδῶς utitur. Quapropter ſolis alterantibus vix erit locus.

Repellentia, quemadmodum & ea, quæ vocant, *Prohibitiva* primo curationis tempore proficere exiſtimantur. Nam *Oribaſius* ex Græcis hoc ſcriptum reliquit, & quidem *l.4. de loc. aff. curat.* curatio eorum, qui morbo correpti ſunt, ab evacuatione debet incipere: tum repellentia adhibenda, ſi manus, pedesq; defluxione tenentur: at ſi coxendícum fluxio tenet, â repellentibus abſtinendum. *Similia* proferunt Arabes, ut *Halyabbas* & *Serapio*, ex recentioribus multi, ut *Franciſcus Pedemont. Peter de Largelata, Johannes de Tornamira*, *Arculanus*, *Chriſtophorus à Vega*, *Antonius Avaretz*, *Felix Platerus*, *Adrianus Spigelius*.

Ad id *Aquam frigidam Hippocrates 5. Aphor. 25.* tradit propriè valere: Tumores articulorum atq; dolores absq; ulcere & podagricos quoq;, & convulſa, horum plurima frigidâ aquâ largè affusâ levat & extenuat, ſolvitq; dolorem: nam modicus torpor dolorem ſolvit. Unde *Galenus 5. Aphoriſ. ſen. 25. & l.10. de compoſ. pharmac. ſecundum locos c.3.* ſimili aquâ utitur; *Item Aretæus.* Ex junioribus *Johan. M. Savonarola*: in augmento & ſtatu utimur fortioribus, de quibus infrà. Aqua enim frigida ſtupefactivum eſt debile & domeſticum, in quo habui honorem & maximè causâ exiſtente calidâ. *Bertrucius*: poſt purgationem fiant repercuſſiva, quare ponatur membrum patiens in aquam frigidam cum aceto & ſempervivæ. Sic & *Hier. Mercurialis.* Ac *Sigiſmundus Kolreuterus* ita: Aqua frigida, largè affuſa podagricos juvat, torpor enim modicus dolorem ſolvit. *Hæc ille.* Talis aqua etiam *Donato Antonio Sferro* fuit ſaluti.

Nonnulli ſuadent aut adjiciunt *adſtringentia*, ut *Ludovicus Duretus*: In materiæ gargaliſmo, ubi pars doloris acerbitate vexatur, non incipiendum à laxantibus, ut cataplaſmate illo ex mica panis & lacte, etſi valet ad leniendum dolorem. Primùm igitur utendum erit oxycrato, quod meatus conſtringet, materiam tem-

Eeeee pera-

perabit & incrassabit. Nec de aceto verendum est, quia non tam infirmos facit nervos ad motum ac sumptum. *Antonius Saporta:* Post alvum laxantis medicamenti administrationem, repellentium & adstringentium influentibus adhuc humoribus usus salubris erit. Sed frequentem frigidæ usum suspectum habeo.

Ætius cautionem adhibendam ducit: Si venæ sectione in sanguineis omissâ; repulsoriis pharmacis fueris confisus, magni mali autor eris. Ex ignobilibus enim membris ad principalia fit repulsus. *Hinc recentiores; Johannes Bachanellus*, uti etiam *Nicol. Florent.* Gilbertus, *inquit ille*, uti debemus repercussivis, donec cesset dolor & apostematis pulsatio, & tunc cessabimus ab iis: quoniam si ulterius usi fuerimus, ingrossabitur materia, & reddetur difficilis dissolutionis. Avicenna: Repercussio non oportet ut fiat, materia existente fortis effusionis; plurimæ resumptionis, nam materiam inobedientem facit, & dolor accidit magnus. *Item Lanfrancus:* Rhases & doloribus juncturarum prohibet; quod nec repercussiva nec resolutiva ponantur, nisi evacuatio congrua præcesserit prius.

Cæterùm *repercussiva*, ut vocãt & *prohibitiva* inter sese differunt, ut ob id hæc addat *Johan. Michael Savonarola:* Et pro complemento & apertione primi notati ex tribus paulò ante positis, advertendum, quod sic instante & infestante dolore duæ insurgunt intentiones: quarum una est ad repellendum materiam fluentem, & quæ jam in loco colligitur. Secunda autem ad prohibendum, ne amplius de materia fluat. Et in primo casu debent repercussiva super locum doloris apponi, & in secundo suprà juncturam, & prohibentia à repellentibus differunt, quia prohibentia debent esse purè styptica. Unde Gerardus super IX. Almans. emplastrum ponendum circa locum, debet esse purè stypticum. *Ac similia Nicol. Nicoli Flor.* Et prohibentia à repellentibus differunt in hoc, quod prohibentia debent esse purè styptica. Ait Gerardus: emplastrum ponendum circa locum, debet esse totaliter stypticum. Et posuit emplastrum ad hoc utile in materia calida. ℞. sumas mirtyll. boli arm. a. ʒß. sandali alb. & rub. acat. gallarum psyllii balaust. a. ʒj. ol. ros. ℥ij. aq. ros. & plantag. a. ℥iij. farin. lentium vel hordei ℥ij. F. Empl.

Empl. In materia frigidâ ℞. gallac. folior.expreſſ.myrrh.maſtich. thuris a. ℥iiij.gummi arabici ſandara. a. ℥ij. farin. cicer. aut orabi ℥ij.conficiantur cum aq. ferrarii, in quâ decoquantur ſavina & folia myrti.

Nobis nec *repercusſiva*,nec,ut loquuntur , *prohibitiva* ullo vel curationis tempore vel *arthritidis* genere probantur. *Hippocrates* vix ſibi conſtat: nam 5. *Aphor.* 17. ait, *frigidum convulſiones, diſtenſiones, livores & rigores febriles efficere.* Ac 2. Aph.50. *mutationem repentinam eſſe periculi plenam.* Quas verò rationes exponunt *Lygæus* & *Foreſtus*, eas prorſus diluit ſæpè laudatus *Georg-Fridericus Laurentius in Hipp. Aph.25. Sect.5. Exerc.15.* Medicinam quoq; ceu dubiam prodit C. *Celſus*: *Sin verò tumor,calorq́; eſt,utiliora ſunt refrigerantia, recteq́; in aquâ quam frigidisſimâ continentur,ſed neq́; quotidiè,neq́; diu fit, ne nervi lædantur.* Ac à recentioribus difficultas maximè agnoſcitur. Hinc tot monitus, ac illi explicatus tàm varii. *Hier. Mercurialis* eſt autor, ut aqua frigida de alto cadens inſtilletur. Certè ita nihilo minus,imò impendiò magis nocebit. *Proſper Martianus ita dijudicat*: frigida largè affuſa non omnibus adhibenda eſt,ſed juvenibus ac mediocriter carnoſis, in quibus calidum innatum partis non ita facilè extinguitur,dolorisq; vehementia viget. *Similiterq́; Chriſtophorus à Vega* : *quod non in omnibus fit,ſed in validis juvenibus & quadratis & æſtate media.* Nunc *Hollerius olea calida* illini præcipit,memorans in com. ad Aph. duos arthriticos,quorum alter, ubi invadit dolor,pedem ſenſim immergit in aquam nivalem, alter pedem ſtatim dimittit in aquam frigidiſſimam,atq; ita uterq; ſtupore dolorem levat. Sed ille(qui eſt ſatis carnoſo corpore) ſtuporem & frigus ab aquâ relictum, corrigit petræleo,quod calidum,& deinde involvit partem lanâ ſordidâ. Poſterior verò adhibet ſolum chamæmolinum,& macilento eſt corpore. Quamobrem,ſi quando in podagra & arthritide,his refrigerantibus uti, in animo fuerit , oportebit poſteà refovere partes calefacientibus, ut corrigatur ſtuporis & frigiditas. *Hactenus autor.* Ac ipſe prædictus *Savonarola* adhibet cautionem: Ego conſuevi adminiſtrare aquam frigidam,& contulit,de quâ ſuprâ,& maximè causâ exiſtente calidâ. Sed adverte, quod iſta, ut ſu-

pra, debent fieri cum magnâ diſcretione, ne ſi materia fluens eſſet multa,& reverteretur ad principalia, mortem aut deteriorem cauſaret ægritudinem, ſed *rarò* materia calida *eſt multa*,& rarò in cauſa frigida eſt inſuperabilis, & ideò benè conſidera pro expeditione horum. *Hæc ille.* Hic & reliqui corpus humoribus prius evacuari jubent: *Antonius Guainerius*, cuidam,*inquiens*, podagrico cholerico macilento debili à dolore admodùm moleſtato Judæus quidam,nullâ præmiſsâ evacuatione,petias madefactas in aquâ frigidâ membro ſuperimpoſuit, unde dolor adauctus eſt. Quod advertens Judæus embrocationibus & unguentis ſucceſſivè opiatis uſus eſt. Sed hinc Gangræna orta fuit, quam curavit Guainerius.*Hactenus ille.* Nunc Arthritidem *Criticam* excipit *Vidus Vidius*,unde *Pareda*, neque ſemper, *inquiens*, in arthritide repellentibus utendum,ut in Iſchiade,nec in Arthritide Criticâ. Neque repellendum eſt,cum ex parte principe fit fluxio, niſi fiat ad partem, quæ habeat inſignem uſum, qualis eſt oculus,tunc enim repellentibus utemur, quod non faciemus, ſi fluat humor ad articulos, quia magnum incommodum eſt, ferri humores ad partem principem. *Item M. de Gradi,Trinc. Heur. Iac.Pons.*

Tandem eodem *autore*, *V.Vid.*memorante *Gal.* l. 2. de hominis natura comm.11. adverſatur. *Jam,* inquiens, *non rarò cum in morbo articulari & podagrâ artus humores peterent, & illinc repulſi in principem aliquam partem invaſiſſent, morte conſpeximus hominem affectum eſſe, unamq; reſtare ſpem ſalutis, ſi ad artus retrahere eos valeamus.* Reſpondet quidem *Pareda*, *repellere & corroborare eſſe res diſtinctas: corroboramus enim in ſanitate,robur addentes parti, ne recipiat: repellimus verò in morbis humorem fluentem ad partem,& eum, qui jam fluxit. Jam nobis non licet articulos roborare, ne recipiant,quoniam ſunt partes languidæ, ad quas melius eſt humorem fluere,quàm ad aliquam,quæ neceſſaria eſt: poſſumus tamen repellere ex articulis,factâ prius revulſione,eo modo quo ſuprà diximus,quod idem in cute etiam efficimus. Ex his facilè liberatur Galenus à contradictione, quia in libro de hominis naturâ de repulſione, qua medicamentis roborantibus articulos fit, loquitur.*

Verùm eſto: revulſio fiat prius,quàm imponantur repellentia. Eorum vi tamen reliqui humores ita incitari queunt,ut rurſus

ſus principium petant, unde miſſi fuerunt. *Arthritide* ortâ, ſæpè alii humores ſubſequuntur. Horum quoque curſus *repellentium* uſu inutiliter impeditur. Si remedia ad artus roborandos apta nocent, quanto magis ea ipſa, quibus verus repulſus primo curationis tempore fieri putatur. Nunc quo jure *Savonarola* tradit *Arthritidis* materiam calidam *raro* eſſe *multam?* Quin potius plurima eſſe conſuevit. Talis naturâ ſuâ eſt valdè mobilis, ſi reprimitur, quàm facilè ad partes principes recurrere poteſt aut refluere in *Maſſam ſanguineam?* Ac quanto valetudinis diſpendio? Nec criticâ tantum *Arthritide*, ſed omni vel calidâ vel frigidâ, mali â vitalibus in extrema fluunt humores, qui inibi nequaquam ſunt ſupprimendi. Raro ſanguis bonæ notæ & ſyncerus in artus fertur, ut is in maſſam ſanguineam ſalutariter reduci poſſit. Hic adeò redundans per ſua vaſcula portatur in exitum, ut profluvia potiùs exiſtant oppidò ingentia. Licet, ut vult *Ætius*, ſanguis paulò antè detrahatur, licet quoque non alii quàm ii, qui juvenes ſunt, & quidem mediâ æſtate, uti admonent *Chriſtoph: à Vega* & *Proſper Martianus*, repellentium medicamentorum impoſitione cûrentur, tamen eorum vi non ſolùm artus urentur, ſed etiam cuncta turbabitur maſſa ſanguinis ſic, ut graviores inde naſcantur morbi. Jure ab hoc externorum remediorum genere *Avicenna* olim abhorruit, & nunc non pauci ex Junioribus, ut *Lud: Septalius* & *Vict: Trincavellus.* Nullus, *inquit hic*, gravior poteſt committi error, quā ille ſit, quem nonnunquam commiſiſſe aliquos divites & magnos viros vidimus, qui cùm eſſent dolorum impatientes, uſi conſilio quarundam muliercularum, aliorumque vulgarium, rebus adſtringentibus & repellentibus voluerunt crura & manus roborare. *Hæc ille.* Nec experimenta ſatis reſponderunt. Nos vidimus, *inquit Braſſavolus in com: ad ſuperiorem Aphor:* ab intenſiſſimis podagricorum doloribus, ex ſolâ aquæ frigidæ perfuſione & ſemel facta, ilico ſanatos: ſed his adeò pedes obſtupuere, ut immobiles ferè effecti ſint & mutilati. *Simile aliquid* memorat *Antonius Snebergerus lib. de Arthri:* Alium quoque vidi hominem repletum valdè in cibo & potu, cui ſuper podagrico pede, repercuſſivis frigidis appoſitis, in die unâ naturali, tibia tota adeò tumefacta eſt,

 ut

ut elephanticum judicasses, & infra diem tertium ad Plutonem permeavit. Nivem assumtam in potu articulares morbos & nervorum dolores generare ex Galeno & Sim: Sethi constat. *Atqui* *Chiffletius* obs: 59. *Gabelcoverus cent.2.cur.33.* ac *Horstius obs. chir.24.* quosdam juvenes lotione artuum frigida in eorum dolores, & quidem, ut vocant, arthriticos incidisse testantur. Plures igitur autores hisce & gelidâ aquâ abstinent, ut *Vallesius*, *J. C. Claudinus*, *Forestus*, *Epiphanius Ferdinandus*, *Zacutus*, *Heurnius*. Nec illa ratio probatur, quâ *Sanctorius in 1. Fen: Avic.* aquam frigidam admovet, si dolor, *inquiens*, est maximè insignis, & non cedat post anodyna, ego accipio vesicam bovinam, & illam impleo nive vel glacie, & cooperio syndone meo, ut ægri nesciant & non videant, & applico, dum persentiant tantam frigiditatem, primò certè mitigatur dolor, & eo magis, quia in illo dolore prius Medici calefaciunt & pejus faciant. Secundum vesicæ beneficium est, quod pars comprimatur, & compressione expellat. Sed notate, præcipuè esse refrigerandam partem superiorem paulò ante locum dolentem, & exprimitur calculus in vesicam. *Hactenus autor.* Aqua ad hunc modum adhibita humores reprimit; quare convenit minimè. Nec ea ad superiorem partem commodè ac tutò admoveri potest.

CAPUT V.

De LENIENTIBUS & ANODYNIS.

REpellentia illa verò & *adstringentia* minus ad rem, *Lenientia* igitur & *Anodyna* nunc videamus. *Lac* & *ovum* maximo præsidio esse videntur. Ejus mentionem statim habet *Gal. lib.X.de compos:pharm.secundum locos c.3.* Sunt pharmaca ab Asclepiade ad prædictas affectiones in quarto Externorum prodita, quæ Marcellæ inscribit. Epithema podagricis, Arthriticis, sedans dolorem. Usus est in ipsis vexationibus

℞. succi papaveris ℥ß.
croci ʒj.

Cum

Cum lacte bubulo aut caprino terito, & adjecto pane interno diligenter lævigato, ut molle Cataplasma fiat, & rosaceo admoto mollito. *Paulus* quoq; & *Ægineta*, item *autor L. de Simpl. Med. Fac. 5. 81. Ad articulorum phlegmonas valet ovum crudum totum cum rosaceo.* Nec *C. Celsus* libro 4. 25. omittit *Lac.* Quod si nihil superimponi patitur, id quoque sine tumore est, fovere oportet spongiâ, quæ in aquam calidam demittatur, in qua vel papaveris cortex vel cucumeris sylvestris radix decocta sit, tùm inducere articulis crocum cum succo papaveris & *ovillo lacte. Joh: Serapio* utitur *vitellis ovi:* Emplastrum fiat ex foliis caulium & vitellis ovi & fæce aceti vini cum ol: rosac: aut ex foliis rosarum recentium cum farinâ hordei. *Hinc turba juniorum. Franciscus de Pedemont:* Et ex expertis est cataplasma ex mica panis, vitellis ovorum, lacte mulieris & oleo rosarum, & conquassatis in modum ceræ. *Reinerus Solenander:* accipiunt quidam lac caprillum recens, tingunt multo croco, coquunt & coagulatum leviter imponunt. *Montagnana* in acerbis doloribus, quales in statu fieri consveverunt, præstantissimum affirmat hoc:

℞. vitellos ovorum nô. x.

Conquassentur in frixorio cum lib. semis olei rosacei, coquanturque leviter ad inspissationem, immiscendo croci ʒij. Et applicetur. Ista postrema duo verè anodyna sunt. *Leonh. Fuchsius:*

℞. lactis caprini aut Ovilli	℥ß.
vitell: ovorum	no. ij.
ol: rosac:	℥j.
croci	ʒß.

Medullæ panis quod satis, ut recipiat cataplasmatis formam.

Quod iisdem verbis reddit *Sigismundus Kolreuterus*, ac ferè *Lazarus Riverius.* Nunc & *Lac muliebre* adhibetur: *Johannes Angelus de Contecillis:*

℞. lactis muliebris vel caprini	℥j.
vitell. ovor.	no. ij.
ol. rosac.	℥j.

croci

croci 3ß.
medull.panis siliginis,ut sat sit.

Adrianus Spigelius hoc superaddere videtur: Quod si doloris necessitas vel initio paroxysmi, dum purgatur vel post purgationem, dum capitur decoctum chinæ sudorificum, topicis num mitigare postulet, fomentum cum pannis lineis sæpè, sæpiùs renovatis imbutis ac madidis lacte caprino recens mulcto maximè proderit. Fuerunt enim podagrici, qui capram in cubiculum adductam supra dolentem partem emulgeri jusserunt, cum magno levamine. *Sed ante Amatus Lusitanus*, teste *R.Solenandro:* Amatus Lusitanus tanquam singulare probat, quod scribit Turcis magnatibus familiare esse remedium, nimirum, quod introductam in cubiculum capram emulgeant in dolentem locum. Sed ego plus periculi ex applicatione hujus medicamenti timendum arbitror, quod facilè calcibus rationis expers bestia, incautis inferre posset, quàm sperandum linimenti. Quapropter ratio dictitat, fæmineum ex uberibus lac sine periculo salubrius immulgeri posse. *Itemq; Hieronymus Gabucinius:* Capræ lac in artus dolore conflictatos, ab uberibus statim demulctum, eos mirificè juvat.

Idem autor non solùm *oleo rosaceo*, sed etiam *cerato rosaceo* utitur. Quo etiam, *inquiens*, adversus erisypelata & in podendis inflammationes Galenus inter eorum præsertim initia usus est, illudque certo modo libr. Meth. 10. cap. 6. parari jubet. *Idq; etiam Æginetæ* probatur: ℞. opii ℥iiij, in alio codice octo, cerati rosacei libra: lacte muliebri opium terito, atque ita ceratum in pilâ misceto, & utitor, ut longè optimo. *Hæc ille. Autor incertus l.de Podagra* addit *acetum:* est aliud quoque remedium, quod iis, qui vehementer excarnificantur, adhibetur: cujus nos utilitatem experimento compertum habemus: ℞. olei rosf. partes ij, aceti albidi partem unam: & ferfefacito, atque his dolentem locum calfacito, quoad calor sufferri queat. Nam acetum discussoriam vim habet, & meatus reddit rariores: rosaceum verò oleum, intima quum penetret, discutit ac lenit. *Hæc ille.* Rationem exponit *Fridericus vander Mye:* Acetum exterius calidæ nervorum intemperiei convenit, interiùs omnibus nervis inimicum. Noverat hoc Agrippa, ut Plin. scribit.

Inpri-

Inprimis quoque B. *Bauderonius* : Si ineſt calor, ardorque, refrigerantia cum leni adſtrictione ſunt præſcribenda : quia articulis exiguus ineſt calor, qui eſt conſervandus & non extinguendus, ne humor morbificus parti impingatur, & affectus fiat immedicabilis : ob id tutius erit, mixtis odorificis hunc calorem fovere.

Ægineta etiam ex piſce *torpedine* ceratum ad eandem rem conficit.

Ac *Lac Humanum* quoque pluris faciunt multi, ut *Joh. Michael Savonarola, Tuſſanus Duretus & Gulielmus Adolphus Scribonius.* Celebre, *inquit hic*, olim habitum fuit remedium, quod parantur è pugillo medullæ panis in *lacte mulieris* diſſoluto, additâ croci drachmâ dimidiâ. *Caſparus Wolphius* : Celebre jam olim, nunc etiam frequentatum remedium medullæ panis p. j. diſſolv. in *lacte* calido *muliebri*, bubulo vel ovillo, cui adde croci ʒß. *Mox* hic utitur & *albumine ovi* : ℞. tria albumina ovorum benè agitata & deſpumata, cum ℥j. olei roſarum miſce, linteola in medicamento madefacta, ſubinde applica. *Quemadmodum & vitello & albumine Felix Platerus*: Ovorum ſumitur luteum & albumen, vel albumen ſolùm, agitando fortiter cum tertia parte olei roſacei vel chamæmoli, & cum pannis applicatur. Cui *crocus* quoque addi poteſt. *Addi*, ait *Johannes Paulus Pernumia, ob penetrationem*, ut loquitur ipſe. Nonnihil *ſalis* adſpergit *Georgius Horſtius* : Fiat cataplaſma ex mica panis albi decocta cum lacte bubulo, vitellis ovi, ol. roſato, ſalis atque croci momento.

Tandem *Opium* & alia *Narcotica* admiſcentur, uti à Galeno : *Quandoq;*, inquit l. d. ille, *Opium & crocum cum lacte trita cerato roſaceo excipimus, & linteolo infarta imponimus.* Hinc Græci, *Ætius, Ægin. Oribaſius, Alexand. Trallianus*; ex Arabibus, *Rhaſes, Gilbertus, Theocritus, Lanfrancus, Peter dela Cerlata opio* utuntur. Si opium, *inquit hic*, cum lacte miſceatur & liniat, ſtatim dolorem tollit. Dixit etiam Achinus & dixit Serapio, quod hoc maximè facit, quando miſcetur cum lacte muliebri & croco. Et Bartholomæus dixit, quod hoc fiendum eſt ſolùm apud vehementem dolorem, vel ab acumine materiæ, & non à materiæ multitudine. *Hæc ille. Antonius Guainerius* ʒjß. opii admiſcet vitell. ovi. *Hollerius* ʒß. ℞. medul-

læ panis pj. dissolvatur in lacte calido muliebri, bubulo vel ovillo, cui adde Croci ʒß. Et si vehemens dolor fuerit & calor, adde opii à ℈j. ad ℈ij. plus minusvé. Verùm *Caspar Wolphius* ℈ij. Et si vehemens dolor fuerit & calor, adde opii à ℈j. ad ℈ij. Vicissim *Liberatus de Liberatis*:

℞. olei rosac.
vitell. ovorum a.℥j.
vitell. ov. no.j.
opii.
croci a. gr. j.
M. Pro Linimento.

Græci, ut *Galenus*, & Arabes, ut *Avicenna* & *Serapio*, *cicutam*, itemque *Hyoscyamum* adjiciunt. Unde juniores, ut *Gul. Varignana*, itemque *Kolreuterus*: per experientiam & prodesse creduntur radices cicutæ cum posca coctæ, postmodum per medium scissæ & impositæ. *Ludovicus Duretus*: Avicennas interdicendum omni ratione putat *Opio* & medicamentis Opiatis, idq; ratione partis affectæ. Sed ego arthritidem sævissimam ex humoris affluxu natam curavi, & Deus sanavit, sanguinis detractione, clysteribus & vini abstinentia, admoto cataplasmate ex foliis hyoscyami coctis in lacte. Est anodynatum, quod infringit qualitatem acrem & venenatam, humorem subtilissimum incrassat, & partem non offendit. Nam hyoscyamus frigidus quarto gradu summam refrigerandi vim amittit illa coctione cum lacte. *Hæc ille*. *Rulandus* hisce utitur:

℞. ol. rosar. ℥iiij.
opii ℈j.
sem. hyoscy:
papav. albi a.ʒij.
cortic. mandrag.
sem. apii ʒj.
aceti vini ʒij.

F. Mixtura: quâ dolentes partes calidè oblinantur. *Hæc ille autor*. Nunc similibus quoque *Paschalius*, *Spigelius*, & *Sennertus* utuntur.

At

At *Paulus Ægineta* hoc præceptum probè custodiendum putat: Verùm stupefacientibus immorari non oportet, sed eo usque solùm, ut doloris vehementia moderatio fiat. Nam uberior ipsorum usus & humorum compactiones, & tofos, & diuturnas motus difficultates efficit. Unde *Avicenna:* Epithemata verò calida & narcotica omnia sunt nociva, calida quidem propter attractionem, sed narcotica propter congelationem & cruditatem. *Sic & Haly:* Cataplasmati adjice opii modicum aut corticum radicū *mandragoræ*, caveas autem obdormitantia medicamina, ne materia coaguletur. *Ex recentioribus Peter Bayer:* Plurimi antiqui & moderni utuntur in forti dolore linimentis ex opio. Ego verò non laudo ea, quia impingunt materias in parte affecta, quæ posteà tardè aut nunquam resolvuntur. In forti verò dolore soleo ego, cùm præmissis non sedatur, infundere petias ex lino subtiles seu mediocres in lacte calido, & applicare frequenter unam post aliam super membro dolente: possunt enim administrari sine aliqua suspicione. *Peter Paulus Pareda:* Quod si vehementissimus sit dolor, solent medici ad philonium Persicum & alia narcotica, quæ anodyna impropriè dicuntur, descendere. Existimo autem ego, melius esse, abstinere ab his, quia si ingentissimus, signum est fieri à sanguine bilioso, is autem, cùm tenuis sit, citò feretur ad cutem, tendones & nervos sine tensione relinquens. At Opium & alia narcotica bilem impingendo & impediendo ejus motum ad externa, longiorem dolorem efficiunt, etsi ad tempus ipsum sedent. *Ex eadem mente Viscerus, Josephus Quercetanus, Petrus Bruhesius.*

At *Sigismundo Kolreutero* facilè est, iis incommodis, quæ afferunt *Opiata*, remedia comparare: *differit is ad hunc modum:* Ubi verò dolor & inflammatio adeò sit fortis & vehemens, ut etiam ignem sacrum referat, ad folia papaveris, cicutæ, hyoscyami, mandragoræ, & reliqua opiata composita recurrendum. Ut ℞. opii ʒiiij. Croci ʒj. panis siliginei qs. unumquodque lacte sigillatim teratur, unitis deinde omnibus utere, potest & cerato rosaceo excipi. Item ℞. succi absynthii ʒiij. Croci & Ceræ tantundem, Opii ℈j. olei Irini ʒvj. Opium & crocum in passo diluito, & affusâ cerâ, & oleo unito, ac utere à balneo. Item ℞. Aloes ℔ß. centaur. ℥j. thuris myrrh.

 a. ℥ij.

a. ℥ij. lapidis aſii, opii, ſucci mandragoræ, ſtyracis aluminis ſcisſi a. ℥j. paſſo in paſtillos redigantur, uſus tempore diſſolvantur cum lacte & pennulis illinantur, linteolumque paſſo imbutum ſuperponatur. Item ℞. lactis caprini ℥ß. vitellos ovorum nu: ij. olei roſacci ℥j. croci ʒv. ſerm. papav. ʒij. opii ʒv. medullæ panis qſ. F. Cataplaſma. Item opium & crocum cum lacte trita cerato roſaceo excipito, prodeſt & oleum torpedinis & ceratum ex ipſo. Juſquiamus etiam ſuâ ſtupefactione conducit, projiciatur etiam mandragora trita in Butyrum vaccinum, & illinatur ex eo locus; Fiat etiam Epithema ex ſtorace & opio. Aliud fortè narcoticum. ℞. Opii cortic. mandragoræ a. ℥ijß. macerentur in aqua portulacæ vel lactucæ aut hyoſcyami, formentur pilulæ, quarum unâ cogente necesſitate, in dictis aquis diſſolvatur & illinatur. Confert & aqua chalybeata actu frigida copiosè ſuperfuſa, quia torporem inducit, & alia ſtuporem inducentia. Dictis hucuſque remediis ſtupefacientibus non utendum, niſi ſummâ urgente necesſitate, & eò uſque donec dolor ſedatur, partes quoque poſt eorum uſum rurſus recalfaciendæ & refovendæ, ut noxa à ſtupefacientibus inducta corrigi posſit, eorum enim uſus immodicus, humorum compactiones, tophos & diuturnas motus difficultates efficit. *Hæc ille.* Ejuſdem generis eſt illud, quod quoque *Platearius* adjicit: *at quoniam iſta ſolent quandoq; ceſſante dolore mortificationem inducere, conſequenter calefacientia & vivificantia ſunt apponenda, ut ſpica nardi & abſinthium.* Quid nonnulli, uti apud *Joh. Mattheum* in conſil. *Franciſcus Bornius* opiata, ſimiliaque, ſi corpori adhibentur, credunt nihil nocere poſſe. Accipe, *inquit ille*, Hyoſcyamum album cum ſemine circa feſtum S. Johannis collectum, minutim incidatur, deinde conjiciatur in fictile novum, cui ſubjiciatur alterum ejuſdem capacitatis vas, craticulâ diſterminante utrumque vas, deinde muniantur & lutentur labia vaſis utriusque, & ſic ſtare permittantur uſque ad ſolſtitium hybernum: tunc in vaſe inferiore reperies liquorem inſtar olei, quo partes dolentes foveri & inungi debent. Nec moveat V. Celſ. hujus herbæ malignitas & venenata qualitas. Extrinſecus enim ſine omni periculo uſurpatur. Sic ſtillatitia aqua hyoſcyami cum aqua roſarũ felicisſimè uſurpatur loco Epithematis ad conciliandum ſomnum.

Casſia

Cassia Fistularis quoque ad finiendos dolores podagrosorum optima habebatur. Eam illo nomine & *Græci* & *Arabes* prædicant. Unde *Avicenna*, & mox juniores. Ex iis *Antonius Guainerius*, emplastrum, *inquit*, ex cassia fistula, ut ipse expertus sum, plurimùm valet. Hinc *Franciscus de Pedemont. Item J.M. Savonarola, de cassia fistula*, inquiens, *linitâ experimentum habui.* Rursus: *Cassia fistula est etiam singularissima, scilicet tàm in causa calida, quàm frigida, sed in calida dissolvimus cum modico olei rosarum vel solatri.* Cataplasma, *inquit F.Platerus*, fiat ex cassiæ fistularis pulpa extracta sola, vel prius farina hordei aut sem. psyllii, aliorumque inspissata: cui olea aliqui, ut Rosac. chamæm. & similia miscentes, sic eam dilutam parùm inungunt, quod rectiùs aq. rosarum, solani aut plantaginis, aliisvè fieri potest, atque interdum adeò dilui, ut cum pannis intinctis in ea applicari possint. *Ac Jac. Sylvius. Mercatus* ita: sed majoris momenti compertum est plerisque fuisse emplastrum ex medulla cassiæ fistularis cum oleo violarum & mica panis. *Sic ferè & Leonellus Faventinus, B. Bauderonius, Helidæus Padoanus, Liberatus de Liberatis.*

Est & ad hosce dolores semen *psyllii*, inde illa, *mucilago sem: psyllii*, prædicatoribus quàm plurimis. Ex quibus sunt *Ætius, Ægineta*, Alex: *Trallianus*, Autor *de simplici medicinâ*, *Plinius*, *Avicenna, Haly.* Et magis, *inquit cap. 27. de Pod: Serapio*, juvativum hoc, & majoris effectus, & quod jam multoties probatum est, est psyllium, quando infunditur cum aqua & oleo rosaceo, & miscetur benè & fit emplastrum cum eo: & est ejus operatio plus, quando conficitur cum aceto propter virtutem, quę est in aceto, inventa etiam in fæce, quamvis acetum sit diversum à fæce in dispositione, quoniam acetum est plus subtile, quàm fæx, & fæx est vehementis grossitudinis. Postquam ergò in aceto sunt duo juvamenta æqualia in virtute, opus, ut sit majus amborum in substantia loco apposita. Inde secundum hanc dispositionem sedat dolorem sedatione mirabili, & extinguit inflammationem & ebullitionem, quæ accidit in membro. Et opus, quod fiat emplastrum cum eo, dum est frigidum, & permutetur semper, donec remaneat frigiditas ejus. Nam quamvis stipticitatem faciat, tamen quoniam miscetur cum psyllio, fit ex utris-

que emplastrum magni juvamenti podagræ nobile. Quoniam acetum per vehementiam suæ virtutis & suæ subtilitatis non prohibet ipsum aliquid à penetratione usque ad profundum membri, donec repercutiat & extinguat & exiccet. Et psillium propter viscositatem suam prohibet acetum à mordicatione propter grossitudinem suam, ut sit operatio ejus fortior in eo , quod apparet de corpore. *Hæc ille.* Hinc *Peter de Largelata, Nicol. Nicoli Florent. Franciscus de Pedemont. Ioh. de Concoregio, Iohan. Mich. Savonarola, Platearius, Peter Hispanus.* Ac *M. Gatenaria*, si percipiatur, *inquit*, vehemens dolor & inflammatio, singulare est, facere mucilaginem de psillio, in aquâ rosarum vel aqua solatri, ponendum etiam aliquid de aceto, quia dat penetrationem extrahendo illam mucilaginem, posteà ponere suprà dolentem locum renovando sæpè , cùm incipit calefieri, & hoc expertus sum, & debet esse psyllium, ex quo fit mucilago, quia partes exteriores sunt frigidæ, interiores verò calidæ. *Antonius Guainerius:* mucilago psillii me in sedando dolore nunquam fefellit. Miscetur cum oleo, alii miscent cum aceto. *Don. Altomarius* etiam scribit mirabiliter prodesse. *Eustachius Rudius* : semen psyllii in aqua ferventi maceratum & diligenter subactum, viscosumque factum, & hordei farinæ mixtum, admirabile est. Nam fervorem extinguit & loca affecta ad probam temperiem reducit. *Iacobus Sylvius & I. M. Savonarola* eo nomine laudant quoq; mucilaginem sem. fœnugr. *hæc*, inquit ille, *cum aq. & aceto extracta, adjecto posteà melle, multis probatum est efficax remedium si triduò hæreat.* Verùm ad dolorem leniendum tantoperè non valet, nec etiam semen lini. *Mucilago*, inquit Steeghius, *psyllii lenit optimè, mucilago sem. altheæ etiam lenit , Lini plùs digerit.* Cæterùm pleriq; omnes laudant hanc sem. psyllii mucilaginem, ut quoq; *Mercatus, Platerus, Iac. Fontanus, Antonius Alvaretz.* Ac *Hieronymus Gabucinius* etiam *psyllio* ad huncce modum utitur: psyllium aqua maceratum, diligenter subactum, si quod viscosum ejus est, farinæ hordeaceæ incoquatur, permisceaturq;, flagrantes æstu inflammationes mirandum in modum solatur, & ardorem doloris extinguit atq; affecta loca ad temperiem restituit. Ad extremum verò dicendum est, de hac re inter autores non convenire. Nam *Diosco-*

Dioscorides & Avicenna psyllium ait esse venenatum, *Mesues* eam herbã edocet ex diversis,interq; se pugnantib9 facultatibus constare, substantiam exteriorem super corticem expansam esse valdè frigidam,contra interiorem medullarem esse calidam, siccam, incisivam, rubrificativam,ulcerativam,& esse de genere veneni.*hic ille.*

Ossa hisce doloribus similiter accommodata dicuntur: *Rhases enim ait sic*: Aliud unguentum mirabile, quod confortat membrum,& sedat dolorem: accipe ossa combusta sicca,ablue primum in aqua, posteà sicca, adde zurungem, amylum, cerussam cum aqua & camphora. *Hinc Caterva venit recentiorum* autorum approbantium, ex quibus *Heringium* nominatim appellâsse, satis erit.Hic ita:

℞. ol. ex ossibus humanis siccis ☉ & ☽ multis annis philosoph. (expositis ℥j.
terebinth.
Juniper. a. ℥iij

M. & destilla omnia adhuc semel in balneo,& posteà ungatur locus affectus: & ê vestigio tollit omnes dolores podagricos ê frigidâ causâ ortos,si à calida, in destillato oleo solve camphoræ ℥j.M.verbis iisdem exprimit sententiam *Zimara*, eadem repetere piget. *Podagræ dolorem lenit*, inquit Johan. Matthæus, *talis porcinus ad albedinem combustus cum sufficiente vini sublimati, in quo prius chamæmelum coxerit,loco fomenti.*Sic iterum *Heringius.*

Nunc *Hermodactyli* ad eosdem dolores discutiendos privatim valere perhibẽtur. *Avicenna, Mesues,Serapio,Rhases* sunt præcipui assertores. Quanquam & L. *Apulejus* ita: 'Herbæ Hieribalbi (Hermodactyli) accipito Uncias Sex,sevi caprini tantundem, olei cyprini libram & Uncias duas, in se pisatis & commixtis uteris,dolorem articulorum tollit. Asphodelus facit dolorem tibiarum vel pedum. Herbæ asphodeli radicum succo & oleo amygdalino unges,quod dolet,mirificè sanabitur: etiamsi tumores fuerint, ipsam tusam & subactam impones. *Hinc Alchinus* & *Franciscus de Pedemont.* Emplastrum ex sale cum farinâ & melle, *Hermodactyli* more emplastri suppositi cum farina hordei aut mica panis pinguis & vitello ovi. *Item Peter de Tussignano, Joh. de Concoregio, Guido*: in

materia calida auxilia repercussiva sunt trium formarum. Prima est Avicennæ cum aquis endiviæ, rosarum, plantaginis, solatri, decoctionis santali cum ol. rosaceo & cera. Secunda forma est Rhasis: ℞. santal. rub. boli arm. opii cum aceto & aq. rosar. Tertia forma est ibidem ℞. ossium combustorum lavatorum & desiccatorum, *zurunge*, quod creduntur *hermodactyli*, amyli, cerussæ a. partem unam coq. cum aq. ros. camphoratâ. *Gulielmus Varignana*: Si autem opium dissolvatur cum vitello ovi, & maximè cum lacte, & applicetur statim, tollit dolorem, hoc est, *in causâ calidâ*. Si autem fiat emplastrum ex *hermodactylis*, statim dolorem sedat. Succus asphodelorum cum oleo amygd. inunctus pedibus, dolorem ipsorum tollit, & hoc expertus sum, quod miro modo & citò efficit. *Sic ferè* & *Alexander Benedictus*. *Johannes Marquardus* ad huncce modum: Illinitio cum gallis, *hermodactylis* & luto armeno super membro propter fluxum causantem dolorem, valet in frigida. Itemque *Kolreuterus*, *Antonius Saporta & Adrianus Spigelius*: valent etiam quorundam testimoniis hermodactyli pulverizati cum farina hordei & vitellis ovorum, in massam redacti, quæ massa extensa super lineum pannum loco patienti calida applicetur, per modum emplastri. Nunc & *Theophilus Montius*. Ac *Felix Platerus quoque*: Lac vaccinum aut aliud irroratum vel ex alto diu tepidum infusum aut panno lineo in eo madefacto, applicatum. Quod ab initio Chalybeari potest, & ut dolor magis sedetur sem. lini fœnugr. in eo decoqui, & cum parti appropriatum reddere volumus, Hermodactylos, aliavé reddere possumus. *Hunc & Spigelium Dn. Doct. Dan. Sennertus* imitatur;

℞.	lactis recenter mulcti	℥jß.
	medull. panis tritici	ʒv.
	farin. hordei	℥jß.
	hermodactyl. vulgar.	ʒvj.
	Croci	ʒj.
	ol. Chamæm. q.s.	
	F. Catapl. *Hæc ille.*	

Tussanus Ducretus etiam *Hermodactylos* addit in *suffimentum*, quo artus maximè sunt afficiendi. Nunc *Colocynthidem* quoq; *Galenus* de

de compos. phar. sec. loc. l. x. & *Aëtius*, ac hinc *Alex. Benedictus*, *Agaricum* ac *Scammoneam Felix Platerus*, & *Bauderonius*, *Helleborum nigrum* denique *I. M. Savonarola* imponi jubent. *Ætius* simili ratione etiam *Satyriis* utitur. Est &, *inquit Hieronymus Gabucinius*, ægyptiæ siliquæ succus niger non inutilis vel per sese, vel cum fl. chamemæli polline. Id enim experientiâ non semel comprobatum est, præstantissimum fore medicamentum ad sedandos id genus dolores podagricos in accessione.

Verbascus majori auxilio esse creditur. Ejus mentionem infert *Paulus Ægineta* hisce verbis: prodest sylvestris & hortensis atriplex cum pane imposita, aut *verbasci* folia cum bulbis & pane trita, aut cum polenta, aut ex cruda hordeacea farina cataplasma. Hinc *Autor incert. l. de podagrâ*: *Nonus*: *verbasci folia cum bolo & farinâ hordeacea*. Ac *Apulejus*: herba verbascum contusa atque imposita, infra paucas horas dolorem efficaciter sedabit, ita, ut etiam ambulare queat. Hanc impositionem autores præcipui proficere affirmant. *Felix Platerus*: oleum ex floribus *verbasci* recentibus in vitro benè clauso Soli expositis spontè effluit; vel maceratione in oleo vel in vino, etiam in calore solis vel alio, in vase clauso fit. *Inde juniores*; *Rein. Solenander*: item colligunt álii (quod ego subinde feci, liquoremque ita extractum asservo) flores *verbasci*, his implent ampullam, cui non hians admodum nec patens orificium est, obturatam defodiunt in equinum fimum, atque ita mensem relinquunt, alii Soli exponunt, sic diffluunt, inque liquorem abeunt flores: hic egregiè solet tepidè in linteo appositus juvare, vel infunde in vini albi s.q. & per alembicum destillatur. //
Hinc D. D. Sennertus: ℞. fl. *Verbasci* q.V. infunde in s.q. vini rubri per duos menses, dein destillentur. Destillatâ aquâ locus foveatur, & deinde inungatur oleo seu liquore de floribus verbasci, vitro clauso ad radios Solis tempore æstivo collecto. *Donzelinus apud Matth.* Lintea in aqua *verbasci* intincta imponi præcipit. *Crato* vigentibus (ita loquitur) & urgentibus doloribus, *Destillatum foliorum verbasci cum thure & myrrhâ* admovet.

Ex *Lapidibus* adversus hos dolores valet *Sarcophagus*. Lapis, *inquit C. Celsus*, qui carnem exedit, quem σαρκοφάγον Græci vocant,

 exci-

excisus, sic, ut pedes capiat, demissos eos, cum dolent, retentosq; ibi levare consvevit. *C. Plinius*: prodest & phthisicis linctu, fit & cataplasma ex eo podagris, misto fabæ lomento. Inde *Anselmus Boethius Boot*: gustu salsus podagras lenit, pedibus in vase ex eo cavato inditis. *Hic autor* eodem nomine *Lap. Ophitem* memorat. Ex lapide Lazulo, *inquit idem*, oleum extraxi, quod somnum & requiem conciliat, atq; si eo caput & ventriculus inungatur, visus mirum in modum corroboratur. Podagræ etiam dolores & inflammationes subitò levat. *Hæc ille*. Tantas vires Lapidi *Bezoar* potius assignat *Georgius Horstius*: Quoad topica, non possum intermittere, quin unius atq; alterius mentionem hic faciam: primum ante paucas septimanas communicabat mercator quidam Augustanus, ad Acidulas Ulmenses Uberkingæ mecum vivens, cujus parens Scheutlinus fuit, celebris olim istius Reipubl. medicus, qui lixivio sale sufficienter condito dolores podagricos diutissimè præservavit, cui tepefacto pedes, jam jam instante paroxysmo, protinus immisit, idq; nunquam ex toto renovavit, sed quò diutius id repositum fuerat eò, utilius id ipsum experiebatur. Alterum Generosissimus Imp. Procancellarius Dn. ab Ulm, Liber Baro in Erbach &c. commendabat, à Gallo quodam sibi instar arcani revelatum, nimirum pul. lap. Bezoart. orientalis cum rosaceo melle & aceto colore levi miscendum, & instar cataplasmatis articulis dolentibus adhibendum esse, cujus beneficio dolor unius noctis intervallo protinus leniatur, ut die subsequenti membrum consueta munia motus animalis vicissim peragere queat. Hoc ipso non tantum Imperatorem Matthiam p. m. sed se quoq; non semel, imprimis gravioribus negotiis urgentibus successu felici à vehementioribus insultibus liberatum fuisse. *Ad hæc Michael Döringius*: Cataplasma è lapide Bezoar cum melle rosaceo & aceto subacto paratum, nimis sumptuosum est, posset procul dubio C. C. præpar. Terra aliqua sigillata, vel Bolo similive absorbente, eundem effectum multo minori sumptu consequi. Sed enim stultitiam patiuntur opes. Mihi farina siliginea sufficit. Nostratium quidem siliginem è Cerevisiâ nostrate, quæ tritica est, (triticum verò anodynum est) ad crepaturam coctam, alii vinum, in quo sal communis efferbuit,

com-

commendant. Quæ duo tametsi domestica sint & parvi pretii, illo tamen pretiosissima vix sunt, quoad vires ignobiliora.

Nonnulli *Urinam* docuerunt imponere, quemadmodum *Alexander Trallianus*, ubi, *inquiens*, initio videris pedes inflammari, allium lævigatum quotidiè bis inducito, non solvens, donec fuerint exulcerati: deinde urinæ pueri impubis, quam calculis marinis candentibus incenderis, omnia injicito & utitor: posteà si absinthio pedes obducas, adeò efficax est, ut non amplius podagra infestet. *C. Plinius l. 28. c. 6.* Urina virilis podagris medetur, argumento fullonum, quos ideò tentari eo morbo negant. *Adrianus Spigelius* aliam originem detegere videtur: impositam, *inquiens*, veterem urinam humanam mirabiliter profuisse vidimus absq; balneo, solo fomento, etiam adhuc perstantibus insignibus doloribus, fortassis ex consilio quorundam barbarorum, qui scribunt: in urina hominis patientis vel alterius hominis valdè senis calefacta intingatur pannus albus non coloratus, & loco dolenti calidus applicetur. *Hæc ille.* Atq; *Varignana* sic: Et dixit, quod si quis occultè ceperit urinam muli, & coxerit cum cera, oleo, & lithargyro, & emplastraverit pedem podagrici, homo quidem sanus fiet: Pes autem muli, dolorem habebit. *Solenander*: novi ego senem quendam apud nos in pago, is sibi ipsi in podagrâ hoc modo feliciter medicinam faciebat. Cum tumor & dolor magnus, locus rubens: accipiebat salem, cinerem, urinam pueri & acetum, in iis commistis & agitatis madefactum & expressum pannum laneum album applicabat aliquoties: sedato jam magnâ ex parte dolore, morbo declinante, incoquebat ☿ vivum & pulverem hellebori albi, oleo seminis lini, eoq; affecta loca allinebat. Quorum usum non improbo, quod ratio non refragetur, & experientia ipsa sæpenumero profuisse compererit. Hinc *Riverius*. *Heringius* aquam ex urina bubula, calce viva & Sulphure vivo conficit. In urina, *inquit*, calx viva extinguatur, & cum ea per residentiam aut colaturam depurata locus dolens foveatur. Dissolvitur Colcothar in urinâ hominis sani, ut fiat instar pultis, deinde exiccatur, rursum urina inspergitur, iterumq; siccatur, atq; hoc ter, quatervè repetitur, tandem colcothar hoc Retortæ ad latus inclinatæ inditum furno imponitur,

ac institutâ destillatione acre phlegma elicitur, cujus portio aliqua oleo verbasci, sambuci, populi vel ranarum, vel ex floribus calthæ palustris parato misceri, & pro fluxionis podagricæ conditione dolenti parti applicari & superponi poterit. Et sali communi ustulato affunde urinam puerorum, digere per octiduum loco calido, trajice per filtrum, coagula, solve in marmore, solutum age per Retortam triplici luto munitam igne reverberii, fracto vase exime caput mortuum, tere, refunde destillatum, digere & destilla, idq; novies vel decies repetere poteris, vel salem sublima, solve & destilla. *Antonius Saporta*: *Urina* cum sale, si ex ea foveatur locus dolens, est ex usu, nec non & ebuli succus. *Johannes Vigierius:* potest etiam foveri locus dolens aut propriâ ægri urinâ, vel cum sale fuso in conveniente liquore dissoluto, vel salis muriâ. *Sic ferè Peter Severinus.* Tandem & *Kolrenterus. Urinam* in clysteres addunt *Weckerus, Libavius, Quercetanus,* hinc *Heringius. Urinam mulæ* dicit *Feyneus.*

Stercus Vaccinum etiam doloribus illis sedandis est, si Galeno l.10. de simplic. Medic. Facult. credimus. Medicus quidam medicamentorum peritus in Mysia aqua inter cutem laborantes bubulo stercore oblinens, in solem exponebat. Atq; hic ipse imposuit & partibus rusticorum phlegmone obsessis humidum illud vere collectum, cum herba boves pascuntur, non paleis. Ut illud, quod pascuo herbaceo provenit maximè ad phlegmonas accommodatur. Autor hujus medicinæ *Dioscorides* esse videtur. *Rursus verò Paulus Ægineta:* Facit & bubulum stercus cum farina hordeacea, in aqua mulsa coctum, aut per seipsum recens humidum impositum cum brassicæ foliis. *Avicenna:* Et emplastro cum stercore vaccino, est fortis valdè in doloribus juncturarum & dorsi & genuum, & est quasi melior pluribus aliis. *Rhases l. 1. de facultatibus Animalium c.3.* Stercora boum recentia in modum emplastri superposita, podagræ conferunt. Item *Haly.* Inde turba ingens recentiorum. Ex his haud tacendi sunt *Lanfrancus*, *Theocritus, Rogerius Peter de lá Cerlata*, *Peter de Tussignano, Bertrucius, Franc. de Pedemont. Joh. Matth. de Gradi, Varignana, Platearius, Christophorus â Vega, Sylvius, Dominicus Leonus, Rondeletius, Pareda, Fel. Platerus, Georgius Schenckius, Tussanus Duretus, Hier. Gabucinius,* in frigidâ intemperie, *Sigismundus Kolreuterus.* Quidam utiliter, teste-

teste *Spigelio*, adjecit *butyrum*. *Stercus vaccinum*, inquit Valescus de Taranta, *mihi videtur distemperandum cum lixivio*. Mitigativum, *inquit M. Gatenaria*, & aliqualiter resolutivum est stercus vaccinum cum illa actuali caliditate, quâ egreditur.

Aquam stillititiam, ut vocant, *Stercorum bovis Pulverinus* & *Bomius* memorant, *Godofr. Steeghius* stillititiam *ex hepate vitulino*.

Stercus leporis distemperatum cum vino calido emplastratum sciaticos omninò curat desperatos, teste *Kyrano*.

Stercus *Caninum* etiam nonnulli, ut *Kolreuterus*. ℞. stercoris canini ℥ß. terantur cum ℥v. axungiæ & illinatur, hoc enim multos servavit, vel caninum stercus aquâ calidâ subactum illine, olerisq; alicujus folia superpone. *Itemq; Platerus*.

Stercus Cameli eadem de causa prædicat *Avicenna*, sedat, *inquiens*, dolores juncturarum. Hinc *Peter de Largelata* & *Franc. de Pedemontio*.

Fimum pavi podagræ æstum extinguere, scribit *Hieronymus*.

Stercus capræ sylvestris etiam convenit: quemadmodum scriptum reliquit *Dioscorides*. Unde *Paulus Ægineta*: Similiter etiam caprinum stercus per se aut cum farina hordeacea, ex posca coctum adhibetur. *Sextus Philosophus*: Stercus capræ cum acerrimo aceto mixtum sanat morbum articulorum. *Rhases lib. 1. de Facult. Natural. cap. 5*: Et quando conficitur sevum cum stercore caprarum coctum, & croco, & ponatur super podagram, dissolvit dolorem. *Nonus*: ℞. caprillum stercus cum farina hordeacea, sic ut mulsa addatur, ad cataplasmatis modum inducito. *Kiranus* similiter. Unde *Francisc. de Pedemontio*: Stercus caprarum montanarum cum adipe porci est conveniens, oleum vetus & aristolochia bibitur, & epithematur super eâ & propriè rosa. *Joh. Michael Savonarola*, *Gilbertus*, *Lanfrancus*, *Varignana*, *Hier. Gabucinius*, in frigida materia, *Platearius*, *Platerus*. Ac *vesicam capri* quoque ajunt prodesse, ut *Nic. Nicoli*, *Joh. Mich. Savonarola*, *Heringius*, *Joh. Eusebius Nirembergius*, *Stercus porci* & *Apri* quoque idem præstare ajunt, *Sextus Philosophus*: Stercus agrestis *apri* & sulphur colatum, & hemina vini picati potata, coxendicos emendat. *Plinius*: Lumborum dolores, & quæcunque alia mollire opus sit, cinerem *aprini* fimi inveterati

Ggggg 3 asper-

aſpergi potione vini convenit: item luxatis recens fimum caprinum illinitur. Similiter *Ætius*, & hinc *Rogerius*. *Ætius* & dicit Cerebrum porci. *Kolreuterus*: ℞. Cerebri porci quantumvis, teratur cum amylo & roſaceo, & appone.

Stercus *Ciconiæ* etiam ad id nobile putatur. Autores præſtò ſunt *Gilbertus* & *Nic. Nicoli*. *Fl. Gilbertus*, inquit hic, *dixit, quod ſtercus ciconiæ cum adipe porci mixtum eſt eis utile. Ego autem invenio utile ſtercus pavonis ſolum*. Hinc & *Sigm. Kolreuterus*. Autor medicinæ eſt *Ætius*: aliud multâ experientiâ cognitum, inveteratæ affectioni accommodatum. Stercoris *Ciconiæ* quadrantem, cum pari auxungia tritam illinito. Utere, nec unquam patefacito. Multos enim ſervavit.

Caro lupi idem præſtare perhibetur. Hæc caro lupi recens, *inquit Felix Platerus*, vel ſalita appoſita probatur. *Caro* item *vitulina* ſemitoſta valdè profuit. *Baldvinus Ronſeus*:

Si quem excruciat valdè nodoſa podagra,
Calceus aptetur pedibus de pelle lupina,
Tolletur ſubitò cruciatus parte dolente.
Nec repetet morbus talis, dum calceus adſit.

C. Plinius *capillos mulieris uſtos* cum adipe ſuis credit efficaces. *Pueri primi capilli*, inquit Sextus Philoſophus, *à nativitate ſi pedibus dolentibus impoſiti fuerint, ſanabuntur*. Rurſus revertimur ad carnem. *Caro aſini ſylv. inquit Rhaſes Antidot. lib. 1. cap. 8*, valet contra dolorem ſpinæ & ancharum. Medulla aſini ſylveſtris, ſi inungatur ex ea, curat podagram, & aufert dolorem ejus. *Tacuinus ſeu in Tab. Tacuini* ſimiliter. Inde *Sigiſmundus Kolreuterus*: Doctores Italiæ quidam inteſtinis animalium magnorum, affectum membrum non ſolùm in ſciatica, ſed & aliis articulorum doloribus involvunt. *Et rurſus*: Quidam podagricos in ventrem aſini occiſi, poſtquam per 14. dies furfure nutritus fuerit, conſcendere jubent, ſed curioſum hoc eſt, & ex parte abſurdum. *Hæc hic*. *Anodynum ad omnes dolores eſt Marcelli de Medic.* cap. 36. & conſtat ex *carne agnina, caprina, bubula*, ex pice, nitro &c.

Poteſt verò *caſeus* etiam ad hos dolores. *Ætius*: Caſeus recens coactus impoſitus mediocres inflammationes etiam ſolus juvat, &

& cum polenta aut farina præſertim hordeacea. Habet enim in ſe non modò quid repulſorium, ſed & diſcuſſorium, per quod & tenues fluxiones repellit, & humores in articulis evacuat. *Quo nomine* maximè *caſeum capræ* laudat *Antonius Guainerius. Sigiſmundus Kolreuterus*: Sufficit aliquando caſeus recens coactus impoſitus cum farina hordei aut polenta. *Andreas Laurentius*: caſeus recens probè miſtus cum oleo roſaceo & farina hordeacea, vel potius cum ſola aqua roſarum optimè ſedare creditur dolorem & inflammationem.

Sanguis menſtruus ad idem nobilis habetur, uti â *Dioſcoride*, à *Serapione*, *C. Plinio*, ab *Alexandro Tralliano*. Ejus verba ſunt hæc: Puellæ virginis primis menſtruis inquinatum panniculum illinito: ac ſi aliquando feceris, podagrâ non laborabis. *Avicenna* quoq; *Sanguinis calidi* mentionem facit, uti aquæ ſanguinis humani *Peter dela Cerlata*. Unde *Honorius Heringius*: Sanguis podagrici per phlebotomiam aut ventoſos tractus ſervetur, ipſo tamen inſcio, quâ in re hoc uti velis, deſtilla eam ter per B.M. in aquam.

℞. hujus aquæ ℥iij, quibus adde
ol. roſar.
ſapon. venet. liquef. a. ℥ß.
axungiæ hum.
urſin.
ſucci barb. Jovis a. ℥j.
medull. bovis ℥ß.

Omnia benè coquantur in æneo vaſe, donec in ſpisſitudinem unguenti convertantur, asſiduè tamen agitentur, ne comburantur, poſtmodùm in augmento Lunæ octavo die ſemel patientis plantæ ferro pungantur, ut pro ventoſis applicandis fieri ſolet, partes dolentes itidem ad hunc modum etiam aperiantur, & calidisſimè unguento ſupra dicto perungantur, ut penetret, ſic fiet, inquit Autor hujus medicamenti, ut in 9 ſeptimanis podagra abeat. Unguentum hoc annis decem in ſuis viribus conſervari poteſt in loco temperatè frigido. *Et rurſus*: Sanguis menſtruus cum adipe bovino ad ignem miſtus, ac podagricorum doloribus impoſitus, eos placat. *Hæc ille. Weckerus*, *Sanguinem menſtruum*, ait, *non eſſe reformidandum.*

dum. Fertur & *extr.ſangv.hum.F.Platerus* laudat *ol.ex ſanguine cervi*, *Kolreuterus* ſanguinem *catuli* trium dierum illitum. Imitatur *Petrum de Largelata.* Sanguis iſtius generis etiam *tophos* diſcutere putatur. Prædicatur & *ſanguis leporis*. Valeſcus de Taranta: *ſanguis leporis calidus ſanat juncturas podagricas perfectè.* Nunc & *ſanguine teſtudinum* utitur *Galenus lib.7. de compoſ. Medic. per genera.* Sanguis *Hirudinis* etiam quæritur. Rurſus quoque *Fel urſinum* laudatur.

Ranæ dolores podagroſorum hominum finire dicuntur. Hujus Medicinæ meminit *Galenus de compoſ. Medic. per Genera libr. 7. pag. 271.* Accipe verba: *Aliud Acopon Diaphrynon, id eſt, ex rubetis Ranis.* Dein ponit *aliud Flavii Clementis confectum pharmacum. Hujus uſu novimus homines toto corpore diſtortos à Podagra, chiragraq; adeò convaluiſſe, ut citra noxam ambularent.* Mixturæ variæ inibi inveniuntur, ut oleum. Hinc *Plinius. Rhaſes lib.1. cap. 24.* ad hunc modum: Quamvis ego declino parùm ad has res, tamen bonum eſt, ſcribere in libro noſtro, ut non remaneat tractatus ſine iis, quæ dixerunt antiqui. Dixit Tortor, ſi ſcinderis pedem ranæ, & ligaveris ſuper pedem podagrici, per tres dies curatur, ita, quod dexterum pedem ranæ, ponas ſuper dextrum patientis, & ê converſo. Et *libro primo* cap.30. Qui abſcindet pedem ranæ ambulantis in aqua, deinde ſuſpenderit illos duos pedes ſuper podagricum ligatos in corio cervi, curabit ipſum. *Hæc ille.* Si quis, *inquit Kiranus*, accipit juvenem ranam in nomine dolentis, quando nec Sol nec Luna fuerint ſuper terram, & cum forcipe duos poſteriores pedes abſciderit, & ligaverit in pelle cervina, & dextrum dextro pedi & ſiniſtrum ſiniſtro alligaverit, podagricos ſanabit ſine dubio. *Hæc ille.* Unde *Varignana, Arnoldus Villanovanus, Peter dela Cerlata, de Tusſignano, Guido, Montuus, Ant. Guainerius, Joh. Michael Savonarola, Alex. Benedictus, Felix Platerus, Godofredus Steeghius, Peter Foreſtus* hanc medelam celebrant. Faciunt inde & *emplaſtrum*, ut *Nicolaus Nicoli ac Bertrucius*, oleum quoque aut unguentum, ut *Bertrucius:* ℞. adipis Ranarum ℔jß. butyri rec. ℥vj. Ungu. Martiaton, Agrippæ Dialth. a. ℥iij. ol. chamæm. anethi caſtor. a. ℥ij. ol. Roſ. ℥iiij. coſta terebinth. ceræ a. ℥j. ol. communis antiquiſſ. ℔j. euforbii ℥ß. reſin. pini ℥ij. thuris ℥j. Conficiantur omnia ſimul ad formam unguenti, & ex eo un-

gantur

gantur juncturæ debiles ex causa calida vel frigida, propriè tamen frigida, hora declinationis ad ignem vel solem calidum leniter fricando, donec penetret cum reiteratione frequentata per dies plurimos: quoniam mollificat materias residuas, & insensibiliter resolvit. *Leonellus Faventinus:* Nicolaus laudat emplastrum sive oleum de Ranis: mirabiliter valet à proprietate ad juncturas, & est resolutivum in casu conveniente, quo sæpè usus est Leonellus. *Similiter Tussanus Ducr.* Nunc *Kolreuterus:* Oleum de Rana rubeta, cujus præparatio sub cura podagræ dabitur, ego mirabiles vidi hujus olei per experientiam in resolvendis tumoribus, pituitosis, œdematosis, scrophulisque effectus. *Petrus Bayer:* Si membrum dolens sit inflammatum, & oleum de Ranis prodest mirabiliter. *Arnoldus Weickardus:*

℞. ol:puriss: comm: ℔j.
Ranarum degentium in aquis num:iiij.
fl: Verbasci Ṁj.

Injiciantur Ranæ cum floribus in oleum, & relinquantur, donec moriantur: posteà coquantur in ollâ vitreatâ lento igne, clauso operculo usque ad carnis dissolutionem, deinde contundantur, & rursus bulliant, & percoletur oleum, adde Terebinth: claræ ℥j. ol: ceræ ℥ß. M. apud ignem & serventur usui. Reliquis pinguibus non facilè utendum. Rursus *Kolreuterus:* Decoctum ranarum fluvialium evisceratarum & decollatarum utile est fomentum ad dolores calidos. *Paræus:* Quidam ranas vivas per medium ventrem divisas dolenti loco imponunt. *Alexander Benedictus:* oleum, in quo decocta est rana & ranarum intestina. *Franciscus Borninus:* Tertium est aqua ex spermate ranarum destillata, quæ extrinsecus usurpatur. Hoc medicamentum sine omni est periculo, cum & ipsæ ranæ comedantur. Hæc remedia simplicia sunt, sed reverà utilissima. *Arnoldus Weickardus:* Fœtura ranarum aquis innatans mirè probatur, si videlicet in ollâ benè coopertâ, diu coquatur, adepsque innatans colligatur, eoque lintea madefacta similiter usurpentur. *Heurnius* utitur *aqua seminis Ranarum*, item A. *Laurentius* ac *Quercetanus*, inde & *Heringius*.

Cochleæ eosdem dolores levare existimantur. *Galenus* II. de

simpl. Med. fac. 5. quidem ita: *In Arthriticis articulorum tumoribus impensè desiccant cochleæ ustæ.* Secus *Plinius, Nicol. Nic. Joh: Michael Savonarola, Alex: Bened: F. Platerus. Liberatus de Liberatis* quoq; sic: Cochleæ contritæ cum testis suis emplastri modo appositæ podagricas inflammationes impensè desiccant, & omninò hærent, quousque omnis hauriatur humor, tunc spontè decidunt, ut Dioscorides ult: lib. 2. cap. 19. Vir perillustris podagra pessimè actus post diutinos cruciatus & immanissimos hoc ê cochleis emplastrum tanquam arcanum reperit: utebatur eo superssparso thuris pulvisculo, ad fœtorem prohibendum, hoc medicamine mirificè dolores leniri dicebat, si statim ab initio imposuisset, paucas post horas tormenta cedebant, si serius, morabatur & adjumenti sensus: nunquam fallebat eum spes de medicamento, firmatâ experientiâ. Inter cætera ad id præstantissimum experiebatur, quod nunquam externarum rerum occursu, percussione, ictu, pavore concutiebatur, aut se lædi intelligebat: particula enim patiens emplastri duritie ac tenacitate veluti clypeo quodam sic munitur: egomet experientia plures cognovi. *Hæc ille. Weickardus:* Cochleæ terrestres contusæ & admotæ, efficacius operantur. Commendatur quoque caro cancrorum fluviatilium cum pulver: radic: bryon: & aqua vitæ conquassata & imposita. *Sic & Kolreuterus, Blochwitzius* & *F. Platerus cancris* utens.

Formicæ etiam ad leniendum efficaces habentur. Autor Medicinæ erit *Rhases* libro 1. capite 26. Emplastrum formicarum ad dolorem podagræ calidæ & multoties probavi ipsum, & inveni mirabile: Accipe de terra formicarum à loco limpido ℥iij. farin: hordei ℥j. fol: rosar. ℥ß. farin. fabar: ℥ß. malvæ mandragor. a. ℥vj. Coque malvam & mandragoram in tribus libris aquæ usque ad medietatem, cola & confice alias medicinas, pulveriza, posteà mitte in mortario, & misce cum eo tria albumina ovorum & duo vitella & ʒiij. croci. Pista totum benè & superpone, & non est necessarium aliud emplastrum, nec alia cura. *Hæc Rhases.* Quanquam *C. Plin. Lumbricorum* meminit. Similem Medicinam & *Gilbertus, Valescus de Taranta, M. Gatenaria, Peter Hispanus, Jac: Sylvius, Tussanus Ducretus, Antonius Saporta* produnt.

Simi-

Similem usum *Rapæ* præstare putantur. *Autor libri de simp: Med: Podagricis,*inquit,*optimum fomentum est Rapa.*Eâ *Haly,Isaac, Serapio* utuntur. Unde *Guido de Cauliaco :* Haly facit balneum, & in decoctione addit rapas, porros & cepas. Et inde est, quod ego de præcepto Isaac facio eos lavare cum brodio raparum. Ac *quoque Theophrastus Paracelsus, item Platerus. Itemque Leonellus Faventinus de Victoriis :* ℞. ſucci vel aquæ raparum,aquæ fontis propter penetrationem. F.Epithema supra locum dolentem. Ad idem balneum factum ex decoctione raparum. ℞. raparum rasarum q. v. ad placitum rosarum rubrarum, foliorum caulium minutim incisorum ana &c.Et bulliant simul in s.q.aquæ. Deinde accipiatur & eis adde vitellum unius ovi. Et cum oleo rosaceo confice emplastrum. *Unde Dominus Ortolphus Maroldus* idem emplastrum petiit,ut & *Sigismundus Kolreuterus.* Tandem & *Tussanus Ducretus:*Raparum minutim concisarum sufficiens quantitas in lacte vaccino coctarum, ac cataplasmatis instar supra applicatarum,perquàm conveniens sedandis doloribus. Ex iisdem etiam suprà prunas injectis suffitus ad partes dolore tentatas utilissimus. *Brassicam viridem* laudant *Galenus*, A*lexander Trallianus*, *C.Plinius*,A*utor incertus* de Pod.A*vi.Serapio,Horat.Octavian: Christoph. â Vega*, & *Hieron.Gabucinius in frigidâ materiâ maximè crispam.* A*triplex* similiter adhibetur, quemadmodum *Muscus,* uti à P*linio Valeriano* & à *Francisco de Pedemontio.*

Poma imponuntur,multis junioribus autoribus,ut *F.Platero:* cataplasma ex pomorum dulcium coctorum pulpa cum ol. Ros. vel Ranarum vel chamomyllæ misto paratum juvat: *Andrea Laurentio :* accipe poma semiputrida vel etiam leviter cocta, tria vel quatuor mucilaginis seminis cydoniorum & psyllii, cujusque unciam unam cum dimidia, aquæ rosarum & plantaginis, cujusque uncias duas, confunde & misce omnia hæc exactè, & fac Cataplasma. *Arnoldo Weickardo :* Laudem meretur cataplasma ex pomorum acidorum coctorum pulpa cum ol: Ranarum vel rosarum mista paratum.

Sambucus ad idem præcipuus habetur, ut â *Martino Blochwitio:* cujus verba hæc sunt: Aquam podagricam præscripsit Quer-

cetanus lib.1. pharmacop. Dogm. restit. cap.7. h. m. ℞. fol. & flor. sambuci viridium a. ℔j. aut plus minus, prout libuerit, majorem vel minorem quantitatem conficere. Contundantur, optimeque macerentur in B.M. Dein destillentur per vas vitreum vel cupreum ad siccitatem: Deque hac aqua bis in die foveatur pars dolens, eaque confidenter & intrepidè utere, vel etiam in eâ podagræ specie, quæ à calidis humoribus promanarit. Hæc sunt verba Quercetani. Oleum quoque, in quo sambuci vel ebuli radices & fo'ia vel succus inde extractus coxerint, inprimis oleum seminis ebuli (à quo tamen semen sambuci parum, vel nihil distat) hic summè laudatur. Folia quoque laudat Dioscorides. Novi virum, qui quotiescunque podagrâ corripitur, hac solâ ferè inunctione utitur. Recipit cremorem lactis recentem, eidemque permiscet pulverem instar pollinis subtilissimum florum & foliorum sambuci, ut consistentiam pulticulæ seu cataplasmatis acquirat, quod linteis impositum parti dolenti calidiusculè applicat, summumque levamen ab hoc unico & simplici remedio, felici successu expectat & experitur. Gabelckhoverus inter alia etiam hoc habet: ℞. aq. sambuci & Spirit. Vini a. ℥ij. M. & pannis imbibita applica. Aliqui sumunt aquæ sambuci ℥ij, aqu. vitæ ℥j. M. Et in fluxionibus frigidis hoc quoque: ℞. medullæ sambucinæ bonam partem, vini Rhenani quartarium unum, & tantundem tuæmet ipsius urinæ. Mista & in ollam recentem indita, decoque ad dimidietatis consumptionem. Postea locum dolentem spiritu vini inunge, eundemque benè infrica. Posteà alium atque alium laneum eo decocto madidum impone. *Hactenus autor.* Cæterum *Johan. Michael Savonarola ita:* Quidam Marischalcus Ferrariensis se curavit faciendo sibi suffumigium omni die cum decoctione radicum ebuli, unde multùm sudabat, deinde post exiccationem inungebat se cum oleo costino, & quiescebat, sed hoc remedium non fiebat nisi post purgationes completas. *Paræus* litum ex succo ebuli memorat, ac Epithema *Prævotius*, inde unguentum facit *Joh. Langius.*

Chamæpytin Christophorus à Vega hisce doloribus testatur esse remedio.

Urticam illis quoq; doloribus opem adhibere multi, scribunt, ut

ut *Peter Hispanus* & *Platearius*. *Hieronymus Gabucinius* addit: in intemperie frigida, ut & *Lamium*, urticæ genus cum salis mica; semen urticæ cum oleo, folia cum ursino adipe.

Cortices *cucurbitæ* memorat *Galenus*: item *autor incertus lib. de Podagra*. Huc spectant & *Peponis* recentis cortices & *cucumeris* caro, *perdicii* folia & *hederæ* frondes. Hinc *A. Saporta*. *P. Borellus*, innumeris, *inquit*, ferè experientiis comprobatum est, radicem sigilli beatæ Mariæ, probè contusam & admotam, genuum tumoribus & doloribus mirè conferre, præcipuè gonagricis, idq; à D. Matheo Quesneto experto Chirurgo accepi, verumque esse comprobavi, sed in podagricis primò corpus evacuandum est jalapio; & tandem causa conjuncta hoc topico tolletur. Ast *Bricius Bauderonius* hoc prodit: hisce sunt admiscenda ea, quæ *arthritica* enuntiantur, ut radix cyclamini cissanthemi Diosc. quam Sigillum Mariæ nuncupat vulgus, cruda & non cocta cum axungia veteri subacta, & parti affectæ cataplasmatis instar apposita, veluti miraculo quodam à centro ad circumferentiam humorem allicit & resolvit.

Lenticula quoque prodesse affirmatur. *Galenus ita*: In podagricis eâ sæpè numerô usi sumus, ex aqua decocta, & ita adipi suillo admista. *Assentitur & autor lib de simpl. Med. fac. Non absimiliter C. Plinius*, *Avicenna*, *Serapio*, *Esculapius*, *Forestus*.

Ulmariæ aquam prodesse primus prodidit *Adrianus Spigelius*, apud Moravas Olmutienses, *inquiens*, nobile nuper hoc experimentum didici pro sedandis illicò doloribus podagricorum: ℞. herbam barbicapram (quæ aliàs dicitur ulmaria) apud vulgum & Brunsfelsio Prinomon, ea cum suis radicibus floribusq; destillatur, & in hac panni linei madefacti imponuntur podagricis vel cum penna illinitur articulus dolens; nec mirum; adstringere enim dicitur & refrigerare; unde articulorum calidis fluxionibus plurimum conducere poterit. A *Spigelio* hæc mutuatus est *D. D. Sennertus*.

Absinthii meminit *Christophorus à Vega*, priscos secutus *sic*: experimento probavimus valere quàm maximè absinthii comam in aceto elixam, deinde malaxatam calidam superimpositam.

Foliis vitis viridibus similis facultas attribuitur, ut à *Serapione*. *Oribasius* utitur *platani* foliis viridibus lævigatis, & ea imponit, ut & eo modo *radices albarum violarum*.

Quasdam *peregrinas herbas Nardus Antonius Recchus* nobilitat, uti sunt hæ:

Cozolmecatl, seu *Chinæ Mexicanæ* folia admota dolores articulorum veluti per miraculum leniunt, Et his dolenti loco adhærescentibus, certissima salutis habetur spes, Item & *Johannes Eusebius Nierembergius Vetle* herbæ cortex mirâ celeritate depellit dolores arthritidis. Sic quoq; *Ioh. Eusebius Nierembergius.*

Vtzcuimpatli seu *Quimichpatli* herbæ pulvis si aquæ commisceatur, linteolumq; eodem humore madens articulis applicetur dolentibus, mirum præstat auxilium. Similiter *Johan. Eusebius Nierembergius.*

Hoitziloxit seu *Arboris Balsami Indici liquor* articulorum doloribus mirè est utilis.

Huitxiquæ fruticis & *Iztauhiatl* suffitus valet adversus articulares dolores.

Chilpantlaçolli herbæ radix tusa appositaq; doloribus articulorum medetur.

Tepari herbæ radix arthriticis medetur cum adipe applicata, decoctus ejus quoq; bibitur.

Resina ahoehoetl: resina etiam testibus *Francisco Hemando & Iohanne Eusebio Nierembergio* medetur morbo articulari ê frigidâ causâ orto,

Atzoyatl herbæ folia applicata tumores discutiunt, dolores articulorum, podagrasvé atq; chiragras mira celeritate mitigant. Ut & *Ioh. Eusebius Nierembergius,*

Xolometl seu *Magvey* foliorum succus epotus ad ℥x. universi corporis dolores articulorum tollit. Item *Iohan. Eusebius Nierembergius,*

Certorum animalium Pinguedines doloribus mitigandis sunt, ut canis pinguedo. *Ætius* parat oleum *Canis. Reinerus* Solenander: Vidi qui affectum, dolentemq; articulum illinebant pinguedine rubri canis, persentiebantq; doloris mitigationem. Novi Cheirurgum Parmensem, qui cum suffarcinatam, omni exempto pingui ex rubro catulo, præpinguem anserem, consutamq; in veru torruisset, exstillata pinguitudine, vaseq; exceptâ, articulos dolẽtes

felici successu illinebat. Sic fere & *Johannes Crato.* Item *Levinus Lemnius*, *Marcus Antonius Zimara, Liberatus de Liberatis.* Prodesse quoq; dicitur *Sanguis canis*: nam *Gilbertus* ait: catulum 30. dierum occide, & sanguine ipsius catuli locus dolorosus ungatur, optimum est. Unde similiter *Peter de Largelata & Ioh. de Concotegio.* Tandem *Iohannes Crato*, unum, *inquit*, addam, in quo non omnem, aliquam tamen spem auxilii pono, videlicet, ut ingravescente dolore ad pedem affectum ponatur catellus. Hunc enim non tantum calore suo facere, ut diffletur materia & digeratur, sed mali vim ad se pertrahere ita, ut interdum quoq; mori animadversum sit. Tunc verò sepeliendum existimant in loco, ad quem homines non accedant, sed hoc superstitiosum existimo. *Et rursus*: vigentibus atq; urgentibus doloribus, catulum parti affectæ (volunt autem quidam, ut illius pilis sit concolor) admove.

Adeps Leonis, *inquit* Alex. *Benedictus*, articulorum dolores & tumores lenit & sanat.

Pinguedines Taxi, *vulpis*, *catti sylvestris* laudat *Leonellus Faventinus*, Pinguedo *Ardeæ*, *inquiens*, *Taxi* (habet enim hoc animal singularem proprietatem reptilium) *Ursi*, in qua mirabilis, vis est consolidandi, nullum enim animal sauciatum facilius urso curatur, pinguedo *hominis*, tres medullæ *Tauri*, *cervi & equi. Hac ille.* *Pingv. Gatti* dicit *Ioh. de Concot.* Oleum *Taxi & Rhases* prædicat, hinc *T. Paracelsus*, *Platearius & Fidejustus Reinneccerus*, qui & Lupi pinguedinem efficacem esse opinatur. *Unguentum penetrans ligamenta*:

℞. pingued. Taxi
vulpis abjectis fibris a. ℔ß.
ol. de mastiche ℥iiij. destilla
spic. ℥j.
Acet. dest. ʒiij. F. Unguentum.

Unguentum Caprinum quoq; nominat *Marcellus.* De pinguedine *Anseris* infrà dicetur. *Medullam Cervinam* ad id etiam idoneam esse credit *Galenus.* Unde *Christophorus à Vega* medullam *cervi & vituli* dicit. Plures adjicit *Ætius* pinguedines ad hunc modum: Unguentum Castini ad podagricos & arthriticos, eo sanavit quendam

dam universo corpore languefactum & exsolutum, unicè tamen articulorum morbo prodest. Adipis leonini ℥j. ursini ℔j. adipis equini ℔j. adipis vulpis ℔j. castorii sextantem, medullæ taurinæ sexuncem, medullæ cervinæ quadrantem, adipis struthocameli quadrantem, adipis phasiani saganati quadrantem, euphorbii sexuncem, opopanacis trientem, mastichis ℔j. styracis trientem, myrrhæ trientē, thuris sexuncē, am̄oniaci thymiamatis sexuncē, heliotropii tria grana, habentis ℥j. poeoniæ sextantem, artemisiæ ℥j, phylli sextantem, nardi celticæ sextantem, radicis altheæ contusæ & cribratæ ℥j. rutæ viridis ʒiij. rad. cucumeris sylvestris ℥j, hippuris herbæ ℥j. aristolochiæ ʒiiij, aloes ℔j. sanguinis dracunculi ℔j, ceræ sexuncem, colophoniæ sexuncem, unguenti nardini ℔ viij, olei suffumigabilis, ℔j, apobalsami septuncem. *Hæc ille.* Laudibus afficit *Oleum axungiæ humanæ Duretus. M. Gatenaria* verò maximè *Vulpinum Oleum*: oleum etiam vulpinum, scilicet ex decoctione vulpis suprà dolores juncturarum à causa frigida multum valet & est expertum emplastrum. Ac Johan. Michael Savonarola pinguedinem viperæ. *Hæc,* inquit ille, *valet supra alias pinguedines.* Imitatur *Dioscoridem & Serapionem.* Acervatim loquitur *Felix Platerus*: Ex axungiis variis, ut humana, Hirci, capræ, ververcis porci, vituli, Anseris, gallinæ, Anatis, vulpis, ursi, cati sylvestris, ibycis, serpētis, œsipo; ex medullis, ut equina, cervina, vitulina, quibus solis vel mistis partes dolentes inunguntur. Anseris pinguedo maximè fit, & cervi pinguedo. *Hæc ille.* Ut *Adipem ursi* Plinius, ita & *fel* ejusdem multi memorant, *Lotichius* ita:

℞. ol. laurin.
lumbric. terr. a. ℥j.
vulpin.
ursin. a. ℥jß.
adip. hum. ℥jß.
ol. salv.
rorismar. dest. a. ℈ß.
Cum cera F.
Linimentum

Pin-

Pingued. *Hirci* & *arietis Kiranides* magni facit. *Axin* eſt teſte *Nardo Ant. Reccho* vermium quorundam pinguedo, quæ doloribus articulorum mēdetur.

Ex *Sapone* conficitur linimentum leniens, ut oſtendit *F.Platerus.* Hinc *Franciſcus Bornius*, Primum eſt, *inquiens*, linimentum paratum ex Sapone Veneto cum ſpiritu Vini, cujus vires in meo corpore expertus ſum, inungendo dolentes articulos, vel ℞. Saponem Venetum in minutas laminas ſectum: item ſpiritum vini, & deſtillentur in balneo Mariæ, primùm prodit aqua, deinde oleum aurei coloris, ſeparetur aqua ab oleo, & ſervetur ad uſum. Hinc *D.D.Sennertus.*

Terra Samia & hîc maximè auxiliaris *Galeno* eſſe videtur. Terra Samia, *inquit l.9. de compoſ. phar.* miſcetur oleo Roſaceo. Sed & commodum, utileq; eſt, ubi ſic præparatum fuerit, ad alias quoq; phlegmonas calidas & bubones incipientes, & fluxiones podagricas & ſummatim, ubi refrigerare ſtatutum eſt mediocriter cum mitigatione ac lenitione. *Avicenna: Lapis Armenus* opitulatur dolentibus artub9. Unde *Rhaſes:* cum podagricum Apoſtema fuerit in ſtatu, & calor aliquantulum fortis, ℞. bolum armenum, Aloen, Crocum, Raſas, confice cum aqua coriandri. Ex *junioribus Franc. de Pedemont.* A proprietate, ut bolus armenus, ſanguinis draconis & lutum ſigillatum, cum aceto ſuperinunctum, quod ſuâ proprietate conſervat membra in caſu, & prohibet effuſionem materierum ad manus & pedes, & ſedat dolorem. *Hæc ille.* *Viſco Querno* etiam *Galenus* utitur ſtatim, ut interpres loquitur, *in exacerbationibus Podagræ.* Cæterùm *aqua terræ ſanctæ, teſte Loſelio*, ita conficitur: ℞. bol. Arm. Orient. ℥viij. terræ ſigill. ℥iij. in aquâ Leviſtici macerentur per dies novem in l. c. poſteà deſtillentur. *Pulvis Eryſipelatodes Adr. Minſichtii* quoq; alienus non exiſtimatur.

Ceruſsâ utebantur & vetuſtiores, ut *Galenus*, C.*Celſus*, *Rhaſes*, & recentiores, quemadmodum *Chriſtophorus â Vega*, optimum, *inquiens*, eſt ad dolores ſedandos Ceruſſa cum roſaceo. Sedat dolorem, & coquit humorem.

P*lumbo* vires aſſignant *Galenus* l.7. de ſimpl. Medic. facult. &

C.Celsus, *Sosagræ* medicamentum ponens. Unde *Fredericus de Mye.*

Creta utuntur *C.Celsus*, *Rhases*,& ex recentioribus Christophorus à Vega, item *Hier.Gabucinius.*

Camphoræ mentionem facit *Haly*: Disgregationem molestatam sandalis cataplasma & intibæ aquam coriandri, solatri & sempervivæ,& cum cucurbitæ rasuris & melonis corticibus & citroli emplastriza. Aut Lini parum superinjice aquâ infusum rosata & aceto cum camphora refrigeratis. *Unde* eâ adversus hos dolores multi recentiorum utuntur, ut *Conrad Khunrath*:

℞.	camphoræ	℥j.
	Nitri s.	
	Albumin. ovi	no. ij.
	S. V. opt.	℔j.

omnia terendo benè misce,& cum linteo triplicato sæpiùs applica. Nam exterius adhibita camphora dolores podagricos lenit. *Itemq́;* *Iohannes Matthæus*: Feliciter etiam dolorem compescit Vinum sublimatum cum *camphorâ*, itemq; lumbrici terrestres contusi,& in formâ cataplasmatis impositi. *Fidejustus Reineccerus*: Hyoscyami ex flor. fact. M. Junio. Fiat cum *Camphorâ* unguentum. *Bricius Bauderonius*: paucum aceti adjiciatur pro vehiculo. Non eadem est ratio in admotis, quæ in assumtis. Authorum loco uti licebit Oxycrato, cum pauco croci, quum ardor est vehementior. Convenit Unguentum rosatum aut album Gal. cum tantillo *camphoræ.* Aquis & mucilaginibus etiam *camphora* addatur. *Hæc ille.* De mixturâ Spiritus *Camphoræ* & *Salis* itemq; de oleo crystallorum infrà dicemus.

Tandem & *Caustica* adhibentur, ut *Euphorbium.* Unde Hier. Gabucinius: si dolores intenso frigore aut inter articulorum ossa demersis humoribus contrahuntur, valent nitrum & euphorbium. Discutiunt atq; dolorem exscindunt. Neq́; sanè mirandum videatur *euphorbium*, quum impensè calefaciat exuratq;, unà cum oleo & cerâ incoctum magnos dolores à frigido humore natos sæpè mitigasse, quando sunt cruciatus quidam, qui minutari nequeunt, nisi quid acrius ipsis admoveas: veluti quum ex dulcibus aquis in vehe-

vehementi quadam defluxione contraria quædam adhibentur: Ut enim ex tenui, erodente & acri humore dolentibus balneæ jure prodesse videmus (partim enim discutiunt, partim etiam ad bonam temperiem redigunt) ita rursus frigidorum defluxiones expertis, qui artuum membranas dolere dicant & distendi, meritò eorum usus, quæ cutem calefaciunt, vellicant ac rodunt, proficere solet. Hujusce exemplum rei ponit Alexander, quendam novisse sese scribens solo sinapi in id genus morbi, dum maximè urgerent accesſiones, dolore liberatum. Alium medicamentum ex cantharidibus utiliter usum & Paulus etiam referunt. Nam pustula, quæ à medicamento fieri solet, rupta multum humoris excernebat: à quo plurimum juvari dicebat. Utrum hæc in posterum maximè officiunt: præsertim, quæ nihil habent emolliens: siquidem ita impensè siccant, ut artus immobiles efficiant. Consultius igitur fuerit hisce solis non uti, aut eum, qui utitur, statim transire ad illa, quæ diffundunt, emolliunt, secant & in altum penetrant, ut artus rursus veterem motum per hæc possint recipere.

Omnia ad unum lenientia, ut vocant, comprehendere, minutioris curæ est, majoris autem judicii, ea discernere, ac eligere efficaciora. Ubi *Arthritis* de iis humoribus, quibus nihil terrestris materiæ inest, nascitur, L*ac ovillum*, *Vaccinum*, *caprinum*, *humanum*, *ovi albumen*, *vitellus*, *mica panis*, *oleum Rosaceum*, C*eratum Rosaceum* contra eos dolores magis proficiunt. *Bricio Bauderonio* paulò vehementius probatur *Acetum*. Quo pacto *Calor nativus* seu C*alidum Innatum*, *aceti* adstrictoriâ vi retineri potest? Illudne vicissim cutis spiraculis per sudorem reseratis, dissipabitur? Quàm salutare erit *balneum aceti*? Ipse proximo superiore loco dictus autor protinus resipiscit, de *Ischiade* loquens. I*n eo morbo*, inquit, *tutius usurpatur acetum, quàm in aliis arthritidis speciebus. Non enim considerandum, quale est præsidium, quum admovetur, sed quale futurum erit, quum ad partem affectam pervenerit.* Nunc oleo aut lacti paululum *opii* adjicitur, ac ob id nonnihil *croci*. Rationem reddit *I.M. Savonarola*, opii quantitas, *inquiens*, sit parva. Et propter Opii nocumentum scito, ut suprà, quod crocus, myrrha, thus, storax, castoreum, cassia lignea corrigunt ejus nocumentum, & ideò

cum eo commisce. *Iohannes Paulus* Pernumia, penetrationem memorans, secus sentit, cujus *verba* superiùs sunt posita. Sunt, quibus placet, facultatis, ut vocant, anodynæ ergò *opium* adhiberi. Inde *C. Celsum Croco* uti sine *opio*. *Tum inducere*, inquit l.4.c.28. ille, *articulis crocum cum succo papaveris & ovillo lacte.* Ac inter *Anodyna* vera *Crocum* numerat *Bricius Bauderonius.* Cæterùm *Opium* & reliqua *Narcotica* nonnullis autoribus haud probantur. Et jure. Hæc dolorem stupore minuunt, qui remediis iterum curandus est. Igitur plus incommodi afferunt. Eaq; magis perniciosa sunt, *arthritide* magis sabulosâ. Illa enim terrestris materia horum vi citiùs coit, cogiturq;. Ac reliqua remedia, ut *caßia fistularis, mucilago sem. Psyllii, fænugræci, cydoniorum* sine illis *Narcoticis* & *Opiatis* adversus hos dolorum cruciatus sunt magis accommodata. Illam, quæ ad P*syllium* pertinet, quæstionem *controvers.* l. 9.c.8. *Iohannes Baptista Sylvaticus* movet, an auxiliari queat, cum *Dioscorides*, cui assentitur *Matthiolus*, *Avicenna* item *Mesues*, eam herbam scribant esse venenatam? Verùm autor illam expertus judicat salutarem, originemq; erroris conjecturâ assequitur. *Acetum, Ossa humana, Hermodactyli*, A*sphodeli*, Co*locynthis*, A*garicus*, *Scammonea, Helleborus niger, Ægyptiæ siliqua* inutiliter aliis rebus temperantur, ac imponuntur in artus dolentes. *Verbasco* est vis ad leniendum. *Lapis bezoar* verò & σαρκοφάγος est parùm commodus. *Urina*, si prodest, prævalet, urgente *arthritide sabulosâ*, at eâ *humorali*, ut vocant, infestante, magis conveniunt *stercora bovis, vaccæ, vituli.* Verùm *stercora canis, cameli, capræ, apri, ciconiæ, caro lupi & asini sylvestris, capilli pueri impubis, capilli mulierum, fel ursi* contra hoc doloris genus tantas vires non habent. *Caseus recens & poma* ad O*phthalmiam* laudantur, cur non idem hisce ad A*rthritidem* effectus erit, quæ etiam est inflammatio? *Sanguini* menstruo plures vires inaniter attribuuntur. Eam Superstitionem non redolet communis *Sanguis*. Quin talis, judicio multorum, magis efficax erit, quàm C*ranium*. Non *hoc os*, non *Cerebrum* ipsum, sed *sanguis* est origo, unde materia A*rthritidis* profluit. *Ranæ, Testudines, Cochleæ, cancri*, inflammatis articulis sunt refrigerationi, juvant nullâ aliâ vi præterea. Ex illo ferè simili genere sunt *cortices cucurbitæ & folia vitis*,

tis. *Formicæ* initio curationis vix conveniunt, magis verò *Rapa, brassica, exterior cortex Sambuci. Muscus Quercinus, Absinthium, Chamæpythis* usum adstringendo præstare non queunt. *Urticâ* tusâ, suæque urinæ liquore largiter madefactâ ac cataplasmatis instar impositâ, quidam articularius homo dolores subitò & dicto citius depulit, tùm verò de gravedine cuncti corporis questus, graviter decubuit, familiarem suum morbum exoptans. Nec eum (quod mirum) sibi ullâ ratione rursus accersere potuit, nisi ex improviso vehementer irâ accensus. *Lenticula* ac *Ulmaria* aliquid ad hos dolores minuendos conferre queunt. *Exoticæ* illæ *herbæ, radices* ac *arbores* vi refrigeratoriâ valere queunt, unde & dolor mitigari solet. *Pinguedines, medullæ, Seva illorum animalium* hanc artuum inflammationem coercere non valent. Idque nonnulli reperére, ut *Vidus Vidius*, lenitur, *lib. 5. de Curat. Membror. cap. 3. inquiens*, ac remittitur causarum impetus, & ita magis dolori subvenitur, cum vel modicè relaxantibus, vel acrimoniam & immoderatos excessus temperantibus eidem occurritur. Valent ad relaxandum (quod potissimùm opus necessarium est, ubi insignem tensionem articuli experiuntur) vesica oleo chamæmelino seu anethino referta & dolenti parti superdata, veluti & illitus ex oleo amygdalarum dulcium seu seminis lini, aut ex luteis ovorum, cum multo rosaceo subactis, seu ex recenti axungiâ & butyro. Quamvis nisi admodum necessitas relaxandi urgeat, satius est, in articulorum doloribus leniendis ab oleis, aliisque unctuosis medicamentis abstinere, cùm talia reddant partes admodum idoneas ad excipiendas succorum fluxiones, à quibus dolores assiduè foventur, & indies majores & vehementiores excitantur. *Hæc ille. B.Bauderonius* quoque: *incipientibus doloribus, pinguia & metallica adversantur.*

Nunc medicamentū ex *sapone* confectum non *prorsus* inutile est. *Bolus Arm:, Terra Samia, Cerussa,* Pl*umbū, Creta, Camphora* adhiberi queunt. Quanquam *Bricius Bauderonius* hanc fert sententiam: *Hic non utendum emplasticis, qualia sunt bolus Armenus, amylum &c. quod suo lentore meatus oblinunt, & sic humoris morbifici exhalationem impediunt, & partem jam debilitatam suo pondere aggravant.*

 Spiri-

Spiritus Camphoræ & *salis* sæpius fuit nocivus. Similique externorum remediorum genere opem rarò adhibent Medici. Hi mixturam quoque humorum, morbi & anni tempora attendant. Unde *Bricius Bauderonius:* externa variari debent pro Arthritidis differentiis, ardore & dolore & quatuor morbi temporibus: secus omnia erunt irrita. Alia in causa calida, alia in causa frigida, alia in æstate & alia in hyeme. In æstate frigidè, in hyeme tepidè sunt admovenda. *Vino tenui*, inquit Hier. Gabucinius, *cum modico cyprino vel nardino convenit illinere: potissimum* per *hyemem. Tunc enim etsi calidius quidpiam ipsis adjicias, non offendes, sed potius juvabis.* Sæpè salutaria nunc nocent, cum profuerint antè. Agnosce igitur oppidò dubiam medicinam. Quare hæc, quantum ejus fieri potest, omittenda. Dolor sæpè ductione alvi sedatur. Peritè inter *ipsa externa lenitiva*, ut vocant, medicamenta *Hieronymus Gabucinius* memorat purgantia, per accessiones, *inquiens*, est ol. rosaceum cum ovi luteo, mica panis vel hordeacea farina cum rosaceo superaccomodabitur, frigidaque omnia his afferantur, crebriusque mutentur, uti frigiditas diutius permaneat. Quod si inflammatio sic excandescat, ut erysipelatis naturam induat: siliquæ ægyptiæ nigrum succum innoxiè exhibeto. Hoc enim medicamentum bilem flavam atque retorridam citra omnem molestiam expurgare potest, ut propterea intrepidè dare, satisque bellè ac placidè purgare possis. Hisce igitur omnibus ritè peractis, & alteratione & evacuatione noxii humoris manifestò lenietur inflammatio. *Hæc ille.* Quid? Nonnulli, ut *Bricius Bauderonius*, purgantia in numero *Anodynorum* habent. *Sunt*, inquit ille, *tria Anodyna, quædam dolorem demulcent, & sunt verè Anodyna, ut lac, alb. ovi, cassia Fist. quædam abusivè, ut Narcotica & somnifera. Alia sunt Anodyna, quæ per accidens doloris causam auferunt, qualia sunt purgantia Medicamenta.*

Ac dolores podagræ sanguinis detractione quàm citò finiuntur. Quantum vicissim mali, hisce externis impositis, accersitur? Quare ad ea rarò & quasi invitus descendo. Quibus verò & sub quo temperamento tandem uti consueverim, privato libro expono. Ubi, sæpiùs repetente *Arthritide*, nec alvum rursus movere nec tàm sæpè venam incidere expedit, *lenitivis*, ut vocant, & *Anodynis*

dynis locus erit, ut *Lacti*, *micæ panis*, *album: & vitel: ovi*, *mucilag. sem. psyllii* & ejusdem generis aliis, dolore adeò urgente. Hic quidem non auget inflammationem, ut retur *Hieronymus Gabucinius*, affecta, *inquiens*, loca refrigerare ac mitigare conandum: ne ob immodicum ardorem aut magnum articulorum dolorem particulæ fluxione magis tententur. Etenim caliditas affectarum partium materiam ad sese trahere,& dolorem rursus excitare solet.

CAPUT VI.

De DISCUTIENTIBUS, & de iis, quæ TOPHOS resolvunt.

AD discutiendum laudat *Paulus Æg: Malvas*, *Psyllium*, *Althæam* & istius generis alia. *Ætius* verò Unguentum *Orchestæ* sive *Saltatoris*, qui eo sanatus. Constat ex althæa, semine lini, fænugr: faba, oleo veteri, medulla cervina, opobalsamo, adipe anserino &c. Atq; *Haly* alia memorat: Intuendum ergò: & cum parùm quievisse animadvertes calorem, & dolorem cohibitum paulatim emplastris confortantibus disolventia adhibe sine calefactione, ut hordei farinam, altheam, violam, hisque aliquid camomillæ addas. Et cum hordeo etiam cataplasma cum coriandri aqua aut citoniorum distemperato. Et si fortiori opus est dissolutione, hoc uteris emplastro. Sume farinæ fabæ, cathemiæ, violæ siccæ, cujusque partem, sandali albi, meliloti, cujusque 5. partem. Terenturque diligenter omnia cum carnibi aqua & coriandri distempera. Calore sedato cum dolor recesserit, sed superest materiæ grossities cum camomilla, meliloto, hordei farina, cathemia æqualibus partibus Zafrai 5. part. cataplasma & super membrum aquam stilla tepidam, in quam camomillam, melilotum, samsuchum artemisiam. *Unde Donatus Anton: ab Altomari:* Mansuetissimum remedium est (ut Ætius refert) post principium, etenim leviter discutit & exiccat, si altheæ folia trita, tum per se tum cum polline hordei imponantur. *Hæc ille.* De singulis dicamus.

Farinam hordei eo nomine prædicant plures, ut *Avenzoar* & *Sera-*

Serapio, item *Gilbertus*, & ex junioribus *Peter Hiſpanus* & *Hier. Gabucinius*. Quemadmodum *farinam fabarum*,& inde confecta emplaſtra *Galenus de comp. Medic. autor libri de Simplic.Medic.* facult. *Oribaſius* lib. 4. *Avicenna*, *Rhaſes*, *Marcellus*, & empl. admirabile *Johan. Michael Savonarola.* Tandem & *Malvam* quàm plurimi. *Johannis Prævotii ad hunc effectum expertum*, ut vocat, fomentum conſtat præcipuè ex foliis Malvæ. Emplaſtro *Diachylo*, & *Dialth.* utuntur *Gal. Ægineta*, *Alexander Trallianus*, *Haly*, *Eſculapius. Poſt ubi*, *inquit incertus Græcus Autor lib. de Podagra*, fluxio ceſſaverit, impone quod *per chylum*.Hinc *Peter de Largelata*,*Joh.deConcoregio*, *Val.deTaranta*,*A.Avaretz*,*Mercatus*,*Saporta*,*Mart.Rulandus*.*Quovis tempore*, inquit Alfonſus Moreſcotus, *opitulatur emplaſtrum Diachylon.* At *Felix Platerus* ita: *ex quatuor calidis unguentis mitius eſt Dialthææ. Diachylon emplaſtrum utile quoque eſt.* Si craſſa, *inquit Mercatus*, eſt materia, digerit unguentum Martiaton & Dialth. *Hæc ille.* Atque *unguentum populeon* etiam memorat *J. M. Savonarola*, nonnulli *Aregon* & *Martiatum*, ut B. *Bauderonius* & *Freder. vander Mye*.

Decantatiſſimi ſunt flores chamæm. item ol. chamæ. quo utitur *Antonius Guainerius*. *Philippus Grulingius* hoc componit: Ad mitigandos dolores ſequens emplaſtrum adhibui:

℞. medullæ panis albi ℥iij.

Macera in lacte bubulo, ê quo butyrum non ſit ſeparatum. Hoc parum coque, atque adde

Vitel.ovor.	no.ij.
pulv.flor. chamæm.	ʒj.
Croci	℈j.

F. Cataplaſma ad dolores leniendos. *Illudque Arnoldus Waickardus*:

℞. mucilag.ſem.fænugr.
pſyllii
alth. a.ʒjß.

Additis ol. roſar. & *chamæm.* a. qſ. extrahantur mucilagines cum aceto, & talis mixtura linteis excepta, parti dolenti admoveatur.

At quo

At quo curationis tempore unumquodque horum adhiberi oporteat, attendendum. In eo diligens est *Leonellus Faventinus:* In augmento oportet procedere cum his, quæ molliter resolvunt & repercutiunt, sicuti sunt sequentia: ℞. ol. chamæm. lini rosati a. ℥j. infund. lineæ petiæ & apponantur supra locum dolorosum: vel ℞. chamomillæ, meliloti rosar. rub. fol. violar. a. Mj. farin. hord. semin. lini a. ℥jß. pulverizanda pulverizentur, & cum oleo rosato & chamæmelino q. s. ad impinguandum, Fiat emplastrum. A fine unguenti usque ad medium status, resolutiva apponantur circa locum dolorosum, cum pauca repercussione. Unde fiat primò sequens fomentatio: ℞. absynthii, chamomillæ, melilot. anethi, rosf. rubr. herb. arthrit. paralyt. a. Mß. Bulliant in s. q. aq. ad consumptionem tertiæ partis, deinde accipiatur filtrum vel spongia, & infundatur in prædictâ decoctione, quæ expressa apponatur loco doloroso ter vel quater, & fiat fomentatio loci. Dein inungatur locus: ℞. ol. chamæm. lini rosati a. ℥ß. M. Aut bulliant *vermes* in oleo chamæmelino. In declinatione autem resolventia & confortantia conveniunt. ℞. faldellas stupeas, quæ infundantur in urina pueri, deinde aliqualiter exprimantur, & involvantur in cineribus calidis, benè moveantur, & posteà conquassentur in dicto cinere, post ligentur sic dictæ faldellæ stupeæ super dolorosum locum. Vel ℞. chamom. ros. rubr. stech. Arab. major. rad. hermodact. a. Mß. Bulliant in semiq. vini rub. styptici, quousque perfectè decoquantur, deinde pistentur in mortario & cum oleo chamæm. & mastichino q. s. ad impinguandum. Vel ℞. pulegii calament. ros. rub. a. Mj. Bulliant in s. q. aq. ferratæ ad consumptionem tertiæ partis, vel bulliant in vino rubro styptico, & balneetur locus dolens erubracando vel lavando. Vel applicetur cum spongiâ. *Itemque Bricius Bauderonius:* ℞. medullæ panis albi adhuc calentis ℔j. macera in lacte vaccino aut capræ, deinde pistetur in mortario cum mucilagine sem. psyllii aq. ros. extractæ ℥ij. Cassiæ recens extractæ & mundatæ ℥j. axungiæ Gallinæ recentis (si initium fuerit morbi) si verò status aut declinatio, veteris, ubi magis digerendum, & oleo rosati (si sit erysipelas) vel chamæmeli, si aliquid sit pituitæ, quantum sufficit, vitellos duos Ovorum. Si magis anodynum requiris, adde rasuræ cucurbitæ vel melonis, si æstas fuerit ℥ß. & si hyems opii ʒj.

Quod relictum est humoris, idoneis ad id discutitur Medicamentis. Ego multos, *inquit Sigismundus Kolreuterus*, juvi hoc emplastro, quo & Neapolitani utuntur. ℞. foliorum rorismar. absinth. a. Mß. Coq. & cum vino albo redigantur in formam emplastri liquidioris, & superpositum per triduum non solvatur: Neapolitani per octiduum in loco dimittunt, ut nona sanitatem recipiant. *Hæc ille.* Relictam materiam, teste *Antonio Guainerio*, resolvunt oleum de vespertilionibus, de capitibus Murium, spuma de Limaciis vivis, vel hoc unguento utere, quod mirè in hoc casu valere, compertum est: ℞. ol. camem. ℥iiij. mucilag. sem. lini fænugr. a. ℥j. ceræ parum F. Ung. *Hæc autor.* Ad id maximè prædicabatur oleum *de Vipera.* Ejus meminit *Avicenna*, hinc *Johannes de Concoregio.* At si, *inquit Adrianus Spigelius*, iis anodynis, quibus partes affectæ refrigerantur, ad arcendas inflammationes, & ardorem humorum compescendum, vel quæ leniunt, temperant atque fovent calorem, sive humorum aliquâ insigni discussione, pro humorum reliquiis absumendis, inter leviora conveniunt ol. lil. alborum, chamæm. Vulpinum, cui addi potest, ut fiat validius, modicum aquæ: vel oleum irinum vel rutaceum, lumbricorum, cum guttis aliquot spiritus terebinthinæ resinæ in causa frigidiori. Valebit etiam unguentum anseris à Guainerio descriptum, adeps viperinus, oleum viperinum, quod fit ex lib. I. ol. antiquissimi, cui incoquuntur vipera una cum rutæ manipulo uno: hoc pars affecta illinatur.

De *Tophis* quoque agendum. Hi, *inquit Ætius*, oriuntur ex crassis humoribus in corporibus, præsertim durioribus, & quæ ægrè per discussoria exolvuntur in malè curatis. Conveniunt pharmacum Machærionis & Piscatoris & Ægyptium. *Hæc hic. Galenus lib. 2. de comp. Med. sec. loc.* utitur *ervo*, ac *lib. 10. de Simpl. Medic. facult: cap. 9. caseo* non recens expresso, sed veteri ac acri. Hinc *Alexander Trallianus, Ætius, Paulus Ægineta, Oribasius.* Caseus, *inquit ille*, acerrimus & vetustissimus decocto carnis suillæ dissolutus, & in pilâ probè in unum conductus, tofos articulorum impositus dissolvit: quum enim defluxio sine ulla sectione rupta sit, singulis diebus partes, in quibus tofus est, sine molestia implet. *Hactenus autor. Avicenna* quoque hujus medicinæ mentionem habet; ac ex junioribus

ple

plerique omnes, ut *Ambrosius Paræus, Petrus Bayerus, Spigelius, Zacutus Lusitanus lib. 3. de Med. Princip. histor.*

Antonius Guainerius istius generis plurima Medicamenta persequitur, ad extremum hæc subnectit: Sed cùm huic capitulo aliorum more per laus DEO finem imponere vellem. Ecce quidam veteranus anser clamitans, heus tu animalia placida huic tuo capitulo opem ferunt: ut aliquam s. cum alia cum ossibus & cum medullis & cum sanguine: de quibus decoctionem amplam fecisti: quam tibi feci injuriam, qui pretiosum super omnia unguentum, & me sic sub silentio præteris; calamum prende repentè, me locum accommoda: quos dictabo tibi versus leoninos inscribere volo: cum hoc meum unguentum à cæteris, quæ descripsisti, diversum stylum habeat, mille enim & plus quam mille ambulare non valentes ambulare feci. Ego autem unguentum istud tantæ pretiositatis esse intelligens, dimisso eo, quod inceperam scribere laus DEO, versus Domini veterani anseris, eo dictitante, ut videbis, conscripsi, quod si stilum variare tibi visus sum, ignosce lector. Tu ergo anseri sua exponenti leonina carmina aures accommoda:

Anser sumatur veteranus qui videatur.
Mox deplumetur, vitalibus evacuetur.
Intus ponantur, quæ subterius numerantur.
Trita caro tota triti mox pelle remota.
Unctum porcinum, thus, cera, sagimen ovinum,
Pondere sint æquo sal, mel, faba, sit quæ siligo.
Post hoc assetur, tamen assus non comedetur.
Vas supponatur sic, ut liquor accipiatur.
Quo membris unctis hic gutta solvitur omnis.
Certè hoc unguentum præstat super omne talentum,
Sic per dictamen cum scripseris hoc medicamen,
Fac laus ampla DEO solito de more superno.
Anseris edicto & ejus medicamine scripto,
Sit laus ergo DEO finito in tempore libro,

Hinc *Forestus* & *Paschalius.*

Unde & *Rodericus à Fonseca:* ad tophos & durities juncturarum tale fiat medicamentum: ℞. ciconiam, imple ventrem illius ablatis prius visceribus, pinguedine anserinâ, gallinaceâ, ursinâ, vitulina atque arietina, consuatur venter, deinde assetur propter ignem: colligatur pinguedo, quæ colliquatur in assatione, posteà soli exponatur in vase vitreo per integram diem, hac igitur inungantur partes & tophi. *Hæc ille.* Quod de axungiis, illud etiam de caseo verum est. *Finiendis*, inquit Hieronymus Gabucinius, *doloribus recens adhibenda, discutiendo autem tumori vetus salsa auxiliatur.*

Aquam Sanguinis laudat ad tophos *Peter de Largelata.*

Ammoniacum scribit *Galenus* lib. 2. de *comp. Med. sec. loc. dissolvere* articulorum *tophos.* Hinc plures, ut *Marcellus* quoque & *Scribonius. Galenus* appellat *Hammoniacum Thymiama*; similiter latino sermone *C. Celsus lib. 5.* multis locis. *Hieronymus Gabucinius* quasi latinè vertens, vocat *suffimen ammoniacum.* Non rectè sejunguntur, uti etiam à Dn. *Frederico vander Mye:*

℞. galbani.
thuris fuliginis denar. ʒ.
ceræ
ammoniac.
thymiamatis trientes.
picis aridæ pond. denar. ʒij. &c.

Aliud *Nilei* crocomagmatis pondo denar. ʒiiij. Thymiamatis, Ammoniaci ceræ sing. pond. denar. xx. Aliud Diodori:

℞. calcis vivæ ʒj.
thuris.
terebinth.
ammoniac.
thymiamatis ā. ℥ß.
adipis taurin. ℥j. &c. *Hæc ille.* Non sunt diversa *Ammoniacum* & *Thymiama.* Nam θύον & θυμίαμα nunc incensa omnia, nunc certum quoddam genus significant, ut ex *Dionysio* Periegete ac ex *Uranio* patet; cujus verba offenduntur apud *Stephanum.* Anti-

qui-

quisſimi *Sabinâ* & *cupreſſo* ac *citro* ad ſuffitum, teſtè *C. Plinio*, it: Virgil:, uſi ſunt, poſteà *thure* maximè, ut *Libyes Ammoniaco*. Inde in *Gloſſis*: λιβυκὸν θυμίαμα, ἀμμωνιακόν. Ammoniacum quoddam eſt vilius, nec ab illa gente fuit incenſum; ſed nobilius, quod eâ de cauſa *Thymiama* fuit cognominatum. Vilius *Ammoniaci* genus accedit ad *Galbanum*. Cæterùm nec hoc *Ammoniacum* cognomento *Thymiama*, ſuavibus olfactoriis admiſcetur, quippe quod gravis odoris eſt. Aſt medelæ ergò interdum cum aliis incendi ſolitum eſt. Ex eo plerunque fiunt emplaſtra, quibus & *fuligo* admiſcebatur. Adnotum quidem eſt hodiè emplaſtrum de *Fuliginibus camini*. At *C. Celſus Fuliginem thuris* libr. 5. cap. 3. prodit *hiſce*: concoquunt & movent pus, nardum, myrrha, coſtus, balſamum, galbanum, propolis, ſtyrax, *thuris & fuligo & cortex*. Obſcurius alibi loquitur: *propriè etiam dura mollit id, quod Moſchi eſſe dicitur. Habet galbani* ℥j. *thuris fuliginis, ammoniaci thymiamatis*. *R. Conſtantinus* pollinis legi vult. Additque *C. Celſus*, *quod perviride eſt emplaſtrum, appellat ſmaragdinum. Si fuliginis legis, quæro, qui perviride & ſmaragdinum eſſe queat. Hæc ille.* Perperàm. Quo pacto *fuligo thuris* conficiatur, *c. de Cat: Oculorum* oſtenditur. Funiculi ex variis rebus ducebantur. Papyrum ſuprà *Marcellus* nominabat. Similiterque *Alcimus Avitus ad Fuſcinam*:

Ad quæ neglectum liquit pars altera ſuccum
Incenſos lychnos nequicquam ſuſtulit, unde
Emicat exiguus commoti luminis ignis,
Sed virtute carens languentem lampada fervor
Deſerit & ſiccam percurrit flamma papyrum.

Aſt *Aurelius Prudentius* ita:

Pinguis quos (ſc. igniculos) *olei rore madentibus*
Lychnis aut facibus paſcimus aridis,
Quin & fila favis ſcirpea floreis
Preſſo melle prius collita fingimus.

Cauſticis quoque vetuſtiores uſi ſunt, ut *Alex. Trallianus & Paulus Ægineta*.

Si Medentes ad *diſcutientia* & ad *tophos reſolventia* veniunt, malè cum ægris agitur. *Helmontius* & *malvam* contendit *humectando poros claudere*. Farinæ quidem ac pollines oleis mixtæ & illa

emplastra aliquid commodi afferunt sæpiùs. Quàm facilè autem aliquid delinqui potest. Humores inter se repugnantes aliquando commiscentur, hi sunt magis refrigerādi, magis verò digerendi illi, qui jamjam superveniunt. Quare medendo fit, ut malum gliscat ac increscāt *tophi*. Ad eos *caseus vetus* ac *acer*, item *pinguedo anserina* in majus laudatur. *Ammoniacum* magis convenit, vi emolliendi præpotens. Ast multi eo & ad dolores discutiendos utuntur. Unde *Fredericus vander Mye : hoc anodynum est ad omnem dolorem podagricum, etiam biliosum.* ℞. *guttæ* Ammoniacæ *ceræ a.* ℔j. *Asii lapidis* ℥j. *&c.* Quare ejusmodi externa vehementius officiunt. Iis qui potest abstinere, ægros curat tutius. Evenit sæpè, ut nociva repetantur, aut ea semel adhibita, diutiùs adhærescant. *His omnibus*, inquit Fredericus vander Mye, *ex voto nunc succedentibus, non statim ad alia procedendum, sed omnia sunt iteranda : docet id Hippocrates* 2. Aphor. *omnia* (inquit) *secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud stante eo, quod à principio visum est : & Seneca* 5. *Epist.* 49. *remedia non prosunt, nisi immorentur, &* 10. *Epist.* 2. *nil æquè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio.* Contrà autem *Hieronymus Gabucinius :* neque etiam illi sunt recipiendi, qui quodvis remedium ab initio ad finem usque morbi adhibent : potissimùm, quùm nihil inde emolumenti ægroti consequuntur. Sæpè enim fit, ut quod uni affectæ corporis parti medicamentum conducit, alteri eodem propemodùm modo laboranti mirificè obsit. Est etiam, quod mirandum magis videtur, quod etsi persæpè illam ipsam particulam dolore levavit, eidèm interdum eodem modo affecto noxam nota dignam intulit. Non est tamen, quod Hippocrates mentiatur 6. Aph. 52. In arthritide tamen atque podagra oppositum quotidiè intuemur : ob innumeras humorum commixtiones, quæ diversos adeò dolores pariunt, ut propria auxilia eisdem afferre nequeamùs. Secundum igitur affectiones, earumque tempora idonea adhibebimus remedia. Neque enim, quod initio morbi convenit, incremento, aut etiam statu, ne dicam in declinatione ex usu esse potest : veluti neque idem medicamentum in iisdem vitiis semper idem operatur, sed interim melius, deterius interim respondet, propter corporum varietatem,

ætatumque differentiam, temporum aut locorum. Eadem enim res in dissimiliter dispositis corporibus non possunt eosdem effectus præstare. *Hæc ille.* Idq; etiam *D. Chomel* apud *Lazarum Riverium* Obs. XII. compertum esse scribit, *hoc*, inquiens, *rarum in illo ægrotante observavi, quod topica uni parti conducentia, alteram lædebant, & vice versâ.* Quapropter *Hieronymus Gabucinius* hæc dat præcepta: Si calida intemperies materiam nimiùm adurens tofos progignere videatur: calefacientibus in his & acribus medicamentis uti supervacuum est. Etsi enim hæc procreatos jam lapillos dissolvere videantur, efficiunt tamen, ut etiam alii oboriantur calculi. Quare si quis ad lapillos jam concretos iis utatur, statim rursus ad ea, quæ mediocriter calefaciunt & modicè diffundunt, dissolvuntque, transeat, necesse est: abstineatque in posterum à siccantibus tùm cibis tùm antidotis, quæ corpus calefacere & immoderatius siccare solent. Omnia etenim ista tophos his magis progignunt, quàm dissolvunt. At quibus non adest calida intemperies, sed frigidiores, crassiores, crudioresque potius humores articulis inseruntur: his hæc omnia, quæ extenuare & calfacere possunt, subveniunt, etsi quis ipsis uti velit: hic etiam obortos jam lapillos consumere, & ne alii suboriantur, prohibere poterit. Alexandri pulvis ex chamædr. orig. & chamæpythi notus est. Ast externa convenientiora ad tofos discutiēdos medicamenta sunt, quæ mollientē simul & discutientem materiam sortiuntur: emolliunt adipes vetusti, medulla, bdellium, ammoniacum, ol. vet. styrax. Digerunt & resiccant nitrum, sal, myrrha, adane, euphorbium. Suilla axungia admixto anseris adipe, taurorumque sævo & hyssopo ad podagras usi sunt permulti medici. Conveniunt ursinus adeps, sævum hircinum, cas. cannabis, teste Hippocrate, composita sunt Diaptemes P. Æginetæ, & quæ ex styllaticiâ myrrha fiunt. Alexandri empl. Dialeptocaryon, Diamelitos, Dianemones. Aliud Diodori. *Hæc ille.* Nonnulli Medicorum acrioribus remediis vulnerant cutem articulorum, quos jure castigat *Fredericus vander Mye.* In *Pharmacopœia Augustana* extat Emplastrum ad *Tophos*, vulgò Knipffelpflaster. De Emplastro Diachalcitidis inferius dicetur. Si tophi vel multitudine externorum remediorum vel morbi magnitudine increverint,

rint, eorum ratio, curaque habetur, uti etiam â *Bricio Bauderonio.* Hic eos commodè deſcribit hiſce: eſt arthritis nodoſa, quâ diſſiliunt articuli. Interdum ſuccedente nova fluxione, rumpuntur per ſe & ſuppurantur. Hac ratione *Severus Imperator* ſectos habuit articulos pedum, ut ſuprà memini. *Idemque autor* peritè adjicit: *ut paucis expediam, quæcunque ſcirrhis, conveniunt ſimili modo & Tophis.* Hinc Empl. *Diachylon cum gummis*, *empl. Dia.* ♀ *Rul.* & *Apoſtolicum.* Nonnulli *Mercurium* admiſcere non dubitant, cùm, *inquit* apud *Gab. Fabric. Hild.* cent. 4. obſ. 82. *Claudius Deodatus*, ſpiritus ille ☿ij. ritè præparatus & ſubtiliſſimus & penetrantiſſimus ſit, uſque adeo, ut Corallia, ipſaſque perlas & uniones facili negotio in liquorem agat, nullo modo diffidendum, quia & materiam Tartaroſam juncturis affixam vel ipſis perioſtiis adnatam, ut & tophos, nodoſque gypſeos enodare, mollire, reſolvere, in fluxilem liquorem agere, ſicque tandem evacuationi aptos reddere potis ſit. *Hæc ille.* Aſſenſum *Claudio Deodato* præbet *Caſp. Cald. de Heredia.*

CAPUT VII.

De SUDORIFERIS.

EXterna hactenus, nunc ſudorem cientia medicamenta videamus. Decoctum Ligni *ſancti*, Lign. *ſaſſafras*, rad. *ſarſaparillæ* & *Chinæ* tùm hoc, tùm ſuperiore ſæculo maximè celebratum fuit. Ejus prædicator certè eſt *Reinerus Solenander*, cujus *verba* recognoſcantur: utilis vacuationis ſpeciem poſui etiam ſudationem, quam optimâ ratione tibi quoque Vratislavienſis præſcripſit, bis in anno promovendam, atque ego eandem vehementer tibi probo; nam in iſta tua prope omnium articulorum arthritide, commodè non ſolùm humorem peccantem evacuat ſudatio, verùm etiam ab articulis avertit atq; deducit, utiliusq; hæc in te adminiſtrantur, ut cui â capite in articulos magis, quàm ab hepate, vel aliunde, confluit noxius humor: firmantur etiam carnoſæ partes, latera, dorſum, intercutanea, atque ea, quæ inter muſculos ſunt inania ſpacia, excrementitio humore excluſo, hac ſudatione: ita ſidunt contrahunturque particulæ, nec ita humore laxatæ fatiſcunt: unde

neq;

neq; facilè transmittunt, neque admittunt humorem adfluentem: siccatur etiam ista mediocriter omne nervosum genus, & quicquid ejus naturæ est, ligamenta, tendines, membranæ, quæ expresso inutili humore, magis sibi firmiusque constant. Verùm ut hæc tempora sunt, ut morbus ab accepto interimque neglecto medici istius consilio in te progressus fecit, ut hæc tua ætas, corporisque præsens constitutio requirit, sudationem hanc paulò aliter instituerem. Nimirum contentus autumno ista potione sudorifera, quam medicus præscripsit, ex Radicis Sarzæparillæ unciis duabus minutim concisæ, liquiritiæ rasæ 36. S. anisi 32. Capillorum veneris, M.ij. Cinamomi ℥ij. cum aquæ puræ mensura una & media, ad dimidium coctæ, quæ eo anni tempore, quod calidam siccamque æstatem insequitur, commodissima est. Instituerem autem vernam circa Æquinoctium vel paulo ante illud (quod tutius fiet) sudationem ex decocto ligni Guajaci; id magis siccat, calfacit melius, abstergit, & collectam hyeme pituitam elegantius excludit, roboratque manifestius corporis cunctos articulos. Concoctiones promovet, ut ita ratione tàm mandantes, quàm recipientes partes expeditius evidentiusque stabiliat atque confirmet. Vidi quidem pro diversitate istius tempestatis mutatā non nihil esse sudorificam potionē, quando autumno adiantho; vere chamædrii utendum præscribit Medicus, verùm ut jam est valetudinis tuæ status, non ista variatio satis est. Itaque vere coquatur libra una ramentorum ligni Guajaci, in libris 10. aquæ purissimæ, post debitam macerationem lento igne, ut solet, ad dimidiæ aut tertiæ partis aquæ consumtionem: ejusque decocti, evacuato prius, ut docet, corpore, sumantur unciæ plus minus sex, procureturque sudor: atque habeatur corpus isto modo, quem præscripsit in illis sudationibus tuus Medicus. Ad decoctum etiam Guajaci præscriptum licebit liquiritiam addere, chamædryn item, quam Genvenses in hoc morbo Carolo V. Cæsari magnoperè probarunt & chamæpityos aliquot plantulas. Utendum tum, dum ista sudatio procuratur, accurata & subducta victus ratione. Diureticorum loco sudorifica mallem substituere, sive ex nostratibus ea radicibus & herbis fiant, seu ex decocto ligni, vel sarzæparillæ, quæ crassiorem humorem, & qui in nodos occallescere solet, ma-

LIIII gis

gis discutit attenuatque, instituantur: magisque mihi placet usus vini chamædrytis, quod tantopere Genuenses Carolo Cæsari probarunt. Nam illud tam diuretici, quam sudorifici vices supplere potest. Crassum humorem attenuat, absumitque, per urinam superfluum excernit, & si fortè per sudorem, non evidenter, saltem per insensibilem transpirationem excludit, cunctaque viscera interna, & nervosum omne genus roborat, habituiq; universo, quasi tonon quendam impertit, maximè si hoc modo præparetur: Accipe vini Renensis quartas mensurales, nostrates duas, aquæ purissimæ quartam dimidiam (quod si in ea auri frustum, aut lamina ignita aliquoties extincta sit, melior esset) mellis rosacei puri quartæ unius sextam vel quartam partem. Coquantur ad carbones in fictili & despumentur. Tum adde chamædryos m. 4. chamæpityos m. 2. Herbæ paralysis m. 1. Selecta coquantur, in duplici vase horas tres. Decocti istius sumendus mane haustus, continuandusq; ipsius usus dies plures, ad sexaginta. Id fieri posset aut hyeme, aut primo vere, Aprili, & Majo mensibus, corpore prius expurgato. Probatum hoc arthriticum medicamentum est, & ceteris visceribus & membris innoxium. Scio qui articulari morbo affectis, dabat quotidie decoctum centaurii minoris & cetrach, quas aquis portionibus, aquæ fontanæ, cum melle incoquebat: eoq; modo phlegmate mucilaginoso subducto, ægros curabat.

Carolus P*iso* ad similem modum: Quod spectat ad vacuationem feri per cutem eamq; sensibilem, hanc plurimi facio, ut debeo, quia & revulsionis vim habet, & maximè est oportuna in his affectibus, quippè quæ naturæ convenientissima, cum ea feri portio, quæ per cutem insensibiliter ex naturæ instituto continenter quotidiè expirare debet, suppressa quacunq; ratione, & introrsum depulsa materiam præstet arthriticis doloribus, ut ante hac demonstratum. Quamobrem consulo, ut illustris præsul sudorem quotidiè, si fieri potest, aliquâ arte promoveat, aut certè insensilem expirationem: quod ut consequatur, inprimis desitati cutis, quam infert inclementia aeris, præsertim hyberno tempore, consulere debet, nam quæ à polysarcia, aut ætate densitas infertur, de eâ nulla providentiâ haberi potest. Ergo accuratè videat, ut benè tectus in-

incedat semper, & de nocte potissimum stragulis levibus quidem, sed calidis, plumâ videlicet aut pelle in fartis, desuper subterq; stratis opertus dormiat, & ita opertus, ut sponte sudor sub diluculum erumpat. Quod eveniet, si non ita de manè expergiscatur, sed aliquantisper quietem in lecto longiorem capessat, & si sudor nihilominus non erumpat, is multâ longâq; provocetur universi corporis frictione, quod si eo frustretur, aut hisce modis eum provocare tædiosum illi est, suadeo certè, ut semel in hebdomada hypocaustũ jejunus adeat, ibiq; per horulam sudet, quod primùm tentabit, ubi plethoræ corporis venæ sectione prius providerit, ut avertat cutaneos affectus, qui ab insolito hypocausti usu spontè emanare solent: Atqui si his artibus sudor erumpens minus emendandæ colluviei seri in corporis habitu stagnantis satisfacere potest, certè author sum, ut ineunte vere & autumno, quibus anni temporibus fluxiones repetere solent, utatur decocto sudorifico sive zarzæparillæ, sive radicis sinarum, idq; per unam, aut alteram septimanam, vel certè syrupo Ambrosiano, si metus sit à viscerum & sanguinis æstu &c. *Hæc ille. Potus*, inquit *Johan. Michael Paschalius, aquæ ligni Guajaci per triginta vel quadraginta dies evacuato corpore solet curare hanc antiquam arthritidem.* Permagni hoc remedii genus faciunt plures Medicorum, ut *Julius Cæsar Claudinus*, *Antonius Maria Venustus* cons. 19. *Johannes Zecchius* cons. 5. *Gregorius Horstius* l. 3. part. 2. obs. 4. *Iohan. Hieron. Pulverinus*, *Lælius à Fonte*, *Laz. Riverius*, *Ioh. Rhenanus*, *Arnoldus Weickardus*, *Hier. Cardanus* l. 4. de *Sanit. c.* 22 *Bricius Bauderonius* cap. de Arthrit. *Fredericus vander Mye.* Ut, *inquit c. de Arthrit. Franciscus Ioel*, studiosos Artis Medicæ nihil celem, in omnibus articularis morbi speciebus nullum salutarius, nobilius, præsentiusq; remedium experientiâ longâ comprobare potui, quàm potionem sudorificam ex nobiliss. rad. chinæ & sarmenti Indici paratam.

Ligni *Lentisci* decoctum etiam efficacis effectus esse creditur. Unde *Liberatus de Liberatis*: Sed & pro recrementorum reliquiis insensibiliter conterendis ac fluxionibus quibuscunq; remorandis ac sistendis *Ligni Lentiscini* decoctum mirabile censetur; Lentiscus enim substantiæ subtilitate omnes partes pervadere, hu-

moresq; crassiores attenuare dicitur, & stipticitate moderatâ, quam à mastichinâ virtute mutuavit, partium omnium tonum reparare, naturalesq; omnes facultates, attractivam nempè, retentivam, concoctoriam, expulsivam confirmare & adaugere creditur. In podagrâ igitur, dum confirmatus est morbus, & dum effœta vires prævalida ac fortiora sustinere non possunt medicamenta, hoc uti absq; discrimine licebit, ob temperatas suas activas qualitates & facultates roborantes, cuiq; complexionum generi & enervi cuiq; homini, erit non minus tutum quàm salutare. Paratur autem h. m. videlicet: ℞. Surculorum ligni lentiscini per octo vel decem annos ante à planta recisorum unc. 8. circiter, dividantur surculi in quatuor partes, & fasciculo parata infunde in lib. 20. aquæ fontis purissimæ in vase terreo vitriato, vas perbellè obturetur, & per tres dies in loco calido relinquatur, bulliat deinde ad consumptionem tertiæ partis, servetur in eodem vase, nec abjecto lentisco; exime per declinationem, unc. vij. pro vice cap. serò dum it dormitum, & uncias totidem manè in lecto per mensem saltem. *Hæc ille.* Atq; *Rodericus à Fonseca* ferè similiter: Licet secretum Lentisci apud me jam per aliquot annos esset, & lentiscum ipsum pro experiundo ejus efficaciam diu adservassem: nunquam tamen eo usus sum, nisi postea quàm Tractatum quendam manu scriptum Cornegii Medici Hispani perlegi. Cum enim singularem ejus viri eruditionem agnoscerem, & quæ ille de hujus plantæ efficacia adducit, atq; ejus naturam perpendissem, inveni remedium egregium, quod magnoperè prodesse possit, sine ullo nocumento. Ac proinde puto fore, ut aqua Lentisci (quæ nulla impensa haberi potest) longè præstantior & usu frequentior futura sit, quàm Ligni Sancti vel chinæ aut sarsæparillæ vel Ligni Sassafras. Sed applicemus methodum Cornegii ipsi podagræ. Purgato omnibus modis capite, unde fluxiones oriuntur, veniat in usu aqua Lentisci, quæ non solum &c.

Ac sudor illâ quoq; elicitur via, quam *Rodericus à Fonseca* prodit: ratio movendi sudores fit per panes calidos statim à furno exeuntes, si apponantur ad ambitum corporis involuti in Syndone duplicato, & possunt apponi dorso, cruribus, imò ad partes anteriores pectus & ventrem. Hoc remedium proponit Saxonia tanquam

omni-

omnium præstantissimum ad sudores provocandos. *Item Lazarus Riverius :* Hercules Saxonia panis recenter ê furno extracti decem aut duodecim ordines, quibus sudor copiosè provocatur & dolores auferuntur (in Arthritide.) *Martinus Rulandus* sequenti sudorifico usus est feliciter : ℞. summit. centaur. Min. Mij. rad. Asari ℥ij. Bulliant in aq. libr. x. ad medias, & colentur. Capiat ℥viij. calidè manè per aliquot dies & sudet.

Ad sudorem quoq; *Martinus Blochvvitius* laudat de *sambuco* sumtam Medicinam : Exhibeantur Rob seu succi inspissati baccarum ʒij. cum Cornu Cervini præparati scrupulo: vel extract. granorum Actes drachmæ dimidium vel scrupuli duo. Vel spiritus baccarum, florumve Cochleare j. vel duo. Quorundam εὐπόριστον hoc est: ℞. rad. ebul. vel sambuci ℥ß. Acinorum pulverisat. ʒj. Macerentur per noctem in vino albo. Cujus colatura sacchâro parùm dulcorata manè in lecto ad sudorem proliciendum propinetur. Quæ etiam instantem Paroxysmum, si exhibetur, intercipit. *Hæc ille.* Nunc & illa remedia sunt hodiè sat nominata, *Syrupus Diaphoreticus Antitoxicus*, *Syr. Ambrosianus*, *Aqua Sudorifera Mindereri* maximè ad Gallicam podagram commendata, *Ambrosia Diaphoretica* blanda N. Ab. Frambesarii, *Syrupus Bezoardicus*, variæ mixturæ, quæ ex C. *Cervi* constant, sunt ⊖, galred. C. C. Spir. C. C. & Extr. *Bezoard.* Min. ☿ *Diaphor.* Bezoar. *Martiale*, Mag. ocul. ♋ Tinct. ♀. Sudor, inquit *Sigismundus Kolreut.* insuper est evocandus, exhibetur ad hanc intentionem cyclaminis radix tenuissimè trita cum aqua mulsa aut passo, robustis ʒiij. pondere; reliquis pro virium tolerantia sudorem etiam excludit rasura dentis aprini. *Hæc ille.* Addit & hoc *Franciscus Bornius* : Prosunt sudores frequentes excitati in tina ad vaporem calidum, ut caput emineat. Hujusmodi sudores longè præfero thermis. Testari possum, me plures contracturâ laborantes solis sudoribus curâsse. *Hæc ille.* Tandem *Peter Poterius* articularios homines curat *auro suo Diaphoretico* : Nobilis Dominus Simon de Brusaltis annorum 27. articulari dolore in genibus & pedibus graviter affectus, extracto Hellebori & hermodactylorum artificiosè præparato, materiâ purgata, statim melius se habuit : dato tandem pulvere nostro antipodagrico ad 5 vel 6

dies tantùm, ut Tartareus ille humor è ſede penitus extraheretur, & læſarum partium robur reſtitueretur, citò & jucundè convaluit.

Nonnulli, ut *Godofredus Steeghius* ſuperiora decocta, ac quidam ipſum ſudorem cum exceptionibus laudant, ut *Tuſſianus Ducretus.* Quid? Inveniuntur, qui illa ipſa *decocta Ligni ſancti*, & *Saſſafras*, *rad. chinæ* & *Sarſæparillæ* penitus culpare non dubitarunt, ut *Manardus, Proſper Martianus, Sebaſtianus Paparella, Petronius, Jacotius, Mart.* Panſa, *Scherbius, Thonerus, Helmontius*, quorum & verba lib. 4. de Cat. ſ. 1. cap. 5. poſita fuerunt. In mentem venit, inquit *Amatus Luſitanus Cent. 1. curat. XCIX. in Scholiis*, Ludovicus Vives, qui quum apud Antverpienſes ageret, ac chiragrâ laboraret, ab eo fui accerſitus: tophaceas enim durities in manus articulis habebat, quas decoctum ligni Guajaci non rectè exhibitum firmaverat. Naturâ enim bilioſus hic vir erat, qui ob contumaciſſimas durities illas calamum ad ſcribendum vix arripere poterat: & ea de cauſa, quum præſens eſſem, lachrymis perfuſus, decoctum Guajaci deplorabat, & eò magis, quia poſt ejus hauſtum, quæ ipſe commentariis meis prioribus ſuper Dioſcoridem in lucem editis, de Guajaci natura & temperamento ſcripſeram, legerat: mirum enim in modum Guajacum exiccat, quo fit, temperatura ſiccis multum obeſt, non igitur omnibus indiſcretè Guajaci decoctum, præcipuè ex vino confectum offerendum eſt, quia inde inſanabiles ægritudines oriuntur; quare hìc lubentiſſimè admonerem, ut qui complexiones calidas & ſiccas habent, habitudines extenuatas, materiam morbi aduſtiorem, ab hoc potu abſtinerent: qui verò craſſi ſunt, naturâ pituitoſi, humores lentos & frigidos habentes, ſecurè eo uti poſſunt. *Contra autem Hieronymus Gabucinius* ad hunc modum: Guajaci ligni decoctum præter manifeſtas, quas obtinet, facultates, nempe caliditatem ac ſiccitatem, quibus inſigniter pollet, latenti quadam etiam naturâ præditum eſt: veluti compluria alia medicamenta, quæ morbum hunc, ſi quid aliud, finire videmus. Neque mehercule nos perterreat, quod plerique ajunt: nempè ex hujus propinatione decocti viſcera omnia, jecurque inprimis inflammari, eo argumento, quod medicamentorum

qua-

qualitates ex gustu potissimùm percipiantur. Tales insunt in hoc ligno. An quod, veluti præceptum fuit, non manifestis, sed latentibus potiùs qualitatibus agit? Hinc fit, ut si quis in hoc vel alio quovis morbi genere ante corporis universi purgationem utatur, permulta incommoda, malaque sequentur, impenseque potiùs obfuerit, quam quidquam profuerit, quando latens illa natura ab humorum supervacuorum multitudine obruitur, quo minus boni quidquam agere valeat, atque si quid tandem agit, manifestis qualitatibus, calore nimirum ac siccitate substantiæ operatur, jecurque inprimis calefacit. Nunquam igitur meo quidem animo decoctum hoc, nisi exquisitissimè prius supervacuis repurgato corpore propinabitur. Quod verò Manardus noster ait, in nullo, qui verè articulari morbo captus fuerit, sese unquam usum fuisse: non est, quod hujus remedii mirificas facultates imminuat: quando experientia etiam compertum est, & articulorum vitio laborantibus fuisse præsidio: iis præsertim, qui jam jam prima morbi fundamenta jecerunt. Quod si parum etiam iis profuisse videatur, propterea, quod tantam, tamq; longinquam inediam, quantam hi sustinere coguntur, qui leges in hac re, ut ait, hibericas sectantur, perpeti nequeunt, non est propterea, quod hujusce præsidii dotes imminuat, quando pro secunda recipienda valetudine quidvis audere debemus ac perpeti. Accedit his, quod quum & semitabidis etiam exhibeatur: multò magis in hoc depellendo affectu erit propinandum: quo cum gracilitatis podagricorum causas auferemus: ut posteà melius nutriri incipiant, obesioresque propterea ex accidente evadant: nam & ventriculum inprimis, intestina, renesque roborare creditur. Ac chynæ decocto cum in aliis permultis, tum vel in Carolo potissimum ejus nominis quinto Cæsare Augusto non sine evidenti utilitate sese usos fuisse, memoriæ prodiderunt.

Quin & *sudor* damnatur. Sudoribus, *inquit Ludovicus Mercatus libro 4. capite de Arthrit.* etiam non contemnendi auctores consulunt, materiam fluentem ad articulos, ad cutem revellere, quo præsidio doloribus vigentibus aut incipientibus vel utcunque existentibus, non uterer: quippe articulos laxare, emollire, ac infirmare, idoneus existit sudor: præterquam quod humo-

humores fundit ac liquat, quorum licet aliquid ad cutem evocetur, retrahaturque, conjectabile est, ad laxos & dolentes articulos non minorem copiam fluxuram. Quapropter cum præmeditatione & non sine timore, præcautionis gratiâ, usui esse potius possunt, quàm ad revellendum, si fluxerint, idque maximè, dum corpus morbo Gallico oppressum sit, aut pituitosis scatet succis in carne & partibus extimis. *Inde* similiter sentiunt nonnulli Chymici, ut *Helmontius*, *Cneuffelius*, *Franciscus Oswaldus Grembs.* Podagræ purgatio, *inquit hic*, per therapiam sudoriferam, effectus vidi nullos, etsi enim aliquando serius advenerit, semper tamen sævior & atrocior postmodum rediit.

Ast *Fabricius Hildanus Cent. 5. Observ. 83.* aliud usu comperit: Ab eo tempore defluxiones iterum pedem meum sinistrum occuparunt, & maximo quidem cum dolore, qui tamen superveniente subsequenti nocte, sudore, mox evanuit. Vides, quàm proficuus & salutaris mihi sit sudor in articulorum dolore, quòd & aliàs & quidem sæpissimè cum admiratione expertus sum. Inter sudandum enim dolor ita remittit, ut nisi moveatur membrum, vix percipiatur. Quandoquidem subtilis & acris illa materia, quæ partes nervosas vellicat, per sudorem ex parte evacuatur. Sic & supra *Carolus Piso.*

Nunc nostra feratur censio. Decocta illa ligni *Sancti*, *sassafras* & *Lentisci*, radicis *sarsaparillæ*, & *chinæ* ex toto hîc improbari non queunt. Peritè *Fabricius Hildanus* & *Carolus Piso* eorum, qui *arthritide* appetuntur, corpora affirmant salutariter insudare. Nec ea ipsa inde tàm vehementer exiccantur. *Amatus Lusitanus* jam superveniens, prioribus Medicis ægrè facere voluit. Non tàm usu horum decoctorum, quàm magnitudine istius tàm inveterati morbi articulis *Ludovici Vives* increverunt *pori*, uti hi in vulgus cognominantur. *Manardo* optimè respondet *Hieronymus Gabucinius*, cùm eadem decocta etiam in phthisi seu tabe proficiant. Quanquam hæc exceptio omninò addenda est, ne ea, sanguine fervidiore, magisque sicco, ac illo per morbum consumpto, dentur. Proprietas Naturæ etiam est observanda. Et hoc est, quod nonnulli inde nihil juventur. Radix *Chinæ* à nonnullis accusatur,

ſatur, tanquam ea *Renibus* & *Veſicæ* ſit inimica. Quo ê numero *Hieronymus Gabucinius*, *illud Chinæ decoctum*, inquit, *urinæ plurimum cit, igitur non eſt temerè propinandum: quando plerunq; ita renes, urinariosq; meatus aut etiam veſicam reſerat, ut nullo poſtea remedio affectis illis partibus conſulere valeamus, viſi enim nonnulli fuére, qui ex hujus potione decocti heminas quotidiè triginta urinæ rejectavit*. Iſtius mali cauſa fuit alia, minimè hic potus. Simile aliquid nunquam comperi. *Ludovicus Mercatus* manifeſto in errore verſatur. Commodi, incommodique mixtura eſt oppidò frequens, Medicis remedia quærentibus. Commodum certè hîc prævalet. Licet enim ſudor humores moveat, tamen iiſdem etiam evacuat corpus. Quin & ſic articulos firmat. Nec reliqua remedia *arthritidem* ita perſanant, ut ea nunquam revertatur. *Sudorifera* & *Theophraſto Paracelſo* probantur. Quid multa? Sive *Arthritis* ſit *humoralis* ſive *ſabuloſa*, ſudorem moveri, refert. Portio illius materiæ terreſtris ſemper multo ſero eſt diluta, quod ſudore digeritur. Quin illud ipſum exire poteſt. Argumento erit ſudor arenoſus. Si verò articuli ſunt *tophis* diſtortisſimi, ſudor, fateor, ad eos tàm multus haud laudandus videtur.

CAPUT IIX.

De

DIURETICIS.

De *Diureticis* inter autores non convenit, ut inter *Almanſorem* & *Avicennam*, ac hinc inter juniores. Quam diſcordiam *Johannes Matth. de Gradi* detegit hiſce: Dixit ultimò Almanſor, eis quoque, dum ſanus eſt, utatur, quæ urinam provocare conſueverunt: intelligatur hoc dictum eſſe ponderoſum cum multo ſale, quoniam ſanus & repletus ſi uteretur provocativis, diſponeretur ad dolores juncturales, maximè ſi aliàs fuerit conſuetus ad eos: & propriè ſi multipliciter aliàs fuiſſet læſus: quoniam medicinæ provocativæ propriè ſumtæ, ut eſt ſemen fœniculi, dauci & apii ſuâ acuitate ſubtiliant humores & liquefaciunt & dilatant meatus, & ſic parant materias ad fluxum ad loca conſueta & parata de ſe recipere, ut ſunt membra juncturarum. Ideò ſæpè ad curationes doloris calculoſi propter neceſſarium uſum diureticorum ſolent ſe-

qui dolor articulorum & sæpè podagra. Et de hoc feci specialem etiam quæstionem in loco allegato, & etiam alibi contra sententiam unius doctissimi physici Ducalis Magistri Benedicti de Nursia Collegæ nostri: qui in doloribus actu existentibus juncturalibus propter quosdam tex: similes dicebat diuretica offerri debere: & tamen textus hic noster dicit: cum sanus est, & non cum stant dolores; sed cum sanus est, & quasi mundus, in quo aliàs non, consuevit saltem non frequenter, cum semel evenerit confortatis prius membris juncturalibus: tunc si moderatè assuescat his, quæ urinam provocare consueverunt: credo, quod sit conveniens propter id, quod divertuntur materiæ à viis juncturalibus. Si etiam reperiantur tex: quod in tempore ægritudinis provocativa conveniant: de quibus fuit unus textus P. Avicennæ positus in curatione generali de doloribus juncturarum. Ubi dixit, quod plures de habentibus dolores juncturarum frigidos & complexiones humidas, non juvantur cum solutione plurima facta potione & clysteri. Et addit: & cum medicantur, cum diureticis sanantur. Responde, ut exposui illum textum loco suo: quod tales non juvantur scil. completè cum solutione &c. Et ibi laudat tamen diuretica factis evacuationibus pro magna parte eradicativis. Nam cum modicum de materia remansit in toto & in juncturis, dicebat ibi textus, quod provocatio desiccat materiam dolorum juncturarum, quæ resecatur ex superfluitate digestionis illorum membrorum, & tunc non est timor de convertendo materias ad juncturas, cum non sint abundantes in toto: imò secundum totum evacuatæ: sed id modicum, quod remansit de materia in juncturis ex talibus diureticis recipit juvamentum dupliciter: uno modo per simplicem alterationem exiccando: cum tales medicinæ sint siccæ. Alio modo subtiliando materias, quæ sunt in juncturis propter caliditatem siccitati conjunctam, quibus subtiliatis per easdem vias, per quas defluxit dicta materia à virtute membrorum expelli possit per vias urinæ, & ità juvabuntur talia corpora. *Ita* rem sat commodè complectitur autor. *Diuretica* dubiè mederi dicuntur. Nam & *Rhases libro primo Division. cap. 102. ad hunc modum:* Et quandoque eradicant dolores juncturarum & podagræ eradicatione aliqua medicinæ fortes, in pro-

provocatione urinæ vehementis ſubtiliationis ex iis, quæ dicemus, veruntamen oportet, ut adminiſtretur ex his, quibus accidit hoc ex humore crudo, aut ex humore, cujus plurimum eſt crudum, & dimittantur in illis, quibus accidunt cum eo apoſtemata calida inflammata, & ille, cui accidunt dolores juncturarum. *Hæc ille.* Nec *Haly Diuretica*, teſte *Diomede Amico lib. de morbis Sporadibus*, ſine exceptione laudat: *Dum etiam in articulari dolore viget dolor, reprobantur diuretica: nam periculum imminet, ne humores vi doloris & caloris attracti, & à diureticis tenuiores redditi, ad partem potius affectam fluant, quàm per urinas divertantur: quibus tamen ſaluberrimè utimur, & pro præſervatione & in declinatione morborum articulos occupantium, ut etiam notavit Haly.* Verba *Haly* hæc ſunt: *Æger aſſveſcat quoque corporis per vomitum purgationem & urinæ provocationem.* Autor quidem ille, *Eſculapius* hoc remedii genus adhiberi præcipit hiſce pauculis verbis: *urinæ provocentur.* Sic ferè & *Tacuinus in Tab.* Atque *Theocritus* in univerſum ſic pronuntiat: *omnis uſus diureticorum Rheumatibus adverſatur.* Atque *Chriſtophorus à Vega* ſic: *convenit bibere, quæ urinam movent.* Verùm ex eodem juniorum genere *Franciſcus de Pedemontio ita:* Deinde utamur diureticis, quoniam deſiccant materiam juncturarum doloris, cùm ſit ex ſuperfluitate digeſtionis hepatis & venarum, ſit autem ex lenibus, fortia enim humores adurunt. *Atque Bernhardus Gordonius* hâc correctione adhibitâ: Diuretica non competunt in principio, quoniam adurunt ſanguinem, & faciunt materiam fluere ad locum. Item *Johannes de Concoregio. M. Gatenaria* rurſus aliter: Diuretica etiam non debent dari, niſi corpore debitè mundificato. *Sic & Joh. Mich. Savonarola*, ac *Johan. de Tornamira*, *Mercatus*, *Hercules Saxonia*, *Solenander*, *Antonius Alvaretz*, *Sigiſmundus Kolreuterus.* Ac *Thomas Eraſtus* inſuper *parte quarta Diſput:* hoc rationis affert: urinas ex profeſſo movere vix auſim: niſi conſtaret, Naturam per ea loca velle pravos humores exturbare, quòd, cùm bilis plus cæteris humoribus peccat, evenire facilè poteſt. Quia verò podagrici magnâ ex parte Nephritici etiam ſunt, circumſpectione hîc opus eſt non vulgari. Nimirùm dixi urinam cientia, parùm convenire, dum actu laborat æger, ac materia ſeu cauſa podagræ partim fluxit, par-

tim adhuc fluit. Hic non de tempore ſermo eſt, quo æger affligitur, ſed de præſervatione ſeu præcautione diſputatur. Deinde dicimus his utendum remediis, poſtquam corpus mundatum eſt, & ab humoribus pravis liberatum. Quo tempore nullum eſt periculum, ut ad renes excrementa præcipitentur, calculoſque gignant. Quantum enim excrementi quotidiè generabitur, tantum ferè his pharmacis educetur partim per urinæ vias, partim per alias regiones. Cùm corpus ſeu venæ pituitâ ſunt repletæ, nec vacuari tantum poteſt, quantum ad renes ducitur aut truditur, horum uſum periculo non carere, minimè inficior. Atque in conſ. 20. Solo, *inquit*, diureticorum uſu qui convaluerit, neminem novi: & *conſ.* 23. Diuretica quoque etſi egregiè divertere, & ab articulis abducere nocentes iis humores poſſunt, conſulere non audeo. Metuo enim, ne plus renibus, qui ex frequentium calculorum generatione plus ſatis debilitati ſunt, noceant, quàm articulis commodent. *Ex ſimili notâ Franciſcus Feyneus.* Tandem id *Johannes Matthæus* admonet: in conſ. pro illuſtriſſ. Marchione Badenſi, purgantia ſunt neceſſaria; poſſit continuari uſus infuſionis Hermodactylorum, fol: ſenæ, florum Perſicorum cum correctivis, illa tamen omninò exterminanda eſſe puto, quæ urinam movent & calculum pellunt, ut ſunt radix aſparagi, ſem. milii Solis &c. Impoſſibile ſiquidem eſt, unum & idem medicamentum diverſas operationes ſimul feliciter expedire. Quin imò tantum ex tali mixturâ periculum imminet, ut medicamenta, quæ calculum propellunt, & urinam movent, aliquam, per medicamentum purgans, exagitatæ & commotæ materiæ partem, ad renes rapiant, unde minimè dubitandum, quin Veſtra Celſit. continuando ejuſmodi medicamenta ſine judicio commixta perpetuum ad generationem calculi fomentum ſit conſervatura. Diverſis igitur temporibus & diſtinctis medicamentis, modò purgandum, modò calculus comminuendus & expellendus.

Reliqui autores, ut ſuprà *Theodoricus & Chriſtophorus à Vega* hæc medicamenta *Diuretica* magis probare videntur, ut *Carolus Piſo:* Ac quæ uſurpata quidem viſcera ſeu fontes exhauriunt, ea ferè ſunt diuretica, quæ quotidiè in eſum venire poſſunt, uti juſcula

la aperientia, de quibus in victus ratione. *Hollerius:* Quod est reliquum, partim urinis, partim sudoribus excludendum. *Gul. Adolphus Scribonius*: Humores serosos & crudos evacuando, ne in corpore retenti ad pedes defluant, Diuretica hîc prosunt. *Martinus Pansa:* conveniunt Diuretica post usum aliorum. *Liberatus de Liberatis* quoq; ad sudandum valentia medicamenta ponit: Inter evacuationis Revulsivæ genera Urinæ provocatio reponitur, quibus enim timetur abscessus ad articulos, liberantur urina multâ, crassa & alba ex 4. Aphor. 4. si contrarium habeatur 2. Porrhet. explicationem recipit. Diuretica tamen duplicis sunt generis, alia exactè & sunt calida & sicca, tenuium partium, quæ sanguinem fundunt, attenuant, serumq; ab eo segregant: alia non exactè & ob substantiæ tenuitatem urinam promovent potiùs, quàm ob calorem, & dum podagra à crudioribus pendet succis, à frigidis istis diureticis non juvabitur: quapropter exactè urinam cientia pro his usurpanda, quæ tamen in calidiore podagra & in extenuatis pessima sunt: tenuant enim nimis humores, redduntq; fluxibiliores. Ubi pituita exsuperet, crassioribus abundantibus succis, intemperaturâ ad frigidam declinante, tutus erit eorum succus. Inter cætera hujus census aqua sequentis descriptionis mihi satis arridet, nec in calore excedit:

℞.	flor. sambuci exicc.	℥iijß.
	medull. caric.	℥v.
	amygdal.	
	persic.	a. ℥iij.
	sem. Irionis	℥iiij.

Contundantur omnia, & contusa macerentur per dies quinq; in lib. 4. vini Malvat. F. destill. posteà in Balneo Mari optimè obsignatis recipientis & cappelli juncturis. Dosis est ℥iij. singulis diebus Manè. Crato suum pulverem commendat:

℞.	sem. levistici	
	anis.	
	petrosel.	a. ʒß.
	Erithrodani	
	meliss.	

gentian. a. ℥iij.
ſalviæ
betonic. a. ʒij. M. F. Pulvis. Doſis ʒj. in juſulo manè. Vinum chamædrytium Diuretici ac Diaphoretici vices ſupplet. Hinc Caro. V. Cæſari olim à Genuenſibus tanq. arcanum ad podagram fuit communicatum. *Item Crato conſ. 229.* Singulis ſeptimanis purgantia ſumantur, quia cum arthritis fit fluxus ad articulos, ex uſu harum pilularum fit, ut natura aſſuefiat excrementa non ad articulos, ſed ad naturalem excrementorum locum demandare & à conſuetudine revocare, ut hæc curatio diverſione fiat: Qua ratione etiam diuretica commendari ſolent, quale eſt ſequens: ℞. ſem. leviſtic. aniſi petroſelini a. ℥ß. erithrodani, meliſſæ, gentianæ a. ʒiij. ſalviæ betonicæ a. ʒij. M. F. Pulvis. Doſis ʒj. in juſculo manè. *Itemque Arnoldus VVeickardus* : per mictionem copioſam, ſeroſi excrementitii humores quoq; exturbantur, proinde derivationis causâ urinam promovemus decocto cicerum, rad. Aperit. aſpar. melon. aliisque, aliquot matutinis exhibitis, inprimis commendatur Electuarium ex ſucco Anth. cum ſaccharo inſpiſſatum, ſi de eo ſingulis diebus ad quantitatem nucis juglandis ſumatur, quo fine etiam laudatur emulſio ſem. frig. cum aq. fragor. & hedera terreſtris parata, cujus mentio in lib. 6. loco proprio facta, qui huc referatur. Aliud *Diureticum*, quod ſimul *ſudorem* movet: ℞. meliſſ. Valerian. Heder. terreſtr. a. Mjß. baccar. Juniperi Mj. aſpergantur vino Malvatico qſ. Macerentur per triduum, poſteà deſtillentur per Alembicum vitreum, & deſtillatum reſervetur in vaſe benè obturato, de quo æger ſumat quotidiè vel alternis diebus cochleare unum. *Nec non & Sigiſmundus Kolreuterus* : Dantur & potiones diureticæ, & quæcunq; à proprietate hunc dolorem extenuant, ut decoctum ſem. ſiler. mont. & pulvis etiam ipſius. Item radicum aſparagi & ſemen ejus: nam *aſparagus* à proprietate prodeſſe creditur, unde ipſius commeſtio continuanda, laudatur & decoctum filipendulæ, Radicisq; Acori. *Atque etiam N. Abrahamus Frambeſarius* : Ex Anonidis, ſaxifragiæ & corticum fabarum ſale, cum ſuâ propriâ aqua extracto paratur. Valentior è ſale ſuccini. Datur à granis tribus ad 4, 6, 8 & 10. cum aqua petroſelini ſeu anonidis.

nidis. Mirabiliter pellit remoratam urinam. Valentior quoq; eſt ê ſpiritu ſalis marini. Duæ vel tres guttæ in aquâ cardui benedicti & parietariæ ſubitò remoratam pellunt urinam. Nectar Diureticum præſtantisſimum ê Tartari Victriolati ℈ß. aquæ cinamo. ℥ß. & Julepi Roſati ℥ij. Fit autore Crollio. *Hæc ille. Benedictus Sylvaticus* autor eſt, ut ſudoris ergò *ex conſilio Foreſti radix Lappæ cum cerviſia potetur, vel aqua Ononidis, hujus inopia.* De quâ radice protinus dicetur. Huc ſpectat & geniſtæ decoctum, quod memorat *Gualterus Bruel.* Chymici laudant *Spir.* ⊕*li*, ⊖, ♆, *clyſſum Antimonii*, ⊖ *ononidis &* aliarum, Sal. *ſuccini.*

Tandem morem meum rurſus ſequens, *Diureticorum*, ut vocant, Medicamentorum rationem concludam & hiſce quidẽ ſignificantibus verbis: iis datur locus, ut & *ſudoriferis.* Horumq; nonnulla, teſte *VVeickardo*, ſunt *Diuretica.* Vis penetrandi eſt communis. Eodemq; incommodo cohærent. Utraq; enim movent humores, aſt ſimul vel ſudore minuunt eoſdẽ, vel urinâ. Utraq; ,ubi corpus articularii hominis & ætate & morbo confectũ eſt, tophis, callisq; juncturarum tam inſignibus, adeò utilia non ſunt. Quanquam & *Diuretica* humores ab articulis revocare dicuntur, & quidem ſub autore *Hippocrate.* Ubi, *inquit c. de Arthrit. Hieronymus Mercurialis*, ſic purgati fuerint humores, quia ſemper aliquæ remanent reliquiæ, ſunt illæ penitus extinguendæ duobus modis, vel ſudoriferis vel diureticis: Dicebat enim Hipp. Aph. 75. quod *quibus ad articulos futurus eſt abſceſſus, ſi urina multa & craſſa exeat, liberàntur ab abſceſſu.* Ex quo Hipp. loco colligitur, expurgationem factam per abſceſſum magnoperè conducere ad hos finiendos affectus. Igitur ubi materia erit frigida, utendum erit diureticis calidioribus, ut eſt manna, nardus, radix aſparagi, rad. chamæpith. chamædr. Ubi autem materia fuerit calida, eſt utendum tepidioribus diureticis, ut ſunt omnia ſem. frig. capil. Ven. apium. Nam hac ratione poteritis intelligere, cur Homerus finxerit Achillem porrigere apium ſuis equis podagricis, quia apium juvat morbos articulares. *Hactenus autor.*

CAP. IX.

CAP. IX.

De

MEDICAMENTIS,

materiam humoris terrestrem (quam vulgus vocat TARTARUM*) & visceribus intimis & massâ sanguineâ contentam solventibus.*

NOnnulli Medicorum, præcipuè *Chymici*, materiam humoris terrestrem vulgari cognomento *Tartaream*, quæ in visceribus, in artubus & in massâ sanguineâ inest, vi certorum quorundam medicamentorum solvi volunt, ita, ut ea portio aut liquore urinæ aut sudoribus reddi queat ac emitti. Hujusq; medicinæ autor princeps plurimis *Theophrastus Paracelsus* esse videtur. Per sal, *inquit ille*, curari debere Tartarum internum, curamq; febrium esse resolutionem Tartari. *Et mox:* ubi ergò liquor salsus descendit ad membra, & non apprehendit gluten album, inhæret juncturis membrorum, & coagulat se & non est, nisi Tartarus, inde sæpè fit, quod in podagricis lapilli exscindantur, & hoc ex Tartaro est, non ex glutine. Ideò ubi gluten tàm potens est, quod humorem salsum & salem mineralem non suscipit, tunc non fit dolor, neq; podagra, propterea podagræ cura est, ut sal resolutum expellatur. *Idemque ad solutionem Tartari seu lapillorum in intestinis contentorum* hoc medicamento utitur.

℞.	aq. de fecibus vini	℥vj.
	mumiæ	℥ß.

Mellis despumati & colati quantum sufficit, fiat mixtura in formâ electuarii. Dosis est à drachmis tribus usq; ad septem. Usus quotidianus succorum ex limonibus aut auranciis impedit generationem hujusmodi Tartari in intestinis, & generatum resolvit: debent tamen reduci ad quartum gradum Spagyrorum. *Ac denique tàm sæpè dictus Paracelsus* Tartarum corporis humani edocet simili Tartaro digeri oportere. Quam in sententiam discessit *Josephus Quercetanus cons. pro Arth. ad hunc modum*: pulveris spe-

ſpecifici vis eſt efficax ad diſſolvendas tartareas impuritates, mucoſitatesq; ſtomachi ſeu ventriculi & viſcerum nutrientis facultatis. Cum horum morborum generatio fiat per coagulationem Tartari & mucoſitatem, conſequens utiq; eſt, ut cura procedat à reſolventibus ejuſmodi tophos Tartareos. Ea autem fiunt ex remediis propriis atq; ſpecificis: quorum alia vim habent reſolvendi tartarum hujus, alia alterius generis & naturæ. Gummi Arabicum diſſolvitur in aqua, quia eſt de natura aquea. At maſtix, thus, lacca in aquâ nunquam diſſolvuntur. Nam quia hæc gummi ſunt de naturâ ſulphuris, facilius diſſolvuntur in oleis, ut ipſummet ſulphur. Gummi Ammoniacum aceto diſſolvitur. Patet & non omnia purgantia conferre ad diſſolutionem & per conſequens evacuationem Tartari. Sic calculus à Tartaro ſeu ſale coagulato factus, curabitur ſale quidem, ſed reſolvente. Arthritis quin etiam à ſalibus tartareis acribus & corroſivis genita, ſalibus curabitur lenitivis & conſolidativis. Dogmatici humores craſſos & coagulatos attenuant calidis & ſiccantibus. Quid fit? loco Reſolutionis, quam intendunt, indurant & cogunt magis. Hinc illi tophi, certè haud à fluxione humoris, qui ſemper eſt liquidus. Nam diſſolutio ejuſmodi tartareæ materiæ non conſiſtit vel in vi caloris, vel in facultate attenuante: ſed eſt virtus quædam propria ac ſpecifica, quæ etiam diſſolvere poteſt. Quare infinita ſunt diſſolventium genera. Pulvis meus ſpecificus inſignem habet vim diſſolvendi propter ſalem Alkali mordacem, quem continet Aron, quæ baſis eſt, & præcipuũ ingrediens ejusdem pulveris. Huic radici affunde vinum & ſæpiùs, ut amplius non mordicet. ℞. hujus ſiccatæ ℥ j. pulveris acon vulgaris pp. ℥j. pulv. flor. betonicæ ℥ß. lapill. cancr. ʒiij. cinam. ʒjß. Sach. qſ. De quo capias manè cochlear ſemis: idq; alternis diebus, ut uno videlicet alternorum prædictum ſumas pulverem, altero hydromel ſuperiùs deſcriptum. Sed non abſtinendum ab uſu. Nam ita diſſolventur tophi Tartarei, qui jam ſunt coagulati, & prohibebunt eorundem coagulationem atq; generationem. Valet & ad calculos renum & veſicæ ſolvendos. *Hæc ille.*

Rem clarè exponit *Johannes Poppius l. de morbis calculoſis hiſce*: Medicamentum ita præparetur, ut eorum vis penetret in venas, & in iis reſolvat calculum, id quod dũtaxat fit per Spiritum ſalis

lis & Tartari; Hic Spiritus in omne corpus, in venas penetrat, & calculum convertit in aquam; postea vena est secanda. Hic Tartarus venarum facilè ex eo cognoscitur, quod faciat puncturas & apostemata & alias fœdas pustulas Cutis, hæ ibi faciunt morsiunculas & pruritum, ex illis pustulis non sanguis fluit, sed ichor flavescens. Hic convenit Aurum potabile, factum ex Spiritu salis non mordente, sed dulci. Libavius laudat Spiritum salis nitri. *Hæc ille.* Sæpiùs & maximè à *Paracelso* fit mentio *Arcani Corallini.* Unde ejus quoq; meminit *Helmontius l. volupe viventium morbus antiquitus putatus*: Arcanum Corallinum podagram in sui semine interimit. Non est autem Arcanum illud, color sive tinctura coralli (ut rerum chymicarum ignara turba, irridendo interpretatur) quia apposita verba Paracelsi (quod de essentia auri est) aliud sonant. Non etiam auri color, sulfur aut tinctura, alvum subducunt. Non quidem quod unquam fuerit corpus malleabile, sed est auri horizon, inconclusum corpus, & fixum, cujus sulphur dulce est, & nostris constitutivis commistibile. In hoc sulphure enim omnes vires Solis congregavit omnipotens. *Ac Peter de Vege ita*: purga per corallinum, quod est ex auri essentia, aperi, ubi centrum podagræ delitescit, ubi fluxus desierit, per sex hebdomas cataplasmate ex mumia inunge, quod recentem podagram curat. Est autem corallinum aurum per mercurium toties sublimatum, dum totum aurum adscenderit.

Diatartari descriptio etiam celebratur, referturque ad eundem *Paracelsum*:

℞. Tartari alb. ℔.
aquarum vitæ (ex vino rubeo optimo & aquâ melissæ destillatum) libram mediam
Baccarum Juniperi
florum gamandreæ
cichoreæ a.℥iij:

Reduc in aquam: Dosis est drachma una ad unciam mediam, in vino malvatico vel aqua prunellæ. Si sudorem non provocaverit, repetatur diebus singulis. Ac ad curam Febrium & ad oppilationem hepatis:

℞. 🜍ri

℞. ♀ri liquefacti cum vino & aceto libram opopanaci unciam mediam.

Reduc in liquorem. Dosis à ʒj. ad ʒiij. secundum cohol Naturæ. Detur semper ante Paroxysmum & sæpius ante secundum, tertium & quartum. Posteà cum calores incipiunt, sequitur mundificatio.

Unde *Andreas Cneuffelius l. de podagra*: pro alvo expedienda & præparanda suadeo elixir proprietatis (si alvum movere debet) ad ʒj. in cerevisia calida benè butyrata, jejuno stomacho. Sique ventriculi coctio simul juvanda, & obstructio mesenterii simul reseranda, & alvus etiam tutò expedienda est, ad decem dies sequenti pulvere, drachmæ dimidiæ pondere, manè in jusculo vel bubulo vel gallinaceo utatur. Et singulo manè ad octiduum continuet, absq; custodiâ tamen.

℞. acidi ♀ri ℥j. ♀ ⊖lati ℈iiij. Santali rubri ʒjß. Spiritus 🜍is acidi quantum satis. Hoc Spiritu Sulphuris hic pulvis, quantum illius spiritus excipere poterit, benè irroretur, posteà in mortario vitreo optimè terendo misceatur. Universa hæc mixtura dividatur in viginti doses æquales. Quælibet dosis detur in peculiari chartâ.

Secundus morbus est ex genere coagulatorum sive calculi sive nodi artetici. Huic præservando & curando do pulverem sequentem: ℞. acidi Tartari ℥iij. crystalli calcinati ʒjß. ♀ri ⊖lati ʒj. Santali rubri ʒjß. Spir. ⊖li quantum satis. Irrorentur benè, lapide subigantur, teranturq; , & pulvis dividatur in doses septuaginta septem. *Hæc illè.* Ex Tartaro *aqua* conficitur, item *Hydromel*, cujus copiam quoq; facit *Quercetanus.* Unde *Johannes Raicus*: ad præservandum utatur laboranseo: ℞. Spir. ♀ ex hydromel. gr. vij. vini, in quo caryophyllata infusa est q. s.

Ad idem & *Vitriolum* valere prædicatur. Inde rursus *Andreas Cneuffelius*: curandi ratio consistit nec in phlebotomia, nec in scarificatione, nec cauteriis nec alterantibus, nec purgantibus nec diaphoreticis, sive sudoriferis. Sunt autem quidam nunc curati. Quo igitur modo? inquies. Respondeo. Sola resolutione Tartari per specificum & unicum omnium salium solvendorum.

arcanum. Soluto Tartaro Fata & Natura ipsa viam invenient, quâ ejiciant.

Idem autor tradere solitus erat liquorem quendam destillatum pellucidum, qui vehiculum erat inditi cujusdam minutissimi pulvisculi, in fundo lagenæ desidentis. Hic pulvisculus caput fuit totius rei. Ponderosus fuit admodum, coloris obscurè rubentis, qualis solent esse garyophylli Indici recentes, Cantharo quadraginta unciarum unum se tantùm granum indere dicebat. In liquore inter cætera evidenter gustu deprehendebatur Spiritus Vitrioli. Saporis causa admiscebatur Julapium violarum. *Nam Paracelsus* Nephritidem curans ita: ℞. coliotharis ℥vij. ol. ⊕lati ℥ß. F. Bolus. Dosis est à ʒj. usq; ad tres. *Nunc quid sit coliothar*, exponit *Gulielmus Johnsonus.*

Fidejustus Reineccerus ol. ⊕li in aqua hypericonis, quatuor hebdomadis continuis bibi jubet. M. A. *Zimara* Spiritum ⊕li sale perlarum temperatum similiter valere affirmat. Absumunt quoq;, *inquit Franciscus Joel*, & extenuant crassam materiam Arthritidis guttæ septem Spiritus ⊕li alternis diebus cum iij. cochlearibus aquæ betonicæ ebibitæ. *Et paulò post*: Interim tamen in extenuandâ & absumendâ pituitâ, discutiendisq; humoribus articulorum miro successu usi crebriùs sumus guttis novem olei ⊕li, manè & vesperi cum jusculo pingui exhibitis. *Atque etiam Arnoldus VVeickardus*: Quantum verò præstare potest oleum ⊕li rectè paratum, si bis in septimanâ sumantur iiij vel iij. guttæ in jusculo vel vino, manè jejuno ventriculo, dictu incredibile est. Vel ℞. Syr. glycyrrh. beton a. ℥ij. ol. still. ♀is acidi vel ⊕li rectè præparati gutt. x. aq. cinamomi ʒj. M. & de hac mixturâ accipiat manè podagricus cochlear j. & abstineat à cibo per iij. horas.

Spiritu Salis multi *Galenicorum* Medicorum hodiè utuntur. Unde *Loselius* corporis salem ait rursus vi Salis tabescere. Spiritus quoque *vitrioli*, ut *salis* coagulatus, est haud alienus.

Johannes Daniel Mylius Ludum humanum, hoc est, calculum majori studio memorat: Autor præparat eum duobus modis, cum crudus sit inefficax. ℞. calculi humani exsecti vel excreti sufficientem

tem quantitatem, calcina igne primùm moderato, post validiori, deinde pulverisatum cum sulphure & nitro æqualibus portionibus reverbera, donec in pulverem albissimum vertatur: posteà solve cum succo berberis clarificato in leni cinerum igne, donec totus ludus solutus, relictis exiguis fæcibus, abstrahe menstruum per destillationem vel evaporationem, & manet lac ipsum in fundo, quod tandem in marmore loco frigido humido expositum vertitur in liquorem: hujus gr. vj. ad ℈ß. in vino exhibita, Luna decrescente, potenter ipsum calculum in humano corpore hospitantem solvunt, & per urinam expellunt. Huic eleganti præparationi æquivalet hæc sequens, earundem virium, ejusdemque usus, sed facilior: ℞. pulveris ludi seu calculi humani ℥j. olei Tartari per deliquium facti ℥ij. M. & in mortario digere per quindenam, posteà eodem tempõris spatio, lento igne arenæ extremo pulverisa, & cum spiritu vini ad satietatem extrahe, spiritum vini leni balnei calore evoca, & manet oleum coloris spadicei: cujus guttæ iij. vel iiij. in aquis equiseti majoris & petroselini ana quotidiè semel exhibitæ, calculum, omnemque impuritatem tùm renum, tùm vesicæ sine omni difficultate prius solutum per urinam expellunt. Iisdem verò præparationibus de calculo factis, subjiciunt nonnulli crystallos, oculos cancri & granatos, similiter ad eosdem affectus utiles, multumque commendabiles.

Hic idem autor lib.4. Basilicæ Chymiæ cap.23. *Libavius* quoque & *Begvinus* Crystallos ob eandem rem variè præparari præcipiunt. Autor iterum est *Paracelsus*, in Tartaro, *inquiens*, & lapillo duro solvendo non est medicina præstantior Crystallo. Felix, qui eum novit præparare. Ac ad febres:

℞. alkali de testudinibus ʒj.
crystalli benè triti & calcinati ʒß.
mumiæ ℈j.
F. Pulvis pro una dosi.

Adam de Bodenstein est ejus medicinæ admirator: Docet Theophrastus rationem resolvendi crystallum in oleum limpidissimum, ex quo arena, calculus & lapis liquescit, aut in tenuissimum alcool redigitur, & tandem expellitur. Verùm cùm eam artem & præ-

præterea complures præstantissimas Sanctissimo Pio Medici Pontifici maximo aliquando offeremus, noluimus hac tempestate his de Tartaro libris adjungere. Benedictus altissimus, qui nobis Theophrastum Præceptorem statuit, ex eo enim oritur illa ipsa vera Medicina in usum hominum. *Hæc ille.* Profectò eam silentio præterire haud sustinuit *Anselmus Boetius de Boodt libro secundo cap. 73.* Crystallus in pollinem redactus, excandescat ignis vi per horam, ac in aqua raphani, ononidis aut petroselini, cui quarta pars olei vitrioli aut sulphuris acidi addita est, extinguatur, idque opus decies repetatur. Posteà saccharo optimè trito affunde paulatim aquam prædictam, ac diligenter spatulâ ligneâ move. Hujus sacchari offer quotidiè manè & vesperè semicochlear, aut quantum medietas nucis juglandis capere potest. Valet enim ad omnes viscerum obstructiones, teste Quercetano, & quia Tartarum in homine resolvit, podagricis convenit.

Crocus idem præstare putatur. Etenim *Theophrastus P:* ad huncce modum: Nota, crocus Orientalis extinguit calcem lapidis. Deoppilatio fiat per crocum seu liquorem croci, qui positus in fimum equinum in vitro benè obstructo sive ut putrescat per mensem unum, post cùm putris factus est, adde vinum candidum in ollâ, & sine bullire, ut exiccetur ad consistentiam, remanet in fundo: de illo da guttas 2. in vino 3. tunc pellit urinam.

De quibus rebus non petitur medela? Et prisci *fæcibus vini* & *vitriolo* usi fuerunt, ut quondam ostendi. In iis verò ritè præparandis magis diligentes sunt juniores. Non audiendus est *Tussanus Ducretus*, graviter, *inquiens*, peccant, qui diuretica & medicamenta ex ligno sancto præscribunt, aut Spiritum Vitrioli propinant, ut quæ emaciando humidum innatum absumunt. *Hæc ille.* Potiones illæ Spiritu *Salis* vel *Vitrioli* ita temperantur, ut corpus assiccent minimè. Qui podagrosi vina generosiora & cerevisias haud lenes bibere soliti fuerunt, hi levantur potu aquæ, cui spiritus salis aut Vitrioli, & Julebus rosarum admiscentur: Quem humorem vulgus nominat melancholicum, eum medicamenta ejusdem generis digerunt, affligente aut malo *Splenis* aut *Hypochondriaco*, ut vocant. Cur ea igitur hoc loco abdicemus? *Fæx Vini* purgantia quoq; reddit valentiora.

Lu-

Ludum humanum, ut dicunt, & *cryſtallos* tanti non facio, niſi ſales inde conficiantur. *Fæcula vini* quoque & *Croci eſſentia* cujuſdam effectus ſunt omninò. Cæterùm non *Spiritus Salis*, nec *Spiritus Vitrioli* terrenam humoris partem ſic in maſsâ ſanguineâ ſolvunt, ut Natura, mali expultrix ferietur, nec ad eam excretionem quicquam conferat. *Spiritus Sulphuris per campanulam factus* non multò ſecus eſt utilis. Sed de hoc medicamentorum genere ſatis verborum eſt.

CAPUT X.

De MEDICAMENTIS APPROPRIATIS, ut vocant, INTERNIS GALENICORUM SIMPLICIBUS.

DEinceps nunc de *medicamentis*, ut vocant, *internis Galenicorum ſimplicibus* ponemus.

Ivâ Artheticâ ac *Chamædry* ad *podagram* utuntur *Avicenna*, *Rhaſes*, *Apulejus*, *Foreſtus*, *Solenander*.

Chamæpite rurſus *Avicenna*, *C. Plinius*. *Kolreuterus*, chamæpitîs, *inquiens*, per quadraginta dies pota prodeſt. Ego veram chamæpythin in noſtris pharmacopoliis adhuc non vidi, licet Italiæ ſit frequentisſima, unde ad nos ſicut alia quàm plurima poſſet advehi. Sic & *Jacobus Sylvius*.

Gentianâ Ætius, myſterium inde faciens, ac *Sigiſmundus Kolreuterus*, quidam, *inquiens*, per asſiduum uſum infuſionis geniſtæ præſervati ſunt à doloribus juncturarum. Materias enim ipſorum educit.

Abſinthio Janus Damaſcenus, inde faciens decoctum, & *Valeſcus de Taranta*.

Hyperico Ætius, antidotum ex Hyperico conficiens, & *Sigiſmundus Kolreuterus*, ſeminis hyperici ℨj, *inquiens*, pota cum aqua (quidam etiam ejuſdem floribus utuntur) aut cum alio aliquo decocto appropriato. Hujus ſolius ſeminis per aliquot dies continuato uſu uxorem boni nominis civis quinquaginta annorum in monte

te Sanctæ Annæ ab Iſchiade liberavi, poſt tamen convenientes purgationes & localia, quæ anteà obambulare non poterat.

Artemiſiâ Dioſcorides, Eſculapius & *L. Apulejus*, Artemiſiæ, *inquiens*, traganthis (ſeu Matricariæ) radicem ex melle dabis manducare, & ita citò purgabitur, ut vix credi posſit, tantam virtutem eam habere. Datur iis, qui in pedibus graviter dolent. Ita & *N. Alex. Peter de Largelata:* Dioſ: dixit, quod radix artemiſiæ, quæ dicitur tagetis, & eſt matricalis ſecundum multos comeſta cum melle tàm citò ſanat podagram: item *Gul. Varignane*, dixerunt, *inquiens*, quòd radix ſecundæ ſpeciei artemiſiæ, quæ dicitur tegetes, vel matricaria comeſtâ cum melle, tàm citò ſanat, ut vix credi poſſit, eam tantam habere virtutem.

Salviâ Valeſcus de Taranta, parùm cocta, *inquiens*, & crebrò ſumpta in fine refectionis miniſtrat ineffabile juvamentum nervis & omnibus juncturis. Ac *Peter de Largelata.*

Ariſtolochiâ Galenus 6. de Simpl. Med. Fac. 5. 43. podagricis, *inquiens*, idonea eſt Ariſtolochia rotunda, ſi cum aqua bibatur. *Averroes, Plinius, Meſues, Serapio, Avicenna, Haly, Macer, Savonarola.*

Betonicâ Antonius Muſa, ac *Plinius Valerianus Enulâ.*

Lappæ decocto *Foreſtus*, *Spigelius*; hinc *Sennertus* & *Benedictus Sylvaticus.*

Floribus Cichorii Sylveſtris Adrianus Spigelius: Sed in causâ calidâ nîl magis puto convenire, experientiâ edoctus, quàm pulverem foliorum cichorii ſylveſtris menſe Maj. collectorum & in umbrâ exiccatornm, ejus datur drachma j. vel ℈ij. cum jure carnis pulli non ſaliti, manè quatuór horis ante prandium, & veſperi cùm vadit dormitum vel abſque cœna vel cum cœna parca: hoc vidi in biliosâ podagra, incipientes jam fluxiones ita ceſſaſſe, ut mitior paroxyſmus redierit, & breviori tempore durârit, duobus vel tribus diebus continuis aſſumto. Verùm in causâ frigidâ vel mixta ex frigidis & calidis humoribus conducent ſummoperè antidota prædictorum autorum Diacoral. Trall. Theria. Mithridat.

Marrubio Reinerus Solenander: Ad podagram ita erat ſcriptum remedium certiſſimum. Menſe Martio Lunâ decreſcente, col-

collige Marrubium, illud cum vino albo tusum exprime, & succum ita expressum bibe triduo, atque isto anno posteà non patieris hanc infirmitatem.

Pentaphylli radice multi. Duo sunt, *inquit Hier. Gabucinius*, quorum usum in artuum doloribus si quid aliud, mirificè extollunt nonnulli: chynæ nimirum radicis decoctum; quo cùm in aliis permultis, tùm vel in Carolo potissimum ejus nominis quinto Cæsare Augusto non sine evidenti utilitate sese usos fuisse memoriæ prodidére. Alterum item ex *Pentaphylli* radice paratum (Diosc. l. 4 cap. 75.) mirandum in modum plerisque profuisse scriptum reliquere.

Arthriticâ Alpinâ seu *Auriculâ ursi Conradus Gesnerus*, Arthritica & primula veris vocatur. Arthriticam aliqui verbasculum odoratum vocant, nescio quàm rectè. Arthriticæ præthereà genus est alpinum, quod Sabaudi quidam Lunariam nominant, nostri â rupibus flores petræos Flüblümle/ suavissimi odoris & vivacissimum in hortis. Aliqui hanc saniculam alpinam, alii auriculam ursi nominant.

Hieronymus Cardanus lib. 4. de Sanit. cap. 22. ex *melle* medicinam conficit.

Potus *Acidularum* podagros nunc levavit, nunc nihil juvit. *Nardus Ant. Recchius lib. 5.* plantas *exoticas* enarrat, ut sunt:

Pycietl seu *Tabacus Mexicensis:* Nec desunt, qui ejus folia singulis diebus mane jejuno mandi jubent, ut podagra liberentur, quoniam multam pituitam in os attrahant & salivatione trudatur, & ita in artus confluere prohibeatur.

Pulvis Alkekengi Mexicani: intùs sumtus tollit quemvis dolorem Ischiadis.

Caningæ arboris jusculum confert articulorum doloribus, ortis â causâ frigidâ, si contritus cortex ex vino decoquatur.

Tetlatiæ Arboris decoctum potum articulorum solvit dolores. Sic & *Job. Eusebius Nierembergius.*

Tlepatli fruticis decoctum manè epotatum dolores quosvis tollit.

Tlacoxochitl suffruticis decoctum etiam confert doloribus articulorum, ut etiam decoctum *Quayhtlepatli.*

Chilpatli herbæ folia devorata medentur Dyſenteriæ, ſcabie quoque & doloribus articulorum. Ac quoque *Joh. Euſebius Nierembergius.*

Civapatli racapichtlenſis ſeu Conizæ Mexicanæ decoctum epotum dolores articulorum levat.

Ocopiaztli, Spiniferæ herbæ decoctum articulari morbo laborantibus datur.

Coacivizpatli herbæ decoctum lenit omnes dolores, præcipuè articulorum, aſſumitur ut decoctum Guayaci & Quayhmecatl ſeu Zarzaparillæ cujuſdam â communi differentis.

Chipequæ herba tuſa, reſoluta ex aqua atque epota, ſudorem evocat, dolores articulorum mitigat, & quoſvis alios ê frigore ortos, & motum vitiatum reſtituit. Similiterque *Tzonpotonic*, ſeu *Helichryſum* Mexicanum. *Quamjauatl* corpus arthriticorum purgare dicitur, uti etiam atteſtatur *Johannes Euſebius Nierembergius.*

Vicunæ caro mitigat podagram. Prædictus autor.

Technis, inquit *Nardus Antonius Recchius lib. 9. cap. 20.* artibusque vulpeculæ noſtrati eſt ſimilis *Vzquiepatl*, veſcitur ſcarabæis atque vermiculis. Fundit cum ventris crepitu halitum fœtidiſſimum, pedit autem cum quis eam infeſtatur, his ſe muniens armis. Aliàs innoxium animal, eduleque, & hâc ſolâ ratione horrendiſſimum. Editur ejus caro, ſtercuſque ſaluberrimo eventu ab his, qui Hiſpanicâ Lue aut Indicâ potius ſunt affecti, & contra articulorum dolores.

Laudata quoque eſt caro *noctuæ*. Quidam, *inquit Arnoldus Novicomenſis*, dixit mihi, quod accipiebat noctuam benè pinguem & eam à pennis & interioribus benè mundabat, & faciebat eam decoqui in modum pulli, & dabat eam ad comedendum, & brodium ad bibendum, & hoc ſolo multos arteticos curabat.

Ad *arthritidem* etiam aſſumuntur *ſcarabæi*. En arcanum, *inquit cent. 4. obſ. 73. P. Borellus*, quod cum magna habui à Germano quodam difficultate. Accipe menſe Majo ſcarabæorum ſubcæruleorum ſpeciem amygdali nudi craſſitie, quæ in viis reperitur matutino tempore, ſtatim atque tanguntur, aquam gummoſam quandam emittunt tanquam invidia quadam naturæ. Quare ne digitis

tan-

tangantur, sed chartæ subitò excipiantur & exsiccentur igne, projectis pedibus, alis & capite, fiat inde pulvis, & cum caryophylli modico à 4. ad 7. grana in vino manè per tres dies propina, si sit necessarium, nec prima aut secunda vice sufficiat.

Ad Arthritidem quoque estur caro *Viperæ*. Viperarum esus, *inquit Ætius*, omnibus podagricis & arthriticis plurimum commoditatis affert. Oportet recens captas esse viperas, & justæ magnitudinis, & non ex maritimis: tales enim siticulosæ existunt. Cæterùm ex vipera ipsa tùm caput, tùm caudam amputare oportet; itemque intranea omnia abjicere, ac ex tribus aquis lavare, deinde cum aqua & anetho maximè viridi & oleo coquere, & post sufficientem coctionem congruenti sale condire, ac viperam, veluti anguillam comedendam exhibere. *Ejus quoque* bestiæ meminit *Serapio*. Ex junioribus *J. Cæsar Claudinus*, item *Baldus Angelus Abbatius*, ad podagram, *inquiens*, incipientem & omninò ad omnes articularios morbos unicum hoc remedium (scil. sal viperæ) & edulium constructum esse videtur. Adhortor igitur omnes, qui podagra liberari volunt, ut eâ utantur cum judicio.

Ossa animalium hîc quoque magnifici usus esse videntur. Ea prædicant *Galenus*, *Paulus Ægineta*, *Ætius*, *Avic.*, *Rhases*, *Haly*, *Averrhoes*, ex junioribus *Fidelis*, *Valescus de Taranta*, *Arnoldus Novicomensis*, *Peter de Largelata*, *Joh. M. Savonarola*, *Capivaccius*, *Solenander*, *Fonseca*, *Riverius*, *Peter Bayer*, *Epiphanius Ferdinandus*, *Hieremias Sachetus*, *Aubertus*, *Riverius*.

Nonnulli quoque *Manus ossa*, *chiragra*, *femoris ossa*, podagra urgente assumi suadent, ut *Peter Forestus*: quædam à proprietate dolores podagricos & chiragricos sanant, tàm ex materiâ frigidâ, quàm calida indifferenter, qualis est ossium humanorum cinis à ℈j. ad ℈ij. Alii & cujusdam animalis: datur ex Rhasi cum aquâ. Habent tamen humana majorem convenientiam, & convenientius est, ut membro respondeant, Guainerio dicente, ut chiragricus sumat ossa manus, podagricus pedum. *Johannes Hartmannus*: ossa hominis juvenis violentâ morte peremti calcinatorum, si chiragra, manuum, si podagra, pedum dantur. *Honorius Heringius*: Ubi observandum, podagrico ossa pedis, chiragrico verò ossa manus

nus pulverisata propinanda esse. *Idem & cranio humano* utitur. *Petrus Bruhesius:* Ex Galeno de simpl. Med. observant Practici, ut in podagricis affectibus utantur ossibus tibiarum, quemadmodum in epilepsia ossibus Cranii (observato sexu quoque) id quod si faciant feliciter, propter occultam proprietatem crediderim. Et Cranii ossa ob mali originem & tibiarum ob præsentem effectum æquali pondere consultò misceri potest. Et ante hunc *Guainerius. Jubeo,* inquit hic, *chiragricum sumere ossa manus, podagricum pedum ex syrupo convenienti.*

Ossa *bovis* quoque sunt in simili usu: *Ætius* ea memorat. Unde *Johannes Crato in consil. 245.* Mirificè quidam commendant ad absumendam fluxionis (*podagricæ*) materiam usum ossium humanorum combustorum, & in pollinem in lapide porphyrio contritorum. Sed & ego bovinis ossibus cum successu felici sum usus. *Item Thomas Erastus,* itemque *Hier. Montuus.*

Cervi ossa eandem vim habere dicuntur, ut ex antiquis *Ætius,* ex junioribus *Montuus* & *Antonius Gallus* attestantur. *Millies,* inquit hic, *expertus sum ossa.*

Cornua Cervi Johannes Raicus ait ejusdem esse utilitatis, ut *ossa surarum Cervi & bovis* Sigismundus Kolreuterus.

Ossibus Equi similem effectum attribuunt *Rondeletius, Antonius Gallus, Kolreuterus.* Hi & *Cranium Asini* & *Hirci* laudant. *Cruda ossa omnia* censet prævalere *Hieronymus Donzelinus in cons. Joh. Matt.* Galenus, Paulus, & Ætius scribunt, multos fuisse curatos pulvere ossium combustorum, quo remedio ego etiam multos liberavi. Veteres quidem ossa comburebant, sed quia ustione vires perduntur, ego illa limare, & in pulverem redigere soleo. Ad ℥j. istius pulveris addo ʒj. cinamomi. Dosis autem est ʒj. manè in jusculo vel vino. *Item Petrus Bruhesius:* Verùm hîc observandum, ne ossa nimis urantur. Inde virtus à tota proprietate agens veresimiliter corrumpitur, ut ob id ab aliis radantur vel leviter prius accensa, deinde contundantur.

Tandem inveniuntur, quibus illa *Ossa* nullum effectum habere videntur. Quam in sententiam multa *Johannes Gallego de La Serna* in lib. de Epil. multa etiam *Thomas Erastus* & *Henricus Smetius*

tius disputant. Recitatam, *inquit hic*, à nobis viam incessisse illi mihi videntur, qui primi ejuscemodi tentare & experire aggressi sunt. Cogitasse videntur primùm, quæcunque saporem, colorem, odorem, substantiæq; modum non disparem haberent, eorũ temperamenta non admodum dissimilia esse. Deinde cum similia similibus amica esse accepissent, facilè inde confecerunt, hepar hepati, ossa ossibus, renes renibus præcipuè convenire. Postremò cùm facto periculo non infeliciter conâtum aliquando cedisse viderunt, probabile est, ipsos confidentius ad reliqua progressos fuisse. Hoc modo suadet Galenus; ut qui cognoscere desiderat, an sanguis humanus utilis sit alicui morbo, in suillo periculum faciat: quem humano persimilem esse prorsus constat. Eandem secutus est is, testante Galeno, qui cum in cranii perforatione columbæ sanguinem ad manum non haberet, palumbis usus est. Similiter is quoq;, qui, cum ne palumbis quidem haberet, turturis sanguinem felici usurpavit eventu. Quippe similia, inquit Galenus, efficere similia posse experti sumus. Et lib. 7. de plac. Hipp. & Plat. cap. 5. de nervorum & cerebri similitudine verba faciens, hæc scripsit. Natura enim ita comparatum est, ut substantiarum proprietates facultatum etiam sibi convenientium proprietates secum habeant. Unde fit, ut quantum unusquisque nervus, ex iis, qui propriè sensifici appellantur, à natura cerebri recesserit, tantum etiam sit à virtute facultateque ejus remotus. Huc usque Galenus. Hinc fortasse factum est, ut humanum cranium epilepticis (& marium quidem maribus, fœminarum autem fœminis) cerebra gallinarum & aliarum quarundam avium, cerebro; pulmones vulpis & ericii pulmonibus; interiorem ventriculi gallinarum mergorumque tunicam, ventriculo: Lupinum hepar hepati: intestina & excrementa Lupi, intestinis eorumque doloribus, usta hominis ossa, ossibus; renes, renibus; horum calculos eorundem calculis: & membrum ferè quodlibet commestum sui generis membro conducere existimatum sit. Notum est, quid de combustis ossibus Galenus lib. 11. de simplic. facult. scribat, multorum tum Epilepsiam tum arthritim horum usu percuratam fuisse. Eadem ferè Avicenna (sive ex Galeno sive aliter didicerit) affirmavit. Hujus generis & illa sunt,

quod in vesica procreati lapides, vesicæ calculos in potu exhibiti rumpant: quod rabiosi canis jecur commestum, à rabie liberet: & alia propemodum infinita. Eadem ratione pronunciasse Galenus videtur, purgantium pharmacorum unumquodque humorem sibi similem ex corpore educere. Et si purgatione frustretur, in illum sæpè humorem, cum quo similitudinem habere putetur, permutari. Ex omnibus enumeratio quædam commendat ac probat Galenus, ut stercus Lupinum: de quo multa satis supra diximus. Alia nec probat multum, nec seriò improbat: ut ossa usta. Alia prorsus abjecit, ut falsa: cujus generis est interior pellicula ventris gallinæ ac mergi, hepar lupinum: calculi vesicarum & similia. Quàm multa comperiuntur hodiè inutilia esse, quæ multorum antiquorum scriptis sunt celebrata? Non de illis tantùm loquor, quæ repudiavit Galenus, sed quæ approbavit. Lupinum hepar alibi dixit medicamentum hepaticum nihilo melius reddidisse: alibi à tota substantia plurimum conferre asseruit, sed ideò benignum visceri esse judicavit, quia nutrire ipsum possit, & nec calidum nimis sit nec frigidum. Quod ut de hoc verum sit, de cranio humano ustisque ossibus quis credat? Non enim aut cerebrum aut cranium aut alia capitis pars cranii ossiumve ustorum pulvere s. cinere nutritur. Quod si juvant, ideo nimirum juvant, quia humorem morbi causam exsiccant: nullus videtur alius modus esse reliquus. Certum est, cum uruntur, inque pulverem rediguntur, formam substantiæ ipsa amittere, & aliud nihil superesse, quàm elementares materiæ qualitates. Utut ista habeant, ossa humana hominibus devoranda exhibere abominandum ac impium semper censui. Scio quoque cranii humani pulverem etiam benè præpurgatis, sine successu aliquoties præbitum fuisse. Utilitatem fortè attulisset, si longo tempore ægri eo uti potuissent. At quis humana cremet ossa, aut devoret cremata, si sciat, non crudelis & inhumanus? Quanquam non nescio repertos esse, qui repentè ex decollati hominis cadavere promanantem sanguinem bibere sustinuerunt. Sed id vix semel. Si de mea experientia dicere aliquid jubeas, ausim affirmare, me deprehendisse cornua cervina usta non minus efficaciter exsiccare posse, quàm ossa humana usta, ut in doloribus colicis, dysen-

dysenteria & similibus. Sed ista pluribus jam persequi non vacat, non opus etiam est; nam ex recensitis facilè intelligitur, haud rectè semper illos raciocinatos fuisse, qui, quæ similia videntur, simile quoq; temperamentum nacta esse opinati sunt. Cur & quomodo decepti sint, ex suprà dictis colligi potest sine magno labore. Deinde liquidò ostensum est quoq; , illa non semper juvare, quæ similia quodammodo visa sunt; propterea quod non omnia nutrire talia possint; & quod partes sæpè noxias habent conjunctas; quas nullo sensu comprehendere possumus. *Hæc ille.* Nunc addit *Antonius Saporta* 406. *l.3. c.47.* Sunt qui ossium humanorum cineres commendent, pedis, si podagra, manuum, si chiragra quis tenetur. Sed hoc remedii genus multis superstitiosum visum est, nisi quod siccitate suâ magis prodesse, quàm obesse possit.

Istæ herbæ, illæq; radices tàm peculiariter auxiliares haud sunt. Harum proprietas tàm occulta inaniter excogitatur. *Iva Arthetica* quoq; indignissimè in eam venit nobilitatem; quâ illud cognomen sibi asserere potuit. Siccandi facultatibus & istiusmodi aliis illæ herbæ ac radices aliquando præstant effectum. *Lappæ decoctum* & urinam movet. Quam vim quidam majorem efficiunt, addito *Spiritu Vitrioli*, *Salis* aut *Sulphuris*. Sed ea potio inde fit turbida, ac si rursus limpida fit, tàm efficax haud erit. Medicus potum *Acidularum* aliquando suadere potest. Istæ *exoticæ* herbæ ac radices ut ægris non paratæ sunt, inventu quippè sat raræ, ita eâdem ratione ac dubiè medentur. *Caro noctuæ* ac *viperæ*, item illorum *animalium ossa* haud tantorum effectuum sunt. *Canis* suo calore, fotuq; podagrosis maximè opitulari dicitur. De eo cur non itidem petuntur, manduntur q; ossa? Est, inquis, ipse huic morbo objectus? Quare nec fotus ille quoq; erit tam utilis. Ac quis eam ossibus *bovis* dedit autoritatem? *Hoc animal & canis*, teste *Aristotele*, æquè hoc morbo tentantur. *Asinus* quàm surdum, quàm brutum est animal; quàm spissè incedit. Ejus ossa cur in eum usum *ab Arnol. Novicomensi* pænè præferuntur? Cur non potius ossa *leporis*, cursu tàm velocis? Cujus quoq; pedes abscissi, & ab ægris gestati, mirificè juvare creduntur. Quàm inefficaciter, quàm variè, quàm ridiculè *Petrus Bruhesius ossa Tibiarum & Cranii humani* miscet, poda-

da-

dagram de *Cerebro* natam, arcere se opinans. Quo pacto *Cranium Cerebro* laboranti conducere poterit? *Cranium* & *Cerebrum* sunt diverso partium genere, diversâq; naturâ. *Cerebrum* cur non esui potius datur? Ac *ossa tibiæ* quo modo aliquid conferent, cum *arthritis* non ossium, sed morbus sit illarum partium ad has juncturas pertinentium, quæ inflammatione tentari queunt? Cur non *ossicula digitorum pedis* vel *manus* expetuntur? Sunt, qui persuasum habent, *salem ossium* magis prodesse, quando hic *salem* seu *terrestrem partem massæ sanguineæ* solvat. At hic *sal ossium* & ille *sal sanguinis* quo vinculo cohærent? Crematis ossibus vim siccandi attribuimus. Verùm eâ quantum utilitatis afferri poterit? Nunc ad *Ischiagram* ossa *Ischii*, ad *Odontagram dentes*, ad *Rachisagram ossa vertebrarum spinæ* erunt præcipua. Qui igitur resipuêre, sunt *Gallego de la Serna*, *Thomas Erastus*, *Henricus Smetius*, *Antonius Saporta*. Est non exigua Medicinæ pars, nihil aut parum profutura nosse.

CAPUT XI.

De MEDICAMENTIS APPROPRIATIS, ut vocant, EXTERNIS GALENICORUM SIMPLICIBUS.

SAtis de *internis* dictum puto. Nunc & medicamenta *appropriata externa Galenicorum simplicia*, percenseri, par est. Quo è genere sunt

Iberis, teste *Galeno* & Aretæo.

Artemisia: eam *Haly* in emplastra addit. *Apulejus*: Herba artemisia monodonùs tusa cum axungiâ & imposita, pedum dolorem tollit. *Marcellus*, & *Cælius* Aurelianus. Ex junioribus *Nicol. Florent.* Aliud quod mirificè prodest ℞. artemisiæ & duo folia hederæ & cum aceto contunde ad Emplastri formam. *Gul. Varignane*: Ad dolorem podagricum folia ambroxianæ sunt singulare præsidium & est arthemisia. *Abraham Seyllerus*: confert mirificè usus rad. artemisiæ, si cibis incoquatur, instar radicum petroselini.

Mul-

Multi enim solo earum usu ab articulorum doloribus liberati sunt Sic & *Peter Bayer.* Ac *Jason l. 2. de Sanit. c. 2.* arthemisiam elixo in Anglicana Cerevisia aut hac crassiore, quam oblæso articulo calentem circumpono, & à paucissimis horis persanatur, nec me unquam fefellit periculum. Quid dicam? Siquidem visum est leviculum & ab ingente discrimine alienum, itidem tentavit illustris Domina, & propitium salutareq; comperit, & si quando recurrit dolor, adminiculum hoc non post habet. *Mizaldus:* est experimentum Regii cujusdam chirurgi adversus chiragras & podagras: accipe manipulum unum artemisiæ, defervefacito in oleo dulci olivarum, donec decrescat ad tertias: eo dolentem locum inunge, senties brevi tempore sedari dolorem.

Salix: eam laudibus prædicant non parum multi, ut *Avicenna, Plinius, Haliabbas, Serapio.*

Brassica: Dioscorides, hinc *Alexander Trallianus,* cum mediocris quidem dolor est, in his etiam brassica confert, si concisa obducatur, item *apiorum* folia & conyzæ. *Nonus:* Ubi mediocris est dolor, brassica viridis ad cataplasmatis modum inducta, apium item, conyza, & verbenaca prodest. *Apulejus:* Herbæ brassicæ sylvaticæ folia cum axungiâ vetere pisata & commixta quasi malagma induces linteolo grosso aut in alutâ, & impones. Quod si vetustissimus dolor (podagræ) fuerit, eò magis efficacior erit salus. *Item Plinius, itemque* Avicenna, Serapio, *Horatius Octavianus, Macer, Christophorus à Vega, Hier. Gabucinius.*

Plantago: C. Plinius. Itemq; *Apulejus:* ad podagram & omnem nervorum dolorem & tumorem herbæ plantaginis folia contusa vel pisata cum modico sale & imposita, optimè facere, certum est. *Aretæus:* Accipiatur & cucurbita tenuis & plantago herba & rosarum folia.

Ibiscus: Apulejus: Herba Ibiscus pisata cum axungiâ vetere & imposita, tertiâ die sanat podagram. Hujus herbæ experimentum plures autores affirmant.

Marrubium: Dioscorides: succus *Marrubii* cum melle illinitus nervosis locis optimum est. *Apulejus:* ad pedum dolorem & nervorum herba *marrubii* cum oleo rosarum permixta tertia die pedum dolorem tollit.

Parietaria: Avicenna, itemque *Apulejus:* Herba perdicalis coquatur in aqua, & ex eadem aqua fovebis pedes vel genua, deinde ipſam herbam tuſam cum axungia impones pedibus panno inductam vel ſuper genua, ſanabit mirè. Naſcitur parietibus aut maceriis aut aggeribus.

Pentaphyllum: Aretæus: & Symphyti radix & pentáphyllos herba adhibetur. *Apulejus:* Herba ſeptifolio trita & cum oleo mixta, pedes perunges, tertio die dolorem tollit.

Senecion & *Sideritis: Aretæus*: Sideritis dolorem ſedat cum pane & muſco. *Apulejus:* Herba *Senecion* trita cum ſale, & ut malagmatis genus appoſita pedibus, æquè proficere certum eſt.

Pulegium: Apulejus: Herba pulegio & pipere æquis ponderibus tritis in balneo perfricabis, ubi dolet Iſchias.

Myrta: Autor de ſimp. Med. *92. Articulis myrta utiliter imponitur.*

Betonica emplaſtrata ut loquuntur, Serapio ſecundum Dioſcoridem.

Verbena: Galenus, hinc *Peter de Largelata*: verbena geſtata recenter trita per columnas pedum juvat viribus occultis.

Oſſa certorum animalium: Rhaſes l.1. de affect: junct. c.11. Aliud unguentum mirabile, quod confortat membrum & ſedat dolorem: ℞. oſſa combuſta ſicca, ablue prius in aqua, poſtea ʒ.½. Zurungen ʒ.4. amyli, ʒ.2. ceruſſæ ʒ.2. aggregentur cum aqua & camphorâ. *Peter de Largelata 62:* Fidelis dixit: cinis oſſium vetuſtorum caballorum cum aceto impoſitus dolorem tollit & confert. *Gulielmus Rondeletius:* ℞. cineris cruris equi vel cervi vel aſini libr. j. aquæ fabrorum ℔iiij. F. Lixivium, abluat pedes & manus bis in hebdomadâ. *Inde Sigiſ. Kolreuterus:* cinis etiam oſſium equorum vetuſtorum cum aceto ſubactus. Item *Honorius Heringius*, ac *Arnoldus Novicomenſis:* Unguentum probatum à quodam experimentatore contra omnem vehementem artheticam, & ſpecialiter de frigidâ cauſsâ, inveteratam, accipe oſſa quorumcunque animalium, quæ potes habere, & *ſpecialiter aſinorum*, & frangantur, & diutiſſimè coquantur in aqua, & tota pinguedo ſupernatans colligatur, & pulv: caſtor. & eufor. in quant. ℥ij. pro qualibet libra admiſceatur,

&

& ex hoc impleatur anser, l. canis, vel vulpes, quæ magis valet in hoc casu, ejectis interioribus benè suatur, deinde ponatur in veru & assetur, donec adhæreat stipiti & liquor, qui inde exit, totus colligatur & recipiatur in aliquo vase, deinde ungatur patiens ex hoc unguento manè & serò. *Hæc ille.* *Talum porci* laudat *Johannes Mattheus. Honor. Heringius:* contra arthritidem summè prodest humani brachii vel tibiæ os combustum, facto ex eo pulvere, & quod album intus mansit parti affectæ apposito. Oleum inde conficiunt multi, ut Zacutus, Weickardus, A. *Zimara* & quàm plurimi Chymicorum.

Cornu Hirci, Hier: Mercurialis: crematum & vino in mortario detritum ac appositum pedibus dicitur prodesse, modò tamen hoc observetur, ut affecto dextro pede, dextrum cornu Hirci capiatur, & pro sinistro sinistrum.

Pinguedo ardeæ, catti, vel vulturis: Theodoricus, Rogerius, Bornius, Hollerius; pulli ciconiæ, pulli cygni in oleo cocti, ut oleo medulla cervina misceatur. *Tandem Esculapius*: Mirabile contra podagricos dixerunt *pedum porcinorum adipes.* Similiter & podagricos ungi debemus ex *adipe genæ Lupi.*

Hæc medicamenta imposita, *non occultâ*, ut vocant, qualitate, sed vel vi evocandi humores, ut *Iberis*, vel leni ratione adstringendi, ut *artemisia rubra, myrta, plantago, Pentaphyllum, betonica, ossa exusta*, vel facultate refrigeratoriâ, ut *Rosa* & *salix*, vel vi molliendi ut *Ibiscus* & *Parietaria* aliquid levaminis aliquando concinnare queunt. *Verbena* pænè sacra & adversus omnia morborum genera admodum potens habetur. Cæterum eam *Hier: Gabucinius* ait magis utiliter adhiberi, urgente *calidâ Podagrâ. Cornu Hirci dextrum* ac *pes dexter* ægri, ac vicissim *cornu Hirci sinistrum* ac *pes sinister* quâ ratione conspirare finguntur? Nonne autores versantur in manifestâ inanitate? *Pinguedines* illæ & *adipes* haud illius sunt utilitatis.

CAPUT XII.

De MEDICAMENTIS APPROPRIATIS INTERNIS COMPOSITIS GALENICORUM & CHYMICORUM.

HIſce recognitis, oportet etiam ipſas *compoſitiones*, quà *veteres*, quà *novas*, *Galenicas* æquè ac *Chymicas* percenſere. E veterum genere ſunt

Theriaca.

Antidotus Ætii ex quatuor rebus.

Myſterium, ejus & *Aretæus* meminit. Alia ejuſdem deſcriptio ab *Oribaſio*. *Rhaſes*, medicamen, *inquit*, Diateſſaron expertum: ℞. chamædr. chamepith. gentianæ, ſem. rutæ ana, ſumat quotidiè per hyemem aureum n. & dimidiam in æſtate. A *Franciſco de Pedemont.* ad *Hermedem* refertur.

Antidotus ex Septem rebus: Ejus mentio & in Scripto Aritæi fit.

Antidotus Ætii ex Centauro.

Antidotus Ætii ex Hyperico.

Antidotus Heraclitis ex Alexandro Tralliano.

Diacorallium Alex. Tralliani eſt decantatiſſimum.

Has quidem memorat D. D. *Sennertus*, aſt omittit *Mithridatium*, quo *Græci* & *Arabes*, utuntur, quemadmodum *Avicenna*, *Rhaſes*, *Serapio*, hinc plerique omnes ex junioribus. Aſt *Carolus Piſo*, *in ebullitione*, inquit, *ſanguinis non conveniunt Mithridatium.* Ac *Hier. Gabucinius* addit: *ſed crudi minus aſſument.* Ac propter *theriacam* quoque admonet, hæc, *inquiens*, tantoperè Galeno probatur: hanc enim podagricos, omnesq; articularios dolores tūc potiſſimum adjuvare contendit, quum incrementi tempus præterierit, ac vigoris ſtatus acceſſerit. Dolores enim lenientibus epithematibus mitigantes, medicamentum propinabimus, ut fluxiones cohibeat. Quippe hoc antidotum jam infarctas digerit, & alias invehi prohibet. Maximè etiam ſano prodeſt; ſi eam frequenter aſſumat: nam humorum ſupervacua conſumit, & universam corpo-

po-

poris temperiem inalterat. Alia verò medicamenta, quæ podagrici in morbi auxilium bibuntur, ad pedes quidem humores ferri vetant, sed hujus superfluitatem non discutientia, majorem quendam morbum constituunt. Jam verò non rarò, quum humores artus peterent, atque illinc repulsi, principem aliquam partem invasissent, morte conspeximus hominem affectum esse, unamque salutis spem reliquam esse, si ad artus eos retrahere valeamus. Nam inde trahentes pulmones hominem possunt suffocare. Id quod in multis contemplatus Galenus, experientia didicisse refert, nosque etiam non semel observavimus: atque hujusce rei gratia ab his medicamentis abstinere consuluerit; Theriacaque in talibus uti vehementer adhortatus fuerit. Siquidem humorum supervacua exiccans prodest, & alios colligi non permittit. Plerosque igitur initio assiduè hac usos potione in universum ab affectu liberos evasisse. Hoc enim antidotum corporis habitum augere, supervacua digerere, insitum calorem perfrigeratum excalfacere, naturam denique ad suas actiones probè obeundas præparare, libro de Theri. 5. cap. 6. scriptum reliquit. Illud idem & Paulus atque Actuarius, aliique permulti sentiunt: ut mirari tandem desinamus, si tanta ex hujus antidoti usu nobis Galenus pollicitus fuerit. Illud idem & Mithridatii antidotum promittit. *Hæc ille.* Nunc *Johannes de Tornamira* ait *Theriacam phlegmaticæ Arthritidis malignitatem* pellere.

Insuper alia antidota â recentioribus, uti ab *Hieronymo*, celebrantur:

Antidotum podagricum Agapeti ex Alex. Trall.

Aliud Ἄτακτος *ex* P*aulo Ægineta.*

Aliud P*roclo adscriptum ex Paulo ac Oribasio.*

Aliud Proclo assignatum ex Actuario.

Aliud ex septem rebus apud *Paulum Æginetam.*

Inveniuntur & aliæ *veterum compositiones*, ut:

Confectio Hered Regis: *Janus Damascenus*: imò iis prohibemus, ne hujusmodi generetur humor in corpore. Et istæ quidem confectiones sunt, sicut confectio Mithridatii & confectio Kered Regis, confectio Hermetis, theriaca de viperis.

Pulvis ciricus, *potio Sancti Pauli* & *opopyiri*: *Autor libri de Dynam*: Podagrico dolore non molestabitur, qui utetur pulvere Cirico. Arthriticisque succurret potio Sancti Pauli & opopyri.

Medicamentum *Diatrion pipereon*, ut & *Diazing*, non in novissimis habetur: Ejus *Galenus* quàm studiosè meminit? *Rhases*: Et in diebus, in quibus non utimur vomitu vel potione, dabimus Diacymini & *Diatrion pipereon* & theriacam de quatuor speciebus. Hinc *Lanfrancus*, *Rogerius*, *Kolreuterus*, *Brubesius*.

Aster cognominatur à *Galeno lib. 8. cap. 3. de compos. pharm. secund. locos*: Aster alter inexuperabilis & benefacit Arthriticis & Podagricis gentianæ decocto dilutus.

Antidotus ex hyperico, & *Antidotus Philagrii ex Cancris* apud *Ætium* reperiuntur.

In vulgus, ut & à Dn. Doct. D. *Sennerto* hæ compositiones nominantur:

Pulvis Jovis Thomæ Erasto communicatus: huc spectat & *pulvis Tithemii*.

Pulvis D. D. Wirsungii.

Pulvis D. D. Johannis Matthei.

Pulvis D. D. Donzelini.

Pulvis D. D. Cratonis.

Pulvis D. D. Manardi.

Pulvis D. D. Erasti.

Pulvis Joh. Anglici, *Saracenicus dicitur.*

Electuarium Antonii Galli.

Aqua vitæ Gisberti Horstii Hollandi.

Decoctum Chamædr. ex Solenandro.

Hæc Dn. *D. Sennertus* de Scripto D. D. *Johannis Matthei* petiit, sicuti hujus quoque mixturam memorat. *Hic Johannes Mattheus* & Monavii pulverem subjungit: ℞. chamædr. Dictamn. Cret. Iv. rad. centaur. min. gentian. aristoloch. rot. a. ℥iij. Cortic. interior. jugland. ℔j. F. Pulv. Dosis ʒß. per dies 40. propter amaritudinem sumatur cum brodio vel melle. Alia descriptio antiquissima ex libro, anno 380. manuscripto, cujus copiam mihi fecit Generosus Baro Philippus à Winnenberg & Beilstein: ℞. rhapont. ℥ij. Agaric

ric. ℥ij. Valerian.℥iij.ſem.petroſel.Macedon. Mei a. ℥v. Gentian.A-riſtoloch.a.℥vij. chamædr.℥ijx. M.F.Pulvis.

Præterea *apud Franciſcum de Pedemont.* reperitur *potio ad frigidam arthreticam experta,& eſt Hybernati.*

Felicis Plateri *Pulvis ex cineribus admodùm exiccans corporis ſeroſitates* etiam in Scholis Medicorum fertur -: ℞. cinerum cranii hominis ℥j. cinerum priapi tauri vel caſtoris ℥ß. ciner. hirund. vel cuculi vel milvi ʒij.Cornu Cervi, eboris uſti a.ʒj.ſuccini opt.ʒß. margarit. ℈ß. cinam.ʒij. Diagalang. Diamoſch.a.ʒß.Sacch; roſ.tab. & ſacchari candi ad pondus omnium , F. pulvis ſubtiliſſimus, capiat ʒjß. *Inde Adrianus Spigelius.* Item *Rondeletius :* ℞. cin.priapi tauri, cran. homin.a.ʒiij.galang.ʒj.ſacch.ʒiij. Cinerem Cornu capræ & fimi vitulini,cinerem viperæ,Plinius item cinerem vermium cum melle. *Hæc ille.* Nec nova eſt Medicina.*Kiranides* etiam mentionem habet *cineris cancrorum*, itemq; *Galenus.*

Antidotus Adriani Spigelii hæc eſt : ℞. trochiſc. de vipera, fol. centaurii min. chamæpytis,betonicæ in umbra cum charta ſiccatarum a. ℥j. chamædr. ℥ij.rad.gentian. ariſtol.rot. pœoniæ,bardanæ a. ℥j. baccarum lauri,myrrhæ, rhab. el. ſpicæ nardi a.℥ß.garyophyll. ʒij.in pulverem cuncta redacta , ſerventur in vitro benè clauſo vel cum melle deſpumato fiat electuarium ad formam opiatæ, doſis in pulverem ℈j. opiat.ʒj. ſuperbibendo aquam tepidam.

Quemadmodum *Theriaca* & *Mithridatium* cum exceptione laudabantur, ita iſtius generis pulveres omninò invalidi habentur. Non video, *inquit ille apud Thomam Eraſtum*, quo modo jam dicti pulveres vel capitis(ſi ipſum fortè colligat excrementa,podagræ autores) intemperiem frigidam & humidam corrigere, vel humores in eo genitos diſſipare , nevè ad pedes repant,prohibere valeant. *Reſpondet Eraſtus ita* : confirmatam capitis & cerebri intemperiem illiuſmodi pulveres aut nunquam aut certè admodùm tardè immutabunt. (Fortaſſe hac ipſa de cauſa per totum annum uſurpare jubentur) Ratio eſt, quod nihil in ſe grati & dulcis ſucci continent. Quare non permutantur in ſanguinem,ut cerebrum alant atq; alterent. Poſt ſanguinis in hepate confectionem maxima

co-

eorum pars cum serosâ parte sanguinis instar aliorum succorum acrium ad renes propellitur, ad caput non multum adscendit. Et quod eò sustollitur, tantis viribus non pollet, ut infixam intemperiem eradat, contrariamq; inducat. Hac de causâ ligni Guajaci decoctum longiore tempore cum tenui diætâ potum multò fructuosius & conducibilius esse, visum est. Etenim corpus alio cibo destitutum ex decocto hoc sanguinem gignit Guajacinum (liceat mihi sic nominare) id est, Guajaci viribus & qualitatibus imbutum. Quo dum nutritur Cerebrum, calidius & siccius efficitur. Non enim ambiget quisquam, puto, quin partes omnes pro naturâ alimentorum mutentur. Sed & excrementa in meatibus sparsa exiccari & in halitum converti, simul contingit. Hoc si pulveres isti tandem efficiunt, non nisi tardè perficiunt, illud certè præstare vix unquam poterunt.

De *decoctis* satis dictum erit. *Destillatæ aquæ* sunt propè innumeræ. Quæ planta usum præstare videtur, ex eâ elicitur aqua. Dubitant peritiores, an aquæ illæ earum virium sint, quarum antè fuerunt herbæ. Quo ex numero est *Tussanus Ducretus*, neq; tamen, *inquiens*, tantum tribuendum est aquis igne extractis, ut Medicorum decoctis sua laus & commendatio detrahatur: quemadmodum isti imprudenter faciunt, qui herbarum & aliorum medicamentorum decocta vel diluta non pluris se facere ajunt, quàm lacustrem, palustremvè aut pluvialem aquam. Quâ in re ipsorum inscitiam haud satis mirari possum, qui nesciant, veteres Medicos potiones suas ex dilutis vel decoctis herbarum, fructuum, florum, seminum, radicum & reliquorum ad curandos corporum nostrorum affectus cum felicissimo successu usurpâsse, stillaticiorum liquorum nullâ factâ mentione. Et fortè existimarunt, nec præter rationem, etiam decocta atq; diluta distillatis liquoribus esse longè præstantiora, quod in distillando non modicum substantiæ deperdatur & in auras evolet. Quô fit, ut non pauci medicæ artis peritissimi ad hunc usq; diem decoctis & dilutis uti malint, nempè quia constat apertissimè, longè plus virium in iis contineri, quàm in aquis stillaticiis. Quin etiam ad decocta nostra accedere vel inviti

co-

coguntur egregii isti artifices, postquam ex suis tàm præclaris remediis nihil utilitatis & commodi fuerunt consecuti.

Extant & multæ *aquæ compositæ antipodagricæ, ut Philippi Mulleri* aut potius *Thomæ Tantini*, hanc reddit *Johannes Vincentius Finckius* in Enchirid.

Age, ad *Chymicos* transeamus. Horum quidam *Lapidem Philosophorum*, nonnulli ☉ *potabile, Oleum* ☉*lis*, *Aurum quocunque modo solutum*, *Arcanum* ☉ *& perlarum, Q.E.* ☉, ☉ *cum* ✠ ⊖, Magist. ⊕li, arcanum ex ♁ & ☿ ♎, ⊖ ♁, Q. Eſſ. ♁, ol. ex flor. ♁, ☿ vitæ, oleum 🜍, liquorem rubeum 🜍 præp. oleum ⊖ viride, Saccharum ☽næ, varia *antipodagrica*, *Spir.* ⊖ *armoniaci, Spiritum calcis vivæ*, & tandem *Spir.* ⊕*li corallatum* miris laudibus prosequuntur. Unde *Iohannes Ludovicus Gānsius cap. 11. de viribus Coralliorum* hunc in modum: dum corallia destillationes capitis siccando absorbent & adstringendo reprimunt, prætereà etiam viscera principalia roborant & sanguinem mundant, causa arthritidis & podagræ nulla datur. Ergò corallia inter arthritica numerantur. Ad consumendas arthriticas fluxiones nihil præstantius esse dicitur essentiâ coralliorum cum liquore vel aceto succini sumta, vel oleo succini corallato. Nonnulli commendant *spiritum vitrioli corallatum*, qui sic præparatur: Corallia contrita, cum pari pondere vitrioli permista aperto destillantur igne. Unde provenit spiritus rubicundus, cujus decem guttulæ quotidiè in aqua idonea sumantur, ubi corpus benè purgatum fuerit. Quidam purgato corpore tincturam per complures dies podagricis offerentes, bonam illis valetudinem pollicentur. Tinctura autem illa cæteris præferenda, quæ spiritu salis, vitrioli, ligni querni, guajaci extracta est. Datur etiam tinctura coralliorum cum spiritu vitrioli permista. Alex. Trallianus in arthritide Diacorallium per centum dies continuos exhibuit, deinde ad reparandas vires ægris, triginta dierum inducias permisit. Postea rursus illud præbuit diebus centum continuis & triginta dierum intermissionem fecit. Ultimò non quotidiè, sed alternis diebus per centum & sexaginta dies dedit. Ejus descriptio talis est:

℞. corall. ℥ij.

myrrhæ ℥iij.
caryophyll. ℥ß.
rhapontici ℥j.
folii ℥ß.
rad. pœon. ℥j.
arist. long. & rot. ℥ij. Mixta redigantur in pulverem tenuem. Cujus scrupulus unus tempore matutino horis sex ante prandium offeratur.

Cæterùm *Coralliorum tinctura*, & hoc modo facta in magno pretio habetur: ℞. ♀ri crudi & Spir. ⊖li, ♀rus sit in formam pulveris redactus, sit Spiritus ⊖li tantum, ut latum digitum supereminat, mox per retortam Spiritus ⊖li à ♀ro lege artis usq; ad siccitatem abstrahatur, sic habes Spiritum Vitrioli Tartarisatum, hunc serva. Deinceps ℞. corall. rubr. opt. grossum in modum pulverisata, & affunde superius menstruum, ponatur ad extrahendum in loco justè tepido, tunc sat citò menstruum illud ex coralliis rubedinem extrahet, & ea jam albicantia relinquet. Qui liquor jam rubicundus est factus, decantetur; & si quid rubedinis in illis coralliis residentis, adhuc superesse putetur, reaffunde novum menstruum, rursus fiat extractio, postmodum collige & confunde liquorem illum omnem tinctum, filtra eum per chartam bibulam, & abstrahe in balneo menstruum usq; ad siccitatem. Dehinc ℞ Spir. Vitrioli & ad summum rectificati spiritus vini anà, & per retortam aliquoties commixti hi Spiritus transeant, ita, ut probè inter se commisceantur & simul per retortam transeant, & cave, ne Spiritus Vitrioli remaneat. Hoc novum menstruum superfunde super extractam & exiccatam Coralliorum rubedinem, ponatur in nova digestione usq; ad aliquot dies, tunc hoc menstruum pulchram & ad Rubinum usq; splendentem rubedinem de novo extrahet, & multas fæces relinquet. Quod tingitur, per inclinationem decantetur, & novum menstruum & tàm sæpè reaffunditur, usque omnis rubedo fuerit extracta. Hoc medicamentum est cordiale, est aperitivum universale, & mineram Arthritidis in sanguine & omnibus corporis partibus resolvit; quare appropriatum Antipodagricum jure dici potest.

Verùm

Verùm illud vulgatisſimum medicamentum *Diacorallium*, cujus autor eſt *Alexander Trallianus*, ex *Coralliis*, quibus de agit *I.L.Ganſius*, neutiquam componitur. Quanquam & *D. D.Sennertus* illud ſimilibus verbis refert : ℞. *Corallior*: ʒij. *myrrh.* ℥vj. *&c.* Autor *Trallianus* l. II. nominat Διακοραλλίου. *Ejus verba hæc ſunt*: Eo nihil præſtantius. Nam præterquam, quod nihil in potu habet inſvave, prætereà etiam efficax & abſq; periculo exiſtit. Non enim immoderatè ſiccat (οὐ γὰρ ἀμέτρως ἔχει τὸ ξηραίνειν) ſed eò, quod in altum penetrans, viſcoſos, affixoſq; articulis humores extenuet, utilitatem indicat. Habet autem antidoti deſcriptio in hunc modum: Corallii ℈vj. myrrhæ &c. Ἔχει τε ταῖς ἀντιδότου ἡ γραφὴ οὕτως κοραλλίου γρ ϛ σμύρνης &c.

Eſt nimirùm & herba, quæ *Corallium* cognominatur. Unde *Caſpar Bauhinus* in Pin. ſic: herba *Anagallis phœniceo flore Dioſcoridi mas eſt : aliquibus Corallina Æginetæ.* Ejus verba nunc ſubjungantur : *Alexander purgationem ex Coronopodio meliorem eſſe dicit eâ, quæ fit ex hermodactylo.* Et mox : *eſt Octaidor, octo rebus conſtans, & quod* Proclo *adſcribitur, & quod ex ſcordio fit, & quod ex Corallio & alia complura. Verùm ſecuriſſimum omnium, inſuperq; multi experimenti eſt, quod ex corallio paratur, ut quod etiam tophos in articulis jam coactos diſſolvit.* Dilucidè igitur *R. Dodonæus*: Quæ anagallis phœnicei eſt floris, mas habetur, eadem phœnicion & Corallion dicitur. Ex hac paratur compoſitio Diacorallion adverſus articulares morbos, de quâ Paulus Ægineta l.7. Habet utraque Anagallis deſiccandi vim citra mordacitatem: nonnihil quoque caloris & quandam trahendi facultatem, adeò ut & infixa corpori extrahat. Sic Gal. & Dioſcor. habet mitigandi vim, inflammationes arcet, adactos corpori aculeos extrahit. *Ac quoque Johannes Ruellius*: Paulus Ægineta in eâ compoſitione, quam podagræ dicavit, diacorallii cognomine, anagallim flore puniceo micantem, coralliam vocavit, â qua nomen eſt inditum medicamento, non alia forſitan de causâ, quod colore flos corallium imitetur. Quanquam vetuſtiſſima non mihi deſint exemplaria quingentorum plus annorum, in quibus collarion, non corallium ſcribatur. Nec ab re fortaſſis, quoniam & glutinandi facultatem, autore Ga-

leno simul & Hippocrate, sibi, ut suprà dictum est, vendicavit. Quare minimè putamus hærendum, quin Paulo *Diacollarion* potius sit scribendum. Namq; phœnicea anagallis, ut ostensum est, oras vulnerum suo glutine committit, quod κολλᾶν vocant Græci, à quo effectu meritò collarion diminutrice formula quasi glutinulum posset appellari. Facit hujus rei fidem, quod alio præsertim loco meminerit alterius, quem diacorallion verius inscripsit, cui coralliius lapis insumitur. Nec me fugit Actuarium in quadam antidoto, cui diacoralliu titulum fecit, anagallidem puniceum florem ferentem, corallium appellâsse, nescio an rectiùs collarion, cum, autore Galeno, citra morsum exiccet & vulnera glutinet. *Omniumq; optimè Hieronymus Gabucinius com. de podagrâ pag.* 30. nullum est præstantius eo, quod διὰ κοραλλίε dicitur, Alexanderq; & Paulus experto sese fuisse scribunt. Nam præterquam quod nihil in potu habet insvave, efficax etiam est ac penitus innoxium: neq; enim impensè siccat, sed eò, quod in altum penetrans, lentos, affixosq; artubus humores extenuat, utilitatem indicat. Habet autem in hunc modum: ℞. rhabarb. pœoniæ, myrrh. troglodyti, spic. nardi, singul. sextantes, phylli unc. caryophyll. granula quindecim, anagallidis phænicei coloris, quam vocant κοράλλιον, semiunc. aristol. long. Unc. 4. & rotundæ totidem. Datur instar scrupuli quotidiè, contractione probè defuncto. Alexander autem ita describit: anagallidis, Corallii nuncupatæ, ℈vj. myrrh. troglod. triens, caryophyll. ℈xij. pœoniæ rad. uncia, aristolochiæ longæ unciæ duæ, rotundæ totidem, spicæ nardi unciæ quatuor. Datur ægro scrupulus manè ex tepidâ.

Nunc judicium adhibetur. *Theriaca & Mithridatium* in majus prædicantur. *Theriaca recens facta* motum humoris inhibet. *Infarctas* verò, ut loquitur *Gabucinius*, *superfluitates haud digeret tàm facilè.* Sæpiùs data humores nimis calefacit, tophosq; magis exiccabit. *Arthritidis malignitas* vera non est, ut hoc aliàs. Quapropter ei haud obsistit *Theriaca.* Ac reliquæ veterum *compositiones*, quas omisit D. D. *Sennertus*, sat nominatæ olim fuerunt. Amo *Erasti* judicium de illis pulveribus, quos *Paulus Ægineta, Alexander Trallianus* & alii quotidiè usque ad annum capi præcipiunt, quem-

quemadmodum ex junioribus quoq; *Johannes Matthæus* fuit autor, ut articulari9 homo *pulvere Antipodagrico Cratonis* per annum integrum (*ita loquitur*) sine intermissione uteretur. Hunc morem & sequebatur Andreas *Cneuffelius.* Ac illi pulveres vi siccandi potentiores, non *Cerebri* humores tantùm, sed & reliquos haud commodo valetudinis consument. Quid? *Terrestrem* illam portionem in Massâ Sanguineâ latenter residem, siccando magis figent, quam tamen *Chymici* idoneis ad id medicamentis liquari volunt. *Aquæ destillatæ simplices* an æquè conducant, ac herbarum pulveres aut harum succi, *l. 5. de Catarrhis* quærebatur. Rem inibi determinavi. *Chymicorum medicamenta* non sunt fastidienda. Solvunt nonnulla materiam terrestrem, ex qua calculus renum & tophi concrescunt. Peritissimè *Hieronymus Gabucinius, tophi*, inquit, *in articulis eâ ferè ratione, quâ & in renibus lapilli fieri solent.* Jam verò calculus renum de sabuloso sero in Renibus coëunte nascitur. Illa autem ex *auro* confecta medicamenta vel alvum movere, vel sudorem ciere queunt. Ob has & similes virtutes ea haud abjudicanda sunt. Ast plebeji Medici addunt, *cor reficere, ejusq; ac reliqui corporis Calidum innatum latè nutrire ac augere.* Profectò est quoq;, ut mirandum sit, viros alioqui gloriâ prudentiæ excellentes, multarumq; rerum usu admodùm peritos, prædicato *auro potabili*, dispicere non posse, quid credi oporteat. *Cor* & cunctum *Calidum Innatum* inde sibi sperant aureum. Nullis parcunt sumtibus. Si hæc hallucinatio ferenda est, tamen indicetur, illa omnia quaten9 conveniant. Simili judicio & *Margaritarum, Coralliorumq; magisteria* æstimentur. Quæ superius vulgatur *tinctura Coralliorum*, nec incommoda est & sat efficax habetur. Sed eam tamen convenit finire utilitatem. *Johannes Ludovicus Gansius* non semel fallitur. Hic tanto encomio prosequitur *Corallia*, haud tamen inscius, ea ab *Hippocrate*, â *Dioscoride* & â *Galeno* tanti haud fieri. Prætereà inaniter maleq; credit, illa quoq; *Cerebrum siccare, & constringere*, ut reddat humores, articulos deniq; roborare, ut Medicina inde *antipodagrica* ac *Arthritica* proficiscatur. Quem ipsi errorem fecit compositio *Diacorallion* appellata. Illa enim haud ex *Corallis*, sed ex herba, cujus flos est coloris punicei in modum

Coralliorum, constat, indeq; nominatur. Est pudendum peccatum *Gansii*, ægrisq; etiam nociturum. Utinam *Dn.D.Sennertus* non scripserit: ℞.*corallior*: ℥j.&c.Si breviasset hunc in modum: ℞. *corall.* aut *Coralli*: herba ista intelligi videretur aut significari.Hoc lucis inserunt *Caspar Bauhinus*, *& R. Dodonæus*,in parte *Iohannes Ruellius*, at *Hieronymus Gabucinius* maximè. Quanquam res per se sat aperta est. *Paulus Ægineta* non ex aliis rebus, quàm ex herbis compositiones exequitur, quare priùs memorat *Scordium*, hisce verbis utens : τήν τε διὰ τοῦ σκορδίου καὶ τὴν διὰ κοραλλίου ἀσφαλεστέρα δὲ πασῶν καὶ ἔτι διὰ πλείονος πείρας ἐστὶν ἡ διὰ τοῦ κοραλλίου καὶ πώρους ἤδη συστάντας ἐν τοῖς ἄρθροις διαλύουσα. Hæc herba, *Anagallis* seu *Corallion*, deprædicantibus *Dioscoride*, *Galeno* & C.*Plinio*,non solùm lentos, crassosq; humores,imò aculeos ferreos ex corpore educit. *Ad recentiora*, inquit hic,*vulnera tanta traditur vis*, *ut saniem oßibus extrahat.* Ob eandem virtutem & aliæ herbæ ac radices,ut *Arundo*,adhiberi solitæ sunt. Quâ vi autem *Corallia* pollere negantur. Cæterùm illius mixturæ, *Diacorallii* inventor princeps haud est *Paulus Ægineta*,sed *Alexander Trallianus*. Quapropter *Caspar Bauhinus* illam herbam, *Corallium* seu *Corallinam Alexandri Tralliani*, non *Pauli Æginetæ* cognominare debuisset. Quanquam hæc *Diacorallii* compositio una ex multis veteribus est,quas jam dudum depretiavi. Ut *compositorum*, ita *simplicium* medicamentorum autores diligentiùs notavi. Cujusq; medicinæ origo & cognitu jucunda est ac quoq; necessaria.Huc meus suprà spectat labor. Nihil propè hodiè adhibetur, quod non in usu fuerit antè. Sæpè novitia medicina habetur, quæ ad priscos potius est referenda. Serò & experimentis hæc ars excoletur.Ac si quæ sunt novitia medicamenta, ea sunt vana interdum & invalida. Hoc ê numero sunt *corallia*, ceu *antipodagrica*, ac illa quæ ex his conficiuntur, *magisterium & Tinctura.* Hâc finiri arthritidem nonnulli spopondêre. Ea nunc quàm vulgata est? In primâ domu habetur. Eâ febricitantes,comitiales, & articularii curantur. Qui metu perterritꝰ, qui repentina irâ perculsus est,qui timet morbum, ad eam omnes confugiunt, ceu Panacæam. Non inscitè ille hanc dicebat medicinam esse secundâ valetudine valentem maximè.

Non

Non abjiciuntur *corallia*. Est iis virtus. Ast sapientis Medici est, hisce, *ut auro* etiam, *argento*, *margaritis*, ac reliquis pretiosis pretium pe-solvere posse.

CAPUT XIII.

De
MEDICAMENTIS APPROPRIATIS EXTERNIS COMPOSITIS GALENICORUM & CHYMICORUM.

Consequens est, ut *medicamenta* antiquitùs celebrata *composita externa* ante reddantur, tùm & *Chymica* ceu recens inventa. Ex superiore ordine sunt *Unguentum Ætii* ex *adipe Leonino*, *ursino*, *equino*, *vulpino* &c. Unguentum *Castini*, unguentum ex *hedera*, unguentum quoque *Haly*, ex *adipe anatis* & *Leonis* confectum. Itemque *Unguentum Vulpis* : *Galenus 11. de Simpl Med. facult. 5.* Mox *Paulus Ægineta* & *Ætius ad hunc modum* : Alii ad totius morbi exclusionem, vulpeculas totas in oleo coquentes, arthriticis medentur, partim vivas in maximum lebetem mittentes, partim mortuas. Similiter etiam hyænas coquunt, discussorium oleum facientes. Deinceps solia ex ipso complentes, & arthriticos in ipsa demittentes, & multo tempore immorari jubentes. Ex hoc autem contingit non solum tumores circa articulos, sed etiam totum corpus evacuari. *Oribasius libro 4. de loc. affect. cur:* vulpes vivas, alii mortuas coquunt. Hinc magnus fructus, materiam omnem, ex qua origo morbi est, evacuant. *Avicenna similiter* : nec non *Haly :* Cum autem disgregationibus durities acciderit & nodositas, ejus medela fiet sic: vulpem apprehende vivam, & coque in oleo. *Rhases lib. 1. de affect. cap. 25.* Hoc vulpis oleum dissolvit humiditatem relictam in articulis. *Sextus Philosophus :* vulpis viva in amplo vase decocta, donec ossa relinquat, mirè sanat, si sæpiùs in aquam in vase quis descenderit. Idem præstat oleum, ubi decocta fuerit. Si quis hoc aut illo modo vult, utatur. *Hinc multi recentiorum* attestantur, ut *Guido*, *Valescus de Tarantâ*, *Guainerius*, *Bertrucius*, laudans & *Balneum de vulpe viva*, *Peter Hispanus hisce :* cineres vulpis combust. multum juvant artriticum, & guttosos à causa frigidâ

Tus-

Tussanus Ducretus quoque, *Johannes Schenckius*, *Joh. Marquardus.* *Sigismundi Kolreuteri* verba ad extremum ponantur: Minimè & reticendum salubre duxi oleum vulpinum meum, quo multos sciaticos juvi taliter, ut etiam decumbentes pedibus propriis sese committerent rursus, sicut plures, qui eo usi sunt, testes esse poterunt, & per Italiam multisque aliis locis, unicum tamen testem adducam, Nobilem doctum & literarum Græcarum peritissimum, Arnoldum Artenium, qui cùm ex casu super ancham per plures menses claudicaret, multosque per aliquot universitates Italiæ Medicos consuluisset, Thermasque Paduanas & Lucenses visitasset, sciaticus enim ex causa externa, casu scil. erat, & non nisi baculo innitens, ambulare poterat, tandem & ego ab ipso per amicos rogatus, in curam ipsum suscepi, ejus locum affectum post universalium usum oleo illo frequentissimè perungens, cum autem post paucas septimanas iterum Florentiam redirem, fortè fortuna in Bisliopolio cujusdam Galli obambulantem amicè salutavi. Modus oleum præparandi hic est, *vulpem* exemptis interaneis in aliquot frusta dividito, relictâ carnibus pelle, in oleique dulcis & optimi ℔xx. & vini clari antiqui ℔iiij. conjicito, addendo foliorum & seminis hypericonis, contusorum Miij. Baccarum Ebuli Mvj. donec vinum absumatur, & caro ab ossibus decedat, semper lignea rude agitando ad minus per sex vel septem horas, coletur deinde oleum, & reliqua torculari exprimantur, misceantur, & in vase vitreo reponantur, donec quod crassius est, subsideat, purumque clarum & polychreston oleum denuò colo angustiori transmissum habeatur, non solùm ad sciaticam, sed etiam alios juncturarum dolores utilissimum. Fortiora sunt & maximè ad inveteratas affectiones præter inferius jam paulò post ponenda, oleum de vulpe, quod ab aliis autoribus & benè sic præparatur. Accipiunt vulpem integram interioribus evulsis, coquuntque ipsum in vase terreo cum aqua salsa, vino & oleo, addunt insuper salviam, Rosmarinum, Anethum, majoranam, baccas Juniperi, donec vinum absumatur, & caro ab ossibus recedat, exprimunt deinde omnia torculari, & percolato oleo ceram rubeam admiscent, ut cerati consistentiam acquirat. *Hactenus autor.* Alia *vulpino* oleo quoque admiscentur, ut nunc à *Lotichio:*

℞. ol.

℞. ol. nardin.
costin. a.℥iij.
lumbric.terr.
laurin. a.℥ß.
salv.dest.
succin.dest.a.gutt.iiij.
vulpin.
ursin. a.℥ij.
Mosch.el.gr.iij.
MS.
Oel zu schmiren.

Ex eodem genere est unguentum & emplastrum de *Limacibus*, item de *Ranis*, ac à pluribus laudantur, quos rursus nominatim appellare, nimis longum erit. De anserina pinguedine diximus. *Brubesius* & alii admovent *unguentum comitissæ*. Nos, *inquit Forestus*, emplastro ex *pice* ac *sulphure* confecto commodissimè utimur, quo ipso & ante nos *Antonius Harwerus* magna cum laude usus est, & maximè in Ischiade, quanquam fuerit inventum *Andromachi*. Hûc spectat *D. D. Th. Bartholini obs.95. cent.VI. p. 367.*

Chymica non tàm ex *sulphure*, quàm ex *vitriolo* fiunt & ex aliis. Illud solum aquâ temperatum adhibetur. Nunc *balsamum podagricum* I & II *Crollii* valdè pervulgatum est, itemque unguentum *Sperneolæ* aceto destillato solutum. Huc spectat *Joh. Rhenani Chymiotechn. l.1. aqua*, ad hunc modum prædicata: Aqua ad quosvis dolores in artubus, sive ex catarrhis frigidioribus sive aliunde oriantur:

℞ Oli ungarici ℔ij.
♀ albiss. ℥iß.
mumiæ
mastichis
thuris
myrrhæ a.℥ij.
Ammoniaci
bdellii
Opopanacis a.℥jß.
mellis ℔ij.
Spiritus vini correcti ℔vj.

deſtilla ex balneo M. quinquies cohobando. Uſus ejus eſt, ut calfiat parùm in cochleari argenteo & locus affectus linteolis aſperioribus tritus cum ea inungatur. *Ad idem* utilis eſt *Aqua antipodagrica Rulandi*, item & hæc mixtura:

℞. ol. ⊕li ʒj.
phlegma. aceti ℥j.
M. Sig. *aqua adpodagram.*
Ol. ⊕li, *inquit ille*, cum aqua vitæ quoque inunguntur pedes.

✠ ⊕li *eſt anodynum in aq. flor. nymph. & intra corpus ſumtum, & cum oleo Juniperi & terebinth. inunctum.* Idem præſtat ol. ⊖ & ✠ ⊖. Ol. ♀

℞. ol. Terpentin.
⊖lis. communis
⊕li a. p. æ. Miſce probè. Inungantur membra.

Philippus Grülingius centur. Med. curat. 37.

℞ capitis mortui ⊕li
aceti ſtillat. a. ℥ß.
opii Thebaici ʒj.
aq. chelidon.
ſambuci a. ℥viij. M. S. Epithema, quod dolores podagricos intra duas horas ſedat.

Henricus Regius:

℞. aq. ſpermatis Ranarum
thapſi barbati a. ℔ß.

Iis infunde

Tutiæ
lithargyri a. ℥ß.
⊕li calcionati
aluminis a. ʒij.

M. Hoc liquore foveantur partes dolentes cum linteis tepidè. Si dolor valdè ſæviret, tale narcoticum efficaciſſimè adhiberi poſſet: ℞. Spir. vin. per croci infuſionem flaveſcentis ℥jv. Camphoræ ℈j. Bulliant parùm, deinde in iis diſſolve Opii ʒj. Hoc liquore partes dolentes illinantur.

Mix-

Mixtura *D.Joh.Freitagii* eſt:

℞.	Sacch. Saturni	℈v.
	Sal ſaturn.	ʒß.
	Opii	
	Caphuræ in acet.ſolut.a.	℈ß.
	aq.flor.ſambuc.	℥j.

M.Illinatur pluma locus dolens,ſæpius repetendo.*Riverus* quoque, *ſal ſaturni*, inquit, *in ſpiritu vini tenuiſſimo diſſolutum mirificè dolores ſedat.*

Alia adjiciuntur, ut *herbæ* & *olea.* Vulgatur aq. antipodagrica viridis *Rulandi*, *Knobelii* & aliorum. Item *balſamum Panſæ antipodagricum. Aqua Antipodagrica Quercetani* hæc eſt:

℞. aq.deſtillat.ſperm.ranar.thapſi barbat.filicis a.℔ijß. Urin. puer. Vin. bibent. ℔iij. theriac. recent.℥ijß. ⊕li, ⊖ fuſi, Aluminis a.℥iiij.deſtill.per cinerem : huic aquæ adde ſal ⊕li è colcothar.extr. ℥jß. camphora croci orient. a.ʒij. M. ex hac aqua foveantur partes dolentes tepidè, ſæpè nova immerſione linteola renovando. Vel cum muria ſalis & urina pueri ana ſimul mixtis deſtillatur aqua ad dolores eoſdemmet placandos. *Et mox :* ℞. ſaponis Genuenſis albi ℥j. ſalis fuſi ad fortiſs.ignem ℥jß. ⊕li ℥j. acaciæ ℥ß. bulliant omnia in menſura ſeu pinta aceti roſati aut alterius communis. Cola & de colatura tepidè foveatur pars dolens.Idem autor *Olea*, *Cataplaſmata* & *Emplaſtra* publicat. Nec omittendus,*inquit Daniel Bekherus*, balſamus ille antipodagricus Cratonis in Conſiliis Scholzianis deſcriptus:℞.mumiæ,maſtich.thur.myrrh.ammoniaci,bdellii a.℥ij. ⊕li ℔j. mellis ℔ij.Tartari ℥jß. Spir.Vini ℔jv. Deſtilla ſecundum artem, præbet optimum balſamum, lenit mirificè, ſi pennâ illinatur,& intolerabilem dolorem compeſcit.

Ille apud Petrum Severinum hæc communicat : ſi appareat calor,rubedo, & ſentiantur dolores, incipiendum à levibus Topicis, utpote linteolis mollibus mollefactis in aqua ſperniolæ, per quam prius fuerit factum lixivium ſuper cineres fraxini, vel ſi deſit aqua ſperniolæ, ſumatur aqua ranarum viventium, aqua plantaginis & ſimilium, accipiatur in defectu aliorum remediorum urina ipſius ægri, quod ſi deveniendum erit ad majora, utendum erit ſeratis, ex

quorum numero talis erit: ℞. olei rosar. ℥ij. salis plumbi sive Saturni ℥j. aquæ sperniolæ aut similis ℥j. ol. seu potius aqu. albuminum duorum ovorum, per agitationem albedinis facti, ol. ovorum per ignis expressionem facti unciam unam, agitentur omnia in mortario marmoreo, quousque apparuerint omnia in consistentia unguenti & cerati, & cum hoc cerato leniantur loca dolorifica, & superponatur linteum cum aquis istis supra nominatis, interea si urgeant dolores, ita ut æger noctes insomnes ducat, recurrendum erit, sicut ad sacram anchoram, ad usum laudani, si verò non apparuerit rubedo nec calor, sequentia erunt admovenda: ℞. Myrrhæ & Alois ℥ij. contundantur in mortario, super quæ in vase aliquo vitreo affundi debet l. I. Spiritus vini, & post infusionem 24. horarum madefiant lintea, & applicentur loco affecto usque ad sedationem doloris, si autem pertinacior videatur esse dolor, sumantur sequentia: ℞. salis Saturni ℥ij. dissolve in mortario cum ʒiij. spiritus vini, addetur de pinguedine ranarum aut viperarum ℥ijß. reducantur in consistentiam unguenti, & applicentur locis affectis, si non poterint facilè reperiri pinguedines istæ, sumatur oleum ranarum per ebullitionem in oleo vulgari olivarum, aut vermium oleo, his si non responderit effectus, & dolores atroces perseveraverint, ℞: Pastam ex farina & aceto factam, & extende super linteum aliquod longitudinis & latitudinis duorum vel trium digitorum, super quo extende pastam, & superficiei consperge ʒj. pulveris muscarum cantharidarum pulverisatarum, & admove parti affectæ, ligando pernoctem, die sequenti verò manè auferantur omnia, & forficibus scindantur omnes vesicæ, & auferatur pulvis, & vesicæ istæ illinientur butyro recenti manè, & vesperi sedabuntur dolores. Multa hic adferrem remedia, tum etiam aquam balnei Regis, sed nimiæ observationes & cautelæ tyronem absterrerent, & forsan deciperent, si sit ingeniosus, & in Chymicis æquè versatus & versutus, facilè absque revelatione quod sit illud balneum, addiscet.

M. A. *Zimara* hujus copiam facit:

℞. ℔ij. ⊖li ad flaved. calcin.

mel-

mellis Virgin. cum favo ℔j.
Spir. Vini ℔j. si sit ad manus ille Spiritus è confectione Laudani Opiati residuus, erit eò melior
terebinth. ℥iij.
verben. ℥vj.
rorismar. tantundem.
Salicum calcinat. ℔ß.

Omnia trita misceantur, & imponantur justæ amplitudinis Alembico vitreo, benè luto obducto, addito satis magno capitello cum Recipiente capaci, juncturis benè lutatis, ponantur per triduum in lento arenæ calore ad digerendum, posteà paulatim destillentur, ultimò fortificetur ignis, quamdiu vides guttas seu spiritus exire, posteà frigescat: caput mortuum seu fæces spongiosæ nigræ, reverberentur ad albedinem, illisque priorem liquorem denuò affunde, & secundò destilla. Linteola eo madefiant, & tepida imponâtur, cedunt dolores. *Aliudq; Dn. Zobel vulgat:* aquam podagricam ex Tartaro cum C. Cervi & urina pueri per retortam destill. quam linteis pro extractione salinorum & Tartareorum acrium spirituum applicat, & dolorem sedari hoc topico affirmat. *Itemq; Johannes Löselius:* Memelæ Porussorum mulier quædam quinquagenaria ferè decumbebat arthritica, huic dolor pollicem sinistri pedis, cæterasque annexas partes, manum insuper sinistram & dextrum genu adeò insignis occuparat, ut lecto affixa vehementer lamentaretur. Hanc sequenti epithemate, non intermissis evacuantibus, intra septem dies perfectè restitui:

℞.	Colcothar ⊖li	℥ij.
	aluminis.	
	♀ri calcin. cum nitro	a. ℥j.
	Salis ⊖li ♀.	ʒij.
	betonic.	
	malvæ	a. Mj.
	fl. chamæm.	Mß.
	semin. lini	ʒx.

Coq. in aqua chalyb. s.q. ℞ col. ℥xv. In quibus dissolv. vitri ♀ ʒj.

☿ ♎ non corrosiv.ʒß. M. ac linteola madida calidè imponito. *Ac quoque Johannes Vigierius:*

℞. aq. dest. sperm.ranar.
thapsi barb.
filicis a. ℔jß.

In his macera

thutiæ
lithargyr. a.℥ij.
⊕li calcinati.
alumin. a. ℥j.

Foveantur partes dolentes tepidè, sæpè novâ immersione renovando linteamina.

℞. Sapon.Genuensis albi ℥j.
Salis fusi ad fortissimum ignem ℥jß.
⊕li ℥j.
Acaciæ ℥ß.

Bulliant omnia in mensura seu ℔iiij. aceti Rosar. aut alterius communis. Cola & de Colatura tepidè foveatur pars dolens.

℞. medull. cass. ℥iij. theriacæ recentiss. ℥ß. farin. hord. aven. a.℥iij. micæ panis albi ℥iiij. lactis vaccini ℔ij.vel iij. Coq. omnia in formam cataplasm. quod applicabis calidè partibus dolentibus. Si addideris Vitrioli calcinati & subtilissimè pulverisati ℥ij. vel ℞. aq.still.verbasci albi, filicis cum luto a.℔ß.⊕li-calcin.pulveris. ℥jß.farin.avenæ ℥iiij. Croci ij. Fiat etiam Cataplasma.

Alia atque alia haud minimùm valere dicuntur. *Oleum crystallorum*, inquit Joh.Daniel Mylius, *per deliquium factum valdè probatur ad podogricos dolores, exteriùs tanquam topicum exhibitum.* Nec prætermittenda sunt *oleum inferiorum mandibularum veterum equorum, tempestatibus diu expositorum*, *oleum ex ossibus hominis & ex sanguine cervino destillatum*, sicuti à *Zimara*, & ab aliis perquàm multis commendantur.

Istius generis *pinguia & unguenta* jam dudum multis, ut quoque suprà jeci, suspecta visa sunt, sive de *Leone*, sive de *asino* petita. *Vulpes* licet sit animal tàm astutum, tamen ejus pinguedo tantoperè

non

non opitulabitur. Est vetus medicina; quare ejus laus tàm vehementer increvit. Hæc sæpê cognitioni præcurrit. Quàm multa homines approbant prius, quàm experiuntur. Hinc ipsa experimenta sæpè contrariis in partibus sunt paria. Chymica sunt speciosa, ex iis eligenda sunt optima. Quæ siccant adstringuntque valentiùs, tàm salutariter non adhibentur. Quædam sunt magis subtiliter, quàm utiliter excogitata. Saccharum *Saturni*, Spiritus *Salis*, Spiritus *Camphoræ* nunc celeberrimi usus sunt. Si talia illita exarescunt, ita, ut pulvis in cute deprehendatur, multis persuasum est, ipsissimum *Tartarum* seu salem, proximam causam *arthritidis*, fuisse evocatum. Sæpè & pulvis ut *Crystallorum* & *Lap. Alabastri* immiscetur, aut alius quidam, qui tandem sui vestigium exhibet.

CAPUT XIV.

De MEDICAMENTIS, CAPUT CEREBRUMQVE & ARTUS CORROBORANTIBUS,

Nec non & De AMULETIS.

MUlti, boni que autores *Arthritidem* curaturi, Medicamenta *Capiti*, *Cerebroque* adhibent, ut *Franciscus de Pedemontio*, *Fernelius*, *Manardus*, *Rondeletius*, *Crato*, *Capivaccius*, *Pulverinus*, *Georgius Bertinus*, *Mercurialis*. *F. Platerus*, *Læl. à Fonte*, *Car. Piso*, *Bricius Bauderonius*, *Fontanus*, *Duretus*, *Peucerus*, *Fonseca*, *Hier. Gabucinius*, *Riverius*, *P. Bruhesius*, *Cornel. Baesdorpius*, *Phil. Fesel*, *Beutherus*, *Joh. Mattheus*, *Ducretus*, *Liberatus*, *Kolreuterus*.

Ad ipsas *suturas capitis* remedia admovent *Crato*, *Franciscus Valleriola*, ac *Andreas Gallus*. In omni nocte, *inquit hic*, cùm vadit Dominus dormitum, aspergat de isto pulvere super *commissuram coronalem*, & manè cum pectine amoveat istum pulverem. *Sic quoque Hieronymus Donzellinus:* In commissura coronali spargatur

tur in nocte pulvis ſequens ad caput roborandum & ſiccandum. *Petrus Bruheſius:* Prima totius mali cauſſa ad Cerebrum referenda eſt. Unde malum hoc generatur, ſi cranii ſuturæ nimis exactè committantur, adeò, ut perſpiratus non pateat fuliginoſis excrementis, quæ in caput à partibus ſubjectis feruntur.

Franciſcus de Pedemontio eſt quoque autor, ut *capitis cutis à cranio ſeparetur, vi illatâ.* Quartò cùm alterantibus inſpiſſantibus materiam, ne ſui acuitate & ſubtilitate fluat, qualia ſunt, quæ ſuprà in curâ Catarrhi diximus. Et proprium eſt coriandrinum emplaſtrum, tandem ex ſinapi & thapſia, & maxime ſupra commiſſuram coronalem capitis. Ex iis, quæ maximè ſumus experti, ſunt duo. Unum interius ſumptum, aliud exterius applicatum, in hoc materia frigidâ fluente de capite retinendâ. Primum eſt Diaproſium ſecundum Nicolaum in ſuo antidotario, ubi ſuas laudes enumerat. Secundum eſt tractio fortis unius capillorum exiſtentium ſuprà commiſſuram tàm fortiter ſuperius, ut cutis ſeparatio ſonet, ſicut ſuprà in curâ uveæ docuimus. Et expertum eſt ſaccellum ſupra commiſſuram capitis & exiccantibus in calidâ materiâ, ut panico, milio, roſa, myrto, & radice ſolatri propriè. In frigidâ ex pulegio, origano, ſerpyllo. Si cauſa eſt frigida, ſtoechas Cerebro convenit. *Hactenus autor.*

Nec non ſunt, qui caput diligenter *ſuffiendum* jubent, ut *Rogerius, Theodor. Fernelius, F. Platerus, Bricius Bauderonius.*

Quin *Errhinis* & *Ptarmicis* utuntur *Joh. Michael Savonarola, F. Platerus, Godofredus Steeghius, Crato, Solenander, B. Bauderonius, Carolus Piſo.* Quin meliora, *Liberatus de Liberatis inquit,* ſunt ptarmica, quia non in gulam nec in Laryngem ducunt humorem & eum â ſpinali medulla avertunt. *Hæc hic.* Petrus *Bruheſius* ſubjungit: caput poſt univerſalem corporis purgationem diligenter eſt quotidiè vacuandum, deinde exiccandum & calefaciendum, quod oleo è caſtorio vel oleo ex lateribus bene fit: deinde corroborandum, atque hîc inter paratu facilia ſunt ſamſuchus, ſeu majorana naribus impoſita, item ambra griſea: recipitur per anguſtum tubulum fumus ambræ in prunas conjectæ.

Apo-

Apophlegmatiſmos & Maſticatoria comprobant *Crato*, *Fernelius, Franciſcus Valleriola, Godofredus Steeghius*, *Arnoldus VVeickardus*, *Georgius Bertinus*, *B. Bauderonius*. *Petrus Bruheſius hiſce verbis:* Pro particulari capitis evacuatione, & humorum in ſubjectas partes decumbentium averſione, Dominus habet inſtrumentum argenteum cavum, & anteriore parte rotundum, quo linguam & laryngis muſculos quaſi vellicat & titillat. Servat autem ante hujus uſum in ore particulas radicum pyrethri minutim conciſi, & maſtichis, aliquando nucis myriſticæ, maſticando: atq; hoc modo rejicit quotidiè ℥vj. vel vij. pituitæ tenacis & frigidæ. *Atq; Rodericus Fonſeca ex Cornegii Medici Hiſpani mente:* Quatuor pennas gallinaceas alliget, & earum mollem partem oxymelite intinctam intra os immittat uſq; ad radicem linguæ, non ad provocandum vomitum, ſed excreationem ipſam, & ſic pergat per ſpatium quarti horæ: hoc faciat ſingulis duobus diebus. Itemq; *Liberatus de Liberatis l.3. de podagra:* facillimè id aſſequimur ſumptis quatuor gallinaceis pennis oxymelite ſquillitico intinctis, iiſq; palato ad linguæ radicem leniter confricato, cavendo vomitum; aperto ore cruda quàm plurima alliciuntur & excernuntur, ſingulis vel alternis diebus pergendo. Hæc à Johanne Corneſio Philippi II. Hiſpaniarum Regis Medico diffuſo ſermone & præclaris laudibus jam dudum celebrata reperies. *Hæc ille.* Cæterum *Felix Platerꝰ c. de Arthritide ad huncce modum*: per expuitionem multam, pituitoſas ſeroſasq; ſuperfluitates â capite defluxionũ fonte educimus ſicq; defluxiones præcavemꝰ: quod præcipuè tunc fit, quãdo ex capitis gravitate, cõgeſtũ illic humorẽ conjicimꝰ. Et cum natura per hæc emunctoria, præſertim ſi prius conſuetum hoc erat, illum non expurgat, tunc eam maſticatoriis & errhinis diverſis ſolicitare, ut id tentet, ſolemus.

Huc ſpectat illa quæſtio, quam *Gulielmus Fabricius Hildanus* ad *Claudium Deodatum* ſcribens cent. 4. obſ. 82. movet: Aliquando me præſente inter literatos, & quidem in diſputationibus publicis controverſiam hanc, nimirùm *an inunctiones ex ☿io Arthriticis prodeſſe poſſint, nec ne?* exortam, diſputatamq; fuiſſe memini. Unus quidem & alter ſuas habuit rationes, neminem verò hacte-

 nus

nus ſcientia & conſcientia præditum videre potui, qui illinitiones haſce in arthritide adhibuerit: Agyrta tamen quidam leviſſimus, imperitusq; homo, ad iſtam imprudentiam ac temeritatem uſq; devenit, ut quæſtionem hanc dubiam in patritio quodam nobis non argumentis ſcholaſticis,ſed reipſa ſolvere non ſit veritus. Hic vix purgato corpore, artus unguento ex ☿io conflato inungit,& quidem eò uſq;, dum faucium, linguæ, gingivarum, totiusq; oris intumefactio, inflammatio & exulceratio, ſummaq; virium proſtratio ſequuta ſit, adeò, ut in decimum quintum diem uſq; veluti in agone fuerit. Demum conſilio & auxilio aliorum relevatus. *Hac ille*. Profectò,ut credo,non deerunt, qui *Mercurio* ita utuntur, ut multa ſaliva concitetur, ac quoq; per os emittatur. Arthritis eſt & Venerea. Cur igitur non aliquid conferet *Mercurius?Tophi* quoq; *Mercuriali* emplaſtro, ut ſuprà dictum,curantur. In Iſchiade, *inquit* Caſpar *Caldera de Heredia*, eſt unguentum de ☿io, quod certè ad has affectiones, licet nihil de gallico participent, prodeſſe comperimus, non in hoc tantùm, ſed in omni arthritico affectu, cùm diſtet humor in recondito &ſeparato loco,quoniam valentius & commodius penetrat, tenuat & reſolvit. *Hactenus autor*. Cum hoc & *Claudius Deodatus* facit,cujus verba ſuperius habes.

Nonnulli *unguenta Cephalica & emplaſtra*,ut de *Betonica*,Capiti aptari præcipiunt; ſunt,qui,ut *Manardus*,*Fernelius* & *Bruheſius*, *caput*, *Cervicem & Spinalem Medullam* aquâ *vitæ*, aut, ut vocant, *cephalicâ*, perfundunt. *B. Bauderonius* externa remedia hac ratione adhibet:

℞.	milii	℔ j.
	ſalis	℔ß.
	bacc.lauri	
	Juniper.	a.℥ij.
	ſem.4. cal. maj.	a.℥ß.
	fol. ſalv.	
	major:	
	lavend.	a.Mj.

Torreſiant in ſartagine,& in ſacculo ex panno cannabino repoſita capiti admoveantur. Vel ex eadem materia diviſa parentur duo ſac-

ſacculi, qui viciſſim applicentur raſis vel tuſis capillis calidè. Deinde muniatur ſtupis cannabinis, ſuffitu ſequenti ſuffumigatis horâ ſomni. Hi ſacculi deterſis ſudoribus in diæta ſudorifica, humorem in Cerebro contentum diſcutiunt & cerebrum roborant. ℞. ſem. nigellæ Rom. ſtyracis cal. benivini maſticis, & ſuccini a. ℥ß. caryoph. ʒij. F. pulvis craſſus pro ſuffitu capitis & ſtuparum, vel ℞. maſſæ empl. de mucaginibus ℥ij. ſem. ſinapi ℥j. pulpæ ficuum & fermenti veteris a. ℥ß. caryoph. ʒij. cum pauco terebinth. F. maſſa, ex qua paretur emplaſtrum ſuper alutam aut pannum denſum capiti admovendum.

Intereà quidam, ut *F. Platerus & Ducretus Cerebrum* aſſumendis medicamentis, quemadmodum *ſpec. diamoſchi, diambræ, diarrhod.* corroboratum eunt. At *Tuſſanus Ducretus ſic*: Humor arthritidis frigidus præparetur electuario ad id accommodato, quod non ingrediatur moſchus, ut quod caput nimium repleat & fluxiones augeat.

Lotiones Capitis Platerus & Arnoldus Weickardus, ſtillicia & embrocationes *Johannes Zecchius* ac *Lælius à Fonte* maximè neceſſarias, multumq; proficientes judicant. Ad *lotionem capitis* commodum *Smegma* deſcribit *Hier. Gabucinius.*

Tandem illud haud prætermittendum eſt, quod nonnulli & ad *Hepar* reſpiciunt. Quo è numero eſt *Georgius Bertinus*, cum verò, *inquiens*, ab *hepate* derivatur humor, *hepatis* intemperiei & imbecillitati proſpiciendum erit præſidiis peculiaribus.

Nonnulli quoq; bilis ab *hepate* profectæ memores potionibus aliquid *aceti* admiſcent. Hûc tamen poteſt referri, quod *Ioh. Michael Savonarola* memorat: quia materia non rarò eſt groſſa, viſcoſa, ideò indiges inciſivis, ſubtiliativis, quare acetum & acetoſa etiam in hoc conveniunt caſu. Debent tamen talia non multùm eſſe acetoſa, quia ut ſupra rubrica de juncturis, acetum maximè nocet nervis: & de hoc in dubiis. Laudatur itaq; oxymel ſimplex & ſquilliticum cum melle roſ. maximè materiâ exiſtente frigida groſſa, viſcoſa. Item oxymel compoſitum. Dixit tamen Avicenna de curâ doloris juncturarum & podagræ: Et oxymel propter ſui acetoſitatem non eſt magni juvamenti. Item etiam in cauſa frigida

Thadeus dabat oxymel compositum & oxymel squilliticum a.℥j. cum vino calido. *Hæc ille.* Certè plures *Acetum* abdicant, ut *Iohannes de Concoregio*, omittatur, *inquiens*, vinum. Facit transire superfluitates. Et ita de oxymelle & syrupis acetosis: nam liquefaciunt materiam, & currere eam faciunt ad nodum. Item *Philippus Scherbius*, *Antonius Alvaretz* & plures. De potu granot: *Coffi* & herbæ *Thee* jam diximus, cujus mentionem quoq; facit cent.3.obs. 39. *Peter Borellus*, *roborat*, inquiens, *stomachum, renes purgat, & calculo utilis est.* Tali potu quidam *hepar* quoq; siccari, corroborariq; credunt.

Nonnulli non tàm ad *hepar*, quàm ad *sanguinem* respiciunt, quem intelligunt, ingruente *Arthritide*, vehementiùs moveri. Quare hi potui dant *opium*, quo illud concitamentum compesci videtur. Præclarè *Johannes Oberndorfius* adversus *Rulandum*, *Sennertum* & alios disputat, qui *Maslach* Turcarum *opium* esse contendunt. Longè aliud, *inquit ille*, id esse necesse est, quod Turcas ad pugnam reddat alacriores, ut tanq. ebrii vel amentes ad pericula quævis minus formidolosè subeunda sese præcipitent, inq; medio hostium agmine sese animosè præstent. Horum enim Maslach, quod nomen sine dubio sumsit ab Hebr. שלה erravit, ignoravit, oblitus est, opium esse non potest, dum sumentes hoc ita errent, ut nesciant, quid faciant. Ex timidis fortes redduntur, omnem rationem exuentes, optimorum Amicorum sæpè obliviscuntur, imò dum sobrii placidi, mox hoc hausto furiosi prorsus in eos non aliter ac in hostem sæviunt: quod Opii non est, ut quod semper somnolentos, paratos & tranquillos reddat. *Hæc ille.* Profectò agitatiorem sanguinem sistit *Opium*, ex quo conficiuntur *Tinctura* & *Extracta*. Ad ea facienda utilior est *Spiritus aceti*. Quanquam aliud *Johan. Löselio* videtur. Intra corpus, *inquit ille*, exhiberi quoque potest, dolore nimium urgente, ac vigiliis ægrum detinentibus, laudanum Opiatum, cujus grana duo vel tria sufficiunt. Approbo tamen hic magis illud Laudanum, quod Spiritu vini extrahitur, quàm quod *aceto* aut *Limonum succo* paratur. Etenim etsi concedam, acetum & Limonum succum optimum esse corrigens istius Sulphuris narcotici, legitimum tamen extrahens non est, cùm acida

da salem potius extrahant ex Chymicorum asserto, quàm Sulphur. Taceo, quod Spiritu vini vix comperta sit adversus Opii maleficium, præsentior antidotus ex mente Billichii observat. & Parad. Chymiac. cap.11. p.110.

Hisce subnectantur ea, quibus vetustiores & juniores Medici *articulos roborari* promittunt. Horum plura *Hieronymus Capivaccius* in cons. complectitur: Externa respiciunt cutem & Articulos. Cutis nobis videtur nimium exsiccata, ob humorum calidorum & siccorum defluxum: proinde laxanda erit & rarefacienda, ut humor acris insensibiliter possit evacuari. Laudamus igitur, ut foveantur partes corporis, procul ab articulis cum aquis, in quibus violæ, malvæ & lactucæ sint positæ. Post fomentum ad cutem corroborandam & siccandam, non improbantur aquæ marinæ & aquæ montis Orthonis. Inunctiones olei viperini exiccant, & si in cute remanserit qualitas mala, prohibent, ne rursus possit repullulare. Inunctio hujus linimenti prodest: ℞.ol.rosar.℥ij. cerussæ ʒj. ☿is vivi ʒij. Salis ʒj. & cum aqua hellebori nigri aut succo limonum fiat Linimentum. Vel radicum helleb. nigri decoctum probatur. Articuli roborandi & exiccandi vinaceis, oleo salito. *Hæc ille.* Maximè & autoritate *Galeni lib.1. de compos. Medic.* celeberrimum est emplastrum *Diachalcyteos.* Unde tàm prolixè *Reinerus Solenander*: Manè cùm surgendum est, mundare pedes atque extergere decet, tum circumdare emplastro Galeni diachalcyteos, inducto tenui alutæ, quæ ita aptata sit, ut pedem universum vel quemvis alium articulum ad amussim sine ruga comprehendat, quemadmodum ostendi. Isto emplastro solo, interpositis purgationibus, honestum quendam virum mercatorem Genuensem, Lugduni præservavi à podagræ insultu aliquot annos immunem, cum antea singulis annis, aliquando semestribus eam perpeti solebat. Emplastrum hoc non tingit, non inquinat, nullo odore molestum est, aufertur singulis diebus, & linteo exsiccatur, reponiturq; idem hoc multos ex ordine dies. *Et rursus:* quomodo articulorum laxitas, quod petis, sit constringenda, id acerbis, austeris & astringentibus efficitur, verùm quoniam inter ea non leve est discrimen, ut quæ non uno modo, similiq; effectu & efficacia istud perficiunt,

ficiunt, neque omni tempore æquè utiliter admoventur, discernenda hæc inter distinguendaque singulari sunt ratione. Nam in paroxysmo non conveniunt; nocent etiam ante paroxysmum, inrepleto aut inpurgato corpore, quando imminens defluxio timetur: obsunt quoque statim à paroxysmo admota, influxa materia nondum planè resoluta. Hic quod materiam compactam densatamq; articulorum cavitatibus intrudant, eosque ad motiones planè inhabiles reddant: illic quia periculum, ne fluens aut proximè fluxurus humor repellatur, atque aliquod membrum principale detrudatur. Quod tu in quæstione tua etiam animadvertisse videris, quando in laxitate constringenda adjicis, ut ad temperiem ista reducatur, ne fluxiones excipiant. Nam repellentia, constringentia, aut quomodo appellare lubet articulis admovenda, ita temperari debent, ne exasperent partes siccitate aut frigiditate, aliisq; qualitatibus oblædant. Ita Medici partibus roborandis quietis tempore extra paroxysmum affricare solent oleum rosaceum intrito sale. Valentius est, si rosaceum fiat ex omphacino, infrieturq; sal & luteus pulvisculus ex rosis, antheram vocant. Mitius verò & nervosis partibus convenientius, si sal interatur oleo Mastichino atque affricetur. Galenus summè laudat emplastrum diachalcyteos, eoq; frequenter in istis affectibus cum magno juvamento sum usus. Hoc utile est omnibus articulis, quibus admoveri potest, sive calidus humor seu frigidus, vel ex mistione heterogeneus fuerit, qui aliàs influxerat. Itaque ubi de humoris qualitate aut partis temperamento non satis exactè constiterit, hujus usus securior esse solet. Aptatur ad formam membri (quod in pedibus, genubus, carpis & cubitis fieri potest) aluta ex tenui pelle, si ea ex vulpina fit, probatur magis, inducitur emplastrum, circundaturq; undique affecto membro, aliquando aufertur, & linteo exsiccatum iterum imponitur. Novi quosdam, qui aliàs frequenter Podagræ paroxysmis tentari consueverant, usu continuo istius emplastri (quod pedio universoq; pedi obductum continuò, etiam in qualibuscunque negotiis circumferebant) & purgationibus per intervalla assumtis, quinquennium integrum ab istis doloribus liberos fuisse, atque inter hos nobilem quendam ê Spinulis Genuensem Lugduni commo-

ran-

rantem: Hoc emplastrum ex chalcityde, lithargyro (quibus ego aliquando aluminis quid addo) ita veteri oleo & axungia temperatũ est, ut adstrictione nimia non exasperet, aut plus æquo repellat, sed quód tu etiam requiris, parti temperamentum reddat & servet, satisq; corroboret, consulere de hoc licebit Gal. in prior. l. de medic. secund. genera. Emplastrum hoc non inquinat, nullas pustulas excitat, neque odore aut ulla qualitate molestum est. Probant multùm partium pati solitarum lotiones ex aqua aluminosa, quæ mihi magis placent, si alumini, salis aliquid & sulphuris modicum adjiciatur, ut Guainerius cap.30. habet, nam ita sulphuris vi resolvente & molliente aliorum efficacia temperatur. Conscindunt ligni juniperi scobem aut ramenta, aqua pluvia chalybeata sufficienti coquunt; donec aqua ex ligno tingatur, & ut lixivii colorem contrahat; ea sit pedum, crurum & articulorum lotio. Ita vidi aliquoties malum percuratum discussumque. Novi qui & baccas adjecerint, verùm ego solius ligni ramentis contentus balneum utile expertus sum. Guinterius Andernacus in fine secundi Dial. de baln. seu aquis medicatis lotionem pedum ad podagram habet, quam dicit multis valdè profuisse. Lixivium ex fagi cineribus paratur, & ter aut quater colatur, deinde tantundem vini admiscetur, aluminis unc.ij. adduntur, omnia fictili vitreato conjuncta calfiunt ad ignem, sed ita, ut non effervescant, deinde transfunduntur in vas, in quo pedes consistere poterunt, hi autem tàm altè lavacro insistent, ut aqua supra talos excedat. Extrahit humidam pituitæ materiam in articulis hærentem, quæ deinde linteo puro abstergi debet. Tam calidum erit lavacrum, quàm pedes ferre possint, maneq; & vesperi ante cibum adhiberi. Quinetiam cũ hoc malũ minatur accessionem, & post ipsam utile esse potest, idque in septimana quater aut quinquies. Nec deterreat Te, si pedes tumidos rubentesque fieri cõspicias. Hæc Andernacus. Huic simile est, quo ego aliquoties feliciter usus sum: Adnascitur ad radices quercus, fungi rubri quædam species, quemadmodum hypocistis sub cisto, quapropter etiam Hypodryn hunc fungum nominare soleo, hic concisus minutim in laminas quasi conditur sale, & magnâ ex parte liquescit in muriam. Ea muria confricãtur & illinuntur partes pati solitæ. Id genus

plu-

plura confirmantia & roborantia artus excogitari possunt, atque pro ægri & affectarum partium temperamento hoc aut illo modo componi ac temperari. *Ferè similiter Eustachius Rudius.*

Liberatus de Liberatis alia istius generis prodit: Roboratio fiet omnibus peregrini humoris reliquiis absumptis, meatuum laxitate densata, naturalique in articulis excitato calore. Medicamenta sint adstringentis facultatis, moderata in siccitate & frigiditate, ne partes exasperent. Probatur oleum rosaceum omphacinum cum sale, addito luteo pulvere rosarum. Sale superflua absumuntur, oleo dolores mansuescunt, utroque roborantur articuli. Lixivium ex fagi cineribus benè percolatum, vini rubri tantundem, cum aluminis unc. I. bull. in fictili, absumit materiam pituitosam, articulis inhærentem: emplastrum item diachalcyteos Galeni. Aqua aluminosa, sale & sulphure adjecto, & Guajaco ex Guainerio. Urina etiam perutilis argumento fullonum, qui nunquam podagrâ tentâtur. Thermæ Salsuginosæ, Aluminosæ, sulphureæ, Chalcantinæ, Nitrosæ, sed magis ad rem luta hujuscemodi facultatis. Thermæ apud aliquos suspectæ habentur, nam solvi balneo humores, articulos effœminari & laxiores reddi, quantumvis adstringenti & resolutoriâ facultate polleant, objiciunt; & hæc mihi non improbatur opinio; nam aquæ tepor & humiditas plus valent ad humorum fusionem & articulorum laxitatem, quàm possit mineralis vis ad resolvendum. Rectè ideò à nonnullis præcipitur, pedes quam minimè humectandos, potiusque decoctorum vaporem suscipiendum pedibus contectis, silicibusque ignitis in iisdem decoctis conjectis, ut post fotus oleo chymicè è Salvia extracto & Adipe vitulino inungantur. Possunt & fieri suffitus ex Sandraca, Thure an. dr. ij. Garyophyllo, Cinamomo, Nuce Mosc, dr. ſ. Pulverisatis omnibus, cum Gummi Tragacanthino commisce. Ligni juniperini decoctum commendatur à Matthiolo. Vinaceorum usus apud omnes celeberrimus, de his præclarè Altimarus suo libello. Detersio pedum spongia sicca, vel leviter aliquo ex dictis decoctis irrorata, si frequens sit, utilissima. Ex Thymo, Origano, ligno Junip: varia parantur decocta, addito Sale, Alumine & Sulphure. Ex oleo Mastichino & Sale alii parant linimentum, nec desunt innumera, sed jam abundè propositis satisfecimus.

Nunc

Nunc *Vinacea* decantatiſſimam quoque præbent Medicinam. Eam multi prædicant autores, ut *Arculanus*: calcare uvas, & propriè nigras, aut in ipſis calcatis, dum bulliunt frequenter, tenere pedes conducit. *Valeſcus de Taranta*: Qui ſæpius calcat uvas, aut in muſto recente balneat pedes ſuos, rariſſimè podagrizat. Sic & *Peter de Largelata*. Item *Godofredus Steeghius, Georgius Bertinus, L. Mercatus*. Inter omnia, *inquit Crato*, articulos corroborantia præcipuum locum habet uſus vinaceorum, cùm ê torculari tempore vindemiæ accipiuntur, ſubitò in illis pedes & membra affecta immergantur, & donec benè incaleſcant, per horam dimidiam aut integram ſepeliantur. *Similiterque Felix Platerus*, *B. Bauderonius, J. Cæſ. Claudinus, Baricellus, lib. 4. de hydron. Wetkerus, Weickardus.* Mirificè, inquit *Duretus*, prodeſt vinaceorum uſus tempore vindemiarum, ſi vinacea exportentur ex torculari in horreum, & ſtragulis operta incaleſcant. In his æger contineat pedes, tibias, crura aut brachia, vel etiam totum corpus. Ie l' ay practicé cent-fois, il n' y a rien meilleur ſous la chappe du Ciel. *Itemque Solenander:* vinaceorum uſu novimus, poſt præſcriptorum quorundam uſum, reſtitutos, qui diu multumque cum iſto morbo conflictati, ita affecti erant, ut incedere vix difficulter poſſent. Ac *Antonius Saporta: Calcare uvas à Solis calore æſtuantes, nudis pedibus & cruribus, maximè conferre ipſa experientia docet.* Haud igitur ſilendus eſt *Donatus Antonius ab Altomari:* Sed jam tempus eſt, eorum utilitates, quas ratione inveni, experientia comprobare, à me ipſo inchoans, qui cum gravi quodam dolore diu laborarem muſculorum circa iſchiam ac lumborum. Qui dolor inſuper ab eodem articulo non rarò ſumebat initium, quandoque etiam in crurum muſculis, modò uno, modo alio ſentiebatur: interim circa poplitem, præſertim in muſculo ſub ejus inflexu ſubſtrato, aut in tendonibus juxta rotulam, interdum autem tibiæ muſculi afficiebantur. Nonnunquam partes juxta talum. Inter cæteras autem partes ſæpius dolore cruciabar ejus nervi magni, qui quatuor habens principia ab oſſis ſacri vertebris ad plantam uſque pedis diſtribuitur. Quamobrem nonnullis adhibitis remediis, venæ, inquam, ſectionibus, purgationibus, fotibus, cataplaſmatis, unguentis, emplaſtris,

 perfu-

perfusionibus, denique balneis tum naturalibus, tum arte paratis, cum ab eis parum aut nihil utilitatis percepissem, ad vinaceorum usum me contuli: à quibus omninò Deo favente fui liberatus: & uxor mea coxendicum dolore diu vexata à frigidis, crassis, lentisque succis, nec valdè à cæteris medicamentis adjuta, ex vinaceorum usu curàta fuit. Excellens Troilus Spes podagra coxendicumque dolore ex iisdem frigidis crassisque succis orto magnopere diu offensus, ex eorum usu non parvam percepit utilitatem, quamvis ob eorũ paucitatem paucis quibusdam diebus usus fuerit. Catharina Sanseverina nuper eodem coxendicum dolore affecta ob jam dictos frigidos crassosque humores, nec non tibiarum & crurum ob eandem causam magnam contraxisset imbecillitatem, ex jam dictis vinaceis maximum commodum ingentemque utilitatem adepta est, ferè omninò curata: quamvis paucis diebus eisdem usa fuerit ob eorum inopiam: erant enim eo tempore pleræque vindemiæ absolutæ. Magnificus item artium & medicinæ Doctor Fulvius Bernardus à dextræ tibiæ sinistrique cruris dolore ex vinaceorum usu prorsus liber evasit, quamvis valde extenuãtas easdem partes habuisset: Percepi insuper, Excellenti Hieronymo Albertino Philippi regis intimo Consiliario dignissimo vinaceorum usum mirum in modum contulisse, cum podagra maximèque pedum imbecillitate laboraret. Et si neque ipse, ut intellexi, nescio, qua de causa diutius, neque ut nos infra docebimus, eisdem forte usus fuerit, licet me interrogasset, non aliter ut eis uteretur præceperim. Nec desunt alii, qui ex vinaceorum usu magnam quoque nacti sunt utilitatem, pro diversis enarratis affectibus curandis, quos brevitati indulgens jure prætermitto. Illud tamen silentio non præteream, quod nuper, dum hæc conscriberem, retulit excellens Marius Galeora, vir alioqui prudentissimus, bonarumque artium peritissimus, nec minus veritatis amantissimus, ita ut propterea ei non parva adhibenda sit fides, retulit, inquam, quod cum ejus filia nomine Maria, nunc in venerabili monasterio S. Francisci monialis, tribus quatuorve annis magno ac duro amborum genuum dolore laborasset, ut ambulationis motus ferè fuerit ablatus, ex dictorum vinaceorum usu adeò perfectè curata

fuit

fuit, ut ex inde nullum amplius neque dolorem neque laborem senserit. Insuper in quadam ejus subdita contrarios vinaceorum effectus se observasse testatus est, hæc cum diuturno tempore cum crura tum tibias maximè extenuatas haberet, motú omninò privatas cum pauco admodum sensu, viginti diebus vinaceis insidens ambulare cœpit, carneque impleri cœperunt dictæ partes eo anno: sequenti verò, cum eisdem iterum usa fuisset, sanitatem omninò adepta est, instauratis, quæ extenuatæ erant, partibus. Adhæc quendam inspexit genuum tumore tibiarumque extenuatione simul laborantem, qui ex eorundem vinaceorum usu liber evasit. Et in seipso expertus est, quod ex præcedenti podagrico dolore, cum pes reliquus esset admodum imbecillis, tumoreque affectus, ita ut cum moveretur, non parum doleret, ex usu vinaceorum tumor & dolor penitus cessarunt, tantumque robur inde adeptus est, ut non modò citra dolorem ambulet, sed robustior etiam altero pede evaserit. Quin etiam cognovi à Cæsare Scamnapeco medico & Phil.perit. magnam attulisse utilitatem vinaceorum usum Andrææ Carlutio, laboranti œdemate magno ac diuturno in utraque tibia, ubi ne minimam quidem ex nonnullis aliis medicamentis adhibitis utilitatem sibi comparasset. *Hæc ille.* Expertus est quoque *Peter Borellus cent. 2. obs. 42*: Optimè quidam curatus fuit demersione femorum in vindemiam calidam post vini extractionem, & mox alius eodem remedio.

Nunc verò cunctam hanc medicinam contrariis experimentis *Caspar Caldera de Heredia* incertam efficit: Tandem partes laxas & debiles roborare, consilium fuit, hoc decocto: ℞. rosarum balaustiarum, salviæ, galarum stecados cammilli & myrti an. p. j. corticum granatorum p. ß. coquantur in aqua, ubi ferrum ignitum extinguitur, & postea addetur aluminis aut salis ℔ß. & tepido artus foveantur manè & serò, nec opus fuit ad sarsæ aut chinæ sudores devenire, licet unguento de mercurio & dialthea interdum uteremur, ut par est in rebelli affectu, nam prædictis auxiliis divino beneficio convaluit. Illud denique summa attentione dignum existimavi, maximè in podagra antiqua & jam habituali, membris extrema debilitate lapsis; ne talem podagram perfectè curare

intendamus, nam perfectè curati in graviora delabuntur pericula, ignobilioribus membris roboratis; quæ minori periculo contracta imbecillitate, noxios excipiunt humores, graviori, repellunt roborati, quo fit, ut qui postea ſucci recurrunt à membris ignobilibus pulſi, aut ſaltem non recepti, ad membra principalia deferuntur, & cum vitæ manifeſto diſcrimine. Hoc Galenus advertit, ſic enim legitur in illius contextu in l. de nat. hum. com. 2. text. 5. in fine: Satius eſt enim, ut humores pravi relictis principalioribus partibus in ignobiliores deferantur, quàm quod ab ignobilibus in principes depellantur; aſpeximus enim ſæpè in his, qui articulari morbo aut podagra obnoxii erant, quod repulſis ab artubus humoribus eò delatis, illi in principem aliquam partem contendentes, homini interitum attulerint, cui ea ſola relinquitur ſpes ſalutis, ſi iterum poſſent ad artus revelli &c. hoc his diebus vidimus accidiſſe, & palàm obſervavimus in Reverend. & Eminentiſſ. Cardinali Spinola, ſedis Hiſpalẽſis ArchiEpiſcopo, quem graviter vexatum & podagricis accidentibus afflictum ex podagra antiqua, ad vinaceorum uſum Doctores aliqui, nobiles certè medici detulerunt, ex tanto auxilio ſperantes tantorum malorum levamen, erant enim longè debilia extrema, quo facilè noxios excipiebant ſuccos graviſſimis doloribus, ideò poſt alia auxilia ſepelierunt per quindecim dies hujus viri corporis dimidium in vinaceis, ſine Octobris menſis, quo peracto auxilio melius habere videbatur, nec tam moleſtis doloribus vexari, ſed inde lenta febris incepit, & licet iterum decurrerent humores, indies intendebatur febris ferè ſemper continua ex bile & pituita, de genere ardentium in progreſſu, ut fermentata putredine jam videretur de malignarum ſorte; ad cor & caput videbantur pravi illi ſucci recurriſſe, quo graviter afflictus & extrema imbecillitate ſuperatus, frigiditate corpus univerſum occupante debilisſimo & formicanti pulſu, animam (beatisſimam certè) reddidit Creatori, Veneris die 12. Febr. horâ ſeptimâ manè, Domini anno 1649.

Artus quoque *Tritico* ferunt corroborari. Si Tritici & aliorum granorum acervo medio vas aquæ plenum infertur, illud exiccatur, tritico madefacto. Hâc ratione pedes ægri granorum iſtorum mul-

multitudine obruuntur, obrutiq; tenentur diutius. En origo medicinæ, cujus mentionem inprimis habet *C. Plinius.*

Sal quoq; est nominatissimum *articulorum corroborativum*, ut vocant, *medicamentum*, & quidem vetustissimè notum. *Galenus libro secundo de simplic. Medic. Facult. c. 18.* certè: Fricant partes affectas trito in pauculo oleo sale multo, idq; per intermissiones, haudquaquā in paroxysmis, tùm ut superfluum omne exiccent atq; discutiant, tùm ut partibus infirmis bonam comparent habitudinem ac robur. *Sic & Ætius*, item *Alexander Trallianus*: Si laxi tumores sint, quos Græci œdematodes appellant, in quibus humor, qui influxit, neq; crassus & terrestris existit, sed laxus & mollis, tangentibus statim digitis cedens, spiritum flatulentum & pituitam humidam aquosamq; fluere suspicamur. In his igitur conveniunt potissimum & ceratum, quod ex sale paratur, & unctiones. In quibus autem illitus, aut unctiones nihil proficiunt, his etiam fomenta ex sale torrefacto frequentius mutata aptè accommodantur. Etenim ab ipsis non modò leniuntur, sed etiam plurimùm adjuvantur. Ego sanè novi Romæ quendam virum longè clarissimum, qui fomento ex sale semper uteretur atq; hinc valdè mitigaretur. Quod autem hoc opitulatur omnibus, est manifestum. Nunquam enim læsionem aliquam articulorum, neq; tophum excitasse inventum est. Confert porrò his etiam calidiore balneo & ficciore uti: item nitro, tenui sale, & iis, quæ cutem rodere, vellicare & extenuare posse, nec non humiditatem intus contentam attrahere deprehenduntur. Sunt autem multa à veteribus inventa, nos verò etiam hujus pulveris magnum fecimus experimentum. *Paulus Ægineta*: Auxilii loco sal in oleo tritus & articulis affrictus, omnibus, qui præcavent, ne in podagricam affectionem incidant, magnificè prodest, si non valdè siccam habuerit intemperiem. *Oribasius*: utuntur ea potissimùm muria, quæ ex siluris & mænulis sale conditis fit.

Ad *tophos* quoq; facere scribunt *Paulus Ægineta, Ætius, Oribasius*, ex Latinis *C. Plinius*, item *Scribonius Largus*. Ex Arabibus *Avicenna*, item *Rhazes l. 1. de Affect. junctur. c. 22.* Dixit Galenus, quod illa potio valet nimis in passione juncturarum, & qui solet pa-

ti in juncturis,quando parum humidum in eo augmentatur, debet uti evacuatione in diebus quietis, & fricare juncturas cum sale & oleo forti fricatione,hoc enim est valdè utile,ut juncturæ non recipiant superfluitates,& in dissolvendo,quod est in eis fluxum,& si remanserit aliquid post ægritudinem,mutabimus à villâ,in quâ jacet, ad aliam villam calidiorem. *Serapio :* Et Sal tritum & mixtum cum oleo, & fiat ex eo emplastrum pedibus. Hoc est ergò regimine,quod conservat corpus, ne accidat in iis dolor juncturarum & podagra. *Inde Ioh. de Tornamira,Ugo Senensis,Iacob. de Partibus, Guliel. de Saliceto*, atq; *Platearius* , item *Alexander Benedictus. Crato in consil:* superest, ut nervis & articulis fluxionibus correptis præstò simus; nempè receptorum humorum discussione & exiccatione,tandemq; ne novos facilè admittant,adstrictione. Huic scopo inserviet utiliter sequens Euporiston: ℞.Salis benè tosti cochl.ij. Contund. in mortario optimè,& affunde olei communis ℥v. commisceantur optimè,& serventur ad illinitionem. *Johannes Zecchius Consult. V.* Pro articulis linimentum ex communi Sale usto, in pulveremq; redacto , cum oleo rosaceo completo in plumbeo mortario,usq; adeò ducto,ut unguenti consistentiam subeat, citra omnem controversiam primas partes obtinet. *Itemque Hieronymus Cardanus*, *l. de alim. Godofredus Steeghius*, *Hieronymus Gabucinius, Iohan. Langius, Zoroaster Tinellus.* Artus , *inquit consult. 21. hic* , ter vel quater in mense laventur aqua salita,quæ conficitur,ut Plinius ait, ex duabus partibus salis & quatuor aquæ. In qua bulliant salv. Rorism. beton. majorana, abrotanum a.Mj. Dein inungantur manus vel pedes hoc linimento : ℞.ol.ros. omph.℥ij. salis opt. ʒiij. M. mortario. *Sigismundus Kolreuterus :* Debilitas juncturarum corrigetur, exhibendo ad intra Theriacam & Mithridatium. Ab extra & multum ego per experientiam tribuo Halelæo, id est,oleo, cui sal copiosus intritus fuerit,si continuetur ipsius inunctio. *Matthias Unzerus :* Galenus recens natorum infantulorum corpus sale modicè inspergere jubet, quò cutis eorum densior,solidiorq; reddita,ad δυσπαθεῖαν ἀρίστα, id est, injuriis externis minimè objecta fiat. Dein Sal oleo dissolutum & illitum articulis, Arthriticorum dolores & cruciatus admodum lenit & dissi-

pat.

pat. Cujus rei locupletes habemus testes, Ætium, Oribasium, Scribonium Largum & Paulum l. 7. quorum verba hic adscribere placet: Sciendum, quod omnes, qui se ab Arthritica ádfectione præmunire volunt, præsertim verò, qui natura sunt frigidiores & humidiores, maximè juvent Sales cum oleo subtilissimè triti & adfricti, non quidem tempore inflammationis & doloribus instantibus, sed his remittentibus, nisi vehementer sicca temperie præditi sint ægri. Omnibus enim, qui hoc modo fricantur, calor augetur insitus, & quod præter naturam est, discutitur, excrementaq́; consumuntur, & affecta membra fiunt robustiora, maximè si quotidie mane & vesperi, quando dolores remiserint, per omnem vitam hoc præsidio utantur. Sic Hieronymus Gabucinius in comm. de Podagra: Sal, inquit, cum oleo tritus, præcipuum medicamentum esse dicitur in podagra. Item Thomas Minadæus in Tract. de Arthr. ut & Gallus Eschenreuterus, Platerus, Forestus, Vidus Vidius, Ant. Fumanellus & multi alii Sal exterius in podagra admodum commendant. Nos quoq; novimus, nonnullos Podagricis doloribus multum diuq; excruciatos, post paroxysmum pedes soli aquæ salsæ per semihoram circiter imposuisse, multumq; levaminis inde percepisse.

Nunc *Sal oleo* tabescere negatur. Unde *Marsilius Cognatus l. 1. Variar. obs. c. 10.* Salem oleo non liquescere, dictum est ab Aristotele l. 4. Meteor. verumq́; id esse, quotidiano confirmatur usu, ut mirum sit, doctissimos etiam viros contra literis mandâsse, salem resolvi oleo etiam calfacto. Si aqua vel aliquid aquæ simile, aut cum aqua cognationem habens, oleo mistum reperiatur, dissolvitur quidem, sed nota causa est: nam per se aqua, oleũ verò ex accidenti liquescit. Cæterùm sal in oleo sive calefacto, sive non, solutus nunquam, sed incorruptus, integerq́; semper invenitur. Accedit magnum huic rei testimonium ex Columellæ l. 12. c. 50. dicentis, oleum congelatum cum amurca sale resolvi, & separari ab omni vitio, neq́; verendum esse, ne salsum fiat; nam, inquit, quantumcunq; adjeceris salis, nihilominus saporem nòn recipit oleum. Cujus non est alia causa, quàm quod sal non resolvitur. Alioquin

ea, quæ oleo liquescunt, saporem cum oleo communicant, ut resina.

Verùm *Ludovicus Septalius* l.7.*Animadvers.* hæc præcepta addit: Quoniam ex curandi ratione hac magis tutâ articuli aliquo modo laxati redduntur, placet ex Galeni præcepto 2. de simpl. Med. facult. c.18. & Ætii, articulos post podagram oleo salito inungere. Animadvertendum autem, ea nequaquam utendum esse, doloribꝰ urgentibus. Non sufficit autem inunctio simplex, sed perfricandi erunt articuli oleo illo salito, ut salis vis terrestris & crassus altiùs penetrare possit. Quoniam autem sal oleo non liquescit, sed salis micæ olei imas partes solùm attingunt, & vix salsedo oleo communicatur, soleo ego salem tritum subtilissimè in vini calidi levissima portione paulatim colliquare, mox salem illum colliquatum assiduè spatula cum oleo agitare, & sic oleum salsedinem contrahit: vel in subtilissimum pollinem salem contritum & oleo admixtum semper, antequam in usum ducatur, diligenter concutiemus. *Hæc ille.* Verùm *Hieronymus Cardanus l.4. de San. tuendâ. c.22. ita:* Juvat ad tutelam (Paulo teste) si per totum vitæ tempus homo inungat loca obnoxia (articulariæ) inflammationi sale benè trito cum oleo bis in die ante prandium & ante cœnam. Et vix sumptui æquatur utilitas, in tàm longâ assiduâ curâ artus inungendi. Falluntur etiam, qui putant oleum miris modis sali miscendum, nam Paulus hujus rei minimè meminit, nec hoc probat. Sed dices, quid si materia ex hac unctione inhibeatur, nonne retrocedet, & periculum lapilli, aut attoniti morbi, aut longæ febris afferet. Itaq; non idem est hoc, ac si siccato jecore aut aliter mutato, prohibeamus eam materiam generari, sed sale siccatis artubus & oleo calefactis materiæ transitꝰ inhibetur, & conversa ad cutem erysipelata gignit.

Sal Armoniacus etiam in malagmata additur, à *Galeno*, ab *Avicennâ*, hinc à recentioribus, ut à *Sigm. Kolreutero.* Hic quoq;, *Sal armoniacus*, inquit, *à proprietate confert podagræ. Theoph. Paracelsus* conficit Spiritum *Salis Armoniaci*, quem ad podagræ dolores valere asseverat.

Nitro similes vires attribuunt *Galenus*, *Ætius*, *Avicenna*, *Rhases*,

ses, *C. Plinius & Scribonius*, mox recentiores. *Kolreuterus ita*: Ad impactos articulis humores ob intensam frigiditatem, ℞. olei veteris ℔jß. nitri Alexandr. ℔j. Euphorb. ℥j. Irid. ℥ij. farinæ fænugræci sextar. ℥jß. M. *Hæc ille*. Ac ex illo grege multi *Sale nitri seu lapide prunellæ* ad dolores discutiendos utuntur, ut suprà *Pravotius*.

Alumen & Aluminosa Balnea podagrosis admodùm utilia judicant ex Græcis maximè *Ætius*, hinc juniores, *Bernhardus Gordonius, Ugo Senensis, Valescus de Taranta, Plantearius, Arculanus, Platerus, Andernacus, Steeghius. Balnea sulphurea*, inquit B. Bauderonius, *movent sudores & humores siccant. Aluminosa verò cæteris omnibus artus roborant*. Nunc & *Zoroaster Tinellus, I. M. Savonarola, Pansa, Sennertus*.

At aliud per experimenta edoctus, *Gulielmus Fabricius Hildanus cent. 6. obs. 85.* itemq; *cent. V. obs. 83.* hisce omnibus repugnabit: post paroxysmos podagricos, *inquit*, quorum causâ Carlsburgi, ut vidisti, lecto affixus fui, pedes tumore œdematoso intumefacti remanserunt. Quapropter ut pars affecta corroboraretur, nec defluxiones in posterum facilè reciperet, sacculum, quo hactenus & in memetipso & in aliis semper cum successu usus fueram, videlicet ex Betonicâ, Salviâ, Iva Artheticâ, Primula veris, Absinthio, Rosis & Granis Juniperinis aquâ coctis, calidè applicui, idq; iterum atq; iterum cum fructu. Post dies verò aliquot gravissimorum Medicorum autoritate commotus, ad majorem adstrictionem & partis affectæ corroborationem, prædictis herbis *alumen* quoq; addidi. Quid fit? Sentio protinus alterationem quandam in intimis partibus pedum: mox sequitur dolor, primò gravativus, ut vocant, qui paulatim in acutum transiit, adeoq; auctus fuit, ut post horam unam sacculum abjicere coactus fuerim. Dolor per dies aliquot continuavit, ita, ut anodynis ipsum debellare coactus fuerim. Dolorem autem huncce propter admixtum *alumen* supervenisse, inde fit manifestum, quod eisdem sacculis persæpè in aliis, nec non, ut dixi, præcedentibus diebus in memetipso, sed absq; alumine cum fructu usus fueram. Cognosces indè facilè, quid de Thermis, quæ ex *alumine* constant, censendum atq; statuendum sit? Etiamsi enim affectas & à morbo labefactatas partes corroborent, cutem ta-

men adeò contrahunt, porosq; constringunt, ut corpus ad sudorem, in arthritide tantoperè necessarium, ineptum efficiant. Quapropter Arthriticos ad Thermas, quæ ex alumine constant, nonnisi maximo cum judicio & præmeditatione ablegandos esse, inde certior factus sum. Ut autem ulteriùs cognoscas, alumen adversissimum esse Arthriticis, iterum ad affectum meum redeo. Arbitror ego materiam quandam morbificam ex præcedenti paroxysmo, in superficie partis affectæ superstitem & ad insensibilem transpirationem præparatam, vi aluminis (eximiè enim, Galeni verbis utor, omnia aluminis genera adstringunt) ad nervosas partes retrusam, ibidemq; ejus acrimoniâ auctam fuisse. Alumen enim vim quoq; habere excalfaciendi, autor est Dioscorides. Nunquam, quod sciam, alumine in arthriticis usus fui, neq; in posterum utar.
" Cùm enim sudor, ut sæpissimè cum in memetipso, tùm etiam in ali-
" is expertus sum, omnium præstantissimum, promptissimum & se-
" curissimum sit anodynum in arthritide, cutis & pori nullo modo constringendi, sed potiùs relaxandi sunt. *Hæc ille.* Vix alienus erit *Adrianus Spigelius:* Mercatus non rectè sentit, omnia balnea propter aquam humectare, cum thermis & hydropici curentur. Hoc a. 1614. illustris comes Philippus Reingraff arthriticus, & multis capitis fluxionibus obnoxius, & Joh. de Molart Consiliarius podagricus, cùm balneis quibusdam chymici artificialibus ex sale, alumine, Spiritu sulphuris & nitro uti vellent, spatio 30. dierum bis terve usu balnei in alvi profluvium prolapsi sunt. Nam etsi his venæ à tepore & humiditate balnei ampliores & patentiores redderentur, vis tamen aluminis constringendo cutem, articulos & habitum corporis carnosum, ita fluentes humores compescebat in venis, ut ab habitu corporis ad ventrem eos coegerit. *Hæc ille.* Hisce quoq; ast, aliâ ratione assentietur *Ludovicus Mercatus.* Ac ego rem experimento firmavi, signa Prognostica exequens. Locus ille *Galeni* l. de Theriacâ est insignis.

De *Thermis, Balneis Artificialibus & lutis* l. 4. *de Catarrhis* satis superq; dixisse possumus videri. Nocent interdum non vi humectandi, sed siccandi nimiâ. Lector quoq; *Hieronymi Ga-*

buci-

bucinii l. de Podagra evolvat. De his quoq; judicium tulit *Aug. Thonerus* l. 4. Obſerv. 2.

Calcem aliis medicamentis adjicit *Galenus l. de comp.pharm.* eſt Diodori : ℞. calcis vivæ ʒj. thuris, terebinth.ammoniac.thymiam. a. ʒiij. adipis taurini ʒviij. ſpumæ nitri ʒiij. floris lapidis Aſii ʒiij. vel ʒiiij. olei cyathi.ij.arida cum liquidis cómmittito. Hoc pharmacum valdè commodum eſt. Reſorbet etiam collectiones circa articulos conſiſtentes, & à doloribus liberat. *Hunc* ſequuntur juniores, ut *Felix Platerus* : In urinâ calx viva extinguatur & cum ea per reſidentiam aut colaturam depurata, locus dolens foveatur. Idem ex calce & aceto factum probatur. *Hæc ille.* Ac *Spiritus* ex *calce* conficiunt *Chymici*, ut monſtratum.

Fæx Vini Italici in monumentis Medicorum occurrit ſæpius. *Rhaſes* ita l. 3. de re med. c. 31. *fæx vini calida eſt, dura diſſolvit apoſtemata.Galenus* : ℞. picis liquidæ brutiæ ℔iij. fæcis vini aridæ uſtæ libr. ij. nitri rubri ℔ß. &c. Addit & ſulphur uſtum. *Ætius* : ſalis ſordidi, hoc eſt, ipſius terræ libram unam, aluminis ſciſſilis ℔j. fæcis vini veteris ſextarium unum, flores lapidis *Aſii* trientem. *Unde* ex recentioribus *Petrus Bruheſius* : Deinde uſi ſumus unguento ex ſalibus Galeni & Ætii ſic parato : ℞. ſalis ſordidi h. e. cum terrâ ſua commiſti, aluminis ſciſſilis a. ℔j. fæcis vini veteris ſextarium unum, hoc eſt, ℔jß. floris lapidis Aſii, vel ſi non adſit, ſalis Ammoniaci ℥iiij. Arida terantur diligenter ſingula per ſe. Deinde adjicitur fæx, ſimulq; teritur, tùm additur olei veteris ſextarius, id eſt, libra jß. diu conquaſſentur, & ad uſum reponantur. *Et rurſus* : pedes ſunt corroborandi oleo ê Lateribus. Oleum Styracinum deſcribitur ab Ætio, ejꝰ loco capiatur liliorum alborum oleum vel ſimile. Aliud præterea eſt apud Ætium à Galeno tranſcriptum, quod & paratu facile & optimum judico noſtræ indicationi propter ſingula, quæ ingrediuntur. Galenus quoq; aliud ex Sale deſcribit, cui adjicit *fæcis vini* Italici ſextarium dimidium.

De *Urinâ* & hic dici, par eſt. Nam *Honorius Heringius ad hunc modum* : præſervationis ergò tutiſſimum eſt, pedes ſæpè cum urinâ propriâ mũdare, imò ſunt, qui fatentur, ſe uſos maximo cũ ſucceſſu,

exemplo *fullonũ*, qui, quia in urinis pedibus versantur, podagra non sollicitari conspiciuntur. *Hæc ille.* Ac *Sigismundus Kolreuterus ita:* Senes magis, quàm juvenes arthritide corripiuntur, multiplicantur enim ipsis superfluitates propter debilitatem, convalescentes etiam ex ægritudine longâ, ubi non debitè fuerunt purgati & eorum virtutes corroboratæ, piscatores item, *fullones*, bajuli, viatores & maximè omnium illi, qui parentes habuerunt arthriticos.

Alia quoq; inter *anodyna* fuerunt dicta, & nunc rursus dicenda, ut *ol. vulpin. & Taxi, unguentum Martiaton, Agrippæ, Arregon*, unguentum *ex fele*, item ex *septem vespertilionibus*, quod aliter atq; aliter paratur, ut ostendit *Valescus de Taranta, Empl. Barbarum Heræ, Malagma aureum*, & illud, quo usus est *Menius Rufus*. Hujusce generis plura persequitur *Felix Platerus*, item *B. Bauderonius*, ut *Lixivium ex cinere ossium equi, unguentum ex Lithargyrio aureo, Cataplasma Dactylorum*, vel *prunorum agrestium* vel *cotoneorum*. Hanc aquam temperat *Lotichius*, & vocat *Arthriticam externam:*

℞.	elix. vit. August.	℥jß.
	aq. vit. s.	℥ijß.
	salv.	
	rosmar.	
	lavend.	a. ℥j.
	ol. salv.	
	rosm. dest.	a. ℈ß.
	costin.	
	vulpin.	a. ʒjß.
	croci	gr. v.
	opii theb. aq. vit. sol.	
	camphoræ	a. gra. v.

M. S. Gliederwasser.

At si, *inquit consult. 21. Zoroaster Tinellus*, superioribus medicamentis sanitas redintegrata nõ fuerit, erit sanè & alterum efficacissimum remedium experiendum, quo ego sæpius in discutiendis pituitosæ materiæ reliquiis, *artubusque roborandis* feliciter usus fui, & est hoc:

℞. te-

℞. terebinth.
thuris a. ℥iij.
nucis myrist. ℥ij.
chamæpith.
centaur.
fl. hyperici a. Mj.

Infundantur omnia in vino malvatico, ita ut tegantur per horas viginti quatuor, asſiduèque miſceantur, deinde in vaſe vitreo, igni primùm leniori, deinde fortiori, conſueto Chimicis more admoveantur. Tres ab hac deſtillatione diverſi liquores manabunt, ſicut calore, ita & viribus differentes, ex quibus ſeorſum collectis artus illiniantur, inchoando à primo, ut minus potente. Tertius, qui olei formam habebit, pretioſisſimus ac efficacisſimus adeò erit, ut vel minima ejus gutta primo admixta, eum longè præſtantiorem reddat. Medius mediis pariter viribus præſtabit.

Catuli pellis quaſi occultâ vi prodeſſe dicitur. Nam *Ælianus* ita: canis fluviatilis pellem ad calceamentum redactam pedum ac nervorum morbum egregiè curare. *Item Sextus ac Scribonius Largus. Multis*, inquit hic, *profuit ad corpus in duplici calceo pellem caninam habere.* Quid ſit duplex calceus, exponit *Johannes Rhodius.* Non alienum erit, illud rurſus repetere, de quo *lib. 1. de hoc morbo* meminimus. *Ut explorari poſſit*, inquit Marcellus, *ex latentibus morbis, qui ſit ille, qui vexat infirmum, comprehendiq́; qualitas vitii & pars viſcerum poſſit, catulus fœtæ canis lactens die ac nocte cum eo, qui laborat, accumbat. Is poſteà ſectus inſpicitur, translatusque in eo morbus, haud difficilè notatur, ita tamen, ut æger ei lac de ſuo ore frequenter infundat. Eum tamen catulum, cùm fuerit exſectus, obrui oportet. Nec ab re eſt, ſi triduo idem catulus vivens cum ægro maneat. Vitium enim ægri tranſire in eum uſque adeò certum eſt, ut moriatur catulus, hominemque morbis latentibus relevet.* Hinc *Peter Borellus cent. 3. obſ. 28.* cujus verba quoque ſuperiùs poſita fuerunt. Cæterùm *Felix Platerus ex ſuperiore opinione*: corium canis applicatum proprietate valere creditur. *Hieronymus Mercurialis quoque*: Sunt etiam, qui gypſo obducunt crura, ut conſtringantur illæ viæ, ne permittant humores fluere. Soleo ego uti caligis

factis ex corio canino, nam fiunt caligæ ex hoc corio, quibus constringuntur crura. Nam expertus ſum, hujuſmodi arctis ligationibus factum eſſe, ut fluxus humorum ad pedes ſit penitus interceptus. Nam corium caninum hoc habet, ut in ea menſurâ, in quâ ſemel poſitum eſt circa partes, nunquam vel extendatur vel relaxetur & propterea eſt optimum ad conſtringenda crura. *Sigiſmundus Kolreuterus:* Caligæ ex pelle caninâ factæ anguſtæ, ut pedibus undique adhæreant, podagricos curant, & in poſterum præſervant ab illâ. *Weckerus* & *Montuus*: Si, *inquit* hic, ex phocæ, leonis, lupi aut vulpis corio elaborato calceos quis geſtet, pedes non dolebit. Gal. Valerianus, prodeſt in duplici calceo pellem caninam habere. Scribonius: Fibrinos calceos ſeu ex pelle fibri, caſtorisvè utiles eſſe ajunt Plin.&Al.B. *Hæc ille. Joh.Rhodius:* podagricos pellibus vituli marini calceari jubet Plinius Valerianus lib. 3. cap. 4, quarum & Marcellus meminit cap. 36. Quod occultæ proprietati adſcribit Hollerius de morbis internis lib. I. cap. 63. *Sic etiam Bricius Bauderonius*, qui cothurnum inde confici jubet. Verba *Capivaccii* infrà ponentur.

Pellis Vulpina ſimiliter conducere putatur. Nam *Sextus Philoſophus ita:* De Vulpina pelle interior pars calceamentorum fiat, & podagrici utantur, leviorem inceſſum habebunt. Ac *Arnoldus Villanovanus:* Pellis vulpis circumvoluta pedibus, quod carnem tangat interior pars pellis, podagram curat. Nec non *Hieronymus Mercurialis* in conſ. 102. Soleo in hiſce caſibus curare, ut ægri diu noctuq; pellibus vulpinis nudo corpore integantur. Adjicit & hoc *Felix Platerus:* Ad corroborationem alii Decoctum, in quo vulpes exenteratas diu coxerit.

Caſpar Schwenckfeld Aſperulæ flore albo odoratæ decoctum ait fotu articulos firmari, & quidem vulgari experimento. Item *Geranium Columbinum*, *Sedum Sileſiacum majus*, *Primulam veris odoram*, *Uvam Quercinam* laudat.

Sumach majoris potentiæ eſſe exiſtimatur. *Valeſcus de Taranta enim ad hunc modum:* Dicimus etiam, quod ſi folia & ſummitates *Sumach*, cum quo parantur pelles caprinæ, conquaſſata coquantur in aqua, in qua ponantur *alumen* & *ſal commune*, & inde laventur

pedes

pedes & genua, & aliæ juncturæ, ſine dubio tales juncturæ multum roborantur & defenduntur à ſuſceptione ſuperfluitatum. Et ſi ſumach non habes, fac cum cortice meſpuli & mirtæ, cum alumine & ſulphure, vino & ſalviâ, cum ſale in lixivio de cineribus quercus, & facit opus mirabile juſſu Dei, cui ſit infinitus honor & gloria, Amen. *Sumach* quoq; utitur *B. Bauderonius.*

Nunc *Amuleta* & περίαπτα, prout in mentem veniunt, percenſeantur. *Alexander Trallianus* vocat φυσικὰ διάφορα πρὸς ῥεῦμα ποδῶν, eaque eodem autore ſunt Nervi *Onagri* & *apri* & *ciconiæ.* Ac autoribus *Montuo* & *Kolreutero*, nervi *vulturis.*

Torpedo: Ætius, Marcellus, Platerus, hinc *Wolfius.*

Leporis tali ſi alligantur; *Rhaſes*, hinc *Montuus*, *Varignana*. *Sigiſmundus Kolreuterus:* pes leporis vivo abſciſſus, portatusque dolores podagricos mitigare creditur. *Nunc ſic Plinius* lib. 28. viventis pes abſciſſus portatus continuè. *Kiranides:* acceptus ſi nomine patientis & circumſuſpende dextrum dextro, & ê converſo: ſanguine etiam calido illinitos pedes, perfectè ſanat. *Verſus Homericus:*

Concio turbata eſt, ſubter quoq; terra ſonabat.

Magnes lapis: ſi geſtatur; quemadmodum *Rhaſes:* Et dixit Phinicinus, qui compoſuit librum de lapidibus, quod magnes ſi fuerit ligatus in pede podagrici, curatur. *Hinc Johannes de Tornamira.* Item *Nicol. Nicoli:* Dixit Figineus, qui compoſuit librum de lapidibus, quod ſi magnes ligetur in pede podagrici, curatur. *Albertus Magnus* ſimiliter.

Chamæleontis caput & pedes dextri ſiniſtrique, & *aquilæ calcaneus*; *Rhaſes:* Et alius Philoſophus dixit: ſi accipiatur calcaneus aquilæ, & ponatur ligatus ſuper pedem ægri, curatur, ita; quòd dexter ſuper dextrum, & ê converſo, & juravit, quod ſit verum. *Sic & Nicolaus Nicoli, Kiranides.* Unde *Arnoldus Villanovanus.* Rhaſes & *aquilæ* pinguedine utitur. *Dominicus Leonus:* A proprietate dolorem artheticum ſedant, & abigunt nervi ex collo aquilæ & dorſo extracti, & ſuper collum & ſpondylos patientis alligati. Eadem virtus eſt in calcaneo aquilæ. Sic & *Hier. Montuus* & *Anton. Guainerius.*

Pes teſtudinis; *Rhaſes:* Et dixit Tortor, quod ſi ponatur pes teſtudinis ſuper pedem podagrici, curatur. *Hinc Varignana.*

na. Et *Hieronymus Montuus*: Pes testudinis supra pedem dextrum, & sinister super sinistrum applicatur. *Arnoldus Villanovanus*: Item alter dixit, quòd si pes testudinis dexter ponatur suprà dextrum, & econtra, valet. *Sylvester Rattray*: Testudo mascula, quæ cognoscitur ex levi incisura, sub inferiore veste alligata membro, sanat arthritidem. *Reinerus Solenander*: Addam hoc naturale remedium (lubet sic nominare, quæ Græci φυσικὰ & φυσικὰ περίαπτα vocant) cujus ego experimentum vidi hisce meis oculis. Cum anno quinquagesimo quinto Neapoli Medicinam facerem, usus sum familiariter Episcopo Stabiensi Joanne Fonseca, Hispano Theologo, is graviter laborabat arthritide: quapropter cum ubique auxilium imploraret, remediaque undique conquireret, intelligit Monachum quendam, ex iis, qui sub pausilypo monte ante portam habitant, ex gravi arthritide curatum esse, remedio quodam, ex istis, quæ alligantur: accersit Monachum ad se, ut intelligeret, curatusné esset, & quo remedio. Monachus venit, sexagenarius, narrat se quotannis arthritide corripi solitum, inque plures menses detineri morbo tam gravi, ut etiam post paroxysmum pedes suum officium non facerent, nisi inniteretur baculo: addit se varia & multiplici curatione usum, nihil profecisse: tandem se incidisse in Siculum quendam, qui pro experimento certissimo, quod subscribemus, docuerat: quo postquam usus esset, cœpisse paulatim melius habere, atque cum multis mensibus liberum esse à paroxysmo, genua, quę humore mirum turgida fuerant, desedisse, cæterosque pedum articulos egregiè detumuisse, adeò ut jam membra agiliora sine scipione levarentur. Remedium hoc est: accipiatur testudo mascula (cognoscitur inter cætera ex caudæ discrimine, & levi sub inferiore testa incisura) ubi luna fuerit maximè lumine diminuta, priusquam cum Sole conjungatur: amputentur vivæ crura omnia, ea consuta in sacculos ex pelle hædina angustos, alligentur membris patientibus, ita ut dextrum crus testudinis, dextro cruri ægrotantis respondeat, sinistrum sinistro: item anterius crus dextrum, brachio dextro applicetur, sinistrum sinistro. Quo loco alligari debeat, non expressum fuit à medico, Monachus supra genua suspenderat: & in brachiis supra cubitos. Hoc remedium cùm fuit à monacho expositum Fonseçæ, tum

tem-

temporis non adfui. Postea cum Episcopus hæc mihi retulisset, voluit, ut ipse Monachum convenirem, & omnia diligenter considerata intelligerem, si quid aliud desideraretur in remedii suspensione. Convenio ipse monachum, colloquor, nihil intelligo præter jam à me scripta: contrecto juncturas, invenio detumuisse: & quæ ipse ante aliquot menses suspenderat supra genu, tumore dissoluto jam deciderant in pedes, & parum aberat, quin exciderent: cum rogarem, quid causæ esset, quare non paulatim stringeret alligata pro ratione tumoris decrescentis, respondit: expectare, ut omninò tumore resoluto, exciderent. Addidit, ex his, cum primùm alligantur, aliquid putrescentis odoris expirari, sed statim illud difflari exiccatis cruribus sanguinolentis, nihil præterea incommodi esse retulit. Is idem monachus longo itinere per varias ambages, me pedes ê cœnobio eduxit, ut ostenderet, quàm se rectè haberet. Postquam rem se ita habere intelleximus, aptavimus idem remedium Episcopo Stabiensi, quod postquam alligassem, cœpit paulatim habere melius: quo tempore inde cum D. Bernardino à Mendorra, Hispaniorum Regis tum Admirali, triremibus profectus discessi, atque virum reliqui, neque intelligere postea potui, an penitùs convaluerit. Horum omnium, & multi alii docti viri testes esse possunt, & præcipuè excellentissimus nostro seculo medicus, Joannes Argenterius fidem facere debet, qui cum hæc agerentur, præsens fuit. De differentia testudinis nihil addidit Monachus: tamen si quid inde auxilii sperandum sit, arbitror in podagra frigida applicandâs terrestres; in calida aquaticas: nam illud discrimen observare soleo, ab aliis primùm edoctus, in unguento quodam, quod ex testudinibus ad arthritidem compono, quo aliàs sum feliciter usus. Nolim hoc aut simile remedium parvi fieri, quod ab usu communi, aut à ratione alienum videatur: nam multa sunt in rerum natura, quæ experientia talia comprobat, licet ratio nihil inveniat, quò illud dijudicet. Excellētissimi ante nos medici illis usi sunt, & divinissimꝰ Galenus utitur subinde, quemadmodum passim videre est, & Alexander Trallianus fidem facit l.7 c.13. *Hactenus ille.* Nunc & *Kolreuterus*, *Georgius Schenckius* & *Hon. Heringius* pedibus testudinis aliquid autoritatis afferunt.

Aranea : Kyranus : accipe araneam horâ, quando neque ſol, neque luna lucet, & abſcinde pedes ejus poſteriores, & liga eos in pelle cervinâ, & alliga dextrum dextro, & ſiniſtrum ſiniſtro pedi, podagram ſine dubio ſanabit.

Vulturis & Milvi caput, *crus* & *corium : Galenus 11. de Simpl. Med. fac. & lib. de Theriaca ad Piſonem. Itemque Rhaſes :* Corium cavillæ, ſi ponatur ſuper podagricum, dexter ſupra dextrum, ſiniſter ſuper ſiniſtrum, juvat manifeſtè. Serva, quia magnum eſt, dixerunt, quod pellis calida multùm, ſi ſuper eam ſedeant podagrici, & qui habent humiditates, valet eis. *Scribonius : Plinius lib. 30.* pulvis ejus cum aqua, vel pedis ſanguine ejus cum urticâ linito, vel ejus fumo, vel pennis eorum, cum primo naſcuntur, tritis cum urina. Hinc *Felix Platerus*, *Weckerus*, *Epiph. Ferdinandus*, *Montuus*, *Wolphius*, *Kolreuterus*, *Heringius*.

Muſtelæ cinis : Galenus de ſimpl. Med. fac: *Plinius* & *Kiranides*.

Pœoniæ radix : *L. Apulejus :* Ad Iſchiadicos herbæ pœoniæ radicis partem alligabis lino, eumque, qui patitur, circumcinges, res eſt ſaluberrima. *Avicenna :* Pœonia confert podagræ. *Alchinus :* potatur radix pœoniæ, confert dolori juncturarum.

Verbena : Valeſcus de Taranta : Verbena geſtata recens circa columnas pedum juvat viribus occultis.

Cimbalaria : Franc. de Pedemontio : ex illis eſt cinibaleria ſub cervicali poſita, quæ eſt propria. Hæc ſufficiant. Feſtino ab hoc genere refugere.

De *Tranſplantatione*, ut vocant, *Arthritidis Rev. Dn. Balde* diſſerit, & nunc *Johannes Sophronius Kozak.* Rei periculum fecerunt nonnulli, ut *Helmontius*, *Peter Borellus* & alii.

Nunc facile eſt, hæc omnia æſtimare. Cui jam non liquet, curationem capitis, Cerebrique ſemper *Arthritidi* fruſtrà adhiberi? Quàm inaniter cuti capillorum capitis, quà extant ſuturæ, inſperguntur *pulveres ?* Ac reliqua quam, quæſo, levationem hujus ægritudinis vel ſuffitu vel illitu vel ſubſtratu afferre poterunt? *Ptarmica* quidem & *maſticatoria* ſerum ſanguinis detrahunt, quâ humor Articularii morbi continetur. Aſt autores illi quàm vanè illorum remediorum vi opinantur humorem *Cerebro*, ceu hujus mali fonte de-

devocari? Igitur id remedii genus longè aliâ ratione proderit. Quæ ex *Mercurio* confecta medicamenta, ut *Mercurius dulcis* & *præcipitatus*, salivam faciunt, ea aliquid conferent, illa *arthritide* affligente, quæ ex *Lue Venereâ* quasi effloreſcit. Et hoc est, quòd quidam articularii eâ viâ ad sanitatem perducti fuerint. Cæteroqui ea *Mercurialia*, ut vocant, medicamenta, hisce ægris non modò non salutem, sed pestem parare poterunt. Quanquam ipsa & admotu nonnihil prodesse posse videntur, contendente *Deodato*. Unguenta *Cephalica*, illa *cerebrum assiccantia*, istæ *lotiones capitis* haud dubiè nocent. Profectò medicus *Arthritidem* curans, non *Cerebri*, non *hepatis*, sed sanguinis rationem habeat maximè. *Oxymel s. & compos.* tàm eximii usus haud est. Nec est tam salutaris potus granorum *Coffi* ac herbæ *The*. Quosdam eo haud curari potuisse, experti sumus. Expedit verò *opium* aliquando dare. Si dolores nec ductâ alvo, nec misso sanguine finiuntur, *opium* sudoriferis confundi podest, quò sanguinis compescatur impetus, vitiosusque ille humor exhaletur. Nonnunquam sanguinem rursus detrahi, & tandem *opium* eo, quo decet, modo offerri oportet. Illud verò externis remediis admisceri, utile haud est. Eorum quanta est varietas? Eam non ignorâsse, satis est. Emplastrum *Diacalcitbidis* quàm multis suffragiis probatur? Illud verò artubus jam refectis impositum, etiam cutem exest. Multis inde fuit fastidio. Reliqua omnia dubiè medentur. Nunc magis quàm oportet, constringunt cutem, ut ejus quoque spiracula occludantur. Cautio igitur semper adhibeatur. Nec *vinacea* tanti præsidii erunt. Ea quidem, ut *triticum*, humores evocare creduntur. Simili ratione adhibetur *arena*. Nec *Sal* nec *Sal Ammoniacus* semper sunt remedio. *Nitrum* minus nocivum est, quàm *alumen*. Hoc in aliquâ est damnatione. Cuidam certè scio illud *balneum* seu *Lixivium artificiale*, quod est apud D. D. *Sennertum*, vehementer obfuisse. Id, credo, ob admixtum *Alumen* evenit. Quàm vehementer noceant thermæ, ostendit lib. 4. obs. 2. *Augustinus Thonerus*, *ex tot illustribus*, inquiens, *exemplis relucet, podagræ curam non consistere in externis præsidiis, partes recipientes corroborando & exiccando: quin potius ratio habenda viscerum concoctioni inservientium, & membrorum mittentium, quorum culpâ humores vitiosi geniti, per vias con-*

vcnientes non excernuntur, sed diutius retenti, dum in vasis coacervati; instar fluminis alveum excedentis, exitum quærentes, redundare & quaquaversum se exonerare solent. Cautè igitur ac circumspectè agendum, si podagricis consulendum. Quibus ego externis remediis uti consueverim, privato libro exponam. Natura etiam, impetu sanguinis sedato, evacuatâque maſsâ ſanguineâ, articulos sponte firmat. Hæc est & morborum expultrix & ornatrix quoque membrorum per morbum vitiatorum. Attendenda & est proprietas Naturæ, ad quam *Helmontius* illam vim, ut vocat, formatricem calculorum vesicæ & artuum refert. *Chymici* ex *face vini*, h.e. ex *Tartaro*, ex *calce*, ex *urina*, ex *vitriolo*, ex *nitro*, ex *sulphure*, ex *alumine* medicamenta variè conficiunt, quibus & prisci usi fuerunt. Ars Medica igitur non tàm novitiis inventis, quàm modo parandi, à junioribus perfici videtur. Meum est, semper ad originem remediorum respicere. *Pellis vulpis* injici potest. Reliqua tanti haud sunt. *Amuletorum* quædam sunt inefficacia, nonnulla prorsus aliena, pars quoque ridicula. *Torpedo* torpidos reddit pedes. Quî igitur potest esse auxilio? *Vulturis* volatus est velox, celer quoque cursus *leporis*. Inde mortales fortè augurantur, utriusque nervos ac pedes occultum in modum opitulari. Sed cur ex pede *testudinis* simile est remedium, cujus gressu nihil est tardius? Repentium animalium, assultantium, currentium, volantium partes certæ petuntur, cur non & natantium bestiarum artus? Nunc versum *Homeri* in ore habere ac canere sæpiùs, quanti erit præsidii? Talium remediorum ferax est levitas. Hæc pro medicamento dare potis est, quicquid velit.

CAPUT XV.

De
CAUTERIIS.

MUlti & *Cauteriis, vesicatoriisq́;*, ut vocant, articularios curant, ut *Ætius, Paulus, Almansor Albucasis, Rhases*, ex junioribus *Nicol. Nic. Florent. Valescus de Taranta, Antonius Guainerius, Franc. de Pedemontio. Singulare*, inquit Joh. Matth. de Gradi, *etiam est ad præservandum, ita ut fiant vesicæ cum Cantharidibus, vel melle Anacardorum vel alio simili in brachiis vel in manibus, vel etiam faciendo cauterium,*

rium, ut feci ego in manu in magnifico Domino Alexandro Spinola Ducali consiliario, qui erat totus artheticus: postea nunquam recidivavit, sed si fiant vesicatoria, teneantur aperta ulcera scalpellando locum & fricando cum re aspera, ut exeat virus vel aquositas humorosa per multos dies. Atque rationem hujus remedii pluribus exponit *Arculanus*. Unde *Jacobus Douynetus* l. 4. de his, *inquit*, vide Arculanum. *Et paulò post:* vir mihi conjunctissimus jurejurando affirmavit, dum Rotornagi ageret, vidisse se arthriticum dolore levatum, doctum fortasse ex disciplinâ Arculani com: in lib. 9. Rhasis ad Reg. Almans. admoto phœnigmo ex secundo cortice vibami minutim conciso, paulò infrà partem affectam eo phænigmo vesica excitata est detensa, vesicam illevit ol. rosaceo, eoque modo ex arthritide convaluit. *Hæc ille.* Pluresque *cauteria* probant, ut *Joh. Andreas à Cruce, Benedictus Victorius, Vesalius, Solenander, Car. Piso, Joh. Zecchius, Petrus Bruhesius, B. Bauderonius, Baesdorpius, Liberatus de Liberatis, Gabucinius, Riverius. Sigismundus Kolreuterus* ita: cauterizandi modus meorum Præceptorum in Italia mihi multùm placuit, eo itidem utuntur in hospitali Sanctæ Mariæ Novæ Florentiæ, qui talis est: Corium solidum rotundum Marcelli seu Julii aut nostræ monetæ quartæ partis thaleri magnitudinis, in medio foramen rotundum nummi, vel quadrini latitudinem habens, loco aptatur, in quo inustio fieri debet, parsque ad circumferentiam duorum digitorum vel trium latitudine, unguento aliquo defensivo, ex rebus scil. frigidis & stipticis, ut materierum affluxum retropellat, circumungitur, deinde per foramen corii cauterium ignitum imprimitur, ut cutis tantùm spissitudinem pertranseat. Hoc modo cauteria quatuor inurebantur ad utrumque musculum Deltoidem utriusque Brachii, & sub utroque genu in parte Sylvestri Pisis Hippocomo illustrissimi Ducis Florentiæ Arthritico, cujus nec manus nec pedes suo apta erant munio obeundo, post paucos etiam dies ad solida rediit exercitia. Quidam stupefaciunt locum, ne percipiatur dolor, quod in delicatis & pusillanimis fieri absque meo tamen consilio potest. Debent autem inustiones apertæ teneri, ut materia inde possit expurgari, cujus causa &

 fiunt,

fiunt, imponendo cicerem vel globulum, aut pilulam ceream, superponendo folium hæderæ vel cepam tritam cum melle & butyro. Administrari debent non infra decimum quintum annum ætatis, vere & autumno maximè, aliisq; temporibus temperatis, in corpore robusto, benè præevacuato, manè, facta prius expurgatione excrementorum, in loco convenienti, ſicut in particularium membrorum doloribus explicabitur. Utilitas ipſorũ eſt præſervare ab incurſu accidentium ſubſequentium dolores articulorũ, ut dislocatione, notatione; confortant præterea ſuo calore membra, & calor in ipſis jam confortatus materiam jam fluxam ſubtiliat, poros aperit & promptè reſolvit, maximè cauſa exiſtente frigida, in calida verò & multa nocent, extrahunt etiam materiam de profundo, viamq; præbent, per quam poſtea expurgetur: tuentur præterea loca circumvicina à multis accidentibus malis, divertuntq; fluxum materierum, hæc de actuali cauterio. Potentialibus per experientiam & probabiles rationes non tantum tribuo, uſus tamen eorum frequens eſt in excordibus & pavidis, unde & materias ipſorum tradam, quò Medicus ex omni parte ſit paratus, poſſunt igitur tutiſſimè per corium & circumpoſitionem defenſivi (ut in actuali dictum eſt) fieri, majoriq; hæc indigent diligentia, cum diu urant, & operationem tardè perficiant, ob dolorem etiam & calórem undequaq; materias ad ſe trahunt, neq; latius, quàm ſit intentio medici, proſerpant. Fiant itaq; ſphærulæ ſeu maſſæ ex ſequentibus, inq; excavatam corii partem ponantur, ut cantharidibus, allio, flammula, pede corvino, lacte ficuum, calce cum ſapone & lacte ficuum, item cantharidibus cum fermento & pauco aceto commixtis; vel ex hoc, quod eſt fortius: ℞. Naſturt. pyrethr. corticum, radicum capparorum an. in pulverem redacta miſceantur cum lixivio cineris ficus, formenturq; ſphærulæ, & ligentur ſupra locũ, ibiq; perſiſtant, donec comburant, vel locus nigreſcat, aut ampullæ ſeu veſicæ eleventur, quibus apertis locus aqua calida obruatur. Aliud fortius & expertum: ℞. calcis vivæ & cantharidum an. trita in pulverem cum ſapone Gallico in formam unguenti redigantur, & ſuperponantur, loco prius per fricationem cum aceto acerrimo calefacto. Sunt & alia plura quæ in debita quantitate & tempore adhibita,

idem

idem præſtant, de quibꝰ in locabilibus particularium membrorum medicamentis. Debent tamen ſimiliter, ut in actualibus dictum eſt,& potentiales corroſiones ſeu cauteria aperta ſervari. *Hæc ille.* Percuravit, *inquit parte 4. Diſp. Parac. Eraſtus*, plurimos hiſce annis elapſis Chirurgus feliciſſimus D. Andreas Peruſinus Romanus. Impreſſit autem ægris cauteria ſub genibus & humeris quatuor: catapotia leviter purgantia dedit ex brevibus intervallis per anni ſpatium utenda. Verùm idem *autor conſil: 20. ad podagram:* Solo diureticorum uſu qui convaluerit, neminem novi. Eadem propemodum ratio eſt cauteriorum. Etenim multos eis uſos ſcio, ſed absq; purgantium crebra uſurpatione parùm adjutos obſervavi, tametſi contuliſſe inficiari non poſſum. *Hæc hic.* Atq; *Peter Poterius*, *Helmontius*, *Franciſcus Oſvvaldus Grembs* & alii *cauteria* tanti non faciunt.

Veſicatoria articulis dolentibus admoveri, par non eſt. *Fonticuli* autem, finitâ *Arthritide*, plurimum aliquando afferunt utilitatis. Ita ſentio, ita judico.

De *Diætâ* l. 5. de Cat. ſatis dixiſſe poſſumꝰ videri, eo volumine cibaria hominum ſalubria & inſalubria curioſiùs dijudicantur. Quod laboris genus mortalibus non poteſt eſſe non acceptum. Iis naturaliter inſitus eſt amor vitæ. Hujus cura igitur ſemper æqua eſt ac juſta. Jam verò alimentis maximè vel ſervatur valetudo vel infirmatur. Romanus ſapiens, *Seneca* graviter in inconſultam illam fortitudinem perorat, quâ nonnulli novos, periculoſoſq; ac pernitioſos cibos ludibundi ingerebant. Non enim niſi remotorum literum piſces petebant, niſi volucres peregrini aeris, niſi ignotæ terræ animalium viſcera, niſi deniq; alieni temporis fructus. Nullus miles in ullo prælio tàm prodigus vitæ eſſe poteſt, quàm hic, qui menſæ accumbit epulans. Prudentis eſt, nunquam niſi fato urgente ac neceſſitate periculum adire. Sat inſidiarum & uſitati cibi interdum ſtruunt. Horum varietas & abundantia quàm non dubiè nocet? Pudenda cupiditas aut vitium hominum! Beſtia præſentit odorando nocentia, nimiam horret ſatietatem. Non bruto, ſed homini, rationis pleno animali maximè neceſſaria eſt ſcientia vitandorum

dorum ciborum ac forma ſalutaris vitæ. Quid ergò prodeſt illa intelligentia, quâ reliquæ deficiuntur animantes? Nonne iſta libido prævalet? Illiusne & luxuriæ ſupplicia erunt hi ipſi morbi, *Arthritis, Podagra & Iſchias?* Hoc tàm varium corporis malum quibuſdam occulto ac innato Vitio Facultatis illius altricis contingit. Quare homines omni ætate, maximè tamen ſæculo luxurioſo invaſit. Nunquam planè novum fuit, ſed aliquando *rarius*. Unde & hoc verbo utitur C. *Plinius l. 26. c. 10. Podagræ morbus* rarior *ſolebat eſſe, non modò patrum, avorumq́; memoriâ, verùm etiam noſtrâ, peregrinus & ipſe. Nam ſi Italiæ fuiſſet, Latinum nomen inveniſſet. Inſanabilis non eſt credendus: quippe quoniam & ſponte deſiit, & in pluribus cura.* Spontè, hoc eſt, mutato victu, ac in pluribus, non lege vitæ, hoc eſt, *Diætâ* tantùm, ſed & medicamentis curabatur.

LIBELLUS
De
ISCHIAGRA.

DE *Arthritide* ita dictum est, ut multa ad *Podagram* pertineant. Nunc igitur de *Ischiagrâ* privatim agatur. ἰσχιάς, inquit l. 4. Orig. Isidorus, *vocata à parte corporis, quam vexat. Nam vertibulorum ossa, quorum summitas iliorum initio terminatur, Græci ἰσχία vocant.* Ac ἰσχιαδικὸν νόσημα Græcè, Barbarè *Scia*, ut à *Gariponto*, & à multis *Sciatica* passio, dolor *Anchæ* ab *Arabum* interpretibus maximè, ac Latinè *Coxendicis* dolor, ut à *Suetonio* appellatur. Ejusmodi ægros *Gellius* vocat *Ischiacos*.

Ischiagra est *Arthritis*, quâ quædam partes ad commissuram *Ischii* spectantes, intus inflammantur, ut *dolor* inde ingens creetur, utq; subsequatur *claudicatio*, interdum *tumor ruborq;* & alia Symptomata. Non *influxio* aut *defluxus* est *genus*, quo naturam *Ischiagræ* complecti possimus, quemadmodum eam in partem probè *Iohannes Thomas Minadous* c. 3. de *Arthritide* disserit. *Arthritis* est *genus*. *Arthritidem* verò *inflammationem* esse, suprà ostensum est. *Ischion* itaq; (hinc *Germani* appellant die Hüfft Gicht/ & das Hüfft-Zipperlein) facit, ut loquuntur Medici, *differentiam specificam*. Non verò illius commissuræ cavum humore intus impletur, quemadmodum *Ludovicus Mercatus & Epiphanius Ferdinandus* censent. Nec hoc os ipsum dolet. Ac rarò deprehenditur *tumor*, rarò etiam *rubor* illius cutis, claudicante tamen ægro. Peritè igitur & scitè *Serenus*:

> Sæpiùs *occultus* victa coxendice morbus
> Perfurit & gressus diro languore moratur.

Sunt multæ partes ad illã articuli *juncturã* spectantes, quæ inflammari queunt. *Articuli verbum* commodè exponit *Ioh. Thomas Minadous*.

dous. Nos minimè aſſentimur *Guainerio*, *Mercuriali*, *Mercato* & aliis, quibus placet, *eſſentiam omnibus articularibus doloribus communem eſſe ſitam in ratione doloris, ut maximi Symptomatis*. Ac in exemplis quoq; eſt, *Iſchiacos ſpaſmo* appetitos fuiſſe. *Ætius* hoc quoq; *tetrab.3.ſerm.4.c.1.* ſcriptum reliquit: *Et tunc maximè totum crus à coxendicibus usque ad calcaneum dolorem perfert, & non ſolùm ſi ipſum crus moveatur, convulſiones infert, verùm ſi etiam aliqua alia corporis pars agitetur*. Prætereà autores ipſi, ut *Mercurialis*, hanc ajunt *triſtem ſenſationem*, ita loquuntur, *à morbo intemperiei, malæ conformationis & ſolutæ unitatis dependere*.

Iſchiagra non naſcitur dē *intemperie ſimplici ſine materia* & de *flatibus*, uti quidem opinantur *Avicenna*, *Guainerius*, *Mercatus*, *Vidus Vidius*, *Euſtachius Rhudius*, *Paræus*. Hinc *Sigiſmundus Kolreuterus* quoq; Præceptorem ſuum ferè eodem, quo *Paræus*, modo ſcribit cap.22. morbum *Iſchiadicum* contraxiſſe. Verè *Ætius* tetrab.3.ſerm.4.c.1. pronuntiat, *communem Iſchiadis cauſam exiſtere validam alicujus humoris ubertatem, quæ affectum articulorum nexum occupat*. Ac qui humor non ſero dilui poteſt, cui & portio terreſtris, quam *Tartarum* vocas, aliquando admixta fuit?

Nonnunquam ejuſmodi *ſerum* mirificè redundat. Facultas etiam mali humoris expultrix eò proclivis vel naturâ eſt, vel fit ætatis progresſione. Hoc eſt, quod ſenes reddantur *Iſchiaci*. Et reliquæ cauſæ ſunt attendendæ, ut *aer frigidior & tempeſtas*, exempla ſuggerentibus multis autoribus; ut *Roderico à Fonſeca* tom.1.conſult.71. *Foreſto* l.29. obſ.18. *Felice Platero* l.2. obſ. *Epiphanio Ferdinando* hiſt.94. *Paræo & Kolreutero*; ut *Vinum*, teſte *Gabelchovero* cent.4. curat.33. item *Trincavello*, ac *Solenandro*; ut *motus laborioſus*, ut *equitatio*, *Hippocrate* ob id *Scythas l.de loc.aer.& aq.* ex junioribus *Liberato de Liberatis* l.2. virum quendam ingenuum commemorante, afferente & *conſ.42.* ſimile exemplum *Capivaccio*; ut *caſus*, atteſtante l.29. obſ. 20. P.*Foreſto*; ut *Venus* interprete *Mercuriali*, ac conſ.233. *Ioh. Bapt.* Montano; ut *excretiones Menſtruæ* inhibitæ, autore *Hippocrate* l.7.Epid.aut *hæmorrhoidales*, ut: vocant; ut *Vomitus ſuppreſſus*, prodente *hiſt.94. Epiphanio Ferdinando*; ut *ſudor repulſus* aut *urina* retenta, ſcribente *Guainerio*; ut *ulcerum ſic-*

catio

catio, facientibus fidem eodem *Guainerio*, *Foreſto* l.29. obſ.18. *Forſecâ* tom.2.cõſil.67. *Epiphanio Ferdinando*; ut *lotiones pedum*, tradente *Guainerio* c.20. item *Riverio* cent.1.obſ.4.

Terminum à quo, ut vocant, ajunt eſſe *Caput & Cerebrum*, ut *Ioh. Michael Savonarola. Cerebrum*, inquiens, *mittit ad Ancham humores*. Ut *Franciſcus de Pedemontio* pilulas collaudans *ad dolorem anchæ & Iſchiadicum rheumatizante materiâ à capite*, ut quoq; *Guainerius*, *Fernelius*, *Steeghius*, *Mercatus*, *B. Bauderonius*, *Platerus*, *Rudius*. *Capivaccius conſil. 42.* ait Iſchiada à *caſu ortam fuiſſe humoribus de capite deſtillantibus*. Atq; *Rodericus à Fonſeca l.1. conſult. 97.* *hiſce verbis* utitur: partes affectæ ſunt capita muſculorum, articuli coxæ, nec non etiam tendines muſculorum illius, & fortaſſe etiam nervi. Afficiuntur partes iſtæ partim per conſenſum à Cerebro transmittendo humores, partim per eſſentiam ob morbi diuturnitatem. Afficitur quoq; caput malè temperatum nimis humidum, quod ab excrementis per os & nares ſæpè excretis colligitur. *Paulò poſt*: tranſmittitur quoq; à capite, qui malè affectus humor ad coxas, ſolet eſſe occaſio ferè omnis podagræ & arthritidis. Iſte ergò humor impactus in articulis coxæ & circa tendines muſculorum fovetur ſemper à fluxione capitis, unde tàm diu duravit. *Hæc hic.* Tandem *Michael Volckmannus in chymico-Medico ſyſtemate nondum vulgato c.31.* materia efficiens arthritidis interdum colligitur in capite ſecundum intimam & extimam partem. Plerunq; pituita, quæ facit dolorem Iſchiadicum à capite defluit per ſpinalem medullam, à ſpinali medulla ad os ſacrum, ab oſſe ſacro ad ipſam coxam. Bilis ſemper mittitur ab hepate, ſanguis mittitur à toto. *Hactenus ille Medico-chymicus.* Nos verò *eum terminum* non privatum aliquod membrum, ſed ipſam *maſſam ſanguineam* eſſe arbitramur.

Terminum ad quem, ut nominant, edocent Medici eſſe illam *Iſchii* commiſſuram, ac *vias per quas*, ut loquuntur, eſſe contendunt vel *partes ſubcutaneas à capite uſque ad hanc Iſchii juncturam*, ut *Fernelius* & hujus aſſeclæ, vel *extremam ſpinalis medullæ ſuperficiem*, ut *Euſtachius Rudius*, vel *nervorum & tendinum* tunicas, ut *Mercatus & Platerus*. Nos eas *arterias*, quæ ad *artus* perveniunt,

cenſemus humores invehere. Hi in eo ipſo etiam ſpatio, quod faciunt *Muſculi*, ſibi invicem accumbentes, ſæpiùs inventi fuerunt.

Differentiæ ſunt attendendæ. Nonnunquam *Iſchias* quaſi ex priore morbo efflorеſcit, ut ex *colico dolore* & vitio *inteſtini*, ſicut tale quid *Hippocrates 6.Epid.ſect. 4.* ſcriptum reliquit; ut ex *Lue Venereâ*, teſtibus l. 29. obſ. 18. *Foreſto, Schenckio, Ioh.Bapt.Montano* conſ. 230. *Horatio Guarguanto*; ut deniq; ex *febribus quotidianis*, edocente tract.2.c.39. *Briccio Bauderonio*, ac ex *quartanâ*, obſervante l. 2. obſ. *Platero. Fonſeca* quemadmodum *tom.conſult.67.acutæ*, ita *Schröterus l. Conſil. Wittichii 45. malignæ continuæ febri* affirmat *Iſchiagram* ſuperveniſſe, ut ea quaſi *critica* eſſe videretur. Nonnunquam dolor quoq; haud perferendus eſt, *Schenckio & Epiphanio Ferdinando* l.3.obſ.55. annotantibus. Ægri enim ſibi necem acceerſerunt, ſicuti ego quendam curavi, qui extremo vitæ ſpiritu tandem confeſſus ſpontè eſt, ſe de vi inferendâ cogitâſſe. Admodùm *diuturnas Iſchiagras* exequuntur *Johannes Schenckius* l.3. obſ.55. *Guainerius* c. 20. *Mich. Paſchalius*, ex parte *Peter Poterius* cent. 2. cur.10. item 39. *Alexander Benedictus & Guarguantus.* Atq; huic morbo alium aliquando jungi experimentis cognovére autores, ut ſæpiùs ſtuporem *Riverius cent. 2. obſ. 72.* Aſthma *Victorius Faventinus* conſ.37.& *J.C.Claudinus conſult.*37. febrem continuam *Mercurialis* tom.3. & *Johan.Bapt.Montanus* conſ.230. lentam *Cæſ.Moccha* conſ. 66. & 84. ac rurſus *Mercurialis*; luem Veneream *Guarguantus*, *Guarinonius* conſ.468.& 545. Icteritiam, malum hypochondriacum *Venuſtus* part.1.conſ.95. femoris luxationem, tabem & claudicationem miſerandam *Alexander Benedictus* l.28. c. 20. *Peter Poterius* cent.2. cur.39. ac 85. *F.Platerus l.1. obſ. 1. & Gabelchoverus*; eroſionem & cariem oſſis *Benivenius* l.abdit.c.79.& *Iohannes Langius* l.1. Epiſt.42. Hiſce, quos nominatim appellat dictus *Langius*, Excellentiſſimum, Conſultiſſimumq; virum Dn. *Chriſtianum Taubmannum* J. U. Prof. celeberr. Collegam meum annumero. Adeò patente ulcere, non muſculorum modò carnem & tendines, ſed etiam oſſa partim conſumta, & putrefacta, partim carioſa adinveni.

Nunc

Nunc alia denique *Ischiagra* est vel *magis humoralis* vel *magis sabulosa*, quâ lapidosa corpuscula increscunt. *Suppurationem* aliquando fieri, memoriæ *lib.5. Epid.* tradidit *Hippocrates*. Ipsius verò duratæ & calculosæ materiæ meminit *Galenus 10. de comp. Med. sec. loc. cap. 2.* secus quidem interpretante *Mercuriali* lib. 4. Pract. Med. cap. 2. aut potius repugnante. Ille quidem niti potest autoritate *Rhasis*. Hic enim *lib.1. de affect. junct. cap. 18. de cura doloris anchæ, multoties,* inquit, *relaxantur ligamenta istius juncturæ propter humiditatem, in tantum, ut vertebrum resiliat ab Ischiâ, & hoc est majus multum, quod potest accidere in hac ægritudine. Lapideitas verò non contingit unquam, quia nec ego vidi, nec aliquem magistrorum vidisse audivi.* Huic autori uti assentiuntur *Capivaccius* consil. 42. & *Mercurialis*, ita obsistunt experimenta, cum ipsi *lapilli figurâ seminis rapi*, teste *Schenckio l.3. observ.55.* incisâ *venâ tali* externâ, cum sanguine serventissimo ubertim emissi fuerint. Ac *Mercurialem* refellit *Altimarius*. Ad extremum quoque assentit *Rodericus â Fonseca lib.1. cons.97*, in dubitationem, *inquiens*, venit, an in articulis læsis adsint tophi, quod accidere solet, ubi antiqui sunt. Ad hoc respondeo, quod in doloribus coxæ & sciatica non solent fieri tophi, quod contingit in aliis articulis sæpè, quia locus frigidus est & multâ humiditate scatet; tamen humor fit viscosus magis & crassior processu temporis. Nec negari potest, aliquando fieri tophum etiam in coxa, sed id in casu nostro non est credendum.

Diagnostica signa timendæ *Ischiagræ in coac. præn.* persequitur *Hippocr.*, hinc *Aretæus*. Falsus est *Th. Paracelsus*, qui tradit *urinæ sedimen totum fundum occupans, neque id album neque rubrum esse sciaticæ signum.* Gravedo lumborum, torpor, dolor totum crus & imum quoque pedem tentans, sunt testimonia hujus mali, item *urina* repressa, de quâ ipsi, ut observavi, queruntur ægri. *Multis*, inquit Ætius tetrab. 3. serm. 4. cap. 1, *circa inguina dolor figitur, & tunc sanè vesica ipsa molestiam transsumens, & urinæ difficultatem inducit.* Mox dolor supernè magis insidet, magisque affligit. Plerunque tumor abest, humore tamen inter musculos aliquando fluente. Hinc à *Sereno* morbus *occultus* cognominatur peritè.

Nunc multa Medicis quoque prænoscenda sunt. *Prognostica prævisio ægritudinum*, inquit Isidorus, *à prænoscendo vocata. Oportet enim medicum & præterita agnoscere & præsentia scire & futura prævidere.* Quæ verò ad hæc morbi pertinent *Prognostica*, sunt hæc: *Ischiagra* est *Arthritidis species* omnium gravissima, imò periculosissima, ac curatu difficillima, ut docet *Avicenna*, hinc *Guainerius*. *C. Celsus*, *coxendicum*, inquit lib. 4. cap. 22. *ingens dolor esse consuevit, isque hominem sæpè debilitat & quosdam non dimittit.* Nunc ea superveniunt Symptomata, *vigiliæ, febris, sitis, fastidium cibi, moeror animi, desperatio, suppressio urinæ, luxatio ossis, pedis*, & tandem totius corporis *tabes*. Si hæc sunt leviora, aliquid speculæ superest, ætate adhuc integrâ. Ita & *Hippocrates 2. Prorrh.* judicat. *Hæreditaria* & superiori morbo jam juncta, plus periculi affert, viribus penitùs attritis. Nunc *Rhases lib. 1. Division.* cap. 103. ita: *si accidit in sinistra parte, dolor ille anchæ est vehementior quàm in dextrâ.* Idque assensione firmat *Guainerius* cap. 20. item *Capivaccius consil. 42.* at contra lib. 1. disputat *Liberatus de Liberatis* & jure. Finitur malum vel moto pure, ut ipse *Hippocrates* lib. 5. Epid. & juniores, *Forestus* lib. 29. obs. 22. *Duretus* com. in Holler. cap. 63, & *Montuus* t. 4. Anasc. c. 54. compererunt, vel sudore & *insensili*, ut vocant, *transpiratione*. Idque ego multis exemplis testatius facere queo. *Gabelchoverus* cent. 1. cur. 69. in annot. 1. causas, cur *Mulieres non sint Ischiacæ*, quinque affert, quarum duæ tantùm valere videntur. Nunc illud aspergit *Firmicus lib. 3. cap. 6.* Saturnus & Mars caput malitiosis humoribus onerant, & ex humorum stativa perseverantia, qui circa caput collecti fuerint, faciunt caducos, claudos &c. *Ac lib. 4. cap. 1.* Si Luna sic fuerit collocata, ut ad nullum feratur Sydus, hi impugnabuntur quoque malignis humoribus, & assiduo vulnerum tumore fatigabuntur, sed illis intra cutem, malignus semper humor articulis obligatis. *Item lib. 8, cap. 24.* Decima quinta pars virginis elegantes viros facit, sed habebunt in femore vitium, ita, ut eos, vitiosis humoribus concretus sanguis, frequenter inquietet. *Itemque* l. d. cap. 29. vicesima septima pars Aquarii si horoscopo fuerit inventa, podagricos faciet, qui pedum tumore confecti, semper doleant.

Ex

Ex medicamentis, & quidem ex purgantibus maximè *Vomitoria* laudantur, uti à *Galeno* ipſo, à *Rabe Moyſe*, & à plerisq; omnibus recentioribus, quorum multos ſuprà laudavi. Quibus & *Jacobus Pons* eſt annumerandus. Excipiantur tamen ii, qui ad *vomitum* proclives non ſunt. *Ut qui*, inquit Guainerius cap. 28, *ſtomachum debilem habent, collum longum ac gracile cum epiglottide foràs eminente, pectus ſtrictum carne nudatum, ventrem tenuem & macrum, qui ſimiliter malè anhelant ac nimium pingues ſunt.* Sic ferè & *Joh. Peter Arlunus.*

Clyſteribus proficitur, quibus & aliquantò valentioribus uſi ſunt veteres. Leniores prædicant *Gulielmus de Saliceto*, *Johannes Schröterus* in conſil. Wittich. *Joh. Bapt. Montanus.* Ego, *inquit cap. de Coxend. dol. cap. 82. Gul. Rondeletius*, uno clyſtere curavi dolorem coxendicum brevisſimo tempore, qui ſic habet:

R. rad. malv. & biſmal.
Cardami vel naſturtii vel eryſimi ana Mij.
ſem. lini
fænugr. a. ℥j.
ſem. ſeſeli.
rutæ agr. a. ℥ß.
fl. chaman.
centaur. min.
ſtach.
aneth. a. pj.
agarici
aſari a. ℥ß.
F. decoctio ad ℔ij, diſſ.
terebint. abiet. ℥j.
ol. rutac.
aneth. a. ℥iij.
vin. malv. ℥ij.
M. F. Clyſter.

Teſtis quoque erit *Johannes Rhodius cent. 3. Obſ. 79: ſolis clyſteribus ad ſummum intra dies quatuordecim ſublatum coxæ dolorem ſuâ manu teſtatus eſt eruditisſimus Vratislaviæ medicus Daniel* Rintfleiſch

ad

Ad oram Hipp. V. Epidem. Cæterùm *in dolore Ischiadico*, inquit Guainerius, *clysteri acri leniens præmittatur.*

Purgantia alvum sine incommodo ducentia conveniunt. *Valentiora* magis prodesse dicuntur. At aliud *Cælio Aureliano* l. 5. c. 1. videtur. Nunc dispicit *l. 7. Animadv. 177. Lud. Septalius.* Verùm si quoque, ut ille, de eo purgantium genere loquimur, illud vel *copiâ materiæ, vel robore naturæ expellentis, vel laxitate ac imbecillitate articuli*, hisce verbis is utitur, minus convenire videtur. *Fluente adhuc materiâ*, inquit Rondeletius pharmac. offic. pag. 1170. *pharmaca vehementiora non sunt præbenda.* Sic ferè & *Petrus Toletanus* sentit. Nec dato medicamento purgante vel *ischion* est elevandum, ut vult *Tilemannus*, Solenandrum & alios secutus. *Purgantia*, inquit hic, *electivè non propinanda initiô, nisi pedibus elevatis atque fasciatis.* Addit & hoc *Eustachius Rudius*: *si malum à siccitate, purgantia validiora vitentur.* Attamen *Cassia* & *manna* à *Trincavello* & ab *Hofmanno* reprobantur, ceu nimis humida, ut inde & ligamenta lædantur. Res tanti non est. Illæ pilulæ autem ex *aloe* & ex similibus confectæ vix conveniunt, si vesperi dantur. Qua de re *Robertus Faruacius* privatum librum condidit, quo & illud proverbium temeratur;

Si vivere vis annos Noe,
Utere Pilulis de Aloe.

Similes pilulæ ex *rhabarbaro*, item ex rad. *mechoacannæ* componuntur, cùm *Marcellus Donatus lib. de Mechoacanna* scribat, *pulverem Rhabarbari & radicis à longinquioribus partibus educere.* Verùm is ad *rhabarbari* & ad *mechoacannæ decoctum* respiciens, iis verbis utitur. De *Hermodactylis* suprà dictum. De iis etiam *Aloisius Mundella* dubiè scribit. Quanquam *Valescus de Taranta* eos *secundum partem* (ita loquitur) *concretos laudat potius.* Atque *Satyrionis* quoque infrà meminit *Michael Volckmannus.*

Sanguinis missio est plerunque necessaria, quanquam *Johann. P. Arculanus* ita: *podagræ frigidæ vel ex bile pituitæ commixtæ sanguinis missio non convenit.* Hanc verò *Ætius* l. tetrab. Serm. 4. cap. 1. fert sententiam: à multitudine sanguinis coxendicum dolorem obortum venæ sectio curat, si primùm cubiti venam secemus: deinde etiam eam, quæ juxta talos aut poplitem. In principio enim o-

mnium

mnium inflammátionum divulſoriam venæ ſectionem facere oportet, veluti ſi pes ſit inflammatus, è vena è directo loci affecti ſitâ, ſanguinem extrahemus. In affectionibus verò jam inveteratis, maximè quidem ex ipſis locis affectis extrahemus, aut ſi id fieri non poſſit ex vicinis. *Hæc ille.* Hunc ſequitur B. *Bauderonius. Item J. M. de Gradi.* At ſenectutis ratio habeatur. Unde *Mercatus: ſenioribus etiam & morbo inveterato ſanguinis miſſione virtus confeſtim labaſcit, unde mali incrementum. Sola verò purgatio lenis, victusq; parcior ſufficit.* Adjicit & hoc *Matth. de Gradi: in podagrâ à criſi febris acutæ non eſt divertendum ſurſum ad partes principes.* Sic nec in *Iſchiagra*, quam *febris maligna* creat. Sectionem venæ *tali* probat *Oribaſius*, hinc *Guainerius.* Inde *Duretus* & *Amatus Luſitanus* quærunt, *vena externa tali* an *interna* ſit incidenda. Vena *poplitis* etiam aperiri ſolita eſt. *Vena brachii*, inquit Kolreuterus, *in principio ejuſdem lateris incidatur, & ad neceſſitatem reiteretur, deinde aperiantur venæ juxta poplitem & talos.* Sed requiritur chirurgus maximè peritus. Ad ſectionem venæ *tali* minus cunctanter deſcendatur. Quanquam inde diſſident medici, ut ex *obſ. 4. lib. 5. Auguſti Thoneri* apparet: *Cùm omnia fruſtranea, tandem meo conſilio, vena ſalvatellæ in pede affecto, juxta minorem digitum aperta, & incantamenti inſtar dolor ſopitus. D. D. Horſtius erat mihi contrarius, opponens non eſſe trahendum ad locum affectum, cui reſpondi, opus eſſe averſione & evacuatione ſanguinis à parte dolente, nec eò trahi, ut ibi conſiſtat, ſed ut effluat, & ita optatus ſucceſſus objecta ſolidè refutavit. Hic caſus mihi ſimilem caſum revocavit in memoriam.* Atque *Johannes Peter Arlunus, utroque*, inquit, *pede affecto, vena utriusq; lateris tundatur ad ſanguinis uncias tres utrinque.* Metuens, *inquit lib. 3. Miſcell. Henricus Smetius*, ne in Iſchiadicum degeneraret malum ſiniſtri lateris, utriusque pedis venam ſecari juſſi, prius quidem in dextro, derivationis gratiâ, mox in ſiniſtro, evacuationis cauſa ad ℥viij. ſanguinis, ſtatim ceſſavit cruciatus ille à coxendice in pedem uſque protenſus. *Hæc ille.* De ſectione venarum *auris* ſuprà ſatis dixiſſe poſſum videri.

Cucurbitulæ, quas *ſacrificatas tanquam vicarias ſanguinis miſſioni ſubſtitui* contendit J. B. *Magat l. de V. S.* non ſunt alienæ, ut *Gal. Ætius, Ægin. C. Celſus. Si*, inquit ille, *Inulæ radix & ſal non finiunt*

dolorem, aut tumor ei accedit, incisâ cute, admovendæ sunt cucurbitulæ. Ipsis igitur partibus dolentibus affiguntur. Quâ ratione *Zacutus Lusitanus* lib.2. Prax. adm. obs. 271. *hirudines* laudat, contra quidem *Zecchius* cons.4. dicit, ast inaniter. *Ponatur*, inquit consil.42. Capivaccius, *super Anchâ ventosa.* Frictionem abdicat *Gulielmus de Saliceto.*

Nunc Medicamenta *Diaphoretica* & *Diuretica*, suasore *C. Celso*, conducunt. Decocta *Ebeni, rad. saponariæ, rubiæ tinct. arundinis, h. betonicæ, verbenæ, urticæ, lign. Juniperini* hîc non prætermittantur. De alterantibus & roborantibus dictum est.

Repellentia damnantur, ut verè judicant plerique, *Joh. Matth. de Gradi, Heurnius, Capivaccius, Trincavellus, Rondeletius, Jacobus Pons*, & ii, quos suprà nominibus appellavi. Ast hoc rationis utitur *Pareda, si ex venis*, inquiens, *ad articulos fluit materia, facta prius revulsione, repellere licet. Sic enim humor iste in venis concoquitur.* Ego autem contenderim, humorem in venis non concoqui, sed magis, magisque corrumpi, ac totam inde massam sanguinis inquinari posse. Tale quid igitur optare potius licet, quàm sperare, maximè, si *febris acuta* & *maligna* præcesserit. *Anodyna* sæpè sunt *inefficacia*, inutilia quoq; *Narcotica*, quanquam secus sentit *Arlunus lib. de Podagra*, item *Jacobus Pons.* Jure *Epiphanius Ferdinandus, ego*, histor.94. inquit, *longo rerum usu edoctus, exigua admovere soleo topica, super affectam partem, & hæc mea praxis est Hippocratis, qui non fuit multùm sollicitus de topicis in coxendicum dolore, ut videre est in suis monumentis, nam potius irritant & augent dolorem.* Ac *Rondeletius, in accessione*, inquit, *ab omni medicamento abstinendum; sobrietas & quies sufficit.* Atque nunc quoque idem *Rondeletius*, & *Tilemannus* ajunt, *spissa & emplastica perspirationem cohibendo augere dolorem.* Eaque magis valida, magis reprobant *Fernelius* cons.13. & *Mercatus.* Emplastrum *diachylon* scio aliquando, accedente Ischiagrâ, haud inutiliter adhibitum fuisse. Vulgantur quoque Unguentum mitigativum *Pauli Æginetii, Ætii* unguentum ex *Hedera*, Malagmata, *Acapon & Aquila*, ac hodie *ungv. dialthææ, Martiaton, Aregonis*, unguentum *Anodynum Augustan.* & *Gabelchoveri*, varia *Cataplasmata.* *Steeghius* utitur *Cerevisiâ Gedanâ* butyro mixtâ & coctâ, item

Joh.

Joh.Peter Lotichius. Empl.*Joh.Vigonis, Oxycroceum, Ceroneum, Diachylum gummatum* etiam adhibentur. Ego operam maximè do, ut mali vis sub initio frangatur.

Urtica spectat ad *attrahentia* & *resolventia*, ut & *fel bovinum*, item radix *sigilli B. Mariæ.* De qua dictum. Radix *Henulæ*, afferente *Guarinonio*, prodest, & autore *C.Celso. Inulæ quoque radix*, inquit lib.4. cap. 22. ille, *contusa, & ex vino austero posteà cocta, & latè super coxam imposita, inter valentissima remedia est. Si ista non solverunt, sale calido & humido utendum est.* Chymica Galenicis miscet *Michael Volckmannus Phil. & Med. D. in Systemate suo Medico-chimico nondum edito*: externè aqua antipodagrica Rulandi. In exulcerationibus à salsis & acribus humoribus valet oleum ossium humanorum cum oleo ceræ mixtum. Item Saccharum Saturni in oleo lini. Spiritus sulphuris in aqua Sideritis. Spiritus cremoris Tartari. Nodi quoque resolvuntur in aquâ Doct. Hartmanni nobis in secretis communicata. Internè prosunt Spiritus salis purgans, Spiritus terebinthinæ purgans. Spiritus Satyrionis purgans, Spiritus cremoris Tartari purgans. Spiritus salis vivi purgans, spiritus pimpinellæ, centaurii minoris & hellebori conjunctim purgans. Potus sit vinum defæcatum cùm spiritu salis. *Hactenus* ille *Volckmannus.* Verùm quid de *ossibus humanis*, de *radicibus Satyrionis* & de reliquis itidem sentiendum sit, supra fuit expositum. *Johannes Tilemannus* hoc adjicit: ℞. aquæ arthriticæ, spir. salis Armoniaci a. ℥ß. camphoræ gr. v Illine cum plumis. Memorat & *aquam Anhaltinam.* Sunt, qui in cibis *allium* esitant. Specificum, *inquit Johan. Tilemannus*, antipodagricum est in allio. Unde Judæi rarò illa laborant.

Adversus hoc morbi genus etiam propriè valet Arundinum remedium, quod memorat *Suetonius* hisce: *Octavius* Augustus *Cæsar coxendice & femore & crure sinistro, non perinde valebat, ut sæpè etiam inde claudicaret, sed* remedio arenarum & arundinum *confirmabatur. Lævinus Torrentius*, qui in hunc autorem, *Suetonium* composuit valdè eruditum commentarium, illius rei ignorantiam non occultè ferens, *Medicos* super eâ re, consuli statuit oportere. Atque *Isaac* Casaubonus tàm variæ, quam altæ eruditionis vir, & *Medicos* ait frustrà inclamatum iri, re tàm dubia. Verba hominis

mecum recognoſcite. *Remedium arundinum quid appellet hoc loco Suetonius, ne Medicos quidem viros eruditione præſtantiſſimos, ſatis exploratum habere ſcimus. Equidem non aliud remedium fuiſſe ſuſpicor, quàm cujus Cato meminit cap.CLX. & ex Catone Plinius extremo libro XVII.* cui Autori aſſenſum, Dn. *Johannes Schildius* commentario in eundem *Suetonium* condito præbet hiſce: De remedio harundinum fortaſſe verum eſt, quod autumat Caſaubonus, intelligendum eſſe id, de quo Plinius ex Catone ſub finem libri 17. quæ adhibebantur luxatis membris. Puto tamen illud remedium debere intelligi, de quo Plinius. *Salmaſius.* Hactenus *autor* Quemadmodum hic, ita quoq; *Philippus Beroaldus*, nec non & *Antonius Sabellicus*, ut *Suetonii* interpretes reliqui, etiam *Catonem* appellant. Confeſtim igitur adeamus fontem hujus traditionis, ipſum *Catonem*. Luxum, *inquit hic*, ſi quod eſt, hac *cantione* ſanum fiet. Arundinem prende tibi viridem, pedes quatuor longam. Mediam diffinde, & duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare ſic: S.f. motas danata daries, dardaries aſtarari-es, dic una pariter uſq; dum coeant. Ferro inſuper jactatato, ubi coierint & alteram altera attigerit, id manu prende dextra, ſiniſtra præcide. Ad luxum aut ad fracturam alliga, & ſanum fiet, & tamen quotidiè cantato in alio. S.f. vel luxato. Vel hoc modo, haut, haut haut iſta piſta ſiſta, damabo, damauſtra & luxato. Vel hoc modo, haut haut haut iſtagis turſis ardannabon damauſtra. *Nunc accipe* etiam verba laudati *C. Plinii : Quippe cùm averti carmine grandines credant plerique : cujus verba inſerere non equidem seriò auſim, quanquam à Catone prodita, contra luxata membra jungenda harundinum fiſſuræ.* Ipſe autor hæc horret, ut ex junioribus medicis præcipuè *Hieronymus Montuus.* Magos quidem *Cælius Aurelianus* memoriæ tradidit ob longinquitatem gravitatemq; morborum ſæpiùs accitos fuiſſe. Verùm tale quid, nullo modo hîc prodit *Suetonius.* Verba iterum iterumq; intueamur : *claudicabat Oct. Cæſar, ſed remedio harenarum atque arundinum confirmabatur.* Quid ſit remedium *arenarum*, multò feliciùs definit ille, quem dixi, *Caſaubonus*, vel *inquiens*, de fomentis calidis affectæ parti admotis, accipi poteſt. Sunt autem, ait *C. Celſus libro ſecundo*, fomenta calida,

lida, milium, Sal, *harena*, quodlibet eorum calefactum, & in linteum conjectum vel de ambulatione in altâ arenâ. *Hanc interpretationem* amplectuntur eruditiſſimi viri, etiam medici. Poſſumus tamen & de volutatione in arenâ calidâ, vel etiam litorali aut fluviali, accipere. Hujus remedii plurima in libris veterum medicorum, eſt mentio. In multis enim morbis eo utebantur. *Severus Samonicus capite de hydropyſi*:

Nec non & tepidis convolves corpus arenis.

Symmachus contra podagrã ſe uſum eſſe ſcribit: ita enim accipi debẽt hæc illius verba, libri octavi epiſtolâ quadrageſimâ quintâ: Sed valetudo obſtrepit voluntati. Humor enim noxius articulis illapſus, etiã nunc me tenet lectulo, & vix littorali ſiccitate tenuatur. Apud Græcos medicos, *Ætium*, *Æginetam* & alios legas multa περὶ ψαμμισμοῦ καὶ ψαμμοχωσίας. Talem aliquam vim ineſſe *pulveri palæſtrico*, exiſtimavit *Lucanus*; videtur enim alluſiſſe ad hoc genus remedii, cùm de fabuloſo *Antæo* caneret Libro quarto:

Auxilium membris calidas infudit arenas.

Obſervavimus, veteres in exercẽdo corpore etiã, extra morbi neceſſitatẽ, volutâſſe ſe ſuper candẽte *arenâ*, ut corpus ferẽdo calori aſſuefacerẽt: contrà ut ad tolerandum frigus præpararẽt vel in nive ſe verſabãt, vel ſtatuas nive obductas, nudi amplexabantur. Laertius de Diogene Cynico: καὶ θέρους μὲν ἐπὶ ψάμμου ζεστῆς ἐκυλινδεῖτο. χειμῶνος δὲ ἀνδριάντας κεχιονισμένους περιελάμβανε πανταχόθεν ἑαυτὸν συνασκῶν. Suidas de Antiocho Cilice Philoſopho Cynico, qui caſtra Severi Imperatoris aliquando eſt ſecutus: ἐπαλγοῦντας τοὺς στρατιώτας ὑπὸ τοῦ πολλοῦ ῥίγους, ἐπερρώννυεν εἴς τε τὴν χιόνα ῥιπτῶν καὶ ἐν αὐτῇ καλινδούμενος. Hanc ſtultam conſuetudinem reprehendit graviſſimus autor, *Epictetus* apud *Arrianum* libro tertio diſſertationum, capite duodecimo. Τούτου ἕνεκα δεῖ καὶ ἡμᾶς μελετᾶν ἐπὶ χοινίου περιπατεῖν, ἢ φοίνικα ἱστάνειν, ἢν ἀνδριάντας περιλαμβάνειν, οὐδαμῶς. *Hactenus Caſaubonus.* Non diſſimiliter *Philippus Beroaldus: Plinius in trigeſimoprimo libro, arena*, inquit, *in medicina eſt ſiccandis corporibus coopertis hydropicorum aut rheumatiſmos ſentientium. Cornelius Celſus in ſecundo libro ſudorem elici ſcribit aut ſicco calore aut balneo. Siccus calor eſt arenæ calidæ. Refert*

Aulus Gellius,Poetam illustrem aquæ intercutis morbo,liberatum esse, quod arenis Calentibus esset usus. Nec aliud *Lævino Torrentio* videtur.

Rem igitur paucis dabo. In parte majori quidem hîc consentitur. *Arenarum* remedium est *Ægyptia* medicina, sicuti hujus totius artis incunabula eruditiores in Ægypto quærenda ducunt. Hinc illud & proverbio celebratum erat: *omnes Ægyptii Medici.* Aer Ægyptius,mare,& terra mederi dicebantur. Omnia mari curari tradebāt ipsi Sacerdotes,Medicinam professi.Iter in Ægyptum, valetudinis ergò, etiamnum capi,quem fugit? Nec Ægyptia terra, ut *Lemnia,* hac tempestate in auxilia expeti desiit. Arena Ægyptia Solis caloribus & reciprocâ illâ exundatione fluminis, *Nili*, erat virtutis sanè privatæ. Ea nunc humecta,nunc vicissim fervida & siticulosa quemlibet liquorem tantò avidiùs imbibebat. Eodem nomine *Pompejus Magnus*, mersit pedes in triticum.

Cæterùm Balnei genera erant duo, alterum siccum,alterum humidum,illudq; vel ob arenam vel ob aerem. Et hoc est, quod *Annæus Seneca* scriptum reliquit: *Cubiculo inclusus*, *sicco vapore circumfundor.* *Tubis* aer ille, subjectis ignibus fervescens,levatusque in sublime, tandem immittebatur. *Ulpianus* cuniculos, per quos commeabat vapor,ac Balnea ipsa dicit vaporaria. Atq; nuper istiusmodi *Romæ* eruta fuerunt,quæ & *Franciscus Robortelius*,*Franciscus Maria Cessinus*, *I. Lipsius ep. 75. c.3.& com.in* Scrib. *Iohannes Rhodius* Iconibus, verbisq; depingenda curârunt. Non tali, sed illo *arenarum* balneo sicco, *Octavius Cæsar* curabatur.

Arenam ostendimus *vi* exiccandi valere, quæ etiam *arens* & inde bibula appellatur. *Corippus:*

> Et clausi *bibulâ* rivi minuuntur *arenâ.*
> Fontis Niliaci si quisquam aut hauriat undas,
> Et *bibat* aut *bibulis* rivos inducat *arenis.*

Ac hoc est, quod *Dioscorides*, *Galenus*, *Ætius*, *Oribasius*, *Avicenna*, ac *Plinius* eos, quos Arthritis aut aqua intercutem malè habet, in arenâ jacere, eâque nunc volutari, nunc obrui præcipiebant. Utq; *C. Celsus* hydropicorum humorem maximè fotu arenæ siccæ evocari vult, ita *Gariopontus & Æsculapius* illos, qui articulari urgentur morbo, *circa mare* per *arenas* deambulare jubent. Eadem de causâ & *Celium Aurelianum* ego

l.5.de

l.5. de Catarrh.c.8. laudavi. Quin ejusdem medicinæ *Seneca & Arnobius* meminêre. *Humor noxius,* inquit l.8.Epist.46. Symmachus, *articulis illapsus etiam nunc me tenet lectulo, & vix litterali siccitate tenuatur.* Igitur tàm celebre remedium juniores latere non potuit. *Carolus Piso* quidem illam vocat, eo verbo utitur, *obsoletam.* At in eâdem exponendâ multi hodiè sunt, uti *Baccius l. de Thermis & Snebergerus.* *Caput,* inquit Johan.Mich. Savonarola, *defendatur à Solis radiis.* Nam *Aetius* Tetr.1.Serm.3. *ex Antyllo sic:* qui super corio se soli exponunt, magnam utilitatem consequuntur, præsertim hydropici & Ischiadici. Oportet autem magnum esse corium, & oleo perunctum, & super tenuem arenam cribratam extentum, & ubi præcalfactum est corium, tùm demum ægrum super id decumbere, capite cum crudo linteo velato. Idem modus etiam in arena adhibetur, loco assiduè permutato. *Ac Oribasius Collect. l.10.c.8. ferè similiter:* cum arena satis fervens fuerit reddita, in illa fovea convolutus jaceat, caput verò debet contegere, & Solis radios declinare. Sic uramus Ischiadicos & podagricos. *Hæc ille.* Multi recentiorum, fateor, tantùm memorant hanc medicinam, ut *Montuus & Kolreuterus.* Attamen eandem quoq; nonnulli hodiè experiri non dubitârunt. Ab annis aliquot, *inquit l.2. Prax. Admir. c.182. Zacutus*, generosus quidam vir podagrico dolore laboravit, ita ut in pollice pedis dextri ingentes cruciatus ex temporum intervallis pateretur, ob quorum sævitiem lecto decumbens, plures noctes insomnis ducebat. Hic cùm plurima sine utilitate tentaret, ad balneum arenæ accessit cum commodo multo. Nam ardente Sirio pedem sub ferventissimâ maris arenâ dimidiæ horæ spatio cum leniter perfricaret, mense toto, in die semel, à podagrâ convaluit. Si desit arena maritima, utere fluviali, nam utraq; caliditate & siccitate excrementitiam absumit humiditatem, ut priscorum & juniorum doctissimi confirmant. *Hæc ille.* Ac *Peter Borellus* hoc Cent.3. Obs.65. quoq; nunc refert: cui jam tibia à chirurgis amputanda erat ob gangrænam in eâ apparentem post dolorem acerbissimum, ejusq; inflammationem, is facillimo negotio curatus fuit. Accepit autem arenam humidam cujusdam rustici consilio, eaq; tibiam tegit undiq;, sæpeq; renovavit, & sic adeò levatus fuit

æger,

æger, ut cum chirurgi ad extirpationem tibiæ veniſſent, illam curatam reperierint.

Tranſeo nunc ad alium *Suetonii* interpretem, *Theodorum Pulmannum*, qui facit cum *Hieronymo Mercuriali*, cui *l.6. Gymnaſt.* viſum eſt, *deambulationes per arenoſos campos* (ſunt ejus verba) hoc loco ſignificari. Et hoc eſt, quod idem *autor* l.4. Pract. c.2. ſcribat, *eſſe, qui exiſtimant, Cæſarem Auguſtum laborantem Iſchiade fuiſſe curatum arundinis radice contusâ, & loco dolenti appoſitâ, ſed ſum ego alterius ſententiæ.* Quidam & *ſagittarum*, hoc eſt, *arundinum* exercitium ſimul dicunt. Vetus enim interpres *Juvenalis* exercitium *ſagittarum*, quæ dicuntur *arundines* Latinis, conjungit cum arenis, ut hic Suetonius. Sic enim veteres libri legunt: *propera ſtomachum laxare ſagittis, ut exercitatione ſagittarum digeſtioni*, inquit, *& arenis, quibus vectari illum debere dicit, ob cibum futurum.* Sunt, qui & *arundinoſos locos* eodem nomine commemorabunt. Isnè, qui infirmis eſt articulis ac iis ferè captus, veſtigia loco iniquo, lubricoque ac minimè plano de conſilio Medicorum ponet? Quid eſt, ſi hoc non eſt, impellere præcipitem, ac humi fundere nutantem. Ipſe

Avius à verâ longè ratione vagaris,

ut cū *Lucret.* loquar. Nec *arundinoſi* agri mentio uſquā occurrit, evolutis Græcorum, *Hipp. & Gal.* monumentis. *Diocles* quidem & *Eraſiſtratus*, apud *Cælium Aurel.* laborioſam inambulationem ac ipſam quoq; equitationem in remedio fore ponunt. Ac *C. Celſus* l.1.c.2. ita loquitur: commodè exercent clara lectio, arma, pila, curſus, *ambulatio atq; hæc non utique plana commodior eſt.* Quin & *Paulus Ægineta* ac *Aretæus* improbam *cap. de Iſchiade* probant exercitationem corporis: chamædry contuſa, medicamentum ex ſeptem rebus & id genus alia dicuntur. *Et mox*: exercitia faciat per deambulationes & per asſiduos flexus, ſaltus & curſus: γυμνάσια τὲ διὰ τε περιπάτων ἐπιτελείσθω καὶ συνέχως διὰ κάμψεων καὶ ἁσφάλσεων καὶ δρόμων. Inde ex junioribus *Alexander Benedictus* l.28.c.9. *exercitationes proſunt, deambulationes, ſaltationes, curſus & pilæ ludus.* Aſt hoc vix de iis verum erit, qui penitus convaluerunt. *Dimittatur*, inquit Rhaſes, *motus & propriè juncturæ infirmæ.* Ac l.9. de re med. cap. de podagra: *at poſtquam ſanitati reſtituti fuerint,*

rint, mediocre exercitium, præsertim ante cibum illis imperandum est. Sic & *Paulus Ægineta.* Quod præcepti firmat corpus. At qui coxendice & femore & crure non valet, is hoc exercitationis genere neutiquam curari potest. Is quoq; rectâ potius inambulatione utatur & planâ. Quid multa? Ipse *Ægineta*, *Ætius*, *Avicenna*, *Haly*, *Rhases*, *Serapio*, & inde recentiores, ut *Franciscus India*, cujus verba superiùs posita sunt, *Kolreuterus*, *Laur. Joubertus*, *Johan. Baptist. Montanus cons. 257. Liberatus de Liberatis* & alii ejusmodi laboriosam inambulationem in numero causarum *Arthritidis* ponere consueverunt. Ac *Corn. Celsus* quoq; hæc l.4.c.25. præcipit: Cum verò dolor non urget, manu gestari debet, deinde ferri, inambulatione levi se dimovere: & si podagra est, interpositis temporibus exiguis in vícem modò sedere, modò ingredi. *Et paulò post:* ubi dolor & inflammatio se remiserunt, quod intra dies quadraginta fit, nisi vitium hominis accessit, modicis exercitationibus utendum est. Equitare podagricis quoq; alienum est. *Et illud quoque* est, quod *Esculapius* scriptum reliquit: *in dimissione morbi deambulatio convenit.* Ac *Alsaharavius:* cautela verò à dolore coxæ consistit in evitatione coitus, & ambulationis, & frequentis equitationis, præcipuè apud accessum paroxysmi. *Item Haly l.1. Pract.c.16. de regimine sæpè incurrentium juncturarum dolorem:* utatur fricatione & exercitio mediocri ante prandium, cavens ab eis pòst, nec verò fatiget membrum. *Itemque* Rhases *l. 1. Divis.c. 2.* Ex iis, quæ nocent hominibus, habentibus dolorem juncturarum, sunt labor propinquus paroxysmo, calciamenta stricta. *Ac rursus l. 1. c. 23. cura Ischiaticæ eadem est, caveat ab equitatione & ambulatione, & maximè propè tempus accessionis. Et si à repletione sanguinis, non debet ambulare, nec onus magnum ferre, nec erigere à terrâ lapidem.* Tandem sunt, qui quietem imperant, ut *Cælius Aurelianus.* Quare ratio nunc concludatur. Cum *Octavius Augustus Cæsar coxendice & femore & crure sinistro non perinde valeret, ut sæpè etiam inde claudicaret,* incommodâ illâ vel *arenosâ* vel *arundinosâ*, ut ita loquar, inambulatione, ceu quodam remedio confirmari haud potuit.

Hanc meam sententiam suâ quoq; assensione tuebitur *Liberatus de Liberatis*, cujus verba l.5. *de Catarrhis* c. 8. adscripsi. Hic i-

dem verò *Octavium Cæsarem* symphoniaco *arundinum* sono levatum fuisse propè opinatur, *Æliani* autoritate maximè subnixus. Verùm ne longius abeam, ea opinio de *arundine*, ut vocatur, Musicâ, non placebit, *nisi illis*, qui *equitant super arundine longâ*. Quid enim? *Cæs. Octavius*, coxendicis morbo implicitus, claudicabat, sed balneo arenarum sicco confirmabatur, & *cantilenis*. Hæc non cohærent. *Nullus* nec verborum erit nec rerum concentus. Ac ab hac interpretatione & reliqua dissonant omninò. Quanquam me non fugit, *Ischiadicorum* dolorum cruciatus Symphoniaco concentu sopiri solitos fuisse. Quæ ratio curandi non solùm de disciplinâ *Pythagoræ*, sed etiam de Scholâ *Asclepiadis*, teste *Isidoro l.4. Orig.* manavit. Unde Musica ipsa apud *Martianum Capellam*, & corporeis, *inquit*, morbis medicabile crebrius carmen insonui. Nam freneticos Symphoniaco modulatu resanavi. Quod Asclepiades quoq; Medicus imitatus est, seditionibus accensis. Quid afflictationibus corporeis, nonne assiduâ meditatione, succurri? Febrem curabant, vulneraq; veteres cantione. Asclepiades item tubâ surdidissimis medebatur. Ischiadas quis nesciat expelli auleticâ suavitate? Xenocrates, organicis modulis, lymphaticos liberabat. *Taletem Cretensem* Cytharæ svavitate, compertum est, morbos ac pestilentiam fugavisse. *Erophilus* ægrorum venas, rythmorum collatione pensabat. *Hæc Capella, Musicam ritu Poetæ in majus laudans.* In eam quoq; sententiam quædam afferunt *Plutarchus, Gellius, Boethius. Achillem*, inquit Symmachus l.3. Ep.74. *vatum maximus refert, ægri animi curas fidibus resolvisse.* E recentioribus sunt, *Muretus, Turnebus, Al. ab Alex. Vossius.* Ex Medicis *Döringius.* Ac *Epiphanius Ferdinandus* Monialem Virginem, *Paulam Majam*, & eam *Ischiadico* malo ferè confectam, curare ingressus, jam autor fuit, ut aut tibicines adhiberentur modulis lenibus, aut illi, qui assâ voce canerent. De illo grege sunt & *Hieronymus Montuus, Cardanus, Mercurialis* & alii, quos nominatim ciere quid attinet? Prætereà ut *Theophrastus & Democritus* olim *viperarum*, ita hodiè *Tarantulæ* morsibus, haud dubiè mederi tibicinem scitè, modulateq; adhibitum tradunt juniores autores, ut *Alexander ab Alexandro, Gaudentius Merula, Johannes Juvenis, Boterus, Rod. à*

Caſtro, *B. Ronſſeus* ac *Gilius*. Eandem verò ſymphoniam & *Iſchiadicis* tàm privatim & tàm efficaciter auxiliari, haud facilè arbitror intelligi poſſe. *Balduinus Ronſſeus* omnium maximè delirare videtur, tàm frivolam, tamq; futilem rationem excogitando. *Cur*, inquit, Epiſt. 5. ille, *coxendicum doloribus potiùs quàm aliis mederi dicat Gellius, non video, niſi concedamus, aut analogiam quandam eſſe tibiis cum oſſe coxendicis, quo fiat, ut vel ex profundo corporis peccantes humores ſono tibiæ eliciantur.* Ain' tu tibias corporis & Symphoniacas occulto quodam conſortio cohærere? Os *Iſchii* non habet ſpeciem tibiæ ſeu arundinis. Nunc nec ipſa oſſa *Iſchii* nec oſſa quoque *tibiarum* hâc morbi diritate affliguntur, ſed muſculi, ligamenta & reliquæ partes, ad illam commiſſuram pertinentes. Mox verò hâc viâ diſpicit; *Muſica mirificè mentes hominum afficit. Idque ſacrarum literarum teſtimonio comprobatur. Ea Saul recreabatur. Quare dicamus, ægros modùlamine adeò oblectari, ut doloris prorſus immemores reddantur, atque in enthuſiaſmum quendam rapiantur.* Amo tamen ſuper eâ re *Sorani Epheſii* judicium, quod apud *Cælium Aurelianum* adhuc extat. Iſchiadicis, *inquit ille*, alii cantilenas adhibendas putant, ut etiam Philiſtionis frater idem memorat *libro vigeſimo ſecundo de adjutoriis*, ſcribens, quendam fiſtulatorem, loca dolentia, decantâſſe, quæ cùm ſaltum ſumerent palpitando, diſcuſſo dolore, miteſcerent. Alii deniq; hoc adjutorii genus Pythagoram memorant inveniſſe: Sed *Sorani* opinione videntur hi, *mentis vanitate jactari*, qui *modulis & cantilenâ, paſſionis robur, excludi poſſe crediderunt.* Ac ad extremum quoq; audiendus eſt *exercit. cont. Card. 348. I. C. Scaliger:* Iſchiæ, inquis, dolor perſæpè muſicâ curatur. Quia transfertur aliò ſpiritus ob delectationem. *Hoc jam diu eſt, cum apud Graculum, unde ſumpſiſti, videbamus. Si ſolis ſpiritibus dolor coxendicis conſtituatur, eorum averſione profectò differatur dolor. Sin materia craſſa eſt, frigida, viſcida, tantùm abeſt, ut curetur, ut deductis aliò ſpiritibus materia etiamnum magis incrudeſcat.* Profectò Symphonia non omnibus iis, qui *Iſchiade* laborant, eſt jucunda, ſed ſæpè, ut experimentis cognovi, faſtidioſa. Quare eâ tàm dubia medicinâ, *Cæſar Octavius* haud curatus videtur.

Nunc alia interpretatio haud prætermittenda eſt : Cæſ. Oct. *Coxendice & femore & crure ſiniſtro, non perinde valebat, ut ſæpè etiam inde claudicaret, ſed remedio harenarum atque arundinum confirmabatur;* Hoc eſt, vacillans pes tùm balneo ſicco *arenarum*, tùm maximè ligamento *arundineo* confirmabatur. Nam attendite, quæ protinus ſubjicit autor: *dextra quoque manus digitum ſalutarem Octav. Cæſ. tàm imbecillum interdum ſentiebat, ut torpentem contractumque frigore vix cornei circuli ſupplemento, ſcripturæ admoveret.* Quemadmodum igitur pes nutans, infirmusq; *arundineo* adminiculo, ſic digitus contractus, *cornei circuli ſupplemento*, ſuſtinebatur. Erat non linteus, ſed corneus, hoc eſt, duriuſculus circulus, ut eo digitus & flecti poſſet & firmari. Ad utrumq; & *arundines* idoneæ ſunt. *Materies arundinum*, inquit C. Plinius, *eſt gratiſſima fabricis, & ſectiles earum laminæ, ad quæcunque liberet, opera quàm aptiſſimæ.* Hæ igitur femori aptatæ, hominem ambulare ſinunt, quippe quæ torqueri faciles, & ſtantis quoq; femur, quod ſuâ ſede excidit tàm facilè, attinent, ſtringuntq;. *Philippus Beroaldus corneum circulum* ait eſſe *digitale, pro adminiculatione digiti imbecillis. Dicuntur enim digitalia, digitorum tegumenta. Varro in primo de re ruſtica: olea manu ſtricta melior ea, quæ digitis nudis laudabilior, quàm illa, quæ digitalibus.* Hoc & *Johanni Schildio* probatur. Sic & *arundinum* remedium ἰατρικὸς ἐπίδεσμος eſſe videbatur. Non eſt in univerſum de omni *fibularum* genere & de *ligneâ fibulâ* privatim dicere, cujus vim exponit quodam modo *Vitruvius*, & inde *Sebaſtianus Serlius*, *Vincentius Scammozzius*, *Johannes Baptiſta Caporalis*, *Johannes Rhodius*. Satis habeo, paucula verba *Catonis* adſcribere: *Vimina matura, ſalices legantur, ut ſiet, unde corbulæ fiant. fibulæ inde fiant, aridæ, ilignea, ulmeæ, nuceæ, ficulneæ.* Ad has accedent *arundineæ.* Sunt utiles, ubi aliquid & flectendum eſt & idem ſimŭl rigidum ſit oportet.

Nimirùm ut *corneus circulus* erat ſupplementum ſcripturæ, ita adminiculum ambulationis videbatur eſſe remedium de *arundinibus* petitum. Morbo articulari enim non pedes duntaxat, ſed & manus affliguntur. Eum vetuſtiores, ut *capite de cauſis Arthrit.* dixi, de *pituitâ* naſci exiſtimabant. Hæc cùm frigidus humor ſit,

à La-

à Latinis autoribus appellatur *frigus*. E quibus & *Suetonius* digitum vocabat *torpentem*, *contractumq́ frigore*, profectò non tempestate frigidâ, cùm hic morbus & summâ æstate aliquandò exerceat mortales, sed *frigidâ* illâ *pituitâ* vitiatum. Eâdem ratione loquuntur Latini illi medici, *Plinius Valerianus*, *Cælius Aurelianus*, *Octavus Horatianus*, *Apulejus libro de Herbis*. *Vegetius* quoq; pedes ait vel flatu vel *frigore* interdum plenos esse, hoc est, humore frigido. Hic *frigidæ pituitæ* liquor non solùm *Octavii Cæsaris* digitum, sed etiam femur vitiaverat sic, ut utriusq; commissura nunc *cornei circuli*, nunc *arundinei ligamenti* adminiculo indigeret.

Rei istius probabilitas est ingens : in varias certè res usui sunt arundines, ipsæ tàm variæ. *Theophrastus* eas quidem facit duplices, alteram enim vocat ἰσχυρὴν, alteram λεπτὴν. *Illius* ex robore, cymbæ, imò domus, quas *Hippocrates l. de aere, loc. & aq.* vocat οἰκήματα ξύλινα καὶ καλάμινα, fiebant. Nascebatur & circa *Gangem* maximè. *Hæc* fragilis est, & ex toto quoq; intus cava, & ob id tibiis canoris faciendis admodùm habilis. Similis, ut meminére *Gesnerus & Tragus*, textoribus est expetita. *Arundo vernacula*, inquit l. Medic. exercit. Gulielmus Rheginus, *fert pappos in summitate ad culcitra valdè utiles componenda* : *atque in eum usum jam traxere Bellicenses Segusiæ.* Arundinibus etiam prisci scribere solebant, ut *Balonius* ostendit. Nam *Ausonius* :

Et permutatâ meditatur arundine carmen.

Ac *Hericus* l. 4.

-- -- -- liquidâ percurrere *cannâ.*

Nunc *Johannes Ruellius* arundinem & *aucupatoriam* cognominat & *piscatoriam*. Nam ex arundinibus *sagittæ* conficiebantur. Ad id *Judæas* maximè aptas nunc prodit *Johannes Eusebius Nierembergius*. Cæterùm rem jam dudum Poetæ aperuerunt, ut *Propertius* 2. eleg. 13.

-- -- *structo figere avem calamo:*

Ac l. 4.

-- -- sed *harundine* sumpta,

Faunus plumoso sum decus aucupio.

Ovid. Metamorph. 5.

Fixa sub aure feri *perstrinxit arundo*
Corpus.

Martialis: arundine fixit acutâ. *Virgilius*: hæret lateri lethalis arundo. Ac ex Medicis *Plinius Valerianus* c. 49. hisce verbis utitur: *allium elixum cum pice arundines extrahit.*

Tandem *Columella* vites quoq; *arundinibus* sustineri scribit & annecti. Tàm varii usus sunt *arundines.* Chirurgi quoq; ad ægrum artum attinendum arborum corticibus utuntur, cur non in similem rem peti possunt *arundines*? Ex iis certè istiusmodi ligamen, quo *Cæsaris* pes claudicans firmatus est, confectum fuisse, perquàm simile est veri. Fidemq; propè facit corneus ille circulus, qui digito imbecillo admovebatur.

Verùm ut ut hæc se habent, oportet quid hæc herba, *Arundo* habeat utilitatis, hoc loco curatius reputare. *Dioscorides*, ὁ δὲ φλοιός, l. 1. c. 79. inquit, ἀλωπεκίας θεραπεύει. Latiali sermone reddit C. *Plinius l. 24. c. 11. Harundo corticis cinere alopecias emendat. Ac Galenus l. 1. de comp. Medic. secund. loc. c. 2.* similiter: Est medicamentum *Orestini* ad alopecias inveteratas, quod constat ex pilis Ursi ustis, adianto usto & *radice arundinis ustâ.* Aliud medicamentum *Orthonis Siculi*, aliud est *Cleopetræ* ad *Alopecias*, *hoc est, ad defluvium Capillorum*, quæ omnia & ex *radicibus* ustis *arundinis* constant. Mox ait eas esse minoris virtutis, ob idq; in valentiora remedia esse addendas. *Verba ipsa interpretis* reddantur. Ante omnia *vos methodi* meminisse oportet circa horum medicamentorum usum, quæ methodus communis in omnibus præsertim fortibus pharmacis existit: quare etiam sæpè ejus mentionem facio, utpote in qua magna omninò vis sita est. Qui enim singulis fortibus pharmacis utitur, in principio quidem ipsa molliora adhibebit, admistione videlicet eorum, quæ vires ipsorum exolvunt, qualia sunt oleum & cera, & ex simplicibus, quæ diximus debilia, velut est thus, & *arundinis cortex*, ac radices *Arundinis* exustæ, & amygdalæ amaræ & quæcunq; illius generis existunt. Ὁ γὰρ ἑκάστῳ τῶν ἰσχυρῶν φαρμάκων χρώμενος, ἐν ἀρχῇ αὐτὰ μαλακώτερον προσφερέτω, μίξει δηλονότι τῶν ἐκλυόντων τὴν δύναμιν, οἷα περ ἐστὶν ἔλαιόν τι καὶ κηρὸς καὶ τῶν ἁπλῶν ὅσα προείπομεν ἀσθενῆ, λιβανωτός

τι

τὸ καὶ καλάμου φλοιὸς καὶ ῥίζαι κεκαυμέναι, καὶ ἀμύγδαλα πικρὰ καὶ ὅσα τοιαῦτα. Eadem herba, *Arundo* etiam vim habet ad *abſtergendum*, ut *Dioſcorides, Galenus, Oribaſius, Avicenna* prædicârunt. Inde recens autor *Peter Bayer* remedium adverſus veſtigia variolarum conficiebat. Verùm hæc parùm aut nihil ad rem. Quapropter reliqua *Dioſcoridis* verba ſunt ſubjungenda: arundinis radix contrita ac tùm per ſe, tùm cum bulbis impoſita, corpore, ſpicula, aculeosq; extrahit. Ex aceto autem, luxata, doloresq; lumborum demulcet. *Quemadmodum & Galeni l.7.de Simplic.Medicam.facult.* Cannæ ſeu Calami phragmitis radicem cum bulbis aculeos & ſtipites ex alto extrahere, quidam ſcripsêre, ceu trahendi quædam vis ei ineſſet. Nos tamen ejus rei periculum non fecimus. Verùm quantum guſtu liceat conjicere, abſtergentem facultatem poſſidet non paucam, minimeq; acrem. Quin etiam folia ipſa abſtergentis ſunt facultatis. Cortex verò ejus combuſtus admodùm tenuium partium & digerentis facultatis efficitur, adjunctum habens abſterſorium quiddam, ut exiccet & excalfaciat tertio quodammodo ordine, plus tamen deſiccet, quàm excalfaciat. *Hæc illo. C. Plinius* adjicit: *arundo medetur & luxatis & ſpinæ doloribus, radix in aceto illita.* Hæc de *arundinis viribus* dicta autores, ut Clariſſ. Virum, D. D. *Reineſium*, cujus verba l.4.de *catarrhis* inſerta fuerunt, *Caſaubonum*, *Salmaſium*, *Liberatum de Liberatis. Hier. Mercurialem*, & tandem eruditum illum *Suetonii* interpretem *Lævinum Torrentium* haud fefellerunt. *De arundine*, inquit hic, *dicendum, quod eundem in medicina uſum præſtat, & Dioſcorides libro primo, capite nonageſimo ſeptimo & Galenus libro ſeptimo, ſimplicium medicamentorum tradiderunt. Quibus adde C. Plinium, vigeſimo quarto, capite undecimo.*

Age, nunc progrediamur ulteriùs. Etſi enim quidam autorum ex veterum, uti *Dioſcoridis, Galeni & Plinii* monumentis intellexerint, de *arundine* remedium *Coxendici* ſalutare peti, admoverique, tamen iidem adhuc *Suetonium* dubiè interpretati fuerunt. Nonne *Caſaubono* cunctæ hujus rei ſcientia pænè deſperanda videbatur? Nunc verò nemo, hiſce retractatis, incertus animi ampliùs eſſe poterit. Hæc herba non unâ virtute adverſus malum *Co-*

xen-

xendicis valet. *Arundinis folia viridia* vi refrigeratoriâ præſtare, *Dioſcorides* quoq; & *Galenus*, teſte *Serapione*, ſcripſerunt. *Virentia folia* (ſunt verba *Saraceni Dioſcoridem* interpretantis) *tuſa & impoſita tùm eryſipelatis, tum aliis inflammationibus medentur.* Unde *Ætius Tetr. 1. Serm. 1.* folia arundinis ſepiariæ ſeu calami phragmitis viridia moderatè perfrigerant. *Ac quoque Oribaſius* l.15. & *Eſculapius.* Item *Avicenna* l.2. Tr.2. *arundinis natura eſt vehementis infrigidationis. Ponuntur folia ejus humida ſuper eryſipelam, & conferunt.* Nunc idem autor *l.3. Fen.22. tract.2. c.19. de Epithematibus in cura calidæ Arthritidis* hâc herbâ utitur : ſcias, *inquiens*, quod quando ipſa ſunt frigida, ſtyptica, ſicut ſandali, tum fortaſſe lædunt, imò oportet, ut ſint teporem facientia & leniant. Et quando læduntur cum infrigidantibus propter tenſionem eorum, adminiſtrentur ea, quæ mollificant, ſicut rob & oleum roſ. & ceratum, & quandoque ponitur ſuper illud pannus imbutus aqua & aceto, & *de his, quæ ſunt experta, eſt ſuccus extremitatum cannæ humidæ, quum enim ex eo linimentum fit, ſedatur dolor ſtatim.* Quare multi recentiorum autorum, ut *Dondus* cognomento *aggregator*, *Arundinem* ſeu *Cannam* inter remedia *Arthritidis* numerant. Inde & *Nicolaus Nicoli* : Avicenna dixit : de expertis eſt ſuccus cannæ humidæ, id eſt, recentis teneræ &c. cum enim ex eo fit linimentum, ſedatur dolor ſtatim. Ac *Johan. Michael Savonarola* : in podagra & fortior eſt ſuccus cannæ humidæ cum ol. roſaceo & modico aceti & lenticulæ ſucco. *Johan. Matthæus de Gradi:* de iis, quæ ſunt experta, eſt ſuccus extremitatum Cannæ, id eſt, novæ & recentis. Cùm enim ex eo linimentum fit, ſedatur dolor (podagræ) ſtatim. Canna & ſi multiplex reperiatur, intelligitur de cannâ, quæ naſcitur in paludibus vel propè aquas, quæ eſt interiùs inanis : cujus radix, ut dixit Serapio, pontica eſt, id eſt, ad ſtipticam declinat, & valet emplaſtrata attritioni nervorum : in hoc caſu dicitur convenire multùm. *Hier. Mercurialis* : radix arundinis contuſa, & emplaſtri modo appoſita dolenti loco, prodeſt. Prodeſt etiam cinis arundinis, ut habetis apud Ætium. *Sigiſmundus Kolreuterus l. de Arthritide cap.8. de arthritidis bilioſæ cura* : multùm prodeſt & ſuccus foliorum cannæ ſeu arundinis, ut ſandali, folia vitis & folia ſalicis. *Benedictus*

Cur.

Curtius Symphorianus : folia virentia moderatè refrigerant. Tuſa verò, & ſacris ignibus & aliis inflammationibus appoſita, medentur. Luxata autem & lumborum dolores cum aceto illita leniunt. Sic & *Tabernæmontanus*, itemque *Tragus*, *cujus verba ſunt hæc*: virentia folia tuſa, & impoſita ignibus ſacris, medentur eryſipelatis & cæteris inflammationibus. Ex his, quibus pollet, facultatibus ſatis conſtat, harundinem frigidam & ſiccam obtinere temperaturam.

Atq; *Johannes Daniel Mylius l.6. Baſil. Chymicæ* ait, *Arundinis uſum & externum & internum eſſe.* De hoc nunc videre, non erit alienum. *Andreas Matthiolus* hoc ſcriptum reliquit: *pota arundinis radix urinam & menſes ciet.* Unde quoq; *Jacobus Camerarius*, item *Tabernæmontanus*, qui quoq; quas radici chinæ, eaſdẽ vires hujus herbæ radici aſſignare non dubitat. Ac *Liberatus de Liberatis l.3. c.6.* inde *Catapotia* componit:

℞. rad. arundinis		
chinæ el.	a. ℥j.	
ſem. citri		
rad. vitis albæ		
ſaſſafras		
Guajac.	a. ℥ß.	

Bull. in tribus libris aqua ad medietatem, cola hanc aquam, affunde novam, bulliant iterùm ad medietatem, & repete quinquies: has omnes aquas colo transfuſas ad ignem lentum exſicca, donec, quod eſt in vado craſſeſcat ad inſtar maſſæ pilularum, de quibus cape ſemiſcrupulum qualibet vice, dum bibis. Hoc medicamentum cum prædicto liberat ab omni morbo articulari, etiam chronico, menſes cit, &c. *Ac cap.4.* Adderem, etiam radicis arundinum uti (Cæſarem) potuiſſe decocto, ut ſudore elicito ſuperfluens humor evacuaretur, firmareturque articulus, ut fit hodiè radice Chinarum. Non diſpar multùm inter has radices facultas exiſtimatur. Tamen minimè hæc fuêre antiquitati cognita. *Hactenus autor.* Radix *chinæ* quidem antiquitùs ignorata fuit, hæc vis verò *radicis arundinis* non item. Nam *C. Plinius* l.24.c.11. quoque prodit, *harundinis radicem urinam movere, ciere menſtrua, mederi jecinori, renibus,*

Bbbbbb *hydro-*

hydropi. Nihil à junioribus profertur, quod non prius à priscis fuerit dictum.

Nunc idem autor, *C. Plinius*, ut *Dioscorides & Galenus* suprà, radici hujus herbæ vim trahendi attribuit hisce: *harundinis radix contrita & imposita, filicis stirpem corpore extrahit, item harundinem filicis radix.* Similiter *Oribasius. Radix arundinis*, inquit l.2. t.2. c.67. Avicenna, *cum cepâ sylvestri extrahit carni infixa.* Atque *Serapio*, D. qn. fit emplastrum cum radice cannæ solâ aut cum bulbo, attrahit ex membris stipites & sagittas & similia. *Hinc* juniores *Tragus, Bened. Curtius Symphorianus, Tabernæmontanus, Lugdunenses, Johannes Ruellius.* Nec *radici* tantùm, sed & *foliis arundinis* est hæc vis ad extrahendum. Nam C. *Plinius* ita: *foliis ejus ad extrahendas aculeos utuntur. Vulgaris arundo extractoriam vim habet & recens tusa, non in radice tantùm.* Hæc igitur herba Coxendici non tàm ob vim refrigeratoriam, quàm ob extractoriam admovebatur, ut A*mmoniacum* & A*nagallis* teste *Ætio*, ut quoque *Aristolochia. Anagallis*, inquit l. 2. de simplic. virt. Oribasius, *habet attrahendi vim, adeò ut surculos etiam extrahat.* Atque l. 3. de morb. curat. 32. *Spicula, arundines, spinas & surculos evellunt anagallides utræque, aristolochia rotunda, ammoniacum cum melle, alterci semen lævigatum atque illitum. Arundinis verò radices contunde & melli admixtas in linteo largè illine, imponeque & alliga: extemplò educunt.* Anagallis, quæ & C*orallion* dicitur, assumebatur, ut nunc quoque *radix arundinis*, infestante *arthritide.* Quemadmodum quoque *Anagallis*, ita A*rundo* non solùm sagittas, sed etiam humores evocat. Quæ cum ita se habeant, cuivis nunc palàm erit, C*æsarem Octavium* & hoc *arundinum* remedio curatum fuisse. Ac *arundo & arena* sunt ferè comparis virtutis. Utraque assiccat humores, sicuti *arundo* ipsa citò arescit. Arundo, *inquit Isidorus*, dicta est, quod citò arescat. A*rena* inde quoque nomen accepit. Utraque certè humores educit. De *arenâ* satis constat. *Fomenta quoque*, inquit C. Celsus l. 2. c. 17. *calida sunt milium, sal, harena, quodlibet horum calefactum & in linteum conjectum.* Atque *Cælius Aurelianus l. 5. Tard. Pass. c. 1.* oportet saccellum lineum implere sale toni-

torrido,& apponere patientibus partibus. *Hæc ille.* Ex *arundine* autẽ *unguenta & emplaſtra* conficiebantur, coxendici admovenda. His igitur remediis crus *Octavii Auguſti Cæſaris* claudicans confirmabatur. *Arundinis* quidem remedium ab omnibus æquè celebratum non fuit. Nam *Galenus* ſuperiore loco fatetúr ſe illud experiri nondum potuiſſe. Dein *Cannæ* quoque ſæpiùs quàm verbum arundinis in ſcriptis Medicorum veterum offenditur. *Hanc*, inquit Iſidorus, *veteres cannam vocaverunt, arundinem verò posteà Varro dixit. Sanè ſciendum, quod latinum canna de lingua Hebræa ſumptum eſt. Apud eos enim calamus canna dicitur.* Quæ igitur de *canna & calamo* dicebantur, eadẽ de *arundine* intelligenda erant. Intereà illa *arundinis* virtus latere potuit. Quare non abs re fuit, hanc de *arundinibus* ſumptam medicinam nunc facere magis notam, quâ & *Octavius Cæſar* uſus fuit omninò.

Ad hoc remedii genus, quo medemur malo *Iſchiaco*, pertinent *vinacea*, de quibus ſuprà. Oleo *Liliorum* utitur *Avenzoar*, hinc *Valeſcus de Taranta*, hic, ut & *Guido* unguento de *veſpertilionibus*. Aliter illud conficit *Avicenna*. Valentiora ſunt alia, ut *Poterii Emplaſtrum* ex pice & ſulphure, *Foreſti* ceratum, Emplaſtrum *Diaphoreticum Minſichtii* & aliorum autorum. *Thermæ* ſunt remedio. Plures magis nominatæ ſunt & valdè nunc notæ. Enumerationis illius labore ſuperſedeatur.

Remedium ex *Iberide* confectum maximè nobilitant *Democrates*, *Galenus* l.10. de comp. Med. *Ætius & Ægineta*, hinc *Steeghius*, *Foreſtus*, *Solenander*, *Capivaccius*. *Laudatiſſimum* eſt, inquit Franciſcus Joel, *ex radicibus Iberidis* Meerrettich. Adjicitur *ſemen naſturtii*, & *ſinapis*, *Scammon.* cum *aceto*, item *fimus Columbinus.* Ex quo & Emplaſtrum *Iſchiadicum Auguſtanorum* conſtat. Emplaſtrum *Cantharidum* humorem educit. *Levamen*, inquit cent.4. obſ. 55. *Borellus*, *etiam affert veſicans regioni Iſchii admotum remedium, ex ejus enim veſicis forficulis apertis effluunt aquæ, quibus evacuatis levatur dolor.* Iis ego quoque *Iſchiacos* curavi, miſſo ſanguine & aliis mox admotis. *Cauteria Verticis*, *Nuchæ*, *Aurium*, *Poplitis*, *Femoris*, haud probantur, ſed eà potius, quæ

brachiis & cruribus imprimuntur. *Cauteriis* usi sunt & veteres, ut *Hippocrates* l. de intern. affect. Sectione 6. Aphor. ultimo lib. de artic. & 5. Epid. *Albucasis*, *Serapio*, *Rhases*, *C. Celsus*. *Ultimum est*, inquit l. d. hic, *& in veteribus quoque morbis efficacissimum, tribus aut quatuor locis super coxam, cutem candentibus ferramentis exulcerare*, hinc juniores, ut *Arculanus*, *Guainerius*, *M. de Gradi*, *Mercatus*, A. *Severinus*, *Mercurialis*, *Lælius à Fonte* conf. 41. *Tulpius*, *Riverius*, *Fabricius Hildanus* cent. 4. obf. 75. *Liberatus de Liberatis*, *Rod. à Fonseca*, & plerique autores. *Deferat*, inquit consil. 42. Capivaccius, *caligam è pelle caninâ, quæ carnem tangit, quæ intercipit humores descendentes & facit, ne ultrà fonticulum progrediantur, sed ut per hunc exeant. Cauterizatio autem debet fieri acuto cauterio. Hæc ille.* De pelle, & de pedibus *Leporis* dictum. *Olaus Magnus* hist. septent. etiam pinguedinem *Leporis* deprædicat.

Setaceum memorat cent. 3. obf. 78. *Johannes Rhodius*: *diuturnos coxendicum dolores Adrianus Spigelius, brevi tempore sustulit setaceo ex radice hellebori musculi gastero cremii gemelli interstitio in suris infixô. Nimirùm venæ subpoplitea beneficio, cujus incisio cæteroquin eo in casu magnos effectus habet.*

Rodericus à Fonseca Ischiacum *Consult. 97.* curans, *caput*, inquit, *masticatoriis & sternutamentis quotidiè purgetur.* Ac Cephalica quoque medicamenta dat *B. Bauderonius*: *℞. conserv. fl. lilii convallii vel florum primulæ veris. Flores lilii convallii valent adversus Cerebri & nervorum morbos ex intemperie frigidâ & humidâ. Ossa humana & similia siccando humores consumunt & nervos roborant.* Nec mirum. *Hippocrates* ipse curam ad *caput* dirigit. Quapropter etiam *Fernelius conf. 12.* Vitetur decubitus supinus, ne cerebri excrementa in cervicem & artus deriventur. *Item Montagnana*, itemque *Guainerius*: Pilulæ sint exiles, si materia ex articulis ducenda, majores, ubi è capite & visceribus. *Eademque sententia* superiùs *Francisci de Pedemontio*. Nunc etiam *Prevotius*: *in arthritide & Ischiadicâ passione à destillatione serosâ cucurbitulæ scapulis appositæ magis prosunt.* Ac ille *Michael Volkmannus* in Systemate

Medi-

Medico-Chymico, quod nondum typis excuſum eſt, *in hunc modum*: Catarrhus (in Podăgricis & Iſchiadicis) ducendus per nares ſternutatoriis. Laudantur etiam veſicatoria prŏpter catarrhos in cervice.

Sed hæc omnia illam ipſam opinionem, humores de *Cerebro* ſemper udo ferri, redolent omninò. Iſta verò nunc inanis, vana ac perſpicuè falſa eſt, ac ſi *Cephalicorum*, hoc eſt, *Cerebralium*, ut vocant, *Catarrhorum aſſertio* repetitur, ſtatim temeritatis pudendæ convinci poteſt. Quam in rem ego operam meam haud infidelem polliceor.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A

Apo-

Gal-

Ca-

Diar-

Gut-

Mu-

N

O

Pſoro-

Venæ

Menda emenda.

p. 114. Plinius interpres pro *Plinii interpres*, eadem p. Legis liber pro *legit liber*. p. 116. quanam eſt natura, pro *quanam eſt naturâ?* pag. 117. vim penſitat, de ſimpl. Med. facult. l. 9. pro *vim penſitat de ſimpl. facult. l. 9.* p. 118. Cognato imitatur pro *Cognato, imitatur;* eadem pag. dicitur piperis pro *dicitur, piperis*. p. 230. quaq; pro *quoq;*. Reliqua benevolus Lector multò facilius agnoſcet ac corriget.